




MARTINVS GÖRGEI
DE EADEM HÆRED.
IN TOPORCZ PRÆP. S.
LADISLAI E.M.S. ET SVÆ
EMINENTIÆ CARD. AC PRIMA-
-TIS HVNG. CANON. A LATERE


GAUDEO



APPARATUS
ERUDITIONIS
PRÆSERTIM
AD
JURISPRUDENTIAM,
In quo
Præter Juris Univerſalis Principia
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico Statu,
Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua ſæculorum ſerie
ad præſens usque tempus deductum, inſertisque pro re nata multis
obſervationibus criticis, ac controverſiis juridicis,
Publicis, ac Polemicis,
METHODO HISTORICO-DOGMATICA
colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,
In utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum,
Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit,
AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S.J.
PARS IX,
Complectens
STATUM REGNORUM ET RERUMPUBLICARUM
SÆCULI XVII.
CUM APPROBATIONE.



Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ
Sumptibus Fratrum Ignatii, & Antonii Wagner, Bibliop. MDCCLXIV.



FACULTAS
R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

Cum librum, cui titulus: *Apparatus Eruditionis &c. Pars IX, X, & XI*, a P. Joſepho Biner, Societatis JEſu ſacerdote, idiomate latino conſcriptum, Patres ad id deputati recognoverint, probaverintque, ego Ignatius Rhomberg, ejusdem Societatis per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab A. R. P. N. Laurentio Ricci, univerſæ Societatis JEſu Præpoſito Generali, Authori ejusdem facultatem impertio, eum typis vulgandi per D. Ignatium Wagner, Bibliopolam Auguſtanum ita cupientem. In cujus rei fidem has ei manu propria ſubſcriptas, & conſueto officii mei ſigillo munitas dedi. Euſtadii 22 Februarii 1764.

(L. S.) Ignatius Rhomberg.

PRÆFATIO.

Tanta eſt rerum ſæculo XVII per Europam geſtarum ubertas atque varietas, ut earum relationem in duas partes dividere neceſſe ſit. Et ea quidem, quæ ad Hiſtoriam Germaniæ ac Galliæ pertinent, Parte VIII pertractavimus: reliqua vero, quæ Italiam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Belgium, Helvetiam, Angliam, ac Regna ſeptentrionalia concernunt, hac parte obiter delibabimus.

Occurrent Revolutiones Regnorum, bella graviſſima, Heroum victorias, Pacificationes Monaſterienſes, Pyreneæ, Aquisgranenſes, Risvicenſes, Olivenſes, Carolovicenſes; magna fœdera, Tractatus commerciales, controverſiæ. Obverſabuntur oculis, Hiſpaniæ partitiones, Luſitanicæ mutationes, Londinenſes ſecures, Regalibus cervicibus cruentæ, Cromwellianum novum ſyſtema, Regum exilia; coronæ translatio in Anglia, Polonia, Suecia, Ruſſia, ex Turcarum unguibus vindicata Hungaria aliæque mutationes notabiles.

Statum Eccleſiaſticum quod ſpectat, quoniam Concilium Generale nullum ſæculo XVII fuit celebratum, Provincialia autem rariſſima, Pontifices vero Moralem præſertim doctrinam, a quibusdam corruptam, in rectam ſemitam reducturi, propoſitiones varias, tum juſto laxiores, tum in alterum rigoris extremum excurrentes, recto judicio condemnare cœperunt, quas in tractatione rerum Italicarum cum obſervationibus Theologicis ſubjicio, ac demum in fine hujus partis Concilia Orientalia, contra Calviniſtarum errores ac falſa aſſerta ſubnecto.

CAPUT





CAPUT I.

ITALICA

SÆCULO XVII.

De rebus Italicis equidem crebro in hoc apparatu memoravimus, pluraque ex instituto Parte X & XI dicemus, ubi statum ejus Ecclesiasticum & Politicum recensebimus. Nunc autem aliqua, quæ Sæculo XVII sunt propria, delibabimus. Incipiamus ab Ecclesiasticis, & doctrina morum, a quibusdam scriptoribus nimium laxata, aut nimium constricta, a summis autem Pontificibus ab utroque extremo, & laxitatis & rigoris, ad veritatis normam revocata.

ARTICULUS I.

Disciplina Morum per Pontifices ab erroribus vindicata

SÆCULO XVII.

§. I.

Propositiones 45 *ab Alexandro VII damnatæ anno 1665 & 1667.*

1. Alexander VII anno 1665 constitutionem edidit, qua 28 Propositiones, nimium laxas damnavit atque prohibuit, postquam non sine magno animi sui mœrore audivit, complures opiniones disciplinæ Christianæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus, ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum Doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Sunt autem propositiones ab eo damnatæ sequentes.

Propositio 1.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

De virtut. Theol.

Observatio. Propositio in terminis absurda, falsa, & scandalosa! est contra legem naturalem & Divinam. Quid enim evidentius, ac obligari nos ad colendum DEUM: per quid autem magis colitur, quam per virtutes istas theologicas, quæ nos cum DEO, auctore nostro, conjungunt, & ad finem, nobis præfixum, nos conducunt? & quot Divina effata hanc obligationem nobis inculcant? *Accedentem ad DEUM oportet credere.* Sine fide impossibile

bile eſt placere DEO. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c. qui non diligit, manet in morte. Spera in DEO. Spe ſalvi facti ſumus &c.* Et ad quid habitus harum virtutum, in baptismo nobis infuſi? an otioſi relinquendi? an tantus theſaurus in ſudario abscondendus? ad quid gratiæ actuales? an non ſæpe neceſſariæ hæ virtutes ad vincendas tentationes? an ad SS. Sacramenta accedendum ſine fide, ſine ſpe, ſine charitate?

Prop. 2.

Vir equeſtris, ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Obſerv. Duellum eſt privata duorum pugna, ex condicto, omni jure prohibita, ſive offeratur, ſive acceptetur; quia homo non eſt dominus ſuæ vitæ, ut de ea poſſit diſponere. Aliud foret, ſi quis ad defendendam vitam ſuam, aut bona fortunæ maximi momenti, cum moderamine inculpatæ tutelæ, injuſtum aggreſſorem, hominem privatum occideret: aut ſi auctoritate publica id fieret ex cauſa graviſſima ac publica, e. g. ad finiendum bellum, prout David cum Goliath, & S. Wenceslaus cum Duce Curimenſi fuit congreſſus; nam tunc habet rationem neceſſariæ defenſionis, non autem duelli, proprie dicti, quod eſt privata duorum pugna, ſponte & ex condicto ſuſcepta, ac proin jure naturali, Divino, & humano graviſſime prohibita. Duellum.

Prop. 3.

Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum probibere abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1619 die 18 Julii in conſiſtorio S. Congregationis Emin. Cardinalium viſa & tolerata eſt. Abſolutio ab hæreſi.

Obſerv. Trid. Epiſcopis tribuit poteſtatem abſolvendi ſubditos ſuos in ſua Diœceſi, per ſe ipſos, aut per Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ, ab omnibus caſibus occultis, etiam ſedi Apoſt. reſervatis: ab hæreſi etiam occulta, per ſe ipſos tamen, non per Vicarium; in Bulla autem Cœnæ prohibetur, ne quis abſolvat a caſibus in ea contentis, niſi in mortis articulo.

Putarunt aliqui, per Bullam Cœnæ non eſſe derogatum Epiſcoporum facultati, eo quod Tridentini in ea non ſiat expreſſa mentio; & aliquis, vel aliqui, ut hanc opinionem firmarent, afferuerunt, opinionem, quæ dicit, quod Bulla Cœnæ tantum prohibeat Epiſcopis abſolutionem ab hæreſi & aliis criminibus publicis, non autem ab occultis, adeoque Tridentino nihil derogari, a S. congregatione viſam & toleratam eſſe.

Negat, hoc factum a S. Congregatione Pontifex, ne per aſſertum opinioni illi auctoritas addatur: quæſtionem autem Juris de poteſtate abſolvendi ab occulta hæreſi, Epiſcopis a Trid. conceſſa, videtur in medio relinquere. Quæ ſit praxis circa hoc in Germania notum eſt. Epiſcopi vel utuntur facultate, ſibi a Trid. conceſſa, vel privilegio, Ultramontanis ſingulis quinquenniis innovari ſolito.

Prop. 4.

Abſol. Regul. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoscunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione, propter ipſam incurſa.*

Obſerv. Regulares olim, cum deficeret Clerus ſæcularis, propter merita ſua in Eccleſiam magna acceperunt privilegia, quæ poſtea a Pontificibus vel ſunt revocata (præſertim ea, quæ vivæ vocis oraculo fuerunt conceſſa) vel limitata.

Prop. 5.

Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.

Denuntiatio. *Obſerv.* Ratio damnandi hanc propoſitionem eſt, quia hæreſis eſt malum maximum contra bonum publicum, quod facile inficiat alios: unde ſi conſtet tibi, teneris denuntiare, licet probare non poſſis, ut accedentibus indiciis inquiſitio inſtitui poſſit. Nec obſtat, quod talis diffametur; nam bonum publicum privato præferri debet. Correctio vero fraterna privata non eſt tunc neceſſaria, niſi certum ſit, delinquentem emendatum iri. Exemplum habemus in obligatione denuntiandi confeſſarium ſollicitantem.

Prop.

Prop. 6.

Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus. Sollicitatio.

Observ. Ratio damnandi est, quia per traditionem talis venereæ chartæ gravissima irrogatur irreverentia & injuria Sacramento pœnitentiæ, & forte plus scandali parit personæ sollicitatæ, quam si in ipso tribunali sacro, ubi erat contrita, fuisset sollicitata, quamvis etiam in ipso confessionali sollicitatio facta censeri possit, ubi scheda sollicitans est tradita.

Prop. 7.

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi. Idem.

Observ. Hoc esset aperire portam gravissimo huic sceleri: ut sæpius sollicitare possit pœnitens: (si tamen pœnitens) & in fraudem præcepti, de sollicitante denuntiando, licentius in ruinam confitentis agi posset. Varii alii excogitati sunt modi, ab onere hoc denuntiationis se liberandi, sed non sunt convenientes. Habemus in Jure Cæsareo Aphorismum: *lex dura quidem est: sed tamen lex.*

Prop. 8.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII. Duplex Stipendium.

Observ. Merito prohibita est Ecclesiastica hæc nundinatio & usura. Cur non dicis, quod triplex stipendium pro una Missa peti possit, præter fructum *specialem*, qui obvenit illi, pro quo sacrificium offertur, & specialissimum, sacrificanti proprium, applicando etiam *generalem*, omnibus Christi fidelibus vivis atque defunctis, assistentibus præsertim pro rata suæ devotionis & dispositionis communem? cur non dicis, quinque vel sex integra stipendia aut sustentationes pro una Missa accipi posse a diversis per-

ſonis, uni applicando fructum generalem, alteri ſpecialem, tertiæ ſpecialiſſimum, quartæ meritorium, quintæ ſatisfactorium, ſextæ impetratorium, cum ſacrificium in ſe ipſo, & in actu primo infinitæ ſit efficaciæ & valoris?

Abſint tales abuſus. Stipendium datur ſacrificanti pro ſuſtentatione diurna. Pro uno die peti non poteſt duplex ſuſtentatio diurna. Qui laborat una tantum die, non poteſt duplicatam mercedem poſcere. Intentio præbentis ſtipendium eſt, ut ſibi applicetur, quidquid applicari poteſt: fructus generalis omnibus fidelibus, ſpecialis ſacrificanti eſt proprius: alteri quæ applicari vel non poteſt, vel ſaltem hoc dubium eſt, prout etiam dubium eſt, an fructus ſpecialiſſimus æquivaleat ſpeciali, vel tantum mediæ, vel tertiæ, ut quidam volunt, illius parti. Non poteſt autem ſtipendium certum exigi pro fructu incerto.

Prop. 9.

Minus Stip.

Poſt Decretum Urbani poteſt ſacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi reſervata.

Obſerv. Sordidam ejusmodi negotiationem & avarum quæſtum circa SS. Miſſæ ſacrificium merito reprobat Papa. Et quo titulo ſibi reſervaret partem ſtipendii? non donationis, ut ſupponitur, non operæ, quia nihil præſtitit, non mercedis, quia nihil meruit. Sed quicquid ſit, an ejusmodi lucrum jure naturali ſit injuſtum, de quo aliqui dubitant, certum tamen eſt, illicitum illud eſſe jure Eccleſiaſtico, ex prohibitione Urbani VIII & Alexandri VII hanc propoſitionem damnantis. Non eſt autem penes ſubditum, an velit legem acceptare; ſed obediendum eſt.

Prop. 10.

Unum pro pluribus.

Non eſt contra juſtitiam, pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre. neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

Obſerv. Urbanus VIII dicit, talem peccare graviter, & teneri ad reſtitutionem. Ergo peccat contra juſtitiam. Dein propoſitio iſta eſt generalis, includens etiam eum, qui pro ſingulis Miſ-

ſis plenum & adæquatum ſtipendium accipit, & unam tantum offert. Hoc autem plane eſt injuſtiſſimum, & in detrimentum offerentis plura ſtipendia. Neque obſtat, quod dicunt, ſacrificium Miſſæ eſſe valoris & efficaciæ infinitæ, unumque tantum valere, quantum plura; nam hoc probaret, unam tantum toto orbe Miſſam eſſe celebrandam. Verum licet ipſe principalis offerens, Chriſtus JEſus, ejusque merita infiniti ſint valoris, participatio tamen noſtra, & applicatio nobis facta, non eſt infinita, plusque per plures oblationes participamus, quam per unam.

Prop. 11.

Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. Confeſſio peccati omiſſi.

Obſerv. Aſſertio eſt contra unanimem Theologorum ſententiam, perſuaſionem & praxin fidelium, imo contra inſtitutionem Chriſti, qui exigit confeſſionem non tantum formaliter, ſed quantum fieri poteſt, etiam materialiter integram, ita, ut omnia, etiam directe, ſubjiciantur clavibus; quapropter, licet quis ab iis peccatis, quæ poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiæ memoriæ non occurrunt, aut quæ ob juſtam cauſam omiſit, indirecte ſit abſolutus, ſi tamen poſtea in memoriam redeunt, tenetur adhuc ea explicite confiteri; imo etiam ea, quæ prius ut dubia confeſſus fuit, ſi poſtea ut certa agnoverit. Neque obſtat Trid. dum ait, confeſſionem non eſſe carnificinam, cum nihil aliud a pœnitentibus exigatur, quam ut poſt diligens examen omnia confiteantur peccata, quæ memoriæ occurrant, reliqua vero eadem confeſſione incluſa eſſe intelligi; nam intelliguntur incluſa in ordine ad abſolutionem indirectam, non autem directam; nemoque aliud exigit, quam ut ea, quæ memoriæ occurrunt, exponantur. Atqui, ſi poſtea in memoriam redeant, utique memoriæ occurrunt.

Neque obſtat 2, quod generaliter abſolutus ab omnibus cenſuris non indigeat amplius abſolutione, etiamſi abſolvens non omnes cenſuras cognoverit; nam abſolutio a peccatis exigit diſcuſſionem & cognitionem cauſæ, ut congrua pœna & medicina adhiberi poſſit; non autem per ſe exigit talem abſolutio a cenſuris, cum poſſit etiam conferri ſine confeſſione. Certe, ſi remiſſio peccatorum

catorum ſemper ſufficeret, nemo teneretur confiteri, qui perfecta contritione ea delevit.

Prop. 12.

Caſus reſervati Epiſcopo.

Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

Obſerv. Mendicantes olim varia a ſummis Pontificibus obtinuerant privilegia, abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis Papæ & Epiſcopis, exceptis iis, qui ſunt in Bulla Cœnæ, & 6 aliis, a Clem. VIII ſpecialiter reſervatis, videlicet, violatione immunitatis Eccleſ. aut clauſuræ Monialium, duello, percuſſione Clerici, ſimonia reali, & confidentiali. Urb. VIII prohibuit, ne Regulares a caſibus, Epiſcopo reſervatis, abſolvant.

Variæ inde ortæ diſputationes, alii dicebant, ejusmodi conſtitutiones tantum Romæ fuiſſe promulgatas, aut communitatibus, Regularibus non intimatas debito modo: alii, eas non eſſe debite munitas clauſulis derogatoriis: alii alia effugia quærebant, donec Alex. VII præfixam propoſitionem damnavit. Poſſunt tamen Mendicantes probabiliter adhuc abſolvere e caſibus occultis reſervatis Papæ, exceptis ſemper caſibus Bullæ Cœnæ: imo etiam a reſervatis Epiſcopo, qui non exſtant in tabella ſeu catalogo reſervatorum ab Epiſcopo. Videatur Viva in hanc propoſitionem.

Prop. 13.

De Confeſſario non approbato.

Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.

Obſerv. Ratio eſt, quia Trid. præter jurisdictionem, ordinariam vel delegatam, requirit in ſacerdote approbationem, ab Epiſcopo factam ad audiendas confeſſiones, tanquam requiſitum eſſentiale; ubi ergo hæc deeſt, invalida eſt abſolutio, ſive juſte ſive injuſte ab Epiſcopo negetur.

Injuſte autem approbatio Regulari negatur, ſi ſit idoneus; quia a Pontificibus Mendicantes acceperunt jurisdictionem univerſalem, velut quidam parochi delegati, conſequenter jus habent ad approbationem. Si tamen Epiſcopus eam neget, abſolutio, quam impertit ſæcularibus, etiam ſacerdotibus, omnino irrita;

rita; per confeſſionem autem invalidam non ſatisfit præcepto confeſſionis annuæ.

Neque verum eſt, quod approbatio, injuſte negata, haberi poſſit pro conceſſa. Sic, licet Epiſcopus Petro injuſte neget Beneficium parochiale, non tamen poteſt ſe gerere pro parocho. matrimonium invalidum eſt ſine præſentia parochi, licet hic injuſte illam neget. Licet etiam Eccleſia ſuppleat aliquando defectum jurisdictionis, ut, cum ſacerdos abſolvit cum jurisdictione vere probabili, aut in caſu erroris communis; non tamen ſupplet, cum ab Epiſcopo negatur approbatio; alias quilibet poſſet, judex in propria cauſa, ſe cenſere idoneum, & approbationem ſibi injuſte negari, & cur non etiam ſacerdos ſæcularis poſſet ita judicare?

Prop. 14.

Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

Obſerv. Ratio damnandi eſt, quia Eccleſia præcipit Sacramentum pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum. qui autem facit confeſſionem voluntarie nullam, hoc præceptum nullatenus implet, ſed abutitur confeſſione ad multiplicanda peccata. Per hoc tamen non nego, ſatisfacturum, qui ſuſciperet Sacramentum validum ſed informe, e. g. ſi de peccato furti doleret ex motivo particulari, non autem de delectatione moroſa, cujus tunc non recordatur. Confeſſio invalida.

Quidam hanc propoſitionem docuerunt ex ea perſuaſione, quod Eccleſia non præcipiat actum internum. Si ergo quis omittat actum internum doloris de peccatis, talem facere quidem confeſſionem voluntarie nullam, nihil tamen omittere, quod ſub præceptum Eccleſiæ cadat. Verum probabilius Eccleſia directe etiam actus mere internos poteſt præcipere ac prohibere; dein certum eſt, quod ſaltem indirecte id poſſit, præcipiendo directe actum externum, & ſic etiam indirecte internum, ſine quo externus rite fieri non poſſet. non poſſet autem rite fieri peccatorum confeſſio externa, ſine dolore & propoſito interno.

Prop. 15.

Pænitens propria auctoritate poteſt ſibi ſubſtituere alium, qui loco ipſius pœnitentiam impleat.

Obſerv. Cur non dicis, quod etiam per alium poſſit confiteri, contritionem elicere, Miſſam audire, jejunare, recitare Pœnitentia a quo implenda.

Breviarium? ſicut igitur hic exigitur actio perſonalis, ſic etiam in præſtanda ſatisfactione. Igitur regula illa: *poteſt quis per alium, quod facere poteſt per ſe ipſum;* hic non procedit, ubi requiritur perſonale obſequium. Et ratio ulterior eſt, quia ſatisfactio imponitur a Confeſſario in vindictam ſcelerum, & pœnam medicinalem præſervativam, ut rigor ſaltem pœnitentiæ a peccatis abſterreat, unde pœnitens neque poteſt hanc ſatisfactionem in opus melius commutare. Neque paritas eſt cum voto; nam per illud vovens ſibi ipſi obligationem imponit.

Prop. 16.

De non approbato. *Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem ſacerdotem, non approbatum ab ordinario.*

Obſerv. Ergo vera eſt contradictoria: *non poſſunt.* Jam Trid. S. 23. *c.* 15. exegit in confeſſario, etiam ſæcularium ſacerdotum, vel Beneficium parochiale, vel ſpecialem approbationem Epiſcopi, hoc eſt, judicium de idoneitate.

Prop. 17.

De homicidio. *Eſt licitum Religioſo & Clerico, calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minitantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni, publice & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.*

Prop. 18.

Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum vitare.

Obſerv. Scandaloſa doctrina, in utraque hac propoſitione contenta, ſi vigeret, mundum impleret homicidiis, cum magna Reipublicæ perturbatione. Ut poſſit invaſor interfici, duo requiruntur. 1 quod evidenter graviſſimum damnum inferat. 2 quod certo & evidenter non poſſit damnum illud alia via impediri. Quæ duæ conditiones raro concurrunt. Propoſitiones autem iſtæ duæ ſunt nimis generales, quia limitationes iſtas non apponunt. Neque etiam excipiunt Principem, cujus vita ſacroſancta haberi debet.

Prop.

Prop. 19.

Non pecent maritus occidendo propria auctoritate uxorem, in adulterio deprehensam.

Observ. Thesis est scandalosa; quia non licet homini privato interficere hominem & mittere ad infernum, qui neque vitam, neque bona fortunæ invadit. Dicitur equidem in Jure civili, ad leg. Juliam de adult. *Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in potestate habet.* Sed hoc intelligendum est de foro externo, quod leges civiles non puniant eam occisionem, non autem, quod eam positive licitam faciant. Et, si facerent, Jus civile in hac parte a Canonico esset correctum. Non vindicta privata, sed per judicia publica plectenda sunt scelera.

Prop. 20.

Restitutio, a Pio V imposita Beneficiatis, non recitantibus, non debetur in conscientia, ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna. Restitutio.

Observ. Ratio proscribendi hanc thesin est; quia juxta Concilium Lateran. V sub Leone X, & Constit. Pii V Beneficiatus, non recitans horas Canonicas, *fructus non facit suos;* sed debent restitui fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus. Ergo hoc fieri debet ante omnem sententiam: quia res aliena, quæ nullo jure detinetur, restitui debet ipso jure naturali absque ulla interpellatione.

Pœna equidem, quæ requirit actionem positivam hominis, ordinarie non incurritur ante omnem sententiam judicis; aliud tamen est circa restitutionem rei alienæ, quæ injuste detinetur; nam Ecclesia Beneficiato non confert fructus, nisi sub conditione recitationis, quæ conditio, si non impleatur, nullum jus ad eos aquirit. Et sane, nisi daretur obligatio restituendi ante sententiam, Constitutio Lateranensis & Piana vix unquam obtinerent finem; quia vix est, qui clericum accuset de omissa recitatione Breviarii, aut probare possit, non fuisse privatim recitatum. Cæterum, si Beneficiatus vere esset pauper, non viderem, cur fructus non posset sibi tribuere tanquam eleemosynam; non enim deterioris est conditionis, ac alii pauperes.

Prop. 21.

Habens, capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. Recitatio officii.

Observ. Dubitabatur olim, an Præstimonia, quæ juvenibus conferuntur ad peragenda studia, sint Beneficia Ecclesiastica, quibus annexa sit obligatio recitandi Horas, an vero meræ pensiones, quibus impositum sit onus recitandi officium B. V. Pius V dubium sustulit, deciditque, quod sint Beneficia cum onere recitandi Horas, ac proin hoc onus esse *personale*, quod quilibet per se ipsum portare debeat; sicut per se ipsum Missam audire, & jejunare debet.

Prop. 22.

Simonia. *Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Observ. Ratio damnandi est, quia collator vi proprii muneris & ex voluntate fundatoris & Ecclesiæ, tenetur ex justitia distributiva Beneficia Ecclesiastica dignioribus gratis conferre, contrahitque labem simoniæ, si exigat pecuniam, etiam sub prætextu emolumenti temporalis; nam hoc est annexum Beneficio, seu juri percipiendi fructus temporales, ut enim loquitur Pontifex, qui vendit id, sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum relinquit. atqui emolumentum temporale non provenit, nisi ex Officio & Beneficio Ecclesiastico, seu ex jure spirituali ad fructus: ergo nec Beneficium & Officium spirituale invenditum relinquit.

Prop. 23.

Jejunium. *Frangens jejunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult subjicere se præcepto.*

Observ. Ex hoc sequeretur, quod nunquam peccetur graviter, violando præcepta (saltem Ecclesiastica) nisi id fiat ex contemptu legis aut legislatoris. Certum autem est, quod graviter peccetur, ponendo objectum aut actum, graviter prohibitum, aut omittendo graviter præceptum, licet id fiat citra formalem contemptum legis. Cum igitur jejunium sit graviter præceptum, prout declarat consuetudo, persuasio fidelium, & perpetua Ecclesiæ traditio, non jejunando graviter peccatur, licet non accedat formalis contemptus legis: *formalis*, inquam; nam omnis deliberata transgressio legis videtur virtualem quendam ejusdem contemptum continere.

Prop.

Prop. 24.

Mollities, sodomia, bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere, se procurasse pollutionem. Peccata contra naturam.

Observ. Absurdam hanc propositionem docuit Caramuel contra communem Theologorum, falso interpretans id, quod docuit S. Thomas 2 2 *q.* 104 *a.* 1, videlicet, sex esse species luxuriæ consummatæ, fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, & peccatum contra naturam. Verum S. Doctor per peccatum contra naturam non assignavit speciem infimam sed subalternam.

Sicut virtutes specificantur ab objecto formali seu motivo eas præcipiendi formaliter diverso, sic etiam peccata a motivo legis, ea prohibentis, quod est specialis turpitudo fœtorque, ex peccato redolens. Diversa autem omnino turpitudo redolet ex mollitie, sodomia, & bestialitate: inter istas mollities fœdum est peccatum, sodomia fœdius, bestialitas fœdissimum. Neque differunt tantum secundum circumstantias, intra eandem speciem aggravantes, sed tota specie, propter diversam fœditatem ex iis emergentem.

Prop. 25.

Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. De fornicatione.

Observ. Potest quis cum soluta varia specie peccata committere contra castitatem, e. g. tactus, pollutionem, fornicationem, stuprum, imo & adulterium, si ipse sit ligatus, aut sacrilegium, si habeat votum, vel incestum, si sit consanguinea &c. quomodo ergo potest satisfacere dicendo generice: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem? Possunt nempe contra eandem virtutem, generice spectatam, diversæ moraliter resultare inhonestates, quæ speciem peccati mutant, & in confessione sunt exponendæ, ut pœnitens peccatum *suum* exponat. Quin imo licet actus externus non differat numero & specie ab interno, tamen est exponendus, ut nemo prudens dubitat: cum vere sit peccatum; hinc non est paritas cum effectu, ex peccato secuto, e. g. morte, ex porrectione veneni secuta; quamvis etiam ejusmodi effectum exponendum esse non pauci doceant, quia saltem in causa fuit liber; imo etiam suo modo in se ipso, si mala voluntas occidendi perduret.

Prop. 26.

An judici munera?

Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro sententia ferenda in favorem unius præ altero.

Observ. Judex debet justitiam gratis administrare, ita, ut ne quidem possit acceptare munera, ultro oblata: & in casu æqualis probabilitatis non potest uni totam causam adjudicare, sed vel debet litigantibus transactionem suadere, vel, si nolint transigere, rem controversam inter eos æqualiter dividere: si autem res esset indivisibilis, per sortem uni rem vel alio modo alteri dimidium æstimationis addicere. In judice non datur casus pro amico. Causæ merita & rationum pondera utrinque imponenda lanci, non favor aut gratia.

Prop. 27.

Probabilitas.

Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a sede Apost. tanquam improbabilem.

Observ. Ex hoc sequeretur, quod si heteroclitum ingenium, novitatis prurito, contra communem omnium Theologorum sententiam, opinionem novam procuderet, hæc habenda esset probabilis; quod sane est absurdissimum. Probabile est, quod nititur gravi fundamento, quæ virum constantem ad prudentem assensum movere queat. Quis autem dicat, auctoritatem unius junioris, toti reliquorum auctoritati contradicentis, tam grave esse fundamentum? temeritas est, non probabilitas. Quot improbabiles ac falsissimæ opiniones, sicut ab antiquis, sic etiam a modernis, in medium sunt allatæ! sicut proverbio dicimus: *nulla absurditas sine patrono, nulla fœditas sine amatore.* An probabiles dicamus? utinam scriptores quidam non tam incauti facilesque essent in asserenda hujus vel illius propositionis probabilitate, innoxius profecto esset Probabilismus, bene intellectus.

Neque obstat, quod libri, antequam edantur, censoribus subjiciantur; nam hi non raro vel ex negligentia, vel deproperatione, vel imperitia, vel aliqua auctoris æstimatione præventi, non satis considerant, quæ ex tali doctrina consequi possent.

Verum quidem est, quod homo indoctus possit sequi sententiam viri docti, vel parochi, quos satis doctos existimat; non tamen, si sciat, sententiam illam esse singularem, contra communem Theologorum assertam. Sic etiam viri prudentis est, quamvis

vis se doctum existimet, ingenio suo non nimium confidere, nec a via trita, quod exoticorum est, abhorrere. Impendat ingenium doctrinæ communi magis firmandæ.

Per hæc tamen non nego, posse unum auctorem, qui materiam mature discussit ac rationibus firmavit, propter excellentem suam doctrinam & probitatem, sententiam aliquam singularem reddere probabilem. Sic teste Gallego de *consc. prob. dub. 21* S. Thomas *multa scripsit, & docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt; & tamen ejus opiniones statim, ac ab ipso traditæ sunt, existimatæ sunt probabiles, tum propter maximam ejus auctoritatem apud Theologos, tum quia non levibus, sed rationabilibus fundamentis ductus est, ad sic opinandum.*

Notandum etiam, quod advertit Bardi apud Viva, *d. 4 de consc. c. 4.* quod in rebus ad Theologiam spectantibus non satis sit consulere Theologum mere speculativum, magnæ licet sit auctoritatis, si in Morali Theologia & Jurisprudentia parum sit versatus. Plurimi enim pollent ingenio, non tamen judicio prudentiali, & ideo in Scholastica eminent, in Morali & Jurisprudentia claudicant. Accedit, quod aliqua speculative videantur probabilia, non tamen practice.

Prop. 28.

Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem, a Principe promulgatam.

Observ. Scandalosa & rebellis thesis! ergo vana & enervis est omnis potestas legislativa: Princeps dependet a subditis: non regit, sed regitur: falsum est illud juris naturalis principium: *legitime imperanti obtemperandum est.* Et cur non eodem jure dicamus, nullum superioris præceptum obligare, nisi a subdito ultro acceptetur, sed in cujusque arbitrio stare, jugum obedientiæ excutere? Si ita est, omnes pœnæ sunt injustæ, quas Princeps, sive ecclesiasticus sive secularis, irrogat transgredientibus legem, & Superior communitatis refractario. Acceptatio legis.

Dixisset saltem auctor hujus propositionis, legem non obligare, si sit nimis ardua; at dicere, populum non peccare etiam tunc, quando *absque ulla causa* non recipit legem, hoc enimvero est nimis absonum.

Supponere videtur auctor hujus erroris, ad essentiam legis requiri acceptationem populi, ac proinde, cum non acceptatur, esse nullam, consequenter populum non peccare. At suppositum istud

istud est falsum; & licet verum esset, populus tamen peccaret, non acceptando, dum Princeps jubet eam acceptari.

Princeps ecclesiasticus potestatem suam non habet a populo, sed a Christo: in Principem vero Monarchicum, sæcularem, sicut olim per legem Regiam, translata est potestas legislativa. Aliud est in regimine non Monarchico, in quo Princeps simul cum Optimatibus legem condit, aut in Aristocratico, in quo Optimates vel Senatus, & in Democratico, in quo populus fert legem.

Verum quidem est, populi acceptationem etiam in regimine Monarchico & independente requiri ad firmitatem & constantiam legis; nam si populus legem non acceptet aut observet, per usum contrarium abrogatur, si Princeps conniveat, & sic tacite, observantiam non urgendo, retractet; primi nihilominus, qui legem absque justa causa non acceptant, aut eam non observant, peccant, donec usu contrario, continuato longo tempore, cum consensu, saltem legali, Principis sit abrogata.

Et ita intelligendum venit, quod dicitur *l. de quibus ff. de legib. leges ex nulla alia causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt.* Nam, si non recipiantur, dissimulante legislatore, per consuetudinem contrariam abrogantur, adeoque non amplius nos tenent. Et in hunc sensum loquitur Gratianus *in cap. in illis dist. 4. leges instituuntur, dum promulgantur, firmantur, dum moribus utentium approbantur.* Id est: valent quidem & obligant; sed si populus eas non observet longo tempore, rursus abrogantur per consuetudinem contra legem.

Condemnatio harum Propositionum.

Has 28 Propositiones Alex. VII, re mature considerata, damnavit ad minimum tanquam scandalosas, ita, ut quicunque illarum aliquam docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputaverit, publice, aut privatim, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, Pontifici reservatam, prohibetque gravissime, ne quis fidelium eas in praxin deducat.

§. 2.

Aliæ 17 Propositiones ab Alex. VII damnatæ.

2. Sequenti dein anno 18 Martii 1666 alias 17 damnavit, per plures Theologiæ Magistros, & S. R. E. Cardinales, Generales Inquisitores prius examinatas; quæ sunt sequentes.

Prop.

Propositio 29.

In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Observatio. Ratio reprobandi est; quia sic eluderetur vel omnino everti posset præceptum jejunii; quia multæ comestiunculæ, eadem die factæ, coalescunt moraliter, & æquivalent uni comestioni notabili, repugnantque non minus fini jejunii, nempe macerationi carnis. Et hinc graviter peccas contra præceptum jejunii, si sæpius manducando advertas, te perventurum ad quantitatem notabilem, frangisque jejunium, sicut, qui advertit, se per parva furta perventurum ad summam gravem, graviter contra justitiam peccat. Imo tametsi prius sæpius manducando aut furando non adverteris, te perventurum ad quantitatem gravem, si tamen advertas in ultima comestione aut furto, te complere quantitatem gravem, mortaliter peccas, si non omittas, non quod ultima illa comestio aut furtum se solo sit peccatum grave, sed quia cum præteritis moraliter coalescit, & sic complet quantitatem gravem. Idem dicendum de eo, qui sæpe in eodem officio aliquid omittit, aut die festo sæpe aliquid laborat, nam peccat graviter, quando ad quantitatem notabilem pervenit. Jejunium.

Verum quidem est, quod plura venialia non æquivaleant uni mortali, sed nego, quod sit veniale, si advertas te pervenire ad quantitatem gravem eadem die jejunii. Aliud est, si singulis jejunii diebus aliquid parum comedas; nam comestiones plurium dierum non ita coalescunt, cum jejunium unius diei non respiciat jejunium alterius diei; sed quodlibet sit affixum suæ diei. Idem, si voveas, quotidie modicam eleemosynam dare, aut brevem orationem peragere, & obligationem cuilibet diei affigas. Aliud autem, si in communi & conjunctim voveas.

Prop. 30.

Omnes officiales, qui in Repub. corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

Observ. Thesis hæc est nimium generalis, non distinguens inter corporales labores graves & leves, magnos & parvos, multum defatigantes, & parum: quasi vero quilibet labor corporalis excuset ab obligatione jejunii. Si scriba aliquot lineas describat pro Republica, an propterea excusandus a jejunio?

Prop. 31.

Excusantur a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

Observ. Præceptum jejunii obligat, quoties sine magno incommodo servari potest. At sæpe sine magno incommodo iter peragi potest, præsertim equo vel curru, imo etiam cum oblectatione & recreatione, sine notabili defatigatione; talem autem excusari a jejunio dici non potest, licet iter unius diei faciat.

Prop. 32.

Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obliget.

Observ. Consuetudo legitime præscripta, est lex non scripta, obligatque sicut leges scriptæ. Ubi ergo consuetudo introduxit, ut diebus jejunii abstineatur non tantum a carnibus, sed etiam ab ovis & lacticiniis, evidens est, quod detur obligatio ab iis abstinendi; nam jejunium præcipue regulatur secundum consuetudinem, legitime præscriptam. Nos autem in Germania circa ova & lacticinia aliam consuetudinem habemus.

Prop. 33.

Restitutio. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.*

Observ. Ratio prohibendi est, quod, si quis prius eleemosynas prorsus liberaliter & gratis fecerit, ex virtute misericordiæ erga pauperes, hæc eleemosyna jam transiit in dominium pauperis; unde, si postea horas omittat, non potest amplius illas eleemosynas in restitutionem, ex justitia debitam, computare: sed ex justitia debet novas eleemosynas facere, aut fructus fabricæ suæ Ecclesiæ restituere. Unde falsum est, quod restitutionem per quascunque eleemosynas possit facere.

Prop. 34

In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.

Observ. Caramuelis hæc thesis, (quam postea revocavit) aperte est contra Decretum Pii V, qui in virtute S. obedientiæ præ- Officium. cepit, ut ritus, in Breviario Romano præscriptus, observetur, neminemque nisi hac sola formula posse satisfacere. Unde graviter peccat, qui ab ea notabiliter recedit, venialiter vero ob par-

vitatem

vitatem materiæ ab iis, qui citra rationabilem causam ab ea recedunt. Atqui recitans in die Palmarum officium Paschale notabiliter a ritu præscripto recedit: ergo non satisfacit præcepto, & graviter peccat; quia talis mutatio officii longissimi in brevissimum est variatio valde notabilis & substantialis; quidquid sit, an mutatio officii de uno sancto in officium de alio sancto sit notabilis & substantialis, in quo DD. non conveniunt.

Prop. 35.

Uno Officio satisfieri potest duplici præcepto pro die præsenti & crastino.

Observ. Officium est ita affixum cuilibet diei, ut pro quolibet recitari debeat, ut patet ex communi sententia, persuasione, praxi, consuetudine omnium timoratorum. Quomodo ergo unico officio satisfieri possit pro duobus diebus? solutione unius aurei debito duorum aureorum? Cur non etiam dicis, uno officio satisfieri posse pro toto anno? Aliud est de impletione plurium præceptorum, eandum actionem præcipientium, e. g. si concurrant præceptum naturale, Divinum & humanum; quia omnia unum eundemque actum præcipiunt. Satisfacis una Missa, si concurrat Dominica & festum Apostoli, uno jejunio, pervigilio incidente in quadragesimam, quia unum tantum, licet ex duplici motivo, præcipitur. At in nostro casu pro duobus diebus duo officia præcipiuntur.

Prop. 36.

Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

Observ. Ante proscriptionem hujus propositionis variæ erant de hac re sententiæ, propter varias Pontificum Ordinationes, varia privilegia, modo concedentes, modo iterum revocantes. Sed nunc assurgendum decisioni Alexandri VII, propositionem prædictam condemnantis. Rationem prohibendi videntur præbuisse variæ controversiæ, & lites, inter Episcopos, & Regulares circa usum privilegiorum exortæ.

De privil. revocatis.

Prop. 37.

Indulgentiæ, concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V, hodie sunt revalidatæ.

Observ. Paulus V, cum Indulgentiæ nimis excrescerent, non omnes certæ, anno 1606 omnes revocavit, novasque concessit. Idem Paulus V postea omnes Societati nostræ restituit, & per com-

De Indulgentiis revocatis.

communicationem privilegiorum, etiam aliis Ordinibus Mendicantibus. Urbanus VIII V. V. O. rursus revocavit. Unde orta inter DD. multiplex disputatio. Condemnatio hujus propositionis id solum decidit, Indulgentias, a Paulo V revocatas, hodie non esse revalidatas. Certissimæ autem sunt Indulgentiæ, quas post Urbanum VIII Pontifices concesserunt, quales sunt plurimæ; quas non vacat hic longo catalogo attexere.

P. Viva in sua Trutina ad hanc propositionem existimat, eos etiam lucrari indulgentias, qui tantum probabilitatem habent de concessione, eo quod Pontifex in tali casu suppleret easque concedat, licet in se non subsisterent, sicut supplere censetur Jurisdictionem in casu erroris communis; imo eum etiam Indulgentias lucrari, qui nescit, esse concessas, modo opera præscripta peragat; quia, sicut in auditione Missæ non præcipitur intentio satisfaciendi præcepto, sed, ut Missa audiatur, sic non injungi intentionem lucrandi indulgentiam, sed opera. Ego sæpius parochis, qui dubitabant, an hæ vel illæ Indulgentiæ sint revera legitimæ, suasi, ut non multum se opponant, ex ea ratione, quod ex ea persuasione innocenti fiat confessio peccatorum, sacræ Synaxis sumptio, alia opera bona. Licet igitur Indulgentiæ re ipsa non subsisterent, ista pientissima opera nemini nocerent, operanti autem multum prodessent. Certe sæpius in confessionali interrogatus, an has vel illas Indulgentias, de quibus dubitabam, lucrari possint, respondi, Sacramentum pœnitentiæ cum satisfactione imposita, Sacramentum Evcharistiæ devote susciperent, bona opera peragerent, semper ab his haberi indulgentiam.

Prop. 38.

De confitendo quam primum.

Mandatum Tridentini, factum sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

Observ. Habemus ergo ex proscriptione hujus thesis, mandatum illud, quamprimum confitendi, non esse tantummodo consilium, sed præceptum, & quidem grave, sicut præceptum audiendi Missam, jejunandi &c. prout DD. consensus, communis persuasio, usus & consuetudo, optimus legum interpres, declarant. Licet enim talis sibi persuadeat, se contritionem perfectam elicuisse ante sacrificium, & per eam sibi remissum esse mortale, de hoc tamen non est certus; quare reverentia Sacramenti, quod alio die rursus vult conficere, requirit, ut prius confiteatur suum peccatum, necdum expositum; &, si longo tempore non amplius sit

sit celebraturus, nihilominus tenetur vi hujus præcepti Ecclesiastici brevi confiteri.

Prop. 39.

Illa particula quamprimum *intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.*

Observ. Torta est hæc expositio & absurda. *Quamprimum* aliud significat: deinde, si hic esset sensus, otiosa esset condemnatio hujus propositionis, cum apud omnes certum sit, in proxima confessione mortale, necdum expositum, jure Divino esse subjiciendum clavibus: cæterum illud *quamprimum* DD. censent, esse accipiendum moraliter pro diversitate materiarum & circumstantiarum, & in nostro casu sumi posse pro triduo, ita, ut intra triduum sacerdos teneatur confiteri. Si tamen post celebrationem statim haberet copiam confessarii, ultra triduum non amplius habiturus, teneretur statim post Missam confiteri, ut huic præcepto satisfaciat.

Prop. 40.

Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum, habitum ab delectationem carnalem & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis. De osculis.

Observ. Omnis delectatio carnalis seu venerea, deliberate quæsita, est peccatum mortale, nec datur in ea parvitas materiæ, ab eo excusans; quia semper datur ratio graviter prohibendi, nempe periculum proximum, in tanta naturæ lubricitate, & vehementia tentationis, ad ulteriorem majoremque delectationem progrediendi; nam omnis delectatio carnalis est inchoata pollutio &c. qui autem amat periculum, peribit in illo.

Igitur osculum, amplexus, tactus, & actus quicunque positus deliberate propter delectationem veneream, quæ ex actu illo percipitur, semper est peccatum mortale, licet quis statuat in ea sistere, & non ulterius progredi; imo delectatio morosa, etiamsi in nullum actum externum prodeat, jam per se ipsam est peccatum grave.

Si doctrina hæc severior cuipiam ex carnali hoc sæculo appareat, cogitet, illam Juris naturalis, Divini & humani esse, atque hinc arctam ad cœlum viam, quod vim patitur, a violentis rapiendum; relictumque nobis stimulum ad agonem, ut cœlum mereamus. Jugum Domini nihilominus suave & onus leve, sed diligentibus DEUM, qui non patitur nos tentari supra id, quod cum

ejus gratia possumus; auxiliaque nobis suppeditat in tempore opportuno; qualia sunt, præter ejus gratiam (quæ suffecit Paulo contra stimulum carnis) oratio, aversio phantasiæ, fuga otii & occasionis, generosa resistentia, initiis opposita, edomatio carnis &c. Quamvis autem omnis delectatio carnalis extra matrimonium plene deliberata sit peccatum grave, nullaque detur in ea parvitas materiæ, sæpe tamen peccatum tantum veniale, aut omnino nullum, committitur ex indeliberatione actus, quia scilicet committitur, sine plena deliberatione, id est, sine plena advertentia intellectus, ad malitiam gravem, aut sine pleno consensu voluntatis. Distinguendum etiam inter delectationem carnalem seu veneream, & inter mere sensualem, quæ ex proportione sensus cum objecto oritur, dum e. g. visus intuetur pulchrum florem, auditus percipit suavem musicam, odoratus delectatur odore grato, gustus cibo aut potu amœno, tactus panno molli &c.; nam quamdiu in hac proportione sensus cum suo objecto sistitur, non peccatur graviter.

Prop. 41.

De concubinario. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo, *dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

Observ. Scandalosa sane propositio, quam docuit Joannes Sanchez, alias etiam sæpius in laxitatem effusus. Quid hoc aliud, quam molle pulvinar peccatoribus consuetudinariis substernere? Talis concubinarius est in periculo proximo peccandi mortaliter, nec datur physica aut moralis impossibilitas, eam deserendi; neque enim talis est melancholia, tædium, molestia, quam sentit ex absentia concubinæ, quamvis deesset alia famula, quæ tam sapidas epulas præpararet.

Occasio autem proxima est, in qua sæpe peccatur, remota, in qua raro. Unde fit, ut occasio, quæ respectu unius est remota, respectu alterius possit esse proxima. Hæc rursus alia est voluntaria, quæ moraliter potest deseri, alia involuntaria, & necessaria, quæ vel omnino non potest, vel non nisi cum summa difficultate potest deseri.

Remota non debet necessario deseri: alias oporteret mundo exire; nullus posset sequi militiam, mercaturam &c. nec posset acceptare officium aliquod periculosum. Proxima voluntaria deseri

ſeri debet, ſi poſſit. Si oculus tuus ſcandalizat te, evellere eum & projicere jubet Dominus. Involuntaria, cum non poſſit, non debet deſeri materialiter, debet tamen deſeri formaliter, non amplius peccando, aut ex proxima occaſione faciendo remotam. Si tamen propter occaſionem proximam non ſublatam identidem relaberetur, neganda ei foret abſolutio, niſi prius concubinam ejiciat, aut aliam occaſionem proximam deſerat, etiamſi maxima in hoc eſſet difficultas; quia alias ſperari prudenter non poteſt emendatio, eo quod talis occaſio ei ſit formaliter proxima. De hac materia ſæpius recurret ſermo, ob plures propoſitiones, ab Innoc. XI damnatas.

Prop. 42.

Licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem usque ad certum tempus. Uſura.

Obſerv. Propoſitio hæc eſt nimium generalis, includens etiam caſum, quo mutuans ex dilatione reſtitutionis nullum pateretur damnum. Hoc autem eſt falſum; nam contractus mutui talis eſt naturæ, ut non plus, quam tantundem exigatur reſtitui, quantum fuit datum. Unde omne lucrum, quod ſolo titulo mutui ſupra ſortem exigitur, eſt uſura lucratoria, ſtricte dicta, omni jure, naturali, Divino, & humano prohibita, ſicut furtum, intrinſece mala: imo ſpecies quædam furti, eodem cum illo præcepto ſeptimo prohibita, ut facile agnoſcunt omnes Theologi & docti Juriſtæ. Et quid inordinatius, quam ex re aliena velle lucrari a mutuatario, in quem totum dominium fuit translatum, cuique mutuum perit, ſi perit.

Neque obſtat, quod mutuatarius ultro uſuram promittat; nam exceſſum ſupra ſortem non donat, ut ſupponitur, ſed titulo mutui exactum dat, alias non accepturus mutuum.

Per hoc tamen nequaquam reprobantur alii tituli, legitimi & juſti, pecuniam utiliter expendendi, uti emptione cenſus, contractu ſocietatis &c. neque in ipſo etiam mutuo ſeu occaſione mutui prohibitum eſt aliquod auctarium petere ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, aut veri periculi amittendæ ſortis, aut etiam legis, permittentis occaſione mutui moderatum auctarium, illiusque dominium in creditorem ſeu mutuantem transferentis, prout illud transfert in præſcribentem: quibus titulis excuſandum puto cenſum Germanicum, apud plures nationes conſuetum. Nunquam tamen licet titulo ſolius mutui vel minimum quid ultra ſortem exigere.

Prop.

Prop. 43.

Legatum. *Annuum legatum, pro anima relictum, non durat plus, quam per decem annos.*

Observ. Videtur hæc thesis supponere, quod animæ in purgatorio non detineantur ultra decennium, quod aliqui putabant, ac proin, cum cesset finis, cessare etiam obligationem annui legati, ut DD. aliqui cum Soto existimarunt; hoc autem suppositum est prorsus arbitrarium, nullo subsistens fundamento probabili. Cur non dicis eodem jure, hoc est, nullo, animas in purgatorio detineri tantum 5 annis, aut 20, aut cum aliis somniatoribus, omnes detineri usque ad extremum Judicium? Cum ergo hoc suppositum sit omnino incertum, quomodo in eo fundare possis cessationem obligationis certæ. Sed neque præscriptionis præsidio tueri te potes, quam ne quidem inchoare potuisti.

Prop. 44.

Censuræ. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

Observ. Censuræ non cessant, nisi per absolutionem: sicut enim natæ sunt per actum jurisdictionis ecclesiasticæ, sic etiam dissolvi debent, secundum illud: *quodcunque ligaveris.* Licet ergo reus sit correctus, & contumacia cessaverit, non tamen hoc ipso ante absolutionem cessat censura, licet etiam per actum perfectæ contritionis te in statum gratiæ reposueris. Sicut post extinctum reatum culpæ, non semper etiam est extinctus reatus pœnæ, censura autem non tantum est medicinalis sed etiam pœnalis; in quantum est medicinalis, cessat post curationem, non autem, in quantum est pœnalis ante absolutionem. Unde dicitur, licet censura dependeat a contumacia *in fieri*, non tamen *in conservari*: sicut culpa est causa pœnæ, & tamen hæc sæpe manet post remissam culpam: & sicut impedimentum publicæ honestatis manet post rescissa sponsalia, licet illud ex his nascatur.

Quando etiam censura ferretur hac formula: *donec resipiscas*, non sequeretur, quod per ipsam resipiscentiam liberaretur a censura, sed sensus esset: donec *post resipiscentiam absolvaris.* Sicut, quando dicitur non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum, non sequitur, quod per restitutionem formaliter remittatur peccatum, sed post restitutionem per gratiam justificantem. Excommunicatus, licet in gratia mortuus, debet adhuc absolvi, ut possit sacra sepultura & Ecclesiæ suffragiis frui, & ratio ulterior est, quia eccle-

ecclesia vult, ut innodatus censura non liberetur, donec ab habente potestatem absolvatur, ut etiam ex hac propositione damnata patet.

Prop. 45.

Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur. Libri prohibiti.

Observ. Libri hæreticorum, hæresin continentes, vel de religione tractantes, prohibentur in Bulla Cœnæ absolute sub excommunicatione reservata, quæ incurritur etiam ab iis, qui tales libros retinent. Quidam autem libri, maxime Catholicorum, prohibentur, adjecta clausula: *donec expurgentur;* & de his putabant quidam cum Marchantio, quod possint retineri, donec corrigantur; præsertim ab eo, respectu cujus nullum est periculum perversionis, neque ex retentione, neque ex lectione libri.

Verum, cum lex prohibens retentionem & lectionem sit universalis, propositio hæc fuit damnata. Neque obstat, quod respectu alicujus in particulari nullum sit periculum, adeoque cessare videatur respectu illius finis legis; nam aliter hic discurrendum de præcepto particulari, alicui personæ particulari imposito, e. g. ut restituas bonum alienum, tu autem nullum bonum alienum habeas; tunc enim cessante fine cessat præceptum. Aliter vero, cum est præceptum generale, latum ex præsumptione periculi universalis, seu talis, quod communiter aut frequenter adesse solet, tunc enim lex obligat eos etiam, respectu quorum nullum hic & nunc est periculum: & tale præceptum est, non legendi aut retinendi libros prohibitos.

Et ratio est, quia tale præceptum non est latum propter periculum alicujus in particulari, sed propter periculum, communiter, aut frequenter adesse solitum. Licet ergo apud aliquem vel aliquos cesset periculum particulare, scilicet respectu ipsius, non cessat tamen lex etiam respectu ipsius; quia manet finis legis, nempe periculum communiter adesse solitum, qui finis non cessat. Quamvis enim respectu ipsius nullum esset periculum, est tamen periculum frequens, propter quod lex universalis fuit lata.

§. 3.

Propositiones 65 ab Innocentio XI damnatæ anno 1679.

3. S. D. N. Innocentius XI opus ab Alex. VII inchoatum prosecuturus, multas propositiones, ex diversis libris, thesibus, scriptis excerptas, & partim noviter adinventas Theologorum plurium examini, atque S. R. E. Cardinalium, contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum judicio subjectas, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas damnavit.

Propositio 1.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum non est utendum in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis & Episcopalis.

Probabilitas de valore.

Observatio. Merito damnata est hæc propositio; non enim est probabile, quod possis adhibere materiam aut formam dubiam aut tantum probabiliter validam, si possis habere certo validam. Unde hæc damnatio non afficit doctrinam Probabilismi, bene intellectam; nam Probabilismus non loquitur de probabilitate objectiva & speculativa, quando probabile e. g. est hanc vel illam materiam esse validam, aut hanc medicinam conducturam ad sanitatem, sed loquitur unice de probabilitate practica, versante circa *licentiam actionis*, quando vere probabile est, hanc vel illam actionem esse licitam. Non est autem, quod dixi, vere probabile, quod liceat adhibere in Sacramentis materiam dubiam, aut probabiliter tantum validam, si possis adhibere certo validam; licet enim probabile sit, quod sit valida, non tamen est probabile, quod liceat ea uti; semper enim id vetat lex, vertiturque periculum gravis damni, & irreverentiæ erga Sacramentum, quando exponitur periculo nullitatis. (*vide part. 1, ubi hæc materia ex instituto est discussa.*)

Prop. 2.

Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.

Observ.

Observ. Quod hoc liceat, iterum non est probabile; nam pro ea parte est pronuntiandum, cujus causa est probabilior. Si justitia causæ utrinque sit æque probabilis, vel est pronuntiandum pro reo & possessore, vel partes litigantes bono modo sunt inducendæ ad transactionem, vel utrique dimidium est adjudicandum: nunquam vero illi, qui habet causam minus probabiliter justam; quia hic non datur casus pro amico. Aliud est de criminalibus; nam stante utrinque æquali probabilitate de crimine, reus est absolvendus; quia jura proniora sunt ad absolvendum, quam condemnandum; imo in causis capitalibus jura requirunt probationes, luce meridiana clariores. De opinione probab.

Prop. 3.

Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Observ. Laxa & perniciosa est hæc thesis, quam illi, qui probabilismum sobrie defendunt, nunquam admittunt, sed requirunt veram, certam, solidam, absolutam, & comparativam in conflictu rationum oppositarum, probabilitatem, id est, talem, quæ nitatur motivo gravi, quæ virum constantem ad prudentem assensum movere possit; talis autem non est tenuis probabilitas, quæ est umbra potius probabilitatis, quam vera probabilitas, versans circa licentiam actionis.

Prop. 4.

Ab infidelitate excusatur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

Observ. Etiam hic agitur de probabilitate objectiva & speculativa, quando scilicet probabile sit, sectam, Catholicæ Religioni oppositam esse veram, non autem de probabilitate practica, versante circa licentiam non credendi; non enim est probabile, quod liceat non credere Ecclesiam Catholicam, quando secta opposita est ipsi minus probabilis. In re enim tanti momenti, a qua dependet salus æterna, certum est, quod debeat credere Ecclesiam catholicam, sibi probabilius veram: fides tamen hæc, nixa soli probabilitati, licet majori, quod DEUS revelaverit, non esset statim supernaturalis, quia idem Innoc. XI propos. 21 damnavit, *assensum fidei supernaturalis stare cum notitia solum probabili revelationis.* Donec igitur habeatur moralis certitudo de

existentia revelationis, eliceretur fides naturalis. Hoc enim nisi dicatur, videntur difficulter componi posse, quæ damnantur propositione 4 & 21. Configi etiam potuit hæc 4ta propositio, quia simpliciter excusat non credentem, absque mentione obligationis ulterius in veritatem inquirendi.

Sed quid? si alicui Religio catholica, aut aliquis illius articulus videatur minus probabilis, quam articulus sectæ lutheranæ? An hunc potest & tenetur credere? *Resp.* Itali negant suppositum, quod Religio Catholica aut aliquis illius articulus possit alicui prudenter apparere minus probabilis; tot enim signis credibilitatis & veritatis est illustrata Ecclesia Catholica, ut nemo prudenter de ea dubitare possit, cum faciant evidenter credibilem, & evidenter credendam, atque certo veram. Certe facienti, quod est in se, DEUS non denegat gratiam, præsertim ad ea cognoscenda, quæ sunt necessaria necessitate Medii.

Prop. 5.

Dilectio DEI. *An peccet mortaliter, qui actum Dilectionis DEI semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

Prop. 6.

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga DEUM.

Prop. 7.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

Observ. Certum est, ex lumine rationis & juris naturalis, ex lege Divina, in Evangelio tam energice nobis proposita, ad virtutes Theologicas sæpius exercendas nos obligari; quia tenemur DEUM colere, quod maxime fit per illas virtutes, quæ nos ad pie vivendum & conjunctionem cum DEO immediate disponunt, atque salutem æternam, utique ab omnibus quærendam, perducunt. *Qui non amat Dominum Nostrum JEsum Christum, sit anathema.* Neque sufficit amor virtualis, consistens in observatione præceptorum, sed requiritur formalis, non modo in exortu sufficientis rationis & in morte eliciendus, sed sæpius etiam in vita, & quidem sub gravi peccato. Et idem de fide & spe.

Prop.

Prop. 8.

Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. Comestio ad satietatem.

Observ. Verba præsertim ultima sunt scandalosa; quid enim ex illis non posset carnalis homo concludere? Dein cibus & potus ordinatur a DEO & natura ad restaurationem & conservationem virium ad obsequium DEI; invertit igitur ordinem naturæ, qui ad alium finem, uti ad voluptatem solam, illos adhibet. Accedit, quod hæc thesis non excipiat casum, quo temperantiæ limites transilirentur.

Prop. 9.

Opus conjugii, ob solam voluptatem exercitum, penitus caret culpa, ac defectu veniali. Copula.

Observ. Opus conjugii ordinatur ad honestam generationem prolis, & ut incontinentiæ peccatum evitetur; inordinatum igitur est, si ad solam voluptatem referatur.

Prop. 10.

Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. Dilectio proximi.

Observ. Tenemur DEUM diligere etiam actu interno & formali: ergo etiam proximum; cum secundum mandatum sit simile primo, & sane dilectio residet in corde: ergo non satisfit præcepto per actum mere externum, modo Pharisaico exercitum. Accedit, quod dilectio etiam interna sit necessaria ad conservandam pacem & concordiam inter homines.

Prop. 11.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Prop. 12.

Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

Observ. Hæc doctrina si locum inveniret, frustranea essent præcepta eleemosynæ, in S. Scriptura toties inculcata. Igitur non tantum in extrema necessitate succurrendum est pauperi, licet non habeantur superflua, imo etiam in gravi necessitate, quin etiam in communi, dando eleemosynam ostiatim mendicantibus, de superfluis statui proprio: quod autem nemo habeat superflua, seu

ad ſtatum proprium conſervandum non neceſſaria, dici non poteſt, cum multi ſint ſatis divites. Licet præceptum dandi eleemoſynam etiam laicis ſit impoſitum, præcipue tamen Eccleſiaſticis, qui ſpeciali etiam præcepto obligantur, ſuperflua erogare in pias cauſas. Cæterum præceptum dandi eleemoſynas fundatur in amore DEI & proximi.

Prop. 13.

Gaudium de morte.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de morte naturali illius gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

Prop. 14.

Licitum eſt, abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed bonum cupientis; quia nimirum ei eſt obventura pinguis hæreditas.

Prop. 15.

Licitum eſt filio gaudere de parricidio patris, a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate conſecutas.

Obſerv. Cum vita hominis ſit altioris ordinis, quam bonum temporale, non licet propter iſtud optare, aut cupere mortem alterius, maxime patris, aut de illa gaudere, ſicut non licet illam deſiderare, aut procurare. Orat equidem Eccleſia, *ut gentes Paganorum, quæ in feritate ſua confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur;* ſed hic intenditur majus earum bonum, ut videlicet convertantur, & Eccleſia ab eis ſecura & quieta permaneat.

Prop. 16.

Fides.

Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

Prop. 17.

Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.

Obſerv. Cum fides ſit initium ſalutis, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, atque ſæpiſſime in S. Scriptura nobis commendetur, per ſe patet, quam enormiter abſurdæ & ſcandaloſæ ſint hæ propoſitiones. Videantur etiam, quæ dicta ſunt ad propoſ. 1 ab Alex. VII damnatam.

Prop.

Prop. 18.

Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut DEO & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. Professio fidei.

Observ. Non tantum obligamur graviter, actus fidei internos frequentius elicere, sed etiam ad externam professionem fidei; nam *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ait Apostolus ad Rom. 10, & ipse Dominus: *qui me erubuerit, & sermones meos*, hunc *filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua &c.* Luc. 9. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10.

Ratio est, quia obsequium DEO & fidei debitum exigit, ut publice eam profiteamur, quando taciturnitas cederet in ejus contemptum, vilipensionem, aut in scandalum aliorum, quod præsertim fieret, si a publica potestate interrogatus de fide sua taceret, maxime si hoc silentium videretur virtualis negatio fidei.

Aliud foret, si silentium indicaret contemptum Tyranni, foretque virtualis professio fidei; ut docemur exemplis sanctorum, & ipsius Christi Domini, qui interrogatus ab Herode tacuit. Aliud item foret, si a privato interrogaretur; nam huic respondere posset, quid ad te? Cæterum sicut simulatio falsæ religionis semper est graviter prohibita, ita dissimulatio suæ fidei, imo & fuga sæpe est licita ac prudens; prout nos rursus docent exempla sanctorum, & monitum Christi: *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Prout etiam habitus & alia signa, falsæ religionis professiva, graviter sunt prohibita, ita indifferentia non sunt illicita.

Regula generalis est: quotiescunque taciturnitas, aut positio alicujus signi cedit in contemptum aut irreverentiam DEI aut fidei, aut in scandalum proximi, jure naturali semper prohibetur. Jure autem positivo humano a variis emittenda est professio fidei, e. g. ab eis, qui recipiunt Beneficium curatum, a promovendis ad Gradus litterarios &c.

Prop. 19.

Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum, ad assensum impellentium. Firmitas fidei.

Prop.

Prop. 20.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.

Observ. Rationes quæ remote impellunt ad assensum fidei, sunt signa & *motiva credibilitatis*: atque sunt moraliter certa, seu faciunt evidenter mysterium credibile & credendum. Sed per hæc necdum habetur summa certitudo, qualis ad actum fidei supernaturalem requiritur, suntque principia fidei tantum extrinseca, quæ revelationem mysterii ceu moraliter certam intellectui proponunt. Accedit *pia affectio*, seu imperium voluntatis (per quod fides est libera & meritoria) per hanc piam affectionem supernaturalem voluntas intellectui imperat assensum firmissimum; *illustratio* quoque supernaturalis Divina intellectui suasive proponit auctoritatem DEI revelantis: propter quam tanquam objectum formale & motivum intrinsecus intellectus elicit assensum prorsus firmissimum & infallibilem, imo certiorem omni certitudine naturali, utpote nixum auctoritate DEI loquentis, per lumen supernaturale proposita.

Hinc falsum est, quod voluntas non possit facere, ut assensus fidei in se ipso sit firmior, quam mereatur pondus rationum seu motiva extrinseca fidei. Falsum etiam est, quod prudenter repudiare quis possit assensum, quem habebat, supernaturalem, cum tum ex imperio voluntatis, tum ex illustratione supernaturali, cum summa certitudine non tantum infallibilitatis sed etiam adhæsionis affectivæ adhæreat auctoritati Divinæ revelanti, tanquam objecto suo formali, & motivo intrinsece & essentialiter respecto; in quod fides ultimato resolvitur.

Accedit, quod etiam motiva credibilitatis, licet sint principia extrinseca fidei, tanti tamen, utpote moraliter certa, sint ponderis, ut nunquam prudenter repudiari possit assensus fidei. Cæterum tres istas Theses 18, 19, 20 testatur Wilhelmus Sandæus desumptas esse ex Thesibus Arnaldi Marchant Minoritæ Antverpiensis anno 1674 propugnatis.

Prop. 21.

Probabilitas non sufficit ad fidem.

Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus DEUS.

Observ. Compluribus hæc thesis, quoad priorem saltem partem, visa fuerat probabilis, eo quod, etiam data sola probabilitate

tate de revelatione, per principia ſupernaturalia piæ affectionis & illuſtrationis Divinæ aſſurgi poſſit ad ſummam certitudinem actus fidei.

Verum ex hoc ſequerentur non pauca falſa; nam 1 ſi *Minor* propoſitio tantum probabiliter contineretur in *Majore* univerſali revelata, concluſio eſſet de fide. Unde fide Divina credere poſſemus, nos eſſe in gratia. 2. Chriſtum eſſe in hac determinata hoſtia. 3. Imo dari prædeterminationem phyſicam; nam, ut arguit P. Viva, de fide eſt, dari gratiam efficacem, & probabile eſt, eam in hac prædeterminatione conſiſtere.

Ratio autem eſt, quod DEUS non concedat illuſtrationem ſupernaturalem de exiſtentia revelationis, neque pia affectio eſſet ſupernaturalis, nec habitus fidei influeret, ſi tantum haberetur probabilitas de revelatione: unde non eliceretur actus fidei ſupernaturalis & humanæ, ut vel ex ipſa damnatione hujus propoſitionis conſtat, & ex falſis ſequelis.

Quidam cum P. Viva ſe fundant in eo, quod, ſi ſufficeret probabilitas revelationis, poſſet quis prudenter repudiare aſſenſum fidei, quem habebat, ſupernaturalem. Verum videtur difficultas refundi in aſſenſum fidei, dependenter a morali tantum certitudine de revelatione elicitum; poſſet enim caſus contingere, præſertim in rudibus, ut revelatio ipſis ne quidem eſſet probabilis, ſi ſumma certitudo & firmitas fidei non ducatur a principiis ſupernaturalibus. Unde enim haberetur ſumma certitudo actus fidei, quæ ſit major omni certitudine naturali, etiam metaphyſice evidente? Aliud eſt de virtutibus moralibus, ad quas ſufficit, ut earum objectum probabiliter exiſtat. Sic exerces actum miſericordiæ in pauperem, licet tantum probabile tibi ſit, quod ſit pauper. Licite adoras hanc determinate hoſtiam, quamvis tantum probabile tibi ſit, quod ſit rite conſecrata, exercesque virtutem religionis. Abſoluto tamen actu fidei ſupernaturali credere non potes, hoc ipſo, quod is debeat eſſe firmiſſimus & certior omni actu naturali. Potes igitur credere in genere ſub ratione hoſtiæ conſecratæ, vel conditionate, ſi ſit rite conſecrata. Aliud foret, ſi tibi moraliter certum eſſet, quod ſit rite conſecrata, ut ſi tu ipſe illam conſecraſſes.

Prop. 22.

Non niſi fides unius DEI videtur eſſe neceſſaria neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.

Credenda necessitate medii.

Observ. At Apostolus ad Hebr. 11 dicit explicite: *credere oportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator est.*

Qui thesin hanc defenderant, putarunt, id intelligendum de fide implicita in DEUM ut Remuneratorem, qua creduntur generaliter omnia, quæ DEUS revelavit; nam licet Scriptura passim præcipiat fidem in Christum, ut Act. 16: *crede in Dominum JESUM, & salvus eris.* Et ad Gal. 2: *Scientes, quod non justificetur homo, nisi per fidem JESU Christi*, nihilominus multos graves Doctores docere, quod fides explicita Incarnationis, imo & SS. Trinitatis, non sit necessaria necessitate Medii, sed tantum gravis præcepti; alioquin cæcum & surdum non habiturum medium necessarium ad salutem.

Ad casum, quo quis, cognita bonitate DEI eliceret actum perfectum amoris DEI, sine explicita fide in Remuneratorem, P. Viva negat suppositum, eum moraliter esse possibilem, eo quod per spem disponamur ad amorem DEI perfectum. Forte in tali casu amor DEI non esset supernaturalis, ex defectu principii elevantis.

Prop. 23.

Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

Observ. Fides ad justificationem requisita essentialiter innititur testimonio DEI, tanquam suo motivo intrinseco. Ergo non sufficit fides ex solo testimonio creaturarum hausto. Verum est, quod testimonium creaturarum possit esse motivum credibilitatis, non tamen ipsius fidei Divinæ, quæ sola est initium salutis, fundamentum & radix omnis justificationis.

Prop. 24.

Perjurium.

Vocare DEUM in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

Observ. Vocare DEUM in testem falsi semper est gravis irreverentia in DEUM, in quacunque materia id contingat, semperque est ratio graviter prohibendi omne perjurium, sicut omnem blasphemiam, aut odium formale DEI. Adeoque hic nulla excusat parvitas materiæ. Quantum ad juramentum assertorium, nemo id negat. Censeo autem, id etiam locum habere in promisso-

missorio, quia juramentum videtur etiam cadere in executionem futuram, alias esset mere assertorium.

Prop. 25.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit gravis, sive levis.

Observ. Jurans sine animo jurandi mentitur. Deinde sic facile enervaretur omnis fides juramenti; quia animus inspici non potest, & lata janua aperiretur deceptionibus, in perniciem fidei humanæ, judiciorum, commerciorum, Reipublicæ. Et cur non etiam liceret, promittere, pasciscí, contrahere sine animo? Quare magis nomen Domini in vanum assumeretur, quam tali juramento? an blasphemare, idolo thus adolere, etiam ex metu mortis, licitum putas, ex eo, quod dicas, abesse animum?

Prop. 26.

Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

Observ. Damnatur hic tanquam mendacium restrictio pure mentalis; & merito: quia objectum aliter est in mente loquentis, quam verba præferant, nec audiens illud, quod mente retinetur, advertere potest. Unde ex tali restrictione audientes per se deciperentur, nemo alterius verbis, quantumvis claris, posset amplius fidere; & sic periret fides humana, in perniciem omnis humani commercii.

Aliud esset, si circumstantiæ audienti indicarent sensum verum, aut id, quod mente retinetur: e. g. Si tyrannus interroget Confessarium de peccato pœnitentis; aut judex, quem privata scientia scit nocentem, declararet innocentem, qui in judicio probatus est innocens; nam tunc verba judicis ex circumstantiis facile intelligi possent de foro judiciali, quod videlicet secundum illud sit innocens.

Sic Christus ipse Dominus Jo. 7 dixit: *ego autem non ascendam ad diem festum hunc*, subintelligendo: *palam*, ut per miracula Divinitatem suam manifestaret; nam deinde tamen ascendit, sed quasi in occulto. Et Marci 13 dixit, neque Filium scire diem

 judicii,

judicii, videlicet *ſcientia communicabili*, quem ſenſum verba in illis circumſtantiis faciebant. Quia ſcilicet tales reſtrictiones in talibus circumſtantiis non ſunt inſenſibiles; nam tunc verba duos ſenſus faciunt, unum ſecundum ſe ſola conſiderata, alterum ut prolata in his circumſtantiis, qui ſenſus facile ab audiente adverti poſſit.

Prop. 27.

De Amphibol.

Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporum, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio tunc ſit expediens & ſtudioſa.

Obſerv. Amphibologiæ, ex quibus audiens, ne quidem adjuvantibus circumſtantiis, poteſt ſenſum occultatum eruere, damnantur, ſicut reſtrictiones mentales, non ſenſibiles ac mere internæ, quia non minus ſunt mendacia. Hanc materiam alias uberius diſcuſſi.

Prop. 28.

Reſtrictio ment.

Qui mediante commendatione vel munere ad Magiſtratum vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Obſerv. Damnatur hic rurſus reſtrictio pure mentalis in caſu hoc determinato, ut putat Cardenas, vel, ut Viva cenſet, damnatur opinio, quod in caſu, quo non inquiritur ad pœnam, ſed tantum, ut homo indignus depellatur a Magiſtratu, liceat uti quacunque reſtrictione etiam ſenſibili; nam hoc in caſu, ait, obligari ita promotum vel ad deponendum ultro officium, vel ad fatendum crimen, licet occultum, & de quo non habetur ſemiplena probatio. Et ſic etiam Epiſcopum electum teneri aut ad non acceptandum Epiſcopatum, vel ad fatendam irregularitatem, ſimoniam, aliave delicta aut impedimenta, propter quæ electio ipſo jure fuit irrita. Credo autem, talem a ſummo Pontifice petiturum clam diſpenſationem.

Prop. 29.

Urgens metus gravis eſt cauſa juſta, Sacramentorum admdminiſtrationem ſimulandi.

Simulatio Sacramenti.

Obſerv. Certum eſt, omnem ſimulationem *formalem*, ſeu cum animo alios decipiendi, univerſaliter eſſe prohibitam, cum ſit

ſit mendacium, prout omnes DD. conveniunt. Joannes Sanchez autem docuit, licitam eſſe ex metu gravi ſimulationem Sacramentorum *materialem*, qua non intenditur, directe ſaltem, deceptio alterius, ſed illa ob juſtam cauſam permittitur, ſicut contingit in æquivocatione: e. g. poſſe ſacerdotem ex metu gravi proferre verba conſecrationis aut abſolutionis materialiter, ſine intentione conſecrandi aut abſolvendi: ſi indigno negari non poſſit Sacramentum, poſſe ei hoſtiam non conſecratam porrigi.

Verum hæc omnia ſunt falſa, & in hac propoſitione cum ſimulatione etiam materiali Sacramenti damnata. Quia cedunt in irreverentiam Sacramenti & DEI, ſicut thurificatio materialis, facta coram idolo, cedit in irreverentiam DEI, aut blaſphemia etiam materialis tantum. Hinc Innoc. III cap. *de homine* de celebr. Miſſarum ait, gravius eum peccare, qui ſimulat Sacramentum, quam is, qui indigne illud conficit. Quare, licet coram populo poſſit ſimulari abſolutio, quando negatur indiſpoſito, murmurando aliquid aliud; nunquam tamen poteſt proferri forma abſolutionis ſine intentione abſolvendi, ſicut nunquam poteſt porrigi hoſtia non conſecrata propter periculum idololatriæ materialis.

Neque dicas, non irrogari Sacramento irreverentiam, quando quis non adhibet intentionem illud conficiendi, cum Sacramentum tunc non exiſtat; nam, ſi ponatur materia & forma, a Chriſto inſtituta, & per defectum intentionis impeditur, ne fiat Sacramentum, irrogat eidem injuriam.

Prop. 30.

De homicidio.

Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam vel fuſte percutiat, & poſt inflictam alapam vel ictum fuſtis fugiat.

Prop. 31.

Regulariter occidere poſſum furem, pro conſervatione unius aurei.

Prop. 32.

Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu habemus, ſed etiam, ad quæ jus incboatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

Prop. 33.

Licitum est tam hæredi quam legatario, contra injuste impedientem se taliter defendere; sicut & jus habenti in cathedram vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

Observ. De hac materia dictum est aliquid ad propos. 17 Alex. VII. Nimis generales sunt hæ theses: *qui nititur calumniam inferre*: quamcunque? etiam modicam? &, si gravis sit, an non præsto est via juris? *Si post inflictam fugiat.* Hoc non amplius esset defensio, sed vindicta, privatis hominibus semper prohibita. *Pro conservatione unius aurei.* Pro re tantilla vitam, quæ longe altioris est ordinis, proximo auferre? *Quæ nos possessuros speramus.* O prodigas humani sanguinis pennas? Vitam certam pro re incerta auferre? *Hæredi legatario &c* Siccine Lapitharum instar statim in cædes ruere. Si ita est, tollantur Judicia publica, quilibet sibi ipsi est Judex, & alterius carnifex. Quam temeraria, quam scandalosa, quam in publicum perniciosa sunt hæc omnia?

Jam dixi ad propos. 17 Alex. VII, quid requiratur, ut invasor possit occidi. Et etiam tunc salvam semper esse oportet vitam Principis, utpote quæ tolli non potest sine magna concussione Reipublicæ, adeoque non nisi cum gravissimo scelere parricidii.

Prop. 34.

Abortus. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella gravida deprehensa occidatur, aut diffametur.*

Observ. Talis procuratio abortus habetur pro homicidio, cap. *Si aliquis de homicid.* ibi: *Si aliquis - - - mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, de homicidio tenetur*: non quod vitam homini adimat, sed quia proxime & immediate vitam hominis impediat. Certe, cum ne quidem ob metum mortis liceat, semen procurando pollutionem emittere, quanto minus licebit procurare abortum fœtus jam concepti.

Aliud esset, si fœtus necdum animatus ab intrinseco aggrederetur vitam matris; nam tunc sicut alius invasor vitæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, posset depelli; nunquam vero licet illum expellere ad vitandam mortem prægnantis, quam alias tertius quispiam vellet occidere, sicut nunquam licet occidere eum, qui te non invadit, licet alius tertius tibi mortem minitetur, nisi occidas.

Prop.

Prop. 35.

Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primo incipere eam habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Observ. Quamvis incertum omnino sit, quando infundatur anima rationalis, quia incertum est, quando præcise organa sint disposita, ut anima possit operari vitaliter, certum tamen est, quod infundatur ante nativitatem, in ea etiam sententia, quæ admittit successionem animarum.

Falsa est etiam altera pars propositionis; nam licet probabile esset animam non infundi ante nativitatem, haberetur tamen pro homicidio procuratus abortus; prout ad thesin superiorem ex cap. *Si aliquis de homic.* diximus. Pœnæ tamen canonicæ non incurruntur ante diem 40, si sit mas, & ante 80, si sit femella. Quamvis autem sententia illa speculativa de infusione animæ esset probabilis, nullo modo tamen esset probabile, quod liceat procurare abortum.

Prop. 36.

Permissum est furtum, non solum in extrema necessitate, sed etiam in magna. Furtum.

Observ. Indocta atque inepta locutio! furtum semper est prohibitum, etiam in extrema necessitate; quia est intrinsece malum, adeoque jure naturæ semper pro semper prohibitum; nam furtum est ablatio rei alienæ, invito rationabiliter domino. Quamdiu igitur talis est, semper est illicita: si vero desinit esse talis, desinit esse furtum.

In extrema necessitate aliquid auferens, in quantum ad eam sublevandam requiritur, non committit furtum, sive quod tunc, ut aliqui putant, omnia sint communia, sive, quod dominus non sit rationabiliter invitus, si in extrema necessitate constitutus, per modum mutui, vel alio modo, qui domino est minus nocivus, præsenti extremæ necessitati subveniat, paratus restituere vel resarcire damnum, si ad pinguem fortunam sit perventurus.

Sane, si liceret in gravi necessitate divitem rebus suis spoliare, omnia plena essent direptionibus & usurpationibus, eo quod gravis indigentia multos premat. Aliud tamen esset, si indigentia esset maxima, extraordinaria, & quasi extrema.

Prop.

Prop. 37.

Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod percipiunt.

Observ. Tales facile judicant, operam suam majorem salario, & alias sæpe proni sunt ad clependum; unde pessime consultum esset heris, si tam laxa doctrina animarentur ad audendum. Pacto promiserunt, pro tali salario servire: stent pacto, & fide data.

Neque enim occulta compensatio hic locum habet, cum desint conditiones, ad eam requisitæ; quarum præcipua est, ut debitum sit certum, quod in casu nostro non contingit; nam propter meram probabilitatem debiti nemo privandus est possessione certa. Neque Princeps potest alium bello aggredi, eumque possessione sua dejicere, nisi certum habeat, eam sibi deberi, nec alio modo obtinere possit. Neque Judex id potest, nisi probabilius ei sit, rem ad alium pertinere.

Cæterum aliud esset, si certo constaret ac manifeste, salarium esse minus infimo, herus non posset esse rationabiliter invitus, saltem quoad substantiam, cum teneatur operas conducere secundum leges locationis conductionis, quæ, sicut in emptione venditione pretium, requirunt mercedem aut summam, aut mediam, aut infimam.

Prop. 38.

De furtis minutis.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

Observ. Si magna summa totalis formaliter aut virtualiter adhuc extet, manifeste falsa est thesis: tunc enim, qui abstulit, tenetur ad restituere ex *re accepta*. Si autem summa non amplius extet, tunc, si advertit, se perventurum ad summam gravem, graviter peccat, consequenter tenetur ad restitutionem *ex injusta acceptatione*; nam furtula illa tunc coalescunt. Certe damnum, eidem illatum, non est minus, sive per parva plura furta illatum, sive per unum magnum: damnum autem grave, injuste illatum, sub gravi peccato reparari debet.

Prop. 39.

Restitutio.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Observ.

Observ. Certum & indubitatum est, non tantum eum, qui physice concurrit ad grave damnum tertii, sed eum etiam qui moraliter influit, puta, qui jubet, suadet, consilium dat, imo etiam, qui non impedit, si ex officio aut contractu impedire tenetur, uti Magistratus, parentes, tutores, confessarius, deobligans pœnitentem a restitutione, ad quam tenetur. Et quidem hi omnes peccant contra justitiam, damnum tertii positive vel negative causando, consequenter obligantur ad restitutionem. Alii vero, qui non cooperantur ad damnum, neque ex officio vel contractu tenentur illud impedire, peccant quidem contra charitatem, si facile impedire possent, & non impediunt, sed ad restitutionem non obligantur; cum sola justitia sit radix restitutionis.

Prop. 40.

Contractus Mohatræ licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri. Mohatra.

Observ. Petis a mercatore mutuas pecunias: ille loco pecuniarum tibi vendit merces pretio summo, adjecto pacto, ut eas merces ei retrovendas pretio infimo: hic est contractus, qui appellatur *Mohatra*, hic damnatus. Tametsi hic lucrum mercatoris videatur provenire ex emptione venditione, usura tamen est palliata; cum, præcisis verborum ambagibus, idem sit, atque pecuniam mutuam dare, & supra sortis restitutionem lucrum exigere. Et quam inordinatum vendere merces pretio summo, cum pacto, ut eas emptor mox retrovendat venditori pretio infimo!

Prop. 41.

Cum pecunia numerata sit pretiosior numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. Usura.

Observ. Ad hanc thesin responsum est ad propos. 42 Alex. VII. si non vertatur lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum sortis, pecunia præsens non plus valet, quam futura; cum pecunia sit res, de se sterilis, & nummus per se non pariat nummum. Et sane, si principium, in hac thesi assumptum, valeret, semper liceret in mutuo aliquid ultra sortem exigere, & sic usura plena porta posset ingredi.

Propositio 42.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum.

Observ. Si pro re spirituali petas pecuniam, ex gratitudine debitam, committis simoniam: &, si pro mutuo auctarium petas, committis usuram lucratoriam, intrinsece malam. Et quidem injuste petis auctarium; quia mutuatarius non tenetur, hoc a te determinato modo gratitudinem exhibere, sed est penes ipsum electio. Hinc, si determinate mutuans exigat auctarium, exigit aliquid, quod est extra rationem mutui, sibique indebitum.

Prop. 43.

Falsum crimen.

Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

Prop. 44.

Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendat: &, si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.

Observ. Falsum crimen alteri impingere, est mendacium in re gravi, detractio, gravisque violatio famæ proximi, spiratque vindictam, incertumque est, an sit medium efficax, honorem tuum defendendi, neque certum est, aliud medium non suppetere; ergo graviter peccas, si tibi detrahenti grave crimen falso imponas: non enim licet per mendacium in re gravi famam tuam defendere. Et, si alter peccat, non sequitur, quod tibi liceat peccare.

Prop. 45.

Simonia.

Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

Observ. Si per temporale præcise intendas alterum movere, ut tibi det spirituale, quod inde speras absque omni pacto, etiam tacito, implicito, & virtuali, quin ullam obligationem velis imponere præciso scandalo, non committis Simoniam. Alias omnes piæ fundationes, quotidianæ distributiones, in choro præsentibus destinatæ, essent simoniacæ; quia fundator per temporale vult movere ad spirituale: esset Simonia, si dando temporale pauperibus

bus Religiosis, velles eos movere, ut pro te orent, aut sacrificium offerant; esset Simonia, si servires Episcopo in temporalibus, sperans ab eo Beneficium. Si instrueres filios Patroni, sperans ab eo præsentationem. Stipendium & sustentatio, quam offers sacerdoti, ut pro te Missam legat, est aliquid temporale. DEUS ipse in veteri lege quot promissiones fecit, ut populus ille fidelem cultum exhibeat DEO? Sicut vice versa non est Simonia, si des spirituale ex spe obtinendi temporale, uti, si per orationes, aut sacrificia a DEO petas sanitatem, aut alia bona temporalia; quo sane casu, & multis aliis das spirituale, ut eveniat temporale.

Igitur in hoc sensu non est confixa thesis: sed duæ aliæ sunt causæ, propter quas est merito damnata. Prima est, quod non distinguat inter purum motivum, seclusum ab omni pacto & obligatione, cum spe sola conjunctum, & inter motivum non purum, sed conjunctum cum aliquo pacto tacito, vel voluntate obligandi: prout rem hanc optime declarat Innoc. III cap. *Tua nos*, de Simonia.

Altera stat in clausula confixæ propositionis: *vel etiam quando temporale sit solum gratuita* compensatio *pro spirituali.* Ecce Pus Simoniacum! quare Simonia stricte dicta Jure Divino & naturali semper est graviter prohibita, nisi quia indignissimum & DEO summopere injuriosum est, rem temporalem *æquipararari* spirituali? per quid autem magis æquiparas, quam si velis spirituale per temporale *compensare*? Compensatio æqualitatem comparativam inter datum & acceptum respicit.

Prop. 46.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

Observ. Adjicitur rursus virulenta clausula. Quid indignius, & cum contemptu rerum spiritualium conjunctius, quam temporale pluris æstimare ac spirituale. Hoc enim vero non tantum est, temporale cum spirituali æquiparare, in quo tabes Simoniæ nidulatur, sed omnino præhabere & anteferre.

Prop. 47.

Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo per Digniores *videtur aliud significare velle, nisi* Provisio dignioris.

 digni-

dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo, locutione minus propria ponit Digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

Observ. Nulla prorsus est ratio, verba Tridentini clarissima in sensum alienum torquendi. Jam dudum antea Innoc. III *cap. un. ut Eccles. Benef. sine dimin. conf.* idem præceperat his verbis: *non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare.* Quamvis autem Tridentinum de Cardinalium duntaxat & Episcoporum *sess. 24 cap. 1 de Reform.* loquatur, eadem tamen est ratio de omnibus Beneficiis, quibus cura animarum incumbit, prout idem Trid. c. 18 innuit; quia nempe cultui DEI, Ecclesiæ utilitati, & animarum saluti meliori, quo fieri potest, modo provideri debet.

Unde, sive Beneficium sit collativum, sive electivum, sive patronatum, digniori (spectatis omnibus) conferri debet. Ad quid enim collatori, electori, patrono datur ab Ecclesia potestas providendi Ecclesiæ viduatæ, nisi ut meliori modo provideat? Et hinc etiam censeo, Beneficium quoque simplex digniori esse conferendum; quia justitia saltem distributiva exigit, ut officia & bona communia dignioribus præ minus dignis conferantur. *De hac materia alias uberius tractavi.*

Prop. 48.

Fornicatio. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Prop. 49.

Mollities jure naturæ probibita non est, unde si DEUS eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Observ. Ita visum est Caramueli; sed aliud communi Theologorum. Atque imprimis certum est, fornicationem & mollitiem Jure Divino esse prohibitas graviter, teste Apostolo 1 Cor. 6: *Neque fornicarii neque molles regnum DEI possidebunt.* Dein ipso etiam jure naturæ prohibentur; cum in utraque magna sit naturæ inordinatio, hominemque ad bestiarum rationem deprimat. Et quidem mollities impedit generationem & propagationem speciei humanæ; dum id, quod ad hanc a natura ordinatur, effunditur, non sine magno periculo consentiendi in delectationem, inde oriri

solitam

solitam. Fornicatio vero, præterquam quod fornicantes deturpet, nocet rectæ generationi prolis, ac præsertim educationi, maculamque eidem affricat prolis illegitimæ. Qualis esset mundus, si vagæ ejusmodi libidines essent licitæ? quis matrimonii grave jugum subire vellet. Profecto, si ad ipsa juris naturalis principia velimus respicere, recta humani generis constitutio, Divinæque perfectiones fornicationem & mollitiem pro omni casu exigunt prohiberi tanquam intrinsece mala.

Prop. 50.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. **Adulterium.**

Observ. Accessus ad conjugem non suam est adulterium. In hoc autem casu datur talis accessus, nec obstat, quod maritus consentiat; nam illicite & invalide consentit; sicut clericus in sui verberationem, aut Religiosus in alienationem fundi. Habet quidem maritus jus in corpus uxoris, sed pro se, non pro alio, sicut usufructuarius, qui usumfructum alienare non potest in alium, cum sit jus personale inhærens ejus ossibus.

Talis igitur adulter, præterquam quod gravissime peccet contra castitatem, peccat etiam contra justitiam, quia gravem injuriam infert proli spuriæ, Sacramento matrimonii, & ipsi etiam lenoni, cujus consensus est omnino irritus, ac penitus nullus. Verum quidem est: si virgo non consentiat in sui deflorationem, vim inferens committit stuprum, si vero consentiat, tantum simplicem fornicationem. Sed diversitas specifica stupri a fornicatione referenda est in vim illatam gravemque injuriam. Consensus autem mariti non tollit rationem adulterii, prout dictum. Accedit, quod plures dicant, virginem illicite quidem, valide tamen, consentire in sui deflorationem, quod de conjugatis dici non potest.

Prop. 51.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. **Cooperatio ad peccatum.**

Observ. Talis famulus proxime ac formaliter cooperatur peccato: ergo est causa & complex peccati. Deinde tales actiones,

proxime tendentes ad peccatum videntur esse intrinsece malæ, sicut invitare ac deducere concubinam ad domum concubinarii &c. Aliud esset, si famulus tantum materialiter & remote, ad declinandum grave damnum cooperaretur. Casus sunt in hoc genere innumeri, qui Theologorum Moralium ingenia laboremque fatigant, ampliores que, quam brevissimum hoc compendium complectantur.

Prop. 52.

Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

Festa. *Observ.* Thesis hæc est contra certam Theologorum & Canonistarum sententiam, imo contra persuasionem omnium fidelium; quis enim non certum, persuasumque habet, se peccare graviter, si absque rationabili causa die festo, ab Ecclesia præcepto, non audiat Missam, aut laborem servilem absque necessitate tota die exerceat? Quare non idem dicis de jejunio, aliisque omnibus præceptis Ecclesiæ. Certe illa in materia gravi, qualis est observatio festorum, conducente ad cultum DEI & animarum salutem, graviter obligant, tametsi non addantur expresse verba, continentia censuram, interminationem Divini judicii, aut aliam gravem pœnam, aut præcipiatur in virtute S. obedientiæ, vel exprimantur: *sub gravi: sub mortali.*

Prop. 53.

Missa. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Observ. Credere non possum, quod tales canonomachi recta intentione ducantur cultus Divini, salutis animarum, & obedientiæ erga Ecclesiam, in id unice intenti, ut ejusdem leges & præcepta violente torqueant, & arbitrariis expositionibus eludant contra expressa legum verba & intentionem legislatoris, ad inducendas laxitates, & excusandas excusationes in peccatis. Ecclesia jubet, ut audiatur Missa, quæ est unum, continuum atque integrum sacrificium, ad cujus singulas partes possit attendi. Et quanta erga DEUM irreverens parcitas, plures diversarum Missarum particulas eodem tempore velle consarcinare? Dico, *eodem tempore*, nam audire unam medietatem e. g. a consecratione, & postea ab alio sacerdote alteram medietatem usque ad consecrationem hic non est damnatum; quamvis hoc ipsum etiam, secluso casu necessitatis, parce sit cum DEO agere, & illiberaliter.

Prop.

Prop. 54.

Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. Officium.

Observ. Septem Horæ Divini Officii sunt inter se separabiles, præcipiunturque recitari omnes & singulæ; unde sequitur, non tantum te obligari, quando Matutinum & Laudes, e. g. ex defectu Breviarii, recitare non potes, ad reliquas sex Horas recitandas, sed etiam quod, si vel unam Horam recitare possis, recitare illam tenearis. Axioma illud: *pars major trahit minorem*, non habet locum, quando materia est divisibilis, & singulæ partes sunt præceptæ. Sic, si quis jejunare non possit per majorem partem quadragesimæ, possit autem per reliquam, quis dicat, quod per hanc non teneatur? Dispensatus quoad carnes usque ad Dominicam Passionis tantum, an non tenetur reliquis diebus abstinere? Qui debet centum, possit autem tantum decem solvere, an ad nihil tenetur? Si officium Divinum ita individue esset præceptum, ut non etiam singulæ Horæ essent præceptæ, sequeretur, quod, si omnes Horas recitare posses, excepto solo Completorio, ad nihil tenearis. Nescio, an tam robusto sis stomacho, ut hoc absurdum devores.

Prop. 55.

Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. Communio annnua.

Observ. Præcepto annuæ Confessionis non satisfit per Confessionem voluntarie nullam (*propos. 14 Alex. VII*) ergo neque per sacrilegam communionem: hanc enim Ecclesia non præcipit: quomodo ergo per illam satisfieri potest præcepto? Quis non videt legislatoris, præcipientis annuam communionem, eam non esse mentem, sed præcipi communionem innocentem, devotam, salutiferam, sanctam?

Prop. 56.

Frequens Confessio & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Observ. Hæc propositio non potuit provenire, nisi ab aliquo simplici devotulo, qui habet zelum, sed non secundum scientiam. Utique non loqueris de confessione & communione sacrilega; nam hæc est nota reprobationis, nam qui indigne sumit, judicium sibi manducat & bibit. Si autem loqueris de frequenti confessione

&

& communione, cum requisita præparatione, & dispositione digne receptis, quomodo fieri potest, ut suscipiens gentiliter, id est, inter continuata scelera, vivat? Propositum sane efficax, ad confessionem requisitum, haberet aliquem emendationis effectum; alias ne quidem absolvi amplius posset. Cælestis ille ignis S. Communionis quomodo cum recta devotione & dispositione accedentem non calefaciat?

Verum quidem est, quod sanctissima hæc Sacramenta etiam ab iis sint suscipienda, qui gentiliter tanquam magni peccatores vixerunt, quia sunt pharmacum & medicina præservativa a peccatis, sed iis, qui serio sunt parati vitam gentilem emendare; alias non sunt signum prædestinationis, sed reprobationis. Certissimum enim signum prædestinationis est observatio mandatorum DEI, & exercitium bonorum operum, prout nos admonet S. Petrus: *satagite fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Prop. 57.

Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Observ. A Tridentino S. 6. c. 3 dici anathema, *si quis dixerit, sine præveniente S. Spiritus inspiratione atque ejus adjutorio hominem pœnitere posse, ut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur:* additque, attritionem, disponentem ad gratiam in Sacramento, esse *donum DEI, & Spiritus S. impulsum.*

Attritio naturalis.

Neque dicas: Concilium tantum loqui de pœnitentia, ut fructifera, non autem ut valida: Sacramentum sine attritione supernaturali esse quidem validum, sed tamen informe; nam contra est; valor præsupponitur ad fructum. Si ergo ad fructum, nempe ad supernaturalem justificationis gratiam requiritur dolor supernaturalis, requiritur etiam ad valorem. Dein Sacramentum ut validum debet de se esse aptum ad pariendum fructum supernaturalem gratiæ sanctificantis. Valor autem, cui procederet ex attritione naturali, non esset de se aptus ad fructum gratiæ supernaturalis, cum ad hunc sit prorsus improportionatus.

Dices. Attritio concepta ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati juxta Trid. sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ. Sed hæc attritio est mere naturalis. *Resp.* Neg. Min. attritio, ut sit sufficiens, debet procedere ex motivo, cognito lumine fidei supernaturali; ut, si quis doleat de offensa DEI ob metum gehennæ, per lumen fidei cognitæ, & valde probabiliter etiam, juxta sententiam multorum DD. Si quis doleat de peccato ob metum pœnarum

narum temporalium, ut infligendarum a DEO vindice; cum Trid. dicat, attritionem ſupernaturalem concipi poſſe, aut ex conſideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennæ & *pœnarum* metu. Modo ex his motivis, per fidem propoſitis, ſerio doleatur de offenſo DEO; nam etiam, quando ex conſideratione turpitudinis peccati elicitur attritio, hæc turpitudo attingi debet lumine ſupernaturali tanquam oppoſita Divinæ voluntati aut virtuti ſupernaturali.

Prop. 58.

Non tenemur confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

Obſerv. Licet Tridentinum, per ſe loquendo, tantum requirat, ut pœnitens explicet numerum & ſpeciem ſuorum peccatorum, cum circumſtantiis aggravantibus, ſpeciem mutantibus; nihilominus, cum Confeſſarius fungatur munere Judicis, Doctoris, & Medici, jus habet interrogandi de conſuetudine & variis circumſtantiis aggravantibus, licet ſpeciem non mutent, ut poſſit rectum judicium ferre de ſtatu pœnitentis, eum inſtruere, & apta remedia præſcribere; unde pœnitens tenetur fideliter reſpondere; quod, ſi facere detrectet, ſatis indicat, ſe non eſſe ſatis diſpoſitum, nec ſatis ſerio velle curari. Faſſio conſuetudinis.

Neque obſtat, quod ſic idem peccatum bis eſſet exponendum; nam per accidens & indirecte id poteſt eſſe neceſſarium; ſic, qui cognovit conſanguineam ſuæ uxoris, ſi hoc peccatum fuerit confeſſus, poſtea autem ab uxore petat debitum, ut hoc peccatum ſuum confiteatur, neceſſe eſt, ut etiam illud prius repetat.

Cæterum aliud foret, ſi Confeſſarius interrogaret talia, quæ ad confeſſionem non pertinent, e. g. nomen pœnitentis, familiam, gentem &c.

Prop. 59.

Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere die magnæ alicujus Feſtivitatis, vel Indulgentiæ. Dimidiata confeſſio.

Obſerv. Tridentinum *ſeſſ. 14 cap. 5 & can. 7* ait, Jure Divino requiri confeſſionem, non tantum formaliter, ſed etiam materialiter integram, talem videlicet, qua omnia peccata mortalia, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrunt, ſecundum ſpeciem & numerum, atque circumſtantias, ſpeciem mutantes, confeſſario ſincere exponantur.

Neque ab hac gravi obligatione excuſare pœnitentem aliquid poteſt, niſi impotentia phyſica aut moralis, qualis non eſt allata in theſi profligata, in concurſu nimirum pœnitentium. Confeſſiones valde longæ poſſunt anticipari vel differri; alias quilibet poſſet exſpectare tempus magni concurſus, ut dimidiatam tantum confeſſionem poſſit deponere. Et quale ex tali judicium confeſſarii? quomodo proportionatam pœnitentiam injunget? quomodo fungetur triplici ſuo munere.

Prop. 60.

Abſolutio conſuetudinarii.

Pœnitenti, habenti conſuetudinem peccandi contra legem DEI, naturæ, & Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

Obſerv. Trid. ſeſſ. 14 cap. 8 docet, eam ſatisfactionem eſſe pœnitentibus imponendam, *quæ ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem deſerviat, & ſimul ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum.* Cum igitur confeſſarius agere debeat perſonam Judicis & Medici, non poteſt, certe non debet, talem conſuetudinarium ſtatim abſolvere, ne facilitas abſolutionis malum augeat. Et quomodo pœnitens poteſt habere verum, ſerium, & efficax emendationis propoſitum, ſi nulla eſt ſpes emendationis, ſi prævideat, ſe mox ad conſuetum volutabrum reverſurum?

Igitur, ut pœnitens melius miſerum animæ ſuæ ſtatum agnoſcat, ac ſentiat, ad DEUM vero ardentius per preces confugiat, pericula & occaſiones peccandi cautius devitet, atque ad Sacramentum reconciliationis digne ſuſcipiendum ſe melius diſponat, differenda eſt quandoque abſolutio, donec aliqua ſaltem emendatio ſequatur.

Verum quidem eſt, rite diſpoſitum, per ſe loquendo, habere jus ad abſolutionem; ſed quomodo formabitur probabile judicium, quod talis per ſerium dolorem de peccatis, & efficax propoſitum emendationis ſit diſpoſitus, ubi nulla eſt ſpes emendationis? Et, tametſi eſſet diſpoſitus, haberet quidem jus ad abſolutionem, ſed non ſtatim accipiendam. Confeſſarius etiam habet jus, imo obligationem, ut tanquam animæ Medicus aptam morbo medicinam præſcribat. Eccleſia reſervat aliqua peccata Papæ aut Epiſcopo, a quibus non potes abſolvi ab alio confeſſario, licet ſis diſpoſitus.

Dum-

Dummodo ore proferat, se dolere & proponere. Ita est: credendum pœnitenti, pro se & contra se loquenti; nisi protestatio sit contraria facto, & opere evertat, quod ore profert.

Prop. 61.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo ex proposito & directe quærit, aut ei se ingerit. Occasio proxima.

Observ. Communis alias est doctrina, proximam occasionem peccandi esse vitandam, nisi impotentia physica vel moralis excuset. At auctor hujus propositionis non horret asserere, illam etiam ultro quæri posse. Sed quomodo talis ad absolutionem potest per efficax propositum esse dispositus, si proximæ occasioni peccandi se ultro velit ingerere? Proximam occasionem peccandi quærere est peccatum: monetque Dominus eruendum oculum, si te scandalizet: &, qui amat periculum, periturum in illo. Quomodo ergo cum voluntate peccandi stare poterit voluntas seria & efficax non peccandi de cætero?

Aliud est de peccatis venialibus, quorum occasiones, cum sint innumeræ, non omnes vitari possunt. Accedit, quod committens venialia tantum, longe aliter erga DEUM & animæ suæ salutem sit affectus, ut adeo, non obstante frequenti in illa relapsu, possit de uno saltem vel altero ex speciali motivo serio dolere & proponere. Quamvis nec eorum occasiones proximas liceat directe & ex professo quærere.

Prop. 62.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

Prop. 63.

Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

Observ. Absurdos profecto Aphorismos, & scandalo plenos! Proximam occasionem graviter peccandi, formaliter talem, directe quærere, est ita intrinsece malum, ut nullo fine bono, spirituali aut temporali, cohonestari possit, sive sis Judex, sive Confessarius, sive Medicus aut Chirurgus, sive quiscunque alius. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Unde nunquam faciendum est malum, ut eveniat bonum. (*vid. etiam proposf. 41 Alex. VII.*)

Prop. 64.

Ignorantia Mysteriorum.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis D. N. J. Christi.

Observ. Probabile est, secundum plurium DD. sententiam, quod notitia SS. Trinitatis & Incarnationis Domini ad salutem sit necessaria necessitate Medii: ergo nullatenus est probabile, quod capax sit absolutionis, qui hæc mysteria penitus ignorat; quia Sacramentum absque necessitate exponeretur periculo frustrationis, quod nunquam licet. Dico, *absque necessitate;* quia pœnitens potest instrui; vel, si hoc fieri tunc non potest, differri potest absolutio, donec prius instruatur.

Cæterum propositio, si loquatur de ignorantia (culpabili vel inculpabili) omnium mysteriorum fidei, etiam DEI existentis & remuneratoris, (*quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei*) apertissime est falsa; quia notitia DEI, ut existentis, & ut remuneratoris ita est necessaria ad salutem, ut ne quidem sufficiat, eam habere in voto, sicut tamen baptismum sufficit aliquando habere in voto.

Prop. 65.

Sufficit, illa mysteria semel credidisse.

Observ. De hac thesi dictum est ad propos. 1 ab Alex. VII confixam. Plenæ sunt Scripturæ præceptis fidei. Hæc *est vita æterna, ut cognoscant te verum DEUM, & quem misisti JEsum Christum.* Joan. 17. *Nos in Christum credimus, ut justificemur ex fide Christi.* Ad Gal. 2. *Hoc est mandatum, ut credamus in nomine Filii ejus.* Joan. 3.

Cur non etiam dicis, sufficere, ut semel sis Christianus? ut semel cogites de DEO, & JESU Christo Redemptore? Quando Sacramentum Evcharistiæ suscipis, an nihil credis? *Justus ex fide vivit.* Rom. 2. Ergo sine fide non vivit, & sicut frequens cibus ad vitam corporalem, ita frequens fides ad vitam spiritualem est necessarius.

Atque has 65 propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, sua Sanctitas damnavit, & prohibuit.

§. 4.

§. 4.

Propositiones 68 Michaelis Molinos damnatæ ab Innocentio XI. anno 1687.

Fuit is Sacerdos Hispanus, qui diu versatus Romæ, auctor est *Quietismi*, multa de interno homine, animæ quiete, & indifferentia ineptissime ac turpissime garriens, quibus non paucos homines, spurcis voluptatibus inhiantes, seduxit, corrupitque. Sacri denique officii Decreto in carcerem conjectus est. Stultitiæ autem illius sunt istæ.

1 Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.

2 Velle operari active est velle DEUM offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est, se ipsum totum & totaliter relinquere, & postea permanere velut corpus exanime.

3 Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4 Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque DEI operationem, & veram perfectionem: quia DEUS vult operari in nobis sine nobis.

5 Nihil operando anima se annihilat, & ad ipsum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia DEI, in qua transformata remanet, ac divinizata, & DEUS in ipsa remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum; & hac ratione DEUS vivit & regnat in nobis, & anima se ipsam annihilat in esse operativo.

6 Vis interna est illa, in qua non cognoscitur, nec amor, nec resignatio, & non oportet DEUM cognoscere; & hoc modo recte proceditur.

7 Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8 Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate DEI, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec ne: nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime.

9 Non debet anima reminisci nec DEI, nec sui, nec cujuscunque rei, & in via interna omnis reflexio est noxia, etiam reflexio ad suas humanas actiones & ad proprios defectus.

10 Si propriis defectibus alios ſcandalizat, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi: & ad proprios defectus non poſſe reflectere, gratia DEI eſt.

11 Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, nec ne, non opus eſt reflectere.

12 Qui ſuum liberum arbitrium DEO donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiſo, nec debet habere deſiderium propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem expurgare debet.

13 Reſignato DEO libero arbitrio, eidem relinquenda eſt cogitatio & cura de omni re noſtra, & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam Divinam voluntatem.

14 Qui Divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut a DEO rem aliquam petat; quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis, & electionis, & eſt velle, quod Divina voluntas noſtræ conformetur, & non, quod noſtra Divinæ, & illud Evangelii: *petite & accipietis*, non eſt dictum a Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non poſſint a DEO rem aliquam petere.

15 Sicut non debent a DEO rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere; quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

16 Non convenit Indulgentias quærere pro pœna, propriis peccatis debita; quia melius eſt Divinæ juſtitiæ ſatisfacere, quam Divinam miſericordiam quærere; quia illud ex puro DEI amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res DEO grata, nec meritoria, quia eſt velle crucem fugere.

17 Tradito DEO libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum, nec eis aliqua reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura.

18 Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat DEUM in ſpiritu & veritate.

19 qui amat DEUM eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum DEUM.

20 Aſſerere, quod in oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando DEUS animam non alloquitur, ignorantia eſt. DEUS nunquam loquitur; ejus locutio eſt

eft operatio; & femper in anima operatur, quando hæc fuis difcurfibus, operationibus, & cogitationibus eum non impedit.

21 In oratione opus eft manere in fide obfcura, & univerfali cum quiete, & oblivione cujuscunque cogitationis particularis, ac diftinctæ attributorum DEI, ac Trinitatis, & fic permanere in præfentia DEI ad illum adorandum, & amandum, eique inferviendum, fed absque productione actuum; quia DEUS in his fibi non complacet.

22 Cognitio hæc per fidem non eft actus a creatura productus, fed eft cognitio, a DEO creaturæ tradita, quam creatura habere fe non cognofcit, nec poftea cognofcit, eam fe habuiffe, & idem dicitur de amore.

23 Myftici cum S. Bernardo in fcala clauftralium diftinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infufam. Qui femper in primo fiftit, nunquam ad fecundum pervenit: qui femper in fecundo fiftit, nunquam ad tertium pervenit, qui eft noftra contemplatio adquifita, in qua per totam vitam perfiftendum eft, dummodo DEUS animam non trahat, absque eo, quod ipfa id exfpectet, ad contemplationem infufam; & hac ceffante anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipfo permanere, absque eo, quod amplius redeat ad fecundum, aut primum.

24 Qualescunque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra DEUM, fanctos, fidem, Sacramenta, fi voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, fed cum indifferentia, & refignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei, imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis Divinæ voluntati refignata manet.

25 Etiamfi fuperveniat fomnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio & contemplatio actualis; quia oratio & refignatio idem funt, & dum refignatio perdurat, perdurat & oratio.

26 Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, funt abfurdum maximum, quod dictum fuerit in Myftica; cum non fit nifi una via, fcilicet interna.

27 Qui defiderat & amplectitur devotionem fenfibilem, non defiderat, nec quærit DEUM, fed fe ipfum, & male agit, cum eam defiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis facris, quam diebus folennibus.

28 Tædium rerum fpiritualium bonum eft; fiquidem per illud purgatur amor proprius.

29 Dum

29 Dum anima interna faſtidit diſcurſus de DEO, & virtutes, & frigida manet, nullum in ſe ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

30 Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum & immundum.

31 Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a ſenſibus cognoſci. Opus eſt, virtutes amittere.

32 Nec ante, nec poſt communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quam permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt & fiunt in via ordinaria. Et, ſi in hac occaſione communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, & gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur, eos eſſe ex ſpeciali impulſu DEI; alias ſunt impulſus naturæ, nondum mortuæ.

33 Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolennibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum, quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris; quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

34 Verbis & linguis gratias agere DEO non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum DEO impedimentum opponendo, quod operetur in illis, &, quo magis DEO ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe orationem Dominicam ſeu *Pater noſter* recitare.

35 Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuoſas, ex propria electione & activitate, alias non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. V. ſanctos, aut humanitatem Chriſti, quia, cum iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

36 Nulla creatura, nec B. V. nec ſancti ſedere debent in corde noſtro; quia ſolus DEUS vult illud occupare & poſſidere.

37 In occaſione tentationum, etiam furioſarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore & reſignatione permanere.

38 Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda.

39 Sanctiora opera & pœnitentiæ, quas peregerunt ſancti, non ſuffecerunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem.

40 B. V

40 B. V. nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit ſanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt ſine opere exteriori.

41 DEUS permittit & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat eorum corporibus, eosque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſice eorum manus & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos, in quo caſu non ſunt peccata; quia his non adeſt conſenſus.

42 Poteſt dari caſus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris & fœminæ, & ex parte utriusque ſequatur actus.

43 DEUS præteritis ſæculis ſanctos efficiebat, tyrannorum miniſterio, nunc vero eos efficit ſanctos miniſterio dæmonum, qui cauſando in illis dictas violentias facit, ut illi ſe ipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe DEO reſignent.

44 Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis; quia fuit ex dæmonis violentia.

45 S. Paulus hujusmodi dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt; unde ſcripſit: *non, quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio.*

46 Hujusmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam: nec alia ſupereſt via: & hæc eſt via facilior & tutior.

47 Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo, & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus eſt ſe ipſum inquietari, ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magis candida, & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non eſt opus hæc confiteri, & ſanctiſſime fit, non confitendo; quia hoc pacto ſuperatur dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

48 Satanas, qui hujusmodi violentias infert, ſuadet deinde, gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ul-

terius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius eſt, ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.

49 Job ex violentia dæmonis ſe propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad DEUM preces. (ſic interpretando locum ex cap. 16 Job)

50 David, Hieremias, & multi ex ſanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur, harumque impurarum operationum externarum.

51 In S. Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos, ut illud de Samſone, qui per violentiam ſe ipſum occidit cum Philiſtæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ alias erant prohibita, & peccata fuiſſent: de Juditha, quæ Holoferni mentita fuit: de Eliſæo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a DEO peracta, vel dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52 Cum hujusmodi violentiæ, etiam impuræ absque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima DEO poteſt uniri, & defacto ſemper magis unitur.

53 Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur, ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſint, quod in iis conſenſerint, & videre, quod ſint animæ, quæ proficiunt in via interna, ſed regulam ſumere a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac theologica ſuperiore, quod me certo cognoſcere facit, cum interna certitudine, quod talis operatio eſt violenta, & certus ſum, quod hoc lumen a DEO procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a DEO proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo, quo interdum contingit, quod DEUS aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipſe ſit, qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

54 Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.

55 Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgandas & extinguendas omnes paſſiones, ita, quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur inquie-

quietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe amplius commoveri ſinit.

56 Duæ leges & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde, quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt amplius duæ illæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57 Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non amplius faciendi peccata, nec mortalia, nec venialia.

58 Ad hujusmodi ſtatum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59 Via interna ſejuncta eſt a confeſſione, a confeſſariis, & a caſibus conſcientiæ, a Theologia & Philoſophia.

60 Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, DEUS confeſſionem aliquando facit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia perſeverante, quantam in Sacramento reciperent, & ideo hujusmodi animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum pœnitentiæ accedere; quia id eſt in illis impoſſibile.

61 Anima, cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quam quod DEUS vult; quia non habet amplius voluntatem, & DEUS illi eam abſtulit.

62 Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbali.

63 Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum, quin imo ſignum, quo quis in ſtatu nihilitatis maneat, id eſt, mortis myſticæ, ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, unde ſint, acſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad illas applicet.

64 Theologus minorem diſpoſitionem habet, quam homo rudis ad ſtatum contemplativi. 1 quia non habet fidem adeo puram. 2 quia non eſt adeo humilis. 3 quia non adeo curat propriam ſalutem. 4 quia caput refertum habet phantasmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.

65 Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter ſe res habet, quo ſolus DEUS & Director intrant.

66 Risu digna est nova quædam Doctrina in Ecclesia DEI, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod, si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec S. Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec sancti, nec authores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia nunquam judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcunque, sibi bene visum.

67 Dicere, quod internum manifestandum est exteriori tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit, id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis; & propriis animabus præjudicant his deceptionibus & simulationibus.

68 In mundo non est facultas nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur epistolæ Directoris quoad internum animæ; & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ &c.

Condemnatio.

Atque has absurdissimas & spurcissimas propositiones Innoc. XI tanquam hæreticas, suspectas, & erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas respective, ac quæcunque super iis verbo, scripto, vel typo tradita, damnat, & omnibus interdicit, ne eas credant, teneant, doceant, aut in praxin deducant, sub pœna anathematis Pontifici reservati, nec non omnes libros, omniaque manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos, quæ statim Episcopis, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus ad comburendum tradi jubet, sub eadem pœna.

Tandem, ut prædictus Molinos, ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta in aliorum exemplum & ipsius emendationem plecteretur, eundem tanquam reum convictum, & respective confessum, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, ad perpetuum carcerem, & ad peragendas alias pœnas salutares, prævia abjuratione, servato Juris ordine, Pontifex condemnavit, lecto ex suggestu, in quo præsens adstare debuit, publico processu.

Observatio.

Turpiorem hæreticum vix unquam vidit Ecclesia. Sub ementito fuco indifferentiæ & quietis internæ spurcissima scelera a peccato absolvit. Libertatem, Calvini & Jansenii exemplo, extrivit, omniaque, quæ mala voluntas peccat, dæmonis violentiæ attribuit.

buit. Fidem, ſpem, charitatem, omnesque virtutum actus, ac bona opera ſuſtulit, cum cultu DEI & ſanctorum, uſuque ſacramentorum, votis, indulgentiis. Tentationibus non reſiſtendum: ſinenda natura, quia eſt natura: ſequendum, quocunque dæmon trahat. Tædium & faſtidium rerum ſpiritualium laudat; nihil meditandum, orandumque, omnis cogitatio de morte, judicio, inferno, cœlo, imo etiam de DEO excludenda; nulla adhibenda ſalutis cura.

Et hæc eſt pulchra illius *via interna*, quam tantopere commendat: hæc quies animæ, omnium videlicet ſcelerum abominandorum ſentina. Et tamen in confirmationem lutulentæ ſuæ doctrinæ auſus eſt adducere teſtimonia S. Scripturæ. Fecit hoc omnium hæreſiarcharum exemplo.

§. 5.

Propoſitiones 31 *ab Alexandro VIII* 7 *Dec.* 1690 *damnatæ.*

Propoſitio 1.

In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis. De libero arbitrio.

Obſerv. Renovantur hic damnatæ a Pio V & Greg. XIII Theſes Baji, uti 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Et Janſenii tertia, *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*, ab Innoc. X. & Alex. VII profligata. Et jam antea Tridentinum S. 6 can. 5 contra Lutherum & Calvinum definivit, liberum hominis arbitrium poſt Adami peccatum non fuiſſe extinctum.

Profecto, ſi vera eſſet theſis, etiam infantes, amentes, dormientes formaliter peccarent, & demererenter, quia in Adamo fuerunt liberi; imo etiam motus primi & indeliberati concupiſcentiæ eſſent peccata formalia, omniaque, quæ ex ignorantia, quantumvis invincibili, procedunt.

Et ratio a priori eſt, quia ad hoc, ut quis committat peccatum formale, requiritur, ut actus primus proximus, ſit indifferens ad utrumque membrum contradictionis, ſeu ad poſitionem actus, & omiſſionem; nam in hoc ipſo ſtat libertas indifferentiæ.

Et hinc, qui alterum in plena ebrietate occidit, fine libertate actuali, non committit novum peccatum, quamvis peccaverit, tam adverfus temperantiam, quam adverfus juftitiam peccato homicidii, quando voluit inebriari, prævidens aut intendens peccatum homicidii; ficut etiam actus externus non eft novum peccatum diftinctum ab actu interno; & quamvis detur obligatio confitendi actum externum, id non provenit ex eo, quod committatur novum peccatum, fed, ut confeffarius habeat fufficientem notitiam de actu interno, & poffit inftruere pœnitentem de incurfis pœnis, & aptam medicinam præfcribere. Idem dicendum de actu efficaciter imperato, fi non fit immediate & formaliter liber.

Neque damnatis ad peccandum fufficit ea libertas, quam habuerunt in vita, fed habent potentiam phyficam ad vitandas blasphemias &c. &, fi neque hanc haberent, non peccarent formaliter; fed neceffitarentur ad blasphemandum, ficut beati in cœlo propter vifionem intuitivam neceffitantur ad amandum DEUM. Neutri vero merentur aut demerentur, quia non amplius funt viatores, fed exiftunt in termino.

Igitur his argumentis uti non poffunt Bajani & Janfeniftæ ad patrocinium damnatæ fuæ thefis, quod in ftatu naturæ lapfæ ad peccatum formale & demeritum fufficiat libertas in caufa, feu peccato Adami. Accedit, quod hoc peccatum non commiferimus voluntate phyfice propria, fed tantum moraliter propria, quatenus per Decretum Divinum voluntas noftra fuit allegata voluntati Adami.

Dices. Quamvis Chriftus fuerit per præceptum, acceptum a Patre, neceffitatus ad moriendum, mors tamen fuit ipfi libera & meritoria, præcife ideo, quia fuit libera in caufa, quatenus potuit præceptum impedire, vel petere difpenfationem vel facere miracula, ut Judæi eum non occiderent. Ergo etiam in cafu noftro fufficit libertas in caufa ad peccatum formale ac demeritum.

Refp. Prætermiffis variis viis, quas Theologi tentarunt ad difficultatem iftam folvendam, impofitum fuiffe præceptum rigorofum moriendi, non quidem Chrifto, fed humanitati, quæ habuit actum primum proximum indifferentem ad reprobandum malum & eligendum bonum, potuitque peccare, peccato impeditivo unionis hypoftaticæ, ficut quilibet homo poteft peccare, peccato impeditivo præfcientiæ de confenfu & decreti prædefinitivi; unde dein tota neceffitas eft confequens, quæ non obftat libertati, cum dependeat a fcientia Media, a creatura impedibili.

Prop.

Prop. 2.

Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

De ignorantia juris naturæ.

Observ. Ad rationem peccati formalis pertinet, ut sit voluntarium; damnata enim est hæc propositio Baji 46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Et S. Thomas p. 2 q. 76 art. 3 ait: *ignorantia, quæ est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet, quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati.* Et S. Aug. lib. de natura & gratia c. 67. *Non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere.*

Atqui, quod fit ex ignorantia invincibili, non est voluntarium, cum ad rationem voluntarii requiratur cognitio, quia *procedit ab intrinseco cum cognitione finis.* Unde S. Thomas l. c. ait, quod *ignorantia causet involuntarium:* cum nihil sit volitum, nisi præcognitum. Licet enim actus aliquis, jure prohibitus, secundum se sit tibi voluntarius, non tamen, in quantum est contra legem, quam invincibiliter ignoras. Et hinc, ut loquitur S. Augustinus, est voluntarius *voluntate facti,* non autem *voluntate peccati.*

Et ratio ulterior est, quia ad omne peccatum formale requiritur aliqua advertentia ad legem præcipientem aut prohibentem. Sed quando lex invincibiliter, & inculpabiliter ignoratur, nulla datur advertentia ad legem, imo nec dari potest. Quare merito damnata est hæc proposito Baji 68. *Infidelitas pure negativa in iis, quibus DEUS non est prædicatus, peccatum est.*

Verbi Divini oracula hoc ipsum comprobant: *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent,* ait Christus Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* ibid. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Jo. 9.

Igitur Scripturæ & Patres, quæ peccata ignorantiæ asserunt, loquuntur de ignorantia culpabili & vincibili, non autem de invincibili. Quod servus, qui cognovit voluntatem domini, & non facit, vapulabit multis; qui vero eam non cognovit (ex ignorantia vincibili) vapulabit paucis, inde est, quod sciens voluntatem domini, & non faciens, gravius peccet, quam ille, qui eandem ignorat, ignorantia licet culpabili; prout ait S. Aug. *de grat. & lib. arb. c. 3.* Regula Juris, quod *ignorantia facti excuset, non juris,* non est intelligenda de foro interno, sed de externo, in quo regulariter juris clari scientia præsumitur; dico *regulariter,* quia etiam

pro

pro foro externo varios ignorantia Juris excusat. Axioma vero illud: *omnis peccans ignorans*, non est intelligendum de vera ignorantia, sed de cæcitate & stultitia; ubi subintrat aliud Axioma: *video meliora proboque, deteriora sequor.*

Neque dicas, nullam dari ignorantiam juris naturæ invincibilem; quamvis enim talis dari non possit circa prima & universalissima juris naturæ principia, per se evidentia, uti DEUM esse colendum, parentes honorandos, nemini faciendam injuriam &c. prout etiam circa conclusiones, immediate & clare inde deductas, quales sunt pleraque præcepta Decalogi: potest tamen dari quoad conclusiones mediatas, & non ita clare deductas ex iis principiis moralibus. In his enim plures, etiam docti sunt decepti, uti circa fornicationem, mollitiem, lucrum ex mutuo, mendacium officiosum &c. Et quoties adhuc in Theologia & Jurisprudentia disputatur, an hoc vel illud jure naturæ sit prohibitum vel præceptum, e. g. an polygamia jure naturæ sit prohibita? an, & quinam gradus consanguinitatis & affinitatis jure naturæ dirimant matrimonium? An matrimonium cum pacto castitatis sit jure naturæ validum? An contractus, metu gravi & injusto extorti, obligent. Jam vero, si ignorantia invincibilis juris naturæ potest dari in doctis, quanto magis in rudibus, rusticis, fœminis, pueris? Experiuntur hoc sane confessarii. (*De duabus his thesibus uberius tractavi Part. 8 in Theologia Jansenistica.*)

Prop. 3.

Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

De opinione probabilissima.

Observ. Ex proscriptione hujus thesis aperte habetur, 1 non semper sequi oportere tutiora, sed quod sequi possimus opinionem probabilissimam, faventem libertati contra legem: 2 ab omnibus docendum probabilismum, in aliqua sua specie; quia opinio probabilissima non exit e finibus probabilitatis: & hinc pleraque argumenta, quæ pro Tutiorismo afferuntur, posse retorqueri. Quando habetur vera, solida, comparativa probabilitas de non existentia legis, consilii est, sequi tutiora, non præcepti. Imo dici potest, posse sequi opinionem vere probabilem esse formaliter tutius, propter gravissimas difficultates & anxietates, quæ animas obruerent, si semper oporteret indagare, quid sit probabilius. (*De hac materia ex professo tractavi Part. 1 de lege dubia.*)

Prop.

Prop. 4.

Dedit semetipsum pro nobis oblationem DEO, non pro solis Electis, sed pro omnibus & solis Fidelibus.

Observ. At passim in sacris Scripturis aperte docetur, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, & non pro solis fidelibus. Sic 1 Tim. 2 dicitur: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Item: *DEUS vult omnes homines salvos fieri.* Ibid. *pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. 8. *Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi.* Idem definivit Tridentinum contra Calvinum *sess. 6 cap.* 2. Idem Innoc. X & Alex. VII contra Jansenium. **Mors Christi pro omnibus.**

Neque ullo modo eliditur tanta auctoritas dicendo, Christum mortuum esse pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum, hoc est pro fidelibus ex omni genere, natione & conditione hominum; nam totus mundus non tantum complectitur fideles: mortuus est autem *pro peccatis totius mundi.* Et quæ ratio ita restringendi signum universale *omnis, omnes*, contra definitiones Ecclesiæ? Quid apertius ad hunc refellendum errorem, quam effatum Apostoli 1 Tim. 4, ubi Christus dicitur *Salvator omnium, maxime fidelium*, qui merita mortis Christi specialiter sibi applicant.

Non minus gratis dicunt, Christi mortem fuisse sufficientem ad omnes redimendos, sed non fuisse pro omnibus oblatam; nam hoc modo etiam dæmones fuissent redempti, quia mors Christi fuit sufficiens, etiam pro illis redimendis.

Prop. 5.

Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino a JEsu Christo accipiunt influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficiente.

Observ. DEUS omnes homines vult salvos fieri, & ex hac optima voluntate propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus, passus, ac mortuus est: illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; pro omnibus baptismum ac reliqua Sacramenta, salutis fontes, instituit; omnibus dat gratiam sufficientem; ut adeo non stet per Christum, quo minus omnes salventur; sed, quod multi Divinis gratiis non cooperentur, atque in infidelitate persistant, perversæ suæ voluntati imputare debent. Falsum enim est, quod Christus pro infide- **De gratia.**

libus non oraverit, ut patet ex oratione, in cruce pro crucifixoribus facta.

Prop. 6.

Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine.

Observ. Gratia efficax est etiam *sufficiens* ad actum salutarem; hanc utique non dices perniciosam. Si autem loquaris de gratia, *ut mere sufficiente,* seu *ut inefficace*, prout communiter sumitur gratia sufficiens, tunc ista duo importat, nempe 1 entitatem gratiæ, seu auxilii, quod complet actum primum proximum, ad actum secundum salutarem liberum. Et hoc auxilium est a solo DEO, estque beneficium DEI, qui intendit per illud actum bonum ac salutarem, completque potentiam ad illum ponendum: neque enim DEUS dat gratiam, ut ei dissentias, sed ut consentias & cooperaris, & si prævideret, te eidem consensurum, tamen illam daret, & quidem lubentius.

Alterum, quod gratia, *ut mere sufficiens* seu *ut inefficax* in obliquo importat, est carentia seu privatio consensus seu cooperationis. Et hoc est a sola creatura, gratia & libertate, sibi a DEO fine optimo concessa, culpa sua abutente: atque hic abusus est utique malus & perniciosus.

Verum propter hunc abusum non cessat gratia esse donum & beneficium DEI; alias neque creatio, neque conservatio, neque incarnatio, passio, & mors Redemptoris, neque SS. Sacramenta, aliaque media ad salutem, neque dotes corporis & animi, neque bona fortunæ, essent dona & beneficia DEI, quando culpa tua iis abuteris. Hunc autem abusum DEUS prohibet, non autem tenetur impedire, imo debet creaturæ liberum permittere, supposita libertate, eidem concessa.

Falsissimum igitur est, quod gratia sufficiens de se non sit utilis sed perniciosa; fac, ut cooperaris gratiæ, sicut potes, & erit efficax, & utilissima ad salutem. Nunquid boni sunt oculi & utiles ad videndum? Si autem claudas oculos, an propterea desinunt esse boni & utiles. Tua solius culpa est, quod nihil videas. Æqualis gratia potest esse efficax in Petro, inefficax in Paulo; quia ille libere cooperatur, hic culpa sua libere resistit gratiæ. Quin imo major quandoque datur gratia dissentienti quam consentienti. *Perditio*

ditio tua Israel, in me tantummodo auxilium, inquit Dominus Oseæ 13. Et ad quid tot exprobrationes in Divinis litteris, quod cælestibus illustrationibus, inspirationibus, adhortationibus restiterint, si cum gratia sufficiente non potuissent cooperari? Ipsa vox *gratia sufficiens* aliud signat.

Prop. 7.

Omnis humana actio deliberata, est DEI dilectio vel mundi: si DEI, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

Prop. 8.

Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

Observ. Absurdas has theses jam Part. VIII in Theol. Jansen. cap. 15 confutavi, jamque dudum in Bajo sunt damnatæ, sed a Sinnichio Professore Lovaniensi, & Symmistis, pro reverentia, qua Jansenistæ in sedem Apost. feruntur, resuscitatæ. Dantur multi actus moraliter honesti apud fideles & infideles, qui neque sunt dilectio DEI, neque concupiscentia carnis, neque aliud peccatum. Fides etiam & spes, aliæque virtutes, neque sunt per se dilectio DEI, nec concupiscentia carnis. In terminis absurdum est, quod misericordia in pauperes, justitia, temperantia, fortitudo, aliæque virtutes morales, quas Gentiles quidam, Græci & Romani amore honestatis naturalis, & ex dictamine, & lumine rationis naturalis exercuerunt, fuerint mera peccata. De virtutibus.

Sine fide impossibile est placere DEO: hoc est, nullus actus salutaris atque ad DEUM tanquam ultimum finem supernaturalem ducens, sine fide potest elici. Item sine fide non infunditur gratia sanctificans, quæ sola simpliciter facit gratum DEO. Denique licet persona sine fide non placeat DEO, cum saltem peccato originali sit infecta, possunt tamen aliqua illius opera suo modo placere, aut saltem non displicere. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est,* hoc est, quod non est secundum dictamen conscientiæ. Omnia quidem referenda sunt ad DEUM. Sed, si de hoc non cogitet, aut invincibiliter id ignoret, non peccat.

Prop. 9.

Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo respectu ad DEUM offensum.

Observ. Tridentinum definit contrarium, attritionem videlicet, ex turpitudine peccati conceptam, *non solum non facere ma-* De odio peccati ob turpitudinem.

magis peccatorem, verum etiam donum DEI esse, & Spiritus S. impulsum; atque ad DEI gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere: ergo non tantum non peccat, qui ex hoc motivo odit peccatum, sed etiam positive honeste operatur.

Cæterum videtur hæc thesis supponere, quod objectum aliquod ut disconveniens naturæ rationali possit attingi absque ullo ad DEUM offensum respectu: adeoque possibile esse peccatum mere Philosophicum. Hoc autem suppositum est falsum; quia hoc ipso, quod quis cognoscat, aliquid esse disconveniens naturæ rationali, cognoscit, illud esse illicitum atque prohibitum a supremo legislatore, cum nullus alius prohibere & illicitum facere posset, adeoque hoc ipso sub aliquo prædicato cognoscit DEUM. Ergo cognosci non potest talis disconvenientia absque ullo respectu ad DEUM offensum.

Prop. 10.

De spe. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere, ut obtineat cælestem gloriam, non est recta, nec DEO placens.*

Observ. Audi Tridentinum sess. 6 can. 31 definiens: *si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit:* imo ipsam sacram Scripturam, intuitu mercedis ad bene operandum nos excitantem: *omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. 1 Cor. 9.* Paulus ipse, quia bonum certamen certavit, exspectat coronam justitiæ, & David Ps. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et quid aliud est spes? quid homines magis excitare solet, quam spes æternæ retributionis? quid culpandum in amore concupiscentiæ æternæ beatitudinis? In amore DEI, ut nobis boni? DEUS promissione cœlestis gloriæ nos incitat ad bona opera; & observationem mandatorum. Ergo hæc spes, & desiderium DEO placet, sicut etiam timor gehennæ.

Amor concupiscentiæ erga DEUM & amor benevolentiæ sibi non opponuntur, imo in eodem etiam actu sunt compossibiles; cum enim DEUS sit bonus in se, & bonus nobis, potest amari propter utramque bonitatem. Quamvis hoc non sit necessarium; potest enim nunc elici solus amor benevolentiæ & amicitiæ, alia vice sola spes, seu amor concupiscentiæ. Cæterum vitiosum utique foret, si quis vellet peccare, si cœlum aut infernus non esset; secus vero, si odio habeat peccatum propter cœlum, quod sperat, aut

aut propter infernum, quem timet, quin detur simul positiva voluntas peccandi, si abessent: potest enim ab hoc abstrahere; vel, si incidat, potest dicere, hanc conditionem in hac providentia esse impossibilem, adeoque se absolute dolere de peccato & proponere emendationem.

Prop. 11.

Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

Observ. Hæc Bajana & Janseniana thesis, rursus expresse est contra Tridentinum, quod eam efferenti dicit anathema. Quasi vero non dentur aliæ virtutes, gratæ & acceptæ DEO, etiam in peccatore & infideli. Certe Scriptura ipsa testatur, quod orationes & eleemosynæ Cornelii centurionis fuerint exauditæ, & eleemosynæ acceptæ, antequam esset fidelis & justificatus. Non sola fides est virtus.

Dicit quidem Apostolus, quod, si charitatem non habuerit, factus sit velut æs sonans &c. sed per charitatem intelligit gratiam sanctificantem, sine qua nihil meritorium vitæ æternæ potest peragi. Sæpius autem nomine charitatis intelligitur in Scriptura gratia, ut quando dicitur, charitas DEI *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Quandoque accipitur charitas pro quolibet amore virtutis.

Prop. 12.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamsi videantur credere, non est fides Divina sed humana. In peccatore non semper deficit fides.

Observ. Trid. *S. 6 cap. 15* ait, quocunque peccato mortali amitti justificationis gratiam, non autem fidem, nisi per peccatum infidelitatis aut incredulitatis. Ratio est, ut peccator facilius resurgere, si habitu fidei & spei sit instructus, ideo DEI bonitas eundem etiam in peccatore conservat, nisi peccatum sit directe contrarium fidei aut spei.

Prop. 13.

Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu DEO famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. Spes bona est.

Observ. Ita nempe Bajani & Jansenistæ, dum solam charitatem perpetuo commendant, spem & omnes alias virtutes eliminant: nec eliminant duntaxat, sed vitia faciunt, contra sacras Scripturas, contra Concilia, præsertim Tridentinum, contra SS.

Patres, contra totius Ecclesiæ sensum, contra ipsam adeo manifestam rationem; quid enim lumini naturæ rectæque rationi magis contrarium, quam fidem, spem, justitiam, misericordiam, temperantiam, continentiam, mansuetudinem, religionem, humilitatem, omnesque alias virtutes, si in propria sua sphæra versentur, id est, proprio suo objecto formali, per quod a charitate distinguuntur, esse mera peccata? Odium peccati, ob spem cœli conceptum, esse peccatum? Orationes, Sacramenta, sacrificium Missæ, bona opera, ipsamque adeo DEI adorationem, esse peccata? Honestatem inhonestatem? Cur DEUS nos jubet orare: *adveniat Regnum tuum*, cur *quærere primum Regnum DEI*, cur imperat salutis nostræ æternæ curam, si hæc omnia sunt peccata? Cave Propheta sancte, ne inclines cor tuum ad faciendas justificationes *propter retributionem*: peccatum est. Apostole sancte, ne exspectes coronam justitiæ: peccatum est. Vos operarii sancti, ne speretis promissam a DEO mercedem: peccatum est.

Neque dicat quispiam, spem Theologicam non differre a charitate; nam, sicut aliæ virtutes, differunt per objectum formale seu motivum. Charitas perfecta tendit in DEUM, ut in se ipso summum bonum. Spes vero ut speranti bonum. Quamvis conjungi possint, in eodem etiam actu; quia amari potest DEUS simul, ut in se ipso bonus, & ut amanti bonus.

Prop. 14.

Timor gehennæ non est supernaturalis.

Timor gehennæ bonus

Observ. Contrarium docet Tridentinum, quod S. 14 cap. 4 timorem gehennæ, si voluntatem peccandi excludat, atque cum spe veniæ sit conjunctus, *donum DEI & Spiritus S. impulsum appellat.* Et can. 5 anathemate ferit eum, qui dixerit, *dolorem, ex gehennæ metu conceptum, non esse utilem, nec præparare ad gratiam.* Et quid frequentius in ipsa etiam S. Scriptura, quam adhortationes ad servanda mandata, & pœnitentiam, propositis gehennæ aliisque pœnis? *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti,* inquit Job. c. 9, & David Ps. 118: *confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Christus ipse Luc. 13: *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et alias etiam jubet, timere eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.

Sermo autem est de timore salutari, ac proin supernaturali, qui procedit ex lumine fidei supernaturali, qua gehenna tanquam a DEO revelata creditur. Neque detestans peccatum ob metum

gehennæ

gehennæ eſt ita comparatus, ut vellet peccare, ſi non eſſet gehenna; quia tunc ex alio motivo poſſet deteſtari peccatum: & hinc abſolute deteſtatur peccatum, ut notatum ſupra, ita, ut abſolute deponat voluntatem peccandi, imo etiam conditionatam illam, *ſi non eſſet infernus, peccarem;* quia ſcit, ad evitandum infernum, qui abſolute datur, & in hac providentia non poteſt non dari, eſſe neceſſarium, ut etiam voluntas illa conditionata deponatur.

Prop. 15.

Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ DEI propter ſe, non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.

Obſerv. Trid. *S. 14 cap. 4* prorſus contrarium definit, dum ait, attritionem, ex metu gehennæ conceptam, eſſe donum DEI & impulſum Spiritus S. & ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponere. Ergo eſt motus bonus & ſupernaturalis; tum quia per donum DEI & impulſum Spiritus S. in negotio ſalutis, de quo agit Tridentinum, intelligitur donum ſupernaturale, quod ſolum eſt conducens ad ſalutem: tum quia aliquid naturale non poteſt diſponere ad gratiam ſupernaturalem, per Sacramentum pœnitentiæ recipiendam; ut a Concilio Arauſicano definitum eſt contra Semipelagianos. Attritio.

Certe DEUS per metum gehennæ nos incitat ad pœnitentiam, ad deteſtanda & vitanda peccata: ergo hic metus eſt motus bonus. Et idem dicendum de metu pœnarum temporalium, dummodo iſtæ concipiantur, ut a DEO vindice inflictæ in pœnam peccatorum: quia ſic motivum pœnarum per fidem ſupernaturalem aut illuſtrationem ſupernaturalem proponitur: unde ipſa dein etiam attritio eſt ſupernaturalis. Idem de dolore, ex turpitudine peccati concepto; nam etiam hæc attingitur lumine ſupernaturali, ut repugnans voluntati & voluntati DEI; cum non poſſit peccatum attingi ut diſſonum naturæ rationali, quin attingatur etiam ut diſſonum legi DEI; alias enim dari poſſet peccatum mere philoſophicum.

Dices. Plures tamen DD. Catholici cum Card. Pallavicino, ut attritio ſit ſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ, requirunt dilectionem DEI, ſaltem *initialem*; quia Tridentinum S. 6 c. 1 ait, peccatores ad juſtificationem diſponi, *dum DEUM tanquam omnis juſtitiæ*

ſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium & deteſtationem.

Verum Tridentinum per hanc dilectionem nihil aliud intellexit, quam ſeriam voluntatem peccatoris ſe reconciliandi cum DEO offenſo, & adhibendi media ad hanc reconciliationem neceſſaria, cum odio & deteſtatione peccati, atque ſincero propoſito, DEUM non amplius offendendi, licet id fiat ex motivo cœlum conſequendi, aut infernum vitandi, aut ex conſideratione turpitudinis peccati, ut voluntati DEI aut virtuti alicui ſupernaturali repugnantis. Vel dici poteſt, Tridentinum per inchoatam illam dilectionem intelligere ſpem, quæ eſt DEI amor concupiſcentiæ, prout ipſum Trid. l. c. non obſcure indicat.

Præter hæc autem non requiri dilectionem aliquam formalem benevolentiæ, ſententia eſt communis DD. & Viva eam moraliter certam dicit, ſicut etiam illam de ſufficientia attritionis, ex ſpe cœli, aut metu gehennæ, vel turpitudine peccati conceptam, cum haud obſcure innitatur definitioni Concilii Tridentini.

Et quid eſſet ille amor initialis, ut diſtinctus a ſpe ſeu amore concupiſcentiæ, aliisque ſupra memoratis? Si enim eſt amor benevolentiæ aut amicitiæ, licet non intenſus, ſemper homo jam eſſet juſtificatus ante abſolutionem Sacramentalem, & ſic Sacramenta mortuorum nunquam vivificarent, ſed ſemper ſupponerent jam ante vitam ſpiritualem, nec lex gratiæ præſtaret legi Moſaicæ aut legi naturæ, in quibus per ſolam contritionem aut charitatem peccatores poterant juſtificari. Imo ſive ſacerdoti, ſive laico, quem pœnitens bona fide putaret eſſe ſacerdotem idoneum, ſive abſolveretur per formam legitimam, ſemper juſtificatus recederet.

Et ratio eſt, quia ad charitatem ſecundum communem DD. ſententiam non requiritur certus intenſionis gradus, tum quia de eo conſtare moraliter non poteſt, tum quia in S. Scriptura dilectioni univerſim tribuitur juſtificatio: *qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Jo. 14. *Omnis, qui diligit, ex DEO natus eſt.* Jo. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum &c.* Nec unquam limitatur dilectio ad tantum vel tantum gradum dilectionis, aut quæ excludat aliud commotivum a bonitate Divina. Verum quidem eſt, quod dilectio juſtificans debeat eſſe *ex toto corde &c.* ſed per hoc non intelligitur intenſio, ſed appretiatio DEI ſuper omnia, vi cujus diligens DEUM præfert omnibus creaturis: & hinc dicitur, quod charitas

ritas debeat esse *appretiative* summa, non vero *intensive*, quod manifeste docet S. Thomas in 4 dist. 17 q. 2. ubi, *quicunque parvus sit dolor*, inquit, *dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam.*

Neque interest, an dilectio procedat ex solo motivo charitatis, an etiam ex spe præmii aut pœnarum metu; nam semper est vera dilectio, atque adeo semper ante Sacramentum justificaret, si necessario requireretur.

Dicit quidem Scriptura 1 Jo.3: *qui non diligit, manet in morte.* Et 1 Cor. 13: *sine charitate nihil sum*; sed hic est sermo de charitate habituali, non de actuali; alias omnes infantes, post baptismum ante usum rationis mortui, damnarentur; quia non habent charitatem actualem. Et eodem ferme modo intelligendi veniunt textus quorundam Patrum, qui dicere videntur, charitatem ad Sacramentum pœnitentiæ esse necessariam; nam per charitatem vel intelligunt amorem concupiscentiæ, seu spem, vel voluntatem seriam se reconciliandi cum DEO offenso, detestationem & odium peccati, DEO adversantis, propositum servandi omnia mandata, præsertim etiam charitatis.

Cæterum Alex. VII 5 Maji 1667 edita constitutione in virtute S. obedientiæ, & sub pœna excommunicationis prohibuit, ne, dum deinceps de materia attritionis tractaretur, quis audeat, alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis DEI in præfata attritione, metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede aliquid in hac re fuerit definitum. Ita Pontifex.

Non est autem censura, si sententia aliqua dicatur falsa, aut improbabilis, & altera probabilissima, aut etiam moraliter certa; nam minima inter censuras videtur esse, si sententia aliqua dicatur temeraria. Neque ex eo, quod Pontifex vetuerit alterutram sententiam censura affici, sequitur, quod utramque agnoverit probabilem; quia prohibitio ista est facta, ut Pontifex ipse præfatur, pacis reducendæ & scandalorum finiendorum gratia, sicut prohibuit, ob eandem rationem, alterutram sententiam de Immaculata Conceptione censura notari, licet affirmativa sit moraliter certa.

Non dissimulandum tamen id, quod Card. Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini l. 12 c. 10 refert, videlicet, cum tractaretur de attritione, additum fuisse, *eam vix sine aliquo motu*

amoris DEI esse posse; quia tamen Episcopus Tudetanus intercesserit, advertens, in hac re varias esse Theologorum sententias, ideo deleta fuisse illa verba, ut hæc materia Theologicæ discussioni relinquatur.

Sicut optandum, hortandique sunt fideles, ut semper contritionem perfectam, per dilectionem DEI constitutam, conentur elicere, sic conscientiæ non sunt onerandæ aut implicandæ, nec Sacramentum exponendum periculo frustrationis.

Prop. 16.

Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, nec institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

Observ. Satisfactio non est præmittenda necessario *ex lege Christi*. Nam ubi est hæc lex? Satisfactio est quidem pars Sacramenti pœnitentiæ, sed tantum integralis, sine qua essentia Sacramenti, ejusque præcipuus effectus, nempe remissio peccati, haberi potest; ut patet in moribundis, qui non possunt amplius satisfactionem præstare; & alias forma absolutionis, *ego te absolvo*, esset falsa, quando non præmittitur satisfactiō; adeoque fere semper Sacramentum esset invalidum & sacrilegum. Accedit praxis Ecclesiæ, declarans institutionem Christi.

Unde neque id exigit *ratio Sacramenti* pœnitentiæ, instituti per modum Judicii, in quo prius fertur sententia, & deinde primum fit executio pœnæ. Quare neque id exigit *natura rei*: prout etiam in physicis primo ponuntur materia essentialis & forma, ac deinde partes integrantes per nutritionem accrescunt, ut in composito humano dentes, ungues, capilli &c.

Certe in veteri lege, naturali, & scripta, non debebat satisfactio præcedere justificationem, sed ad eam sufficiebat contritio & propositum servandi totam legem, atque præstandi satisfactionem. Ergo etiam in lege nova sufficit, ut præcedat absolutionem contritio, propositum, & confessio.

Prop. 17.

Per illam praxin mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

De absolutione.

Observ. Non est inversus, ut ex dictis constat; falsum enim est, quod in prima Ecclesia satisfactio debuerit præcedere absolutionem *Sacramentalem*. Conciliorum & Patrum quorundam textus intelligendi sunt de absolutione *Canonica*, quam præcedere debebat

bat ſatisfactio. Nam hic ordo ſervabatur. 1 Fiebat confeſſio Sacramentalis,dabaturque plerumque rite diſpoſito ſtatim abſolutio Sacramentalis. 2 Præſtanda erat ſatisfactio, a ſacris Canonibus præſcripta, etiam publica a magnis & publicis peccatoribus. 3 Præſtita ſatisfactione impertiebatur abſolutio *canonica* extraſacramentalis, per quam abſolvebantur a pœnis Canonicis, non amplius ſubeundis, admittebantur ad S. Communionem, Miſſæ ſacrificium, & ſic dicebantur reconciliari Eccleſiæ, & ſacro Altari, quam reconciliationem Canonicam aliqui cum S. Cypriano *pacem* appellant.

Prop. 18.

Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu ſed abuſu. **De pœnitentia.**

Obſerv. Non ſatis apparet, qualem conſuetudinem modernam architecti hujus theſis abuſum vocitent. An enim carpunt uſum abſolvendi peccatores ante impletam ſatisfactionem? At oſtendimus ad duas propoſitiones ſuperiores, in hoc nullum abuſum verſari. Vel redarguunt uſum frequenter confitendi venialia, atque ab iis abſolvendi? At habent contra ſe piorum & ſanctorum exempla: vel inutile dices id, per quod ex opere operantis & ex opere operato augetur gratia ſanctificans. Vel vitio dant, quod nimis leves imponantur pœnitentiæ, vellentque, ut rigor antiquorum canonum pœnitentialium reducatur?

At illum non ferrent delicata noſtra tempora, quibus primorum Chriſtianorum refrixit charitas, ac proin plus mali quam boni ſequeretur ex rigida illa diſciplina, cenſentque confeſſarii, conſultius eſſe, purgatorio aliquid relinquere, quam acriori ungue vulnus irritare, & pœnitentem fors in gehennam mittere, Samaritanum illum imitantes, qui oleum & vinum infudit. Accedit, quod frequentior nunc ſit Indulgentiarum uſus. Aliud tamen foret, ſi gravitas morbi aſperiorem medicinam requireret.

Prop. 19.

Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali. **Falſum dogma.**

Obſerv. Tridentinum *ſeſſ.* 5 *can.* 5 definit, ita tolli per Baptiſmum *reatum peccati originalis & totum id, quod veram ac propriam rationem peccati habet, ut nihil prorſus in renatis ſuperſit,*

ſit, quod eos ab ingreſſu cœli remoretur, & S. 14 c. 2: *per Baptiſmum Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes:* ſimulque diſcrimen affert inter baptismi & pœnitentiæ Sacramentum. Cum ergo per Baptismum, quidquid rationem peccati, originalis & actualis, habet, quoad culpam & pœnam deleatur, cur iſti Novatores, tota vita agendam eſſe pœnitentiam pro peccato originali, nobis præſcribunt? An propter concupiſcentiam, quæ in renatis remanet? At illa eſt quidem effectus peccati, & ad peccatum incitat, ſed ſecundum ſe non eſt peccatum, relicta nobis ad agonem, & magni occaſio meriti, ſi ſtrenue illi repugnemus.

Prop. 20.

Confeſſiones, apud Religioſos factæ, pleræque ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

Invidia dictavit hanc theſin.

Obſerv. Quare? Nunquid, quia oculos urit invidia, dum vident, pœnitentes ſingulari cum fiducia ad Religioſos frequentes confugere? An deeſt in illis poteſtas abſolvendi? At ſunt veri ſacerdotes ab Epiſcopo approbati, habentes jurisdictionem & ſingularia privilegia, etiam in ordine ad audiendas confeſſiones, & abſolutionem impertiendam, a ſummo Pontifice, aut Epiſcopo. Nec ſcientia & experientia tractandi animas, atque ad ſalutem, & perfectionem etiam perducendi, ex continua praxi minori, credo, pollent, ac ſacerdotes ſæculares? Cur magni Principes, Eccleſiaſtici & Politici, plerumque deligunt confeſſarios ex Religioſis?

An forte pœnitentes, dum Religioſis confitentur, non ita ſerium de peccatis dolorem, vel non ita efficax propoſitum emendationis concipiunt, aut minus ſincere apud ignotum ſæpe Religioſum confeſſarium peccata enarrant? Non credo. Quare ergo confeſſiones, apud Religioſos factæ, pleræque ſint ſacrilegæ vel invalidæ?

Prop. 21.

Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

De confeſſionibus apud Mendicantes.

Obſerv. Etſi hoc ſuſpicaretur, an propterea confeſſio eſſet ſacrilega vel invalida? An minus ſincera eſſet? Quæ pars deeſſet, quæ Sacramentum pœnitentiæ ut validum conſtituit? Quinam magis urgent ſerium dolorem & propoſitum? Quod autem norint,

Sacra-

Sacramentum pœnitentiæ non esse carnificinam sed medicinam, prout Tridentinum respondit Luthero & semini ejus, non est in illis culpandum.

Cæterum ritum illum & disciplinam, leviores pœnitentias imponendi nequaquam induxerunt Religiosi Mendicantes. Jam dudum ante eorum in mundum adventum rigor ille veterum canonum pœnitentialium exolevit, sæculo videlicet IX, X & XI; cum tamen Mendicantes Religiosi primum seculo XIII sint nati. Sed neque imaginari nobis debemus, quod primis Ecclesiæ sæculis rigor ille universim fuerit adhibitus. Primis quippe Ecclesiæ duobus sæculis Ecclesia admodum fuit benigna in imponendis pœnitentiis, ferme usque ad Montanistas; neque deinceps canones pœnitentiales pro legibus habebantur, sed pro regulis ad directionem discreti confessarii, atque sæpissime pœnæ, in illis assignatæ, aut temperabantur, aut omnino remittebantur.

Sed nimis leves, inquis, pœnitentias imponunt Religiosi Mendicantes, ut eleemosynam accipiant. An ex temet ipso hoc dicis, vel alii tibi dixerunt? Quomodo probas? Quis de viris Religiosis, mundo mortuis, & ad perfectionem tendentibus id prudenter suspicetur, quod temporalis lucelli spe suo desint officio? Multi ex Religiosis etiam Mendicantibus accedunt mensam stratam, de annona, unde veniat, parum solliciti, curamque illam Superiori & Procuratori relinquentes.

Prop. 22.

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

Observ. Quis non videat, quorsum hominum istorum feratur intentio, ut videlicet a Sacramentis confessionis & communionis animas absterreant, aut eorum usum omnino eliminent. Quis scit, tametsi satisfactionem, a confessario impositam præstiterit, aut etiam scire potest, an *condignam* de delictis pœnitentiam egerit? Ergo semper abstinendum sacra communione, ne quis periculo sacrilegii se exponat; sicut Moniales Portus Regii gloriatæ sunt, se etiam a communione paschali abstinuisse? De satisfactione.

Ita est: jubet Apostolus, ut probet se ipsum homo; sed probatio ista & præparatio necessaria stat in sincera & integra confessione peccatorum mortalium, conjuncta cum serio dolore & proposito emendationis, & sic conscientia ab omni culpa mortali

depurata. Pœnitentia ſeu ſatisfactio non eſt neceſſario præmittenda communioni, imo ſæpe non poteſt integra præmitti, urgente e. g. in parocho neceſſitate ſacrificandi & communicandi.

Per hoc tamen non negatur, varia committi peccata contra reverentiam, tanto Sacramento debitam, variosque caſus & circumſtantias poſſe contingere, propter quas, etiam poſt confeſſionem rite peractam, differenda ſit communio, ſub peccato ſaltem veniali, ſi poſſit differri, & major diſpoſitio procurari.

Prop. 23.

De communione ſine amore puriſſimo.

Similiter arcendi ſunt a S. Communione, quibus nondum ineſt amor DEI puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

Obſerv. Quænam ſint requiſita neceſſaria ad S. Communionem, dictum eſt ad propoſ. ſuperiorem, neque Tridentinum alia requirit *ſeſſ. 13 cap.* 7. Inter hæc autem requiſita neceſſaria non eſt amor puriſſimus, omnis mixtionis expers; alias enim plerique eſſent arcendi a S. Communione, cum pauci reſpective eſſe videantur, qui cum amore tam puro & depurato accedant.

In veteri Eccleſia etiam pueris præbebatur S. Synaxis, qui tamen erant incapaces eliciendi amorem. Deinde etiam amentes ſunt capaces hujus Sacramenti, ſicut baptismi, confirmationis, ordinis, ut tenet communis; non autem ſunt capaces amoris puriſſimi.

Convenientiſſimum utique foret, ut omnes cum ardentiſſimo amore DEI ad ſacratiſſimam menſam accederent; ſed propterea non ſunt arcendi, dummodo ſint in ſtatu gratiæ, & ſi mortalia habuerint, ab iis rite ſint abſoluti.

Prop. 24.

Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

Obſerv. B. V. Maria fuit Mater puriſſima, Mater inviolata, Mater intemerata, nulla unquam macula originali, actuali, vel legali infecta, nulla igitur purificatione indiguit, ſicut Diviniſſimus ejus filius non indiguit circumciſione; ſed legem Moſaicam, Levit. 12 præſcriptam, qua non comprehendebatur, voluit ſervare, ad imitationem filii ſui, volentis circumcidi, ad dandum aliis obedientiæ exemplum, ad exercendam humilitatem aliasque vir-

virtutes, ad evitandum eorum ſcandalum, qui matrem ſciebant, Virginem neſciebant.

Lex Moſaica eas tantum mulieres obligabat, quæ *ſuſcepto ſemine* maſculum parerent, ut a *profluvio ſanguinis ſui*, & macula legali mundarentur. At B. V. Mater DEI, nullo ſuſcepto ſemine, ſed grandi miraculo, obumbrante virtute Spiritus S. peperit, nec ullum ſanguinis profluvium, aut ſordes, quæ partum naturaliter ſequuntur, patiebatur, ſed Chriſtus velut lux per puriſſimum cryſtallum tranſiit, ex puriſſimo Matris ſanguine corpore efformato.

Prop. 25.

DEI Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

Obſerv. Dan. 7 Pater Divinus apparuit Danieli in ſpecie ſenis ſedentis. Cur ergo hac ſpecie non poſſit in templo collocari, prout in multis Eccleſiis contingit? Nec obſtat, quod DEUS ſit incorporeus; nam etiam angeli ſunt incorporei, & tamen laudabiliter eorum imagines collocantur in templo. Imo DEUS ipſe juſſit, Cherubim in templo Solymæo collocari. Et ſi Spiritus S. poteſt proponi in columbæ ſpecie, ut definivit Synodus VII; quia in ea apparuit, cur non etiam æternus Pater in ſpecie, qua apparuit? Ipſa S. Scriptura per metaphoram attribuit DEO membra, *ſede a dextris meis:* & quoties manus DEI nominatur? Quot in Apocalypſi S. Joannis proponuntur nobis tales imagines? nec finis deeſt, ut nimirum per corporea & viſibilia, ad agnitionem ſpiritualium & inviſibilium deducamur. Ipſe intellectus per ideas materiales, tanquam imagines, aſſurgit ad cognoſcendos ſpiritus. **Effigies DEI Patris.**

Tridentinum equidem tantum de Imaginibus Chriſti, Deiparæ ac ſanctorum meminit, non tamen excludit Imagines DEI & Trinitatis. Prohibuit DEUS ſculptile, *ne adores illud*, ſicut adorabant gentes idola, & non raro etiam Judæi, quibus, cum ad idololatriam valde eſſent propenſi, DEUS prohibendo imagines occaſionem voluit adimere, nunc autem apud Chriſtianos ceſſat hoc periculum.

Nam cultus, quem Imaginibus exhibemus, non eſt abſolutus, ſed reſpectivus, tendens in prototypon, quod per imaginem nobis exhibetur; ſicut cultus, quo legatum honoramus, tendit in Principem, quem legatus repræſentat. Scimus, quod Tridentinum ait, Imaginibus nullam ineſſe virtutem intrinſecam, nihil-

que

que ab iis esse petendum, aut sperandum, sed a protypo, quod nobis exhibent. Dicuntur quidem Imagines quædam miraculosæ, sed tota virtus provenit a DEO.

Prop. 26.

Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

Observ. Laus, quæ defertur aliis sanctis, non est vana: ergo neque laus, quæ defertur Mariæ; nam etiam in quantum Maria, est persona sancta, imo sanctior omnibus sanctis, Angelis & hominibus, gratia plena, ut ab Angelo prædicatur. Neque destituitur hæc laus, honor, & cultus fine optimo; quia est utilis ad impetrandum patrocinium & intercessionem apud DEUM. Quapropter tota Ecclesia Mariam honorat cultu, quem Græci *Hyperduliam* vocant, altiore scilicet, quam reliquis sanctis deferatur: neque cultus iste est civilis, sed religiosus, quia exhibetur Mariæ propter excellentiam sanctitatis; estque actus virtutis supernaturalis, atque conformis voluntati DEI, qui in sanctorum suorum honoribus honoratur: prout dicit S. Bernardus: *totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus hanc Mariam veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Laus Mariæ non est vana.

Maria jam in primo instanti immaculatæ suæ conceptionis fuit gratia plena, &, ut ostendit Suarez *tom.* 2 *in 3 p. c. 4* gratiam & merita singulis vitæ instantibus diu noctuque in immensum adeo multiplicavit, ut omnes omnium sanctorum gratias & merita simul sumpta superaret: ac proin non desint graves Theologi, qui doceant, eam maternitatem DEI, qua sublimius donum creatum, excepta unione hypostatica, non est datum sub cœlo, de condigno fuisse promeritam, ad quod tamen meritum requiritur proportio geometrica cum præmio. Talis cum sit Maria ut Maria, non nisi impudentissime dici potest, laudem, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vanam esse, cum etiam ut Maria sanctitatem omnium sanctorum (Christo semper excepto) sit supergressa, atque innumeri homines potens ejus apud DEUM patrocinium sint experti, ut proin merito canat Ecclesia: *dignare me laudare te Virgo sacrata.*

Prop. 27.

Falsum. *Valuit aliquando Baptismus, hac forma collatus, in nomine Patris &c. prætermissis illis:* ergo te baptizo.

Observ. Cap. Si quis de Bapt. Alexander III ait: *si quis puerum in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,*

ſancti, *& non dixerit*: *ego te baptizo*, *non eſt baptizatus.* Exprimenda enim eſt actio Miniſtri; prout Florentinum docet: *ſi exprimatur actus*, *qui per Miniſtrum exercetur*, *cum ſanctæ Trinitatis invocatione*, *perficitur Sacramentum.* Et quare alias non ſufficeret poſitio ſolius actionis in reliquis etiam Sacramentis, quin dicatur, *ego te confirmo*; *ego te abſolvo &c.*?

Accedit continuus uſus, praxis, traditio, & perſuaſio Eccleſiæ; quamvis enim legantur baptizaſſe nomine Chriſti, tamen præſumi poteſt, quod etiam Patrem & Spiritum S. expreſſerint, & in nomine Chriſti baptizarint, hoc eſt, baptismo Chriſti, ſeu a Chriſto inſtituto: vel tandem dicendum erit, quod ex ſpeciali diſpenſatione Divina baptizarint tantum in nomine Chriſti.

Prop. 28.

Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, *qui omnem ritum externum*, *formamque baptizandi obſervat*, *intus vero apud ſe reſolvit*: *non intendo facere*, *quod facit Eccleſia.*

Obſerv. At Trid. S. 7 can. 11: *ſi quis dixerit*, *in Miniſtris*, *dum Sacramenta conficiunt*, *non requiri intentionem ſaltem faciendi*, *quod facit Eccleſia*, *anathema ſit.* De fide igitur eſt, quod Miniſter debeat habere intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia.

Verum Catholici quidam DD. cum Sylveſtro, Paludano, Catharino, quem ſpeciali libello defendit Hyacinthus Serry, diſtinguunt inter intentionem, *materialiter* faciendi, quod facit Eccleſia, & inter intentionem *formaliter* id faciendi; illam requiri a Trid. non autem iſtam. Sed Trid. ex communiſſima Theologorum etiam hanc requirit, videlicet non ſufficere velle ponere materiam & formam, ſeu ritum externum, quod eſt velle materialiter facere, quod facit Eccleſia, ſed etiam id velle in ordine ad Sacramentum, quod Chriſtus inſtituit, vel in ordine ad conferendam gratiam, vel ponendas actiones, ut *de ſe* aptas ad collationem gratiæ, licet hic & nunc propter obicem (e. g. in matrimonio) non conferatur. Alias enim, ſi lector menſæ præſente pane legeret verba conſecrationis, vere conſecraret, vel ſi mater aqua lavaret a ſordibus corporis infantem, dicens, Lavo te in nomine Patris &c. vere illum baptizaret. Requiritur intentio Miniſtri.

Requiritur igitur, ut velit agere ceu Miniſter Chriſti, vel nomine Chriſti. Ut autem Miniſter agat nomine ſui principalis, debet habere intentionem internam agendi ejus nomine; alias non agit ut Miniſter aut legatus nomine principalis, ſed nomine pro-

prio. Sane, si procurator, constitutus, ut nomine principalis sui ineat matrimonium, non agit ut procurator, si interne nolit agere nomine sui principalis, licet ritum externum observet.

Et hinc in hac thesi confixa est sententia Catharini, aliorumque, qui dicunt, sufficere intentionem materialiter faciendi, quod facit Ecclesia; nam in casu thesis damnatæ baptizans omnem ritum externum observat, & sic materialiter facit, quod facit Ecclesia; sed quia non intendit id facere, non vult formaliter facere, quod facit Ecclesia, & propterea proscripta est thesis.

Hæretici & etiam gentiles, quando baptizant, præsumuntur habere intentionem, appretiative fortiorem ac prævalentem, faciendi formaliter, quod DEUS instituit, vel quod facit vera Ecclesia, aut quod Catholicos facere sciunt, vel quod per tale ministerium facere debent, & sic saltem implicite, formaliter tamen, volunt facere, quod facit vera Ecclesia; licet privato errore laborent, cui tamen suam intentionem non censentur ita alligare, ut non oppositam prævalentem habeant saltem implicite, aut virtualiter, quia saltem volunt, quod DEUS vult, eos per talem ritum velle, vel in quantum prodesse possit baptizando.

Prop. 29.

De summo Pontifice.

Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis, infallibilitate.

Observ. Futilis, & toties convulsa est hæc impudens propositio. Futile ne dicas, quod totus prope tenet orbis Catholicus, quod ipsa Divina non obscure pronuntiant oracula. Christus, fundaturus Ecclesiam, Petro tanquam fundamento eam inædificavit, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Illum pastorem constituit, *pasce oves meas.* Episcopi, etiam in Concilio congregati, non desinunt esse oves. Petro dedit claves cum plena solvendi atque ligandi potestate: *Tibi dabo.* An amittit illas in Concilio?

Video tamen, quantum ad infallibilitatem spectat, eam a Catholicis DD. diversimode propugnari; alii requirunt consensum majorum Pastorum illius gentis, in qua fidei controversia agitatur: alii acceptatione sunt contenti: alii cum Hyacintho Serry *de Romano Pontifice in ferendo de fide moribusque judicio falli & fallere nescio:* & in *Dissertatione Apologetica* contra Aloysium Lucinum

cinum, exigunt Cardinalium judicium & consensum, maturam ac diligentem rei discussionem, preces publicas: verum hæc ad infallibilitatem Pontificis in fidei & morum definitionibus vel non absolute sunt necessaria, vel præsumendum est, ea nunquam omitti, prout de facto nunquam omittuntur. Alii denique, iique plurimi docent, Papam in definiendis fidei morumque quæstionibus, ex providentia Christi & promissa assistentia Spiritus S. etiamsi solus decidat esse absolute infallibilem, quando loquitur ex cathedra, seu quando alloquitur Ecclesiam, eique aliquid credendum proponit: alias enim tota Ecclesia in re gravissima induceretur in errorem, cum Pontifici obedire debeat. Ecclesia autem ex promissis Evangelicis errare non potest.

Materia ista est amplissima; mille libris tractata, & ego ipse pro tenuitate mea, sæpius de illa quoad utrumque caput disserui, uti, quando Concilium Constantiense & Basileense exposui &c. Hoc certum, insolentem thesin confixam vel ex turpi ignorantia, vel ex insigni malitia esse profectam, dum eam assertionem futilem & toties convulsam appellare non veretur.

Prop. 30.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

Observ. Quamvis maxima sit S. Augustini in Ecclesia auctoritas, præsertim in iis, quæ de gratia scripsit, non tamen usque adeo tanta, ut definitioni sedis Apost. anteferri aut coæquari possit; neque enim, prout Petro & ejus successoribus, in doctrina fidei & morum promissa ei fuit Spiritus S. assistentia atque infallibilitas. Quapropter Bullas Pontificias non oportet ad verba Augustini, sed Augustini verba ad verba Bullæ, ejusque clarum sensum oportet sumi. **De Authoritate S. Augustini.**

Neque dicas doctrinam S. Augustini ab Ecclesia universim esse canonizatam; nam ea sunt approbata, quæ habentur in Epistola Cœlestini I ad Episcopos Galliæ apud Prosperum in fine ejus operum: 1 videlicet, quod in prævaricatione Adami omnes amisimus facultatem expeditam ad salutaria. 2 Quod nemo sit per se bonus, nec possit sine gratia perseverare. 3 Quod nemo bene utatur libero arbitrio, nisi per Christum. 4 Quod omnes motus bonæ voluntatis sint a DEO. 5 Quod gratia non solum valeat ad peccatorum remissionem, sed etiam ad ea vitanda. 6 Quod gra-

tia Christi non solum illuminet intellectum, sed etiam immediate moveat voluntatem. 7 Quod non solum det facile posse, sed etiam simpliciter posse. Additque idem Cœlestinus Papa in eadem Epistola: *profundiores partes quæstionum, quas pertractarunt Augustinus & alii, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.*

Et ipse Aug. l. de dono persev. c. 21 ait: *neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea facio nunc libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi; ut nec me ipsum in omnibus me secutum esse demonstrem.* Interpretes etiam S. Scripturæ non raro ab Augustini expositione recedunt, e. g. dum Jacobum & Davidem a mendacio excusat &c. Certe sunt in Augustino aliquæ expressiones difficiles, de quibus dici potest, quod Petrus de epistolis Pauli, quod homines indocti (hæretici) iis abutantur ad suam perditionem, prout Calvinus & Jansenius fecerunt.

Gelasius Papa, sicut etiam alii Pontifices, approbavit doctrinam Augustini generice, sicut doctrinam Cypriani, Hilarii, Hieronymi, & aliorum Patrum, quin singulas sententias approbaret. Certe in libris Cypriani extat ejus doctrina de Baptismo, ab hæreticis collato. Igitur Gelasius authenticos libros ab apocryphicis & suppositititiis auctorum libris secrevit, quin singula contenta approbaret. Qui agrum laudat, non omnia quæ sunt in agro laudat.

Prop. 31.

Bulla Urbani VIII In Eminenti est subreptitia.

Bulla Urbani VIII. *Observ.* Bulla hæc, anno 1641 edita, relata constitutione Pii V & Gregorii XIII. quibus 49 Michaelis Baji propositiones profligantur, eosdem errores rursus damnat, simulque librum Jansenii, quem *Augustinus* inscripsit, prohibuit.

Hanc Bullam, cujus initium *In Eminenti*, Bajani & Jansenistæ exosi, nihil non moverunt, ut aliquamdiu in Belgio suspenderetur, ut vel revocationem illius vel moderationem obtinere possent. Hoc cum evincere non possent, Bullam obreptitie obtentam dicebant, a Jesuitis per expositionem falsi, quod videlicet propositiones damnatæ extent in scriptis Baji & Jansenii in sensu damnato.

Quam autem hoc a veritate sit alienum, ex propria Urbani Pontificis confessione elucet, dum in Bulla ait, ex matura ac diligenti libri (Jansenii) lectione compertum sibi, in eo multas propositiones Baji, a dictis Pontificibus proscriptas contineri, & magno cum

cum Catholicorum ſcandalo, & Sedis Apoſt. contemptu eas defendi.

Et quis credat, Pontificem, dum loquitur ex cathedra, prout facit, dum propoſitiones aliquas tanquam fidei aut bonis moribus contrarias publice damnat, Decreto, ad totam Eccleſiam directo, ita oſcitanter id facere, ut obrepi ſibi permittat, aut falſæ expoſitioni acquieſcat? Conſtat certe, materiam prius tum a S. R. E. cardinalibus, tum aliis viris doctiſſimis, tum etiam ab ipſo Pontifice, magna diligentia diſcuti, examinari, ac ponderari, invocato etiam Divino auxilio, antequam ad ſententiam condemnatoriam deveniatur.

Cum ergo tunc ex cathedra tanquam Pontifex, & Magiſter a Chriſto conſtitutus, alloquatur doceatque Eccleſiam, prohibendo ſub cenſura Eccleſiaſtica, tales propoſitiones docere & tenere, ex aſſiſtentia Spiritus S. promiſſa, eſt omnino infallibilis. Quantæ ergo impudentiæ & temeritatis eſt, talem Apoſtolicam ſententiam ſubreptionis arguere?

Poſtquam Alex. VIII has 31 Propoſitiones recenſuit, eas tanquam *temerarias*, *ſcandaloſas*, *male ſonantes*, *injurioſas*, *hæreſi proximas*, *hæreſin ſapientes*, *erroneas*, *ſchismaticas*, *& hæreticas reſpective*, damnavit, prohibuitque, ita, ut quicunque illas, aut conjunctim, aut diviſim, docuerit, defenderit, ediderit, aut de illis etiam diſputative publice aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem Pontifici reſervatam.

Inſuper diſtricte & in virtute S. obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet, ne quis prædictas propoſitiones aut aliquam ipſarum in praxin deducat.

§. 6.

De aliis Propoſitionibus proſcriptis.

Idem Alexander VIII Pontifex duas alias inſuper Propoſitiones proſcripſit, nimium laxas. Prima ſic habet: *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali, formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in ultimum finem interpretative. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.* 6. Theſis falſa de amore DEI.

 Hanc

Hanc thesin damnavit tanquam hæreticam, utpote quæ per ultima verba aperte & immediate est opposita veritati revelatæ; cum dicatur Jo 3: *qui non diligit, manet in morte*, & Marci 12: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c.* Neque sufficit dicere, hoc intelligendum de dilectione virtualiter & interpretative tali, inclusa in observatione mandatorum DEI; nam verba adeo clara dilectionem DEI formalem & proprie dictam manifeste requirunt, prout omnes boni Theologi facile agnoscunt. Dein inter reliqua DEI mandata est etiam mandatum deligendi DEum, & quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, imo hoc est primum & maximum mandatum; qui ergo DEUM ita non diligit, non observat mandata DEI. Sicut ergo ad salutem requiritur, ut sæpius eliciatur fides & spes formalis, ita a fortiori requiritur, ut sæpius eliciatur actus charitatis DEI formalis, quæ est Regina omnium virtutum. Neque lex Divina positiva duntaxat id exigit, sed etiam naturalis, lumine rectæ rationis cordibus inscripta. Videantur, quæ de hac dilectione dicta sunt ad propos. 1 ab Alex. VII damnatam.

De peccato Philosophico.

Altera ab Alex. VIII confixa propositio est hæc: *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus, disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi: Theologicum vero & mortale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum, quamvis grave, in illo, qui DEUM ignorat, vel de DEO actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa DEI, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam DEI, neque pœna æterna dignum.*

De hac propositione tractatum fuit *Part. VIII lib. 3 cap. 24 & Part II c. 1 n. 18.* Primæ duæ partes hujus thesis continent definitionem peccati Philosophici & Theologici; quæ, cum sit conditionata (*si detur*) non fuit damnata. Tertiam damnavit Pontifex, aitque, illam noviter ex orco emersisse; quia videlicet Arnaldus eandem inde extraxit; quia eandem, tam turpiter vestitam, nemo docuit.

Et hinc illam, sibi oblatam, merito damnavit Pontifex, quia, prout jacet, supponit dari, aut dari posse peccatum mere philosophicum, quod est falsum; cum sit aut metaphysice aut saltem moraliter impossibile; quia hoc ipso, quod aliquid cognoscatur tanquam disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi, hoc ipso cognoscitur etiam ut disconveniens voluntati supremi legislatoris; accedit, quod non distinguat inter ignorantiam vincibilem & invincibilem &c. *vid. l. c.*

ARTI-

ARTICULUS II.

DE STATU POLITICO ITALIÆ SÆCULO XVII.

§. I.

Salutiæ ad Sabaudum. Bellum Montferratense, Uscochium, Valtelinum, Mantuanum, Pedemontanum. Lis de tutela Ducis Sabaudiæ, & urbe Castro.

Flagrantibus civilibus Galliæ turbis Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ Marchionatum *Salutiarum* occupaverat, cuso numismate, cui hæc vox erat inscripta: *Opportune.* Pacta regno quiete Henricus IV Galliæ Rex Salutias repetiit; cumque Dux nollet restituere, Galli mox paucas Ducis urbes & arces munitas expugnarunt, procusa pariter, ut responsum darent, moneta cum hac inscriptione: *Opportunius.* Lis tandem transactione finita. Pro aliis terris, Franciæ cessis, relictus Duci Marchionatus, clavis Italiæ. 7.

Anno 1613 Bellum Monferratense erupit, a Carolo Emmanuele Duce Sabaudiæ susceptum, cujus hæc erat occasio. Francisco IV Duce Mantuæ & Montis Ferrati hoc anno absque liberis masculis defuncto, Ferdinandus ejus frater, exuta Romana purpura, successit, simulque tutelam Mariæ neptis suæ, sibi attribuit. Sabaudus hoc in præjudicium filiæ suæ, quam Franciscus viduam (Mariæ matrem) reliquerat, cedere ratus, antiquas simul prætensiones Domus Sabaudicæ in Montferratensem Marchionatum

Bellum Monferrat.

natum allegavit, videlicet ex Jolanthæ pactis nuptialibus. * Difficillimum insuper Carolo Emmanueli celsorum spirituum Principi accidit, Monferratenses regiones, quæ magnam Pedemontii partem complexæ ad ipsas ferme Taurini portas se se exporrigerent, terrasque Ducis variis in locis intersecarent, in alienis manibus cernere; cumque ex altera parte faciem Europæ circumspiceret, videretque, Imperatorem remotum, & turbis Germanicis involutum, minorennitatem Regis Christianissimi, turbis pariter domesticis impediti, Regem Catholicum pacis amantem, Principes Italiæ tranquillitati suæ acquiescentes, tentandum aliquid ratus, Trinum, Albim, S. Damianum occupavit.

Verum opinione sua fuisse deceptum eventus ostendit; nam & Veneti, & Mediolani Gubernator, & Francia, a Ferdinando implorati, auxilia spondebant. Quare loca intercepta restituit. Adduci tamen non potuit, ut, quod Hispania petebat, copias dimitteret; sed dimisso legato Hispano vellus aureum restituit, asserens, nolle se vinciri catenis Philippi.

Exarsit proin bellum Hispanum inter & Sabaudum, per biennium continuatum, quod tandem anno 1615, dum Gubernator Mediolanensis Aptum obsideret, conciliatoribus Papa & Rege Franciæ in pacem est mutatum; ea quidem lege, ut Sabaudus relinquat Mantuano Montisferrati ditiones, salva actione civili in curia Imperiali. Mantuanus recipiat subditos, Sabaudi partes secutos: loca ultro citroque abrepta restituantur: Sabaudus pro securitate suorum statuum non retineat ultra quatuor cohortes ex Helvetis, & totidem ex suis subditis, reliquas vero copias dimittat: Catholici Regis exercitus provinciis Sabaudi decedat: &, si hic abdicatis copiis invaderetur, Gallia armata manu assistat. **Pax.**

Nulli

Jolantha I hæres Montisferrati ex Andronico II Palæologo, Imperatore Constantinopolitano, conjuge suo, genuit Theodorum Palæologum Montisferrati Marchionem. Hujus filia, Jolantha II Aymoni Comiti Sabaudiæ nupta anno 1330 pactis nuptialibus inseruit, ut, si progenies mascula Palæologorum deficeret, ex hoc matrimonio descendentes Comites Sabaudiæ succederent in Marchionatu Montferratensi. Cum igitur Comites & Duces Sabaudiæ ex hac Jolantha descendant, prætensionem suam post annum 1533, quo Joannes Georgius Palæologus sine masculis obiit, formant. Sed reliquit Joannes Georgius filiam Margaretham, nuptam Friderico II primo Mantuæ Duci, cui Carolus V Montferratum in feudum concessit, protestante Duce Sabaudiæ & Marchione Salutiarum.

Nulli contrahentium parti ſatis pax iſta placuit, primo, quod veniam dare oporteat rebellibus ſubditis, alteri, quod creſcere non liceat, tertio, quod Aſti obſidionem ſolvere debeat. Certe Inojoſa Mediolani Gubernator revocatus eſt, & novus, Petrus Toletanus, non ſatis e dignitate Hiſpana fuiſſe transactum, dicebat. Unde pax illa bello ſimilis videbatur, tracto etiam ab Hiſpanis in partes Nemoroſio Duce Sabaudiæ Principe: Emmanueli vero ſuccurrente Lediguerio.

Sopito hoc bello, aliud anno 1616 erupit Venetos inter & Ferdinandum Styriæ Archiducem propter *Uſcochios*, Croatiæ & Dalmatiæ Auſtriacæ populum, rapto vivere aſſuetum. Vicinos equidem is Turcas maxime infeſtat, ad Chriſtianos tamen etiam non nunquam rapaces manus extendit: prout hoc tempore triremem Venetam diripuit, cæſo ſenatore aliisque, quos in eadem invenerat.

Bellum propter Uſcochios.

Quamvis autem ſub protectione Domus Auſtriacæ ſint Uſcochii, libertatem tamen a tributis, & hoſpitatione militum affectant, nullumque patiuntur ſibi Præfectum imponi. Veneti nihilominus, eos non ſatis compeſci exiſtimantes, Gradiſcam, permunitam in Carniola urbem Auſtriacam aggreſſi ſunt, interceptis aliis quibusdam locis.

Gubernator Mediolanenſis & Nuntius Pontificius omni ope adlaborarunt, ut Veneti cœptis deſiſterent, & pax alma reduceretur: quæ tandem anno 1617 in Iſtria fuit compoſita.

Cum pax Aſtenſis executione deſtitueretur, poſtulante Hiſpano, ut Sabaudus prius exercitum dimitteret, hoc vero exigente, ut Hiſpanus prius Pedemontio decedat, bellum recruduit. Hiſpanis acceſſit Dux Nemoroſius, ſed damno ſuo non levi: Lediguerius vero, contra Regis Franciæ voluntatem, 8000 Gallorum Carolo Emmanueli in Pedemontium ſuppetias adverſus Hiſpanos attulit.

Captum aſſultu anno 1617 S. Damianum, & Alba, quam 7000 Hiſpanorum, imminente Duce cum Lediguerio, deſeruerant. Hiſpani vero Vercellas occuparunt. Ticini tum rurſus pax inita, & Aſtenſis confirmata, conciliatoribus Cardinale Ludoviſio nomine Pontificis, & Marchione Bethunio Franciæ Regis legato. Juſſa pars utraque intra menſem ablata reſtituere, & in proprias terras migrare, manumiſſis a Duce copiis. Archidux Ferdinandus Segnam legionem Germanorum mittet, quæ Uſcochiorum rapinas compeſcat, miſſis 133 familiis in exilium.

Bellum Valtelinum.

Ab anno 1617 Italiam motus Vallis Telinæ concussere, Venetis, Mediolano, Pontifice, quin & Gallia, & Hispania, & Helvetia in partem venientibus. Visus est Hispanus huic Italiæ clavi inhiare, ut faciliorem cum Germania communicationem sortiretur. Certe Fontanus Gubernator Mediolanensis Regi suo scripsisse fertur, si Italiam velit habere constrictam, Finariam Monacum, Clavennam cum Valle Telina esse comparandam.

Quia autem Genuenses erant Hispanorum socii, & Dux Sabaudiæ se læsum ab eis credebat, pariter bello involuti sunt: &, cum timeretur, ne Hispani in Italia se magis extenderent, varia cum Italiæ Principibus Gallia iniit fœdera, præsertim cum Duce Sabaudiæ tractatum Susanum.

Mantuanum.

Anno 1626 obiit Ferdinandus Gonzaga, Dux Mantuæ & Montisferrati, nulla relicta prole, æt. 39, reg. 14. Successit igitur frater Vincentius II, qui tamen vix anno regiminis exacto fratres secutus est; nam tres successive fratres imperarunt, sed omnes sine prole mascula obierunt; unde de successione magna orta est contentio, quin & bellum, summis Europæ Principibus in partem venientibus. *Vid. Germ. & Gall.*

Successit tandem Carolus Gonzaga Dux Nivernensis, qui in Gallia sedem fixerat, ex altera gentis Gonzagæ linea descendens, opponentibus se Hispano, Sabaudo, & ipso Imperatore, donec causa per pacem Ratisbonensem fuit finita. (*vid. Germ. & Gall.*)

Anno 1630 Urbanus VIII Papa in Consistorio Cardinalibus, Electoribus Ecclesiasticis, & Magno ordinis Melitensis Magistro contulit titulum *Eminentissimi*, exclusis ab eo jure omnibus aliis ecclesiasticis. Hæc tamen ordinatio non omnibus placuit, præsertim Duci Sabaudiæ & Venetis, qui ad Cardinales adhuc titulo *Illustrissimi* usi sunt, in Italia passim vulgari inter Nobiles.

Obit Car. Emmanuel.

Idem annus de mundi theatro, in quo celebrem actorem egit, abstulit *Carolum Emmanuelem* Ducem Sabaudiæ, Principem, quam parvum corpore, tum magnum animo, tota propemodum vita bellis exercitum, quæ aut intulit, aut repressit, jam Cæsari, jam Gallo, jam Hispano, jam Mantuano hostis, prout, ut se extenderet, visum fuit opportunum: obiit anno ætatis 69, regiminis 50, *Magni* cognomentum promeritus. Ex Catharina, Philippi II Hispaniarum Regis filia, successorem in provinciis, a Gallis ferme occupatis, reliquit *Victorem Amadeum* I, qui bello Suecico in Germania furente cum Rege Galliæ & Parmensi armorum societatem adversus Hispanos pactus est.

Ge-

Geſtum itaque rurſus bellum in Italia ab anno 1635. Ad Buſſarolam Hiſpani prælio victi ſunt. Sed, quia pacto convenerat, ut tantum terrarum Galliæ in Sabaudia accederet, quantum Victori Amadeo in Mediolanenſi agro accreſceret, Dux, qui neque Hiſpaniam, neque Galliam augeri volebat, lente incedendum putavit. Unde non magnus erat victoriæ fructus. Quin imo victores in Pedemontium ſe recipere fuerunt coacti, affluentibus Mediolano & Neapoli copiis. **Bellum.**

Anno 1637 obiit Victor Amadeus I Dux Sabaudiæ, æt. 51, regiminis 7. Ex Chriſtina conjuge, Ludovici XIII ſorore, reliquit Franciſcum Hyacinthum, qui ſucceſſit, ſed anno vertente funus erat. Succeſſit igitur fratri *Carolus Emmanuel II* quadrimus. Aloyſia ſoror Mauritio patruo ſuo, qui prius fuerat Cardinalis, Jolanta Duci Parmenſi, Adelhais, natu minima, Ferdinando Mariæ Electori Bavariæ nupſit.

Sed magna orta eſt controverſia, quis pupillorum tutelam gereret. Mauritius & Thomas, patrui illam ſibi, ceu proximi agnati, vendicabant: erantque ab Imperatore in hoc munere confirmati; ſed Chriſtina mater, auxilio fratris Ludovici prævaluit, & illico fœdus cum Gallia confirmavit. Dux vero Parmenſis, hortante Pontifice, & comminante Hiſpano, ab eodem receſſit. **Lis de Tutela.**

Anno 1639 inter Thomam Principem & Leganium, Mediolani Gubernatorem, tractatum eſt, ut Galli ex Italia pellantur, Principibus Sabaudiæ tutela nepotis committatur, cum adminiſtratione ſtatuum, atque mox Jurea, Verva, Chiva, Montallerium, Quierum &c. Principi Thomæ ſe dediderunt, quin & ipſum Taurinum, cui Cardinalis de Valette (filius Ducis Eſpernonii) cum Gallis ſuis ſe incluſerat. Chriſtina vero vidua cum liberis ſuis in Galliam profugit. **Thomas Princeps**

Miſit Richelius in Italiam Harcurio Duce exercitum, qui ad Quierum Thomam & Leganium prælio vicit, ac brevi etiam ad Taurinum, quod victor ingreſſus eſt, Chriſtina mox redeunte.

Tandem anno 1641 pax inita. Confirmatur maſcula ſucceſſio in Sabaudia & Pedemontio. Rex reſtituet omnia loca, quæ occupaverat, ſi Hiſpanus idem faciat. Nullam cum hoc inibit pacem, in qua Principes non ſint comprehenſi. Conſentit in nuptias Mauritii Cardinalis cum Aloyſia, eique Vicariatus Comitatus Niſſæni traditur, Thomæ vero Principi Eperodiæ, ſeu Jureæ & Biellenſis provinciæ. Chriſtina maneat tutrix ſui filii Caroli Emmanuelis, & Gu-

& Gubernatrix provinciarum. Thomas ex ſocio Hiſpanorum factus hoſtis, ex hoſte Gallorum eorum Ductor.

Thomas, quem dixi, magni Principis Eugenii avus, novam Domus Sabaudicæ lineam fundavit, quam *Carignanam* appellant, & per nuptias cum Maria Borbonica ex Domo Condæa, ultimi comitis Sueſſionenſis filia & hærede, Sueſſionis comitatum adeptus eſt. Unde duplex dein linea eſt orta, *Carignana*, & *Sueſſionenſis*, quæ tamen poſterior in Principe Eugenio, ejusque nepote & pronepote fuit extincta.

Lis de Caſtro. Anno 1643 poſt diuturnas de Ducatu *Caſtro* contentiones, quæ in bellum exarſerunt, ſancita eſt pax inter Urbanum VIII ſummum Pontificem & Ducem Parmenſem. Ducatum hunc Paulus III Petro Aloyſio Farneſio cum Parma & Placentia clientelari jure poſſidendum dederat. Odoardus I eundem Monti Pietatis Romano oppignoraverat; cumque creditum non reſtitueretur, Urbanus VIII eundem ad ſe traxit. Verum, cum & Veneti, & Dux Florentiæ, ac Mutinæ Parmenſi aſſiſterent, Urbanus Papa anno 1643 ea, quam dixi, pacificatione eundem reſtituit; ſub onere tamen homagii, præſtandi Pontifici. Anno 1649 iterum in Pontificis manus recidit, Caſtrumque urbs diruta, & Epiſcopatus Aculam (*Aquapendente*) translatus, poſtquam Epiſcopus, Caſtrum deſtinatus, in itinere fuit interfectus. Anno 1650 Ducatus Caſtri cum dominio Romanæ Eccleſiæ directo fuit conſolidatus. Agebatur quidem anno 1664 de Ducatu reſtituendo Parmenſi Duci, ſed Camera Apoſtolica in poſſeſſione manſit; quamvis etiam hoc ſæculo lis rurſus fuerit mota, donec Cæſar anno 1738 prætenſionis perſecutioni renuntiavit.

Anno 1648 continuato bello Inſubrico, Galli cum Mutinenſi Cremonam oppugnarunt, ſed conatu irrito; Hiſpanis in ſubſidium accurrentibus.

§. 2.

Seditio Neapolitana. Captivitas Guiſii. Amiſſa Candia. Seditio Meſſinenſis. Caſſini ſyſtema de cometis. Victoriæ Venetorum de Turcis. Pax Taurinenſis, Carlovicenſis. Cœptum bellum ob ſucceſſionem Hiſpanicam.

Seditio Neapol. *Seditio Neapolitana* priori anno cœpta, hoc anno eſt continuata. Novi vectigalis impoſitio plebem in rabiem egit, cui ducem ſe præbuit Aniellus quidam, ultimæ fæcis homo. Auditæ voces infru-

infrunitæ per urbem difcurrentium : DEUS confervet Regem, malos autem Præfectos auferat Diabolus. 60 Palatia dicuntur in cineres redacta. Arcofius Prorex immittit militem in furentes; plateæ fanguine natant. Inter alios cadit Aniellus.

Guifius, qui tunc Romæ verfabatur in caufa fui matrimonii diffolvendi, audita feditione, occultis nuntiis fuadet populo, ut Rempublicam formet, & protectionem Galliarum Regis imploret: pro fe autem non aliam auctoritatem in nova Republica Guifius petiit, ac Princeps Auriacus in unitis Belgii provinciis obtineret. Non abnuit populus.

Quare Guifius Neapolin abiit, in turbido, quod ajunt, pifcaturus. At fimul Joannes Auftriacus urbem fubiit cum copiis, quæ Guifii fata. una manu facem, altera nudatum enfem geftabant, fimulque ex arce in urbem fulminatum. Cives correptis armis in plateis dimicabant. Nobiles vero, adverfus plebem irritati, cibaria, ne in urbem deveherentur, interclufere. Summa erat rerum penuria, & extrena calamitas. Guifius in urbe receptus, velut tutelaris genius, atque civium Præfectus proclamatus. Verum, cum Gallia tarde & parce militem & argentum fubmitteret, defenfioni impar, ab Hifpanis captus in Hifpaniam abductus eft, de capite jam follicitus, cui coronam propediem imponendam crediderat.

Quatuor annis detentus in Hifpania, ad preces Lotharingiæ Ducis libertati eft reftitutus: feditio vero, adveniente novo Pro-Rege fopita, confirmatis Neapolitanorum privilegiis.

Infigni interea virtute Veneti bellum adverfum Turcas profequebantur, relatis non paucis de iis navalibus victoriis. Eminere inter illas videtur, quam intra ipfas Dardanellas anno 1655 reportarunt, & anno 1657 ad Chium.

Continuato autem in Italia Gallos inter & Hifpanos bello, Dux Mutinæ Valentiam ad Padum Hifpanis anno 1656 eripuit. Quo Principi Thomæ, qui Galliæ copiis præfuerat, Taurini mortuo, fuccefferunt filii, Emmanuel, & Eugenius Mauritius, Magni Eugenii pater, & ille quidem natu major Carignanam lineam propagavit, hic vero Sueffionenfem.

In annum 1662 inciderunt diffidia inter Alex. VII Pontificem & Lud. XIV propter violatum a Corfis Romæ præfidiariis Crequium, Oratorem Galliæ, quas in Gallicis perftrinxi.

Creta amissa. Anno 1669 Veneti amiserunt *Candiam* post 24 annorum bellum, cum Turcis gestum. Victores initio Veneti, in Hellespontum usque, Dardanellas, & Propontidem victorias suas protenderunt. Denique, cum Christiani Principes, inter se bellis collisi, subsidia non mitterent (præter 6000 Gallorum) numero victi, non virtute, nobilissimam Insulam amiserunt, *Suda* & *Spinalonga* exceptis, quæ primum anno 1715 perierunt.

Anno 1672 Sabaudiæ inter Ducem & Rempublicam Genuensem pace inita, finitum est bellum, quod propter finium controversias erat exortum.

Seditio Messana. Secuta est vehemens *seditio Messinensis*; cum enim Gubernatores severius, accisis senatorum privilegiis, imperare viderentur, civitas tota arma corripuit, accitis etiam ex Gallia copiis: Gubernator beneficii loco habere debuit, quod fugere licuerit. Commissum subin Gallos inter & Hispanos, ex Catalaunia advectos, navale prælium, quo isti in fugam acti sunt.

Exspectatione eventus suspensæ hærebant aliæ civitates Siciliæ. Gallica præsidia Messinæ sunt recepta; quæ tamen ita in ea versabantur, ut cives aversarentur defensores suos. Fames premebat, Hispanis commeatum intercludentibus. Reversuri ad pristinum Dominum vindicem seditionis formidabant. Integræ classes adversæ in aquis Siculis depugnabant.

Tandem vero anno 1678, ubi Gallia vidit, hanc expeditionem plus impensarum, quam emolumenti & spei afferre, Fevilladæ mandavit, ut deserta Messina Gallos in patriam reducat. Ille, simulata expeditione magni in rem momenti, Gallos omnes, etiam ægros, navibus imposuit, & cum paulum a littore remota fuisset classis, per litteras civitati denuntiat, se in Galliam rediturum. Tum vero Messinenses, protensis manibus & elatis clamoribus, rogitabant, ne se desertum, & Hispanorum iræ expositum iret. Sed aliud facere non poterat, nisi, quod aliquot centenos in naves reciperet, reliquis suo fato relictis. Hispani in urbem recepti, auctoribus seditionis, qui supererant, plexis, reliquis veniam dederunt.

Cometa. Anno 1680 mense Decembri apparuit cometa, tanta magnitudine, qualem vix unquam videre fuit. Qua occasione *Cassinus* Italus, Astronomus clarissimus, proposuit suum systema de regulari periodico reditu cometarum, ac proin docuit, prædici posse eum recursum, sicut eclypses solis aut lunæ, vel alia astrorum phænomena. Quæ sententia, si esset vera, dissolveret plures de

come

cometis dubitationes, eximeretque rudibus vanam persuasionem, a cometis mali quidpiam portendi.

Anno 1683 cum Vienna depulsus esset Turca, fœdus est contractum Cæsarem inter, Polonum, & Venetos; & illi quidem in Hungaria, atque ad Boristenem insignes ei clades intulerunt, Veneti vero varias Insulas & loca maritima sunt adepti, prout etiam anno 1686 ad Nauplias insignem victoriam. Præmium fuit Peloponesus, tota propemodum expugnata, & anno sequenti Athenæ. Anno vero 1689 Turcæ navali pugna rursus victi. Certe insignis hæc fuit Reipublicæ gloria, quod sola suis viribus hostem tam potentem toties profligarit, singulis annis novis victoriis & possessionibus aucta. Victoriæ de Turcis.

Non tam felix Dux Sabaudiæ fuit, qui anno 1690 accedens magno fœderi, Catinatum passus, Susam, ac postea alias quoque urbes amisit. Anno vero 1692 Dux vices redditurus, in Galliam irrumpens, Ebrodunum in Delphinatu cepit, aliaque loca, contributione indicta.

Anno 1693 horrendus adeo terræ motus Siciliam concussit, ut Catanam, & Siracusas, cum octo aliis urbibus, 140 arces, & oppida vastaret, sepulta sub ruinis magna hominum multitudine.

Eodem anno Catinatus ad Pinarolium Ducem Sabaudiæ, grandi illata strage, profligat. Tandem vero anno 1696 primus ex fœderatis Victor Amadeus cum Gallia pacem Taurini clam composuit. Renuntiat fœderi, quo Cæsari ac sociis aliis fuerat illigatus, omnemque operam junget pro *neutralitate* Italiæ, usque ad pacem universalem. Rex Duci restituet Pinarolium, Perusam, Monmelianum, Nicæam, Villefrancam, Susam &c. nec pacem aut inducias panget cum Imperatore & Hispano, in quibus Dux non esset comprehensus. Ad hæc matrimonium inter Ducem Burgundiæ & Adelhaidem Ducis filiam decernitur. Ejus legatos Rex excipiet eo honore, qui defertur legatis coronatorum capitum. Dux edicto vetabit incolis vallium Lucernensium seu Valdensibus omnem communicationem in iis, quæ religionem concernant, cum Gallis. Pax Taurinensis.

Gloriosa non minus quam utilis hæc pax Duci fuit, quia plus recepit, quam amisit. Sed Rex hoc voluit hamo Ducem a magno fœdere abstractum ad se trahere. Non placuit autem Fœderatis initio, ut Italia inter belligerantes esset media. Verum cum Catenatus Valentiam obsideret, consenserunt, facilioresque deinceps aures paci universali præbuerunt.

Venetorum Victoriæ.

Veneti his annis ad Chium Infulam femel victi, bis victores: ad Androfiam Infulam pari Marte pugnantes, præclara fortitudinis exempla præbuerunt, prout etiam anno 1697, dum intra Lemnum & Tenedum Turcas aggreffores ftrenue repulerunt, rurfusque ad Mytelenem, 4000 barbarorum cæfis.

Pax Carlovicenfis.

Tandem vero anno 1699 Turca, ficut cum Cæfare, Polonis, & Mofcis, fic etiam cum Venetis *Carlovicenfem* pacem iniit. Relicta Venetis *Peloponefus* feu *Morea*, magnum quidem de fe, fed in comparatione tot victoriarum exile præmium. Verum ne Turcam foli fuftinerent, pax componenda fuit, poftquam inter legatos ardens contentio negotium vix non abrupiffet.

Bellum Italicum.

Inchoato anno 1700 bello ob fucceffionem Hifpanicam graviffimo Imperatorem inter & Regem Franciæ, Refpublica Venetorum Cardinali Eftræo declaravit, fe medias inter utrumque partes retenturam. Cum autem dein acceffum Germanicis copiis per terras fuas concederet, illæque, ut in exercitu militari amat contingere, non omnino innocue femper incederent, & quandoque etiam hofte refiftente, diutius fubfifterent, Veneti de utraque parte quefti funt, & pars utraque de Venetis, acfi parti adverfæ faverent magis.

Contentio de Venetis.

Gallo-Hifpani, antequam Eugenius Princeps cum copiis Germanis advenire poffet, verfus *Mantuam* progreffi, Duci fignificarunt per Comitem Teffæum, qui ante adventum Catenati exercitum gubernabat, neceffe omnino effe, ut duo Reges Imperialem militem præveniant, & Mantuæ cuftodiendæ præfidium imponant. Confultius facturum Ducem, ut protinus illud recipiat, ftatusque fuos inevitabili ruinæ fubtrahat. In eandem fententiam fcripfit Valdemontius Princeps, Mediolanenfis Gubernator.

Et Mantuano.

Dux, re in fenatu fuo deliberata, portas aperiendas cenfuit. Confilium tunc vifum neceffarium, fed in fine Domui Gonzaganæ exitiale; quippe Cæfar illud in eam partem interpretabatur, quod Dux cum duabus coronis colluderet. Eugenius vero Princeps Carpenfi victoria felix bello initium dedit, profpero deinceps fucceffu continuato.

Pontificum cura circa doctrinam Moralem.

Romani interea Pontifices, dum fæculares Principes de conquirendis regnis terrenis, & amplificandis provinciis, inter fe certant, de Regno, cujus non erit finis, comparando propagandoque per urbem follicíti, curas fuas in id intenderunt, ut Paftoralem,

ralem, a Chriſto ſibi commiſſam, vigilantiam in omnem partem exporrigant, animasque immortales regno cœleſti inſerant.

Quas ſummi Sacrorum Antiſtites hanc in rem conſtitutiones ediderint, quæque geſſerint, poſtea equidem ceu coronidem operis recenſebimus, juvat tamen hic de Propoſitionibus quibusdam laxis & exerrantibus, hoc ſæculo XVII ab iisdem damnatis, aliqua interſerere.

Hoc quippe ſæculo potiſſimum ingenia quædam incauta, ſibique ipſis nimium confiſa, atque per inſignem audaciam altius, quam par erat, provecta, in ſcopulos impegerunt, eamque, quæ de moribus eſt, doctrinam ſphalmatis ſuis infecerunt: quapropter ſummi Pontifices muneris ſui Paſtoralis eſſe duxerunt, ut laxitatem iſtam & ſentiendi libidinem coercerent, atque concreditum ſibi gregem a noxiis paſcuis averterent.

Quia autem alii nervum nimium intenderant, atque rigore ſuo indiſcreto in alteram partem, a ſemita recta declinantes, impegerant, Pontifices horum quoque zelum quidem, ſed non ſecundum ſcientiam, reprobarunt, ſapientiſſime judicantes ex Verbi Divini & Patrum regula, certos eſſe fines, quos ultro citroque nequeat rectum conſiſtere.



CAPUT II.

STATUS HISPANIÆ SÆCULO XVII.

ARTICULUS I.

Status Hiſpaniæ ſub Philippo III.

Amplitudo Monarchiæ, opes, vires. Cruenta Oſtendæ expugnatio. Induciæ cum Hollandis. Bellum Monferratenſe, Rhœticum, Rhenanum &c.

110. *Foreſti.* Magno illo & quieto orbis motore Philippo II fatis defuncto, filius ejus Philippus III multo ampliſſimam poſt hominum memoriam, atque in omnes terræ partes exporrectam, hæreditatem adiit. Quippe in Europa nactus eſt Hiſpaniam, in duodecim regna diffuſam, 140 urbes, 30000 oppida, 11 Archiepiſcopatus, 55 Epiſcopatus, 25000 parœcias, 120000 Eccleſias, 12800 Monaſteria, 16 ſacræ Inquiſitionis tribunalia, 32 Academias, 4000 inferiores Scholas, 9 Equitum ordines, 900 Commendas, complectentia.

Hæreditatis amplitudo.

In Europa.

Ad hæc in Italia regnum triplex, Siculum videlicet, Neapolitanum, & Sardicum, Ducatum Mediolanenſem, munimenta complura in Tyrrheno mari, quos *Status Præſidii* appellant, cum Balearibus Inſulis, atque cum Burgundia. In Germania Inferiore decem Belgii provincias, cum jure in ſeptem reliquas, quæ Batavis fœderatis necdum ceſſæ fuerant: Regnum denique Luſitaniæ, in omnes pariter quatuor orbis partes extenſum, a Philippo II immenſis incrementis adjectum.

In

In Asia Insulas Philippinas, Malacam, Goam, Diunum, Ormuzium, cum pluribus Insulis, Provinciis, urbibus. Asia.

In Africa Oranum, Portum Magnum, Septam, Melillam, Tingim, Veliam Rupem, Loandam, cum aliis Angolæ urbibus, Sofalam, Quiloam, Monbaciam, Insulas Fortunatas, nempe Canariæ, Teneriffæ, Ferri, Fortenventuræ, Gratiosæ, Palmæ, Maderæ, Roceæ, Gomeræ, Alegranzæ, Lancelotæ: decem Insulas Hesperides, magnam Insulam S. Laurentii (quam Madagascar appellant) cum aliis pluribus. Africa.

Nusquam vero in majorem amplitudinem Hispana Manarchia, prout ea Philippo III fuit relicta, se dilatat, quam in America, ubi Regnum Mexicanum, Peruanum, Quittense, Chilense, Paraquariam, Brasiliam, Terram Firmam, cum Insulis Hispaniola, Cuba, Jamaica, Porto Ricco &c. pluresque alias amplas provincias accepit; ut adeo hæreditas illa multo major censeatur, quam vastum Turcarum, aut Romanorum olim Imperium. America.

Ingentes præterea auri argentique opes ex America, & Peruvia potissimum, in Europam advehuntur, primum quidem Panamam, dein Portum Bellum, ubi aureæ quot annis instituuntur nundinæ, mercesque emptæ Havanam, principem Cubæ civitatem, ubi naves Americanæ congregantur, solent avehi, Gades inde transportandæ.

Quamvis autem tam vasta fuerit Hispanicarum ditionum amplitudo, tamque immensæ ex novo orbe asportatæ opes, non tamen iis respondit militaris potentia; multumque præstiterit Rex, si quinquaginta suorum millia in aciem possit educere: expulsis quippe multitudine ingenti Mauris, plurimis continuo ferme bello absumptis, coloniis magno numero in Americam abductis, accedente sicco regionis calore, exhausta non parum fuit populis Hispania. Vires.

Neque incolæ in tanta advenientis auri argentique copia abundant divitiis, cum laboris fugitantes nec agriculturam, nec commercia multum exerceant, sed Anglis, Batavis, Gallis, & Borealibus Nationibus hæc ferme relinquant, contenti aurum Americanum mercesque Gades advehere; unde potissima lucri pars ex mercatura juxta conventiones initas ad exteras gentes delabitur. Opes.

Quamvis vero in Regium ærarium haud parum inde importetur, in longinquas tamen provincias, bellis ferme assiduis depastas,

paſtas, plurimum inferendum fuit, adeo quidem, ut vel ſolum bellum Belgicum multos auri milliones abſumpſerit.

Regnum, prout eſt Francia, provinciis ſuis cohærens, & nervis oſſibusque una compage nexuque valide conjunctum, facile ſe tuetur, vicinisque ſui formidinem ingerit; at vero, ubi membra ingentibus terrarum ſpatiis ſunt abſtracta, nec amplius vivido illo Caroli V aut Philippi II ſpiritu animantur, mirum non eſt, ingens etiam corpus molem ſuam ægrius ciere, atque a potentibus vicinis mutilari.

Experti hoc ſunt Philippus IV & Carolus II; nam Philippus III, quamvis in Belgio, Rhœtia, Italia, India, bello appetitus, ſatis adhuc ſtrenue ampliſſimam hæreditatem ſuam defendebat. Albertus Archidux, licet anno 1600 a Mauritio Batavo prælio ad Neoportum victus, *Oſtendam* nihilominus anno ſequenti oppugnare cœpit. Vix ulla unquam urbs tanto impendio ſtetit. In quartum annum producta vehemens oppugnatio. Cæſo Friderico Spinola, Hiſpanæ claſſis Præfecto, dum auxilia Batavorum arcere nititur, Ambroſius ejus frater, ſummus Imperator, pertinaciam hoſtium tandem fregit. At acervum lapidum, lignorum, & cadaverum invenit. In urbe 73000, extra illam vero 80000 hoc oppugnationis tempore cæſa feruntur.

Oſtenda.

Batavi interea, ut Hiſpanos ab obſidione Oſtendana abſtraherent, Graviam ad Moſam, & Sluſam occuparunt, Spinola vero poſt Oſtendam Grollam & Rheinbergam.

Agebatur tum equidem de pace cum Batavis, ſed quia hi poſtulabant, ut Rex cum iis libera velut Republica tractaret, neque a navigationibus, quod Rex petebat, tam florentibus rebus ſuis, abſtinere vellent, tranſigi nil poterat. Poſtquam tamen Malacenſem in India obſidionem ſolvere a paucis Luſitanis coacti ſunt, duodecim annorum inducias cum Hiſpanis pepigere. (anno 1609). Quo medio tempore Batavi ſtrenue in rem ſuam ſunt uſi, atque navigationes in omnem orbem & commercia in immenſum auxerunt.

Induciæ.

Ut vero Hiſpanus in futurum etiam Belgii provinciis caveret, cum Rege Angliæ fœdus iniit, ne Batavis deinceps aſſiſtat, & cum Francia gemino connubio amicitiam firmavit, data Ludovico XIII Anna Maria filia ſua, natu maxima; Philippo vero filio ſuo Iſabella Ludovici Regis ſorore deſponſa. (1615)

Nuptiæ.

Hac parte conſtituta quiete, turbæ novæ exſtiterunt, defuncto Franciſco IV Mantuæ Duce, nulla relicta prole maſcula: qua-

quapropter ejusdem frater Ferdinandus, ante Cardinalis, successit. Sed litem ei movit Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ, qui Ducatum *Monferratensem*, quem aliis etiam titulis sibi vendicabat, ad Mariam neptem suam, demortui Francisci Ducis filiam pertinere contendebat. Bellum Monferratense.

Philippus Rex, cum ageretur de feudo Imperii, eam caussam ad consilium Cæsaris aulicum remittebat: at Sabaudus, tanti Regis potentiam non veritus, sed gladio utilius dirimendam ratus, vi armata ditionem Monferratensem invasit; quapropter Toletus Mediolani Gubernator, jussu Regis, arma opposuit, captis etiam Vercellis. Restitutis dein, quæ utrinque fuerant ablata, Mantuanus mansit in possessione.

Extincto hoc in Italia incendio, in Rhoetia flamma erupit. Auctores Calvinistæ, sanguinolentum hominum genus, qui, Episcopo Curiensi expulso, Archipresbyterum ad tribunal suum tractum ea crudelitate in equuleo torquebant, ut spiritum vitamque illi eliderent.

Grisones Catholici, cum pauciores essent, quam ut Calvinistarum multitudini possent resistere, atque has aliasque injurias vindicare, ad Regem Catholicum conversi opem implorant. Is rei Catholicæ defensor acerrimus, misso cum copiis in Grisoniam Feria, Mediolani Prætore, cum Catholicis se conjunxit, atque multis Calvinistarum cæsis, Vallem Telinam occupavit, erectis munitis arcibus, Hispanicoque præsidio firmatis. Et Rhoeticum In Valle Telina.

Displicuit ea res Helvetis & Venetis (prout apud vicinas gentes amat contingere, quodcunque vicini incrementum iniquius ferentes) imo & Gallis, tam arctis licet nexibus Hispaniæ adstrictis; nolebant enim tam opportunum e Germania in Italiam transitum Hispanorum potestati relinquere.

Ne autem eam ob rem, non maximam, grave bellum exardesceret, Vallis Telina in fidem Gregorii XV summi Pontificis fuit deposita: qui, misso Marchione Bagnino, eam provinciam tamdiu custodiri voluit, donec causa Romæ amice foret composita.

Verum cum Bagnius Hispanis Proceribus familiarius uteretur, in eosque videretur propensior, Estreus, Christianissimi Regis apud Helvetos Orator, exuta toga, sagum induit, junctusque Sabaudo & Venetis, bimestri spatio Vallem Telinam Hispanis eripuit. Contemptum se interpretatus Urbanus Pontifex; misso in Galliam & Hispaniam nepote suo Cardinale Barbarino, pacem Pax. *Brac.*

composuit, his articulis: ut Vallis Telina restituatur Ministris Pontificis, qui securitati Religionis providerent: Municiones, recens exstructæ, diruantur, transitu Regi utrique libero: conservatores, a Teliniis electos, Rhœti confirment: Comitatus Wormsiensis & Clavennæ sub Valle Telinia comprehendantur; atque inde præsidia utriusque partis abducantur. Telinii certam pecuniæ summam Grisonibus pendant, in recognitionem veteris clientelæ: idque ut diligenter observetur, ambo Reges Telinios in tutelam suscipiant.

In Africam Philippus classem misit, ut in Tessano regno Principi adversus fratrem assistat; unde Larachium, opportunum Hispanis munimentum, in præmium accepit.

Spinola ad Rhenum.

Per Ambrosium *Spinolam* vero, expugnato Juliaco partes Ducis Neoburgici adversus Brandeburgum & Batavos valide protexit. Tum vero misso exercitu in Palatinatum Inferiorem sententiam Cæsaris in Fridericum Palatinum per eundem Spinolam est executus.

Allata proin externis ope, atque Monarchia sua bene defensa, Philippus III obiit pientissime, prout vixit, anno 1621 30 Martii, regni 22, ætatis 43, longiori vita multo dignissimus. Quippe Princeps erat singulari integritate, castimonia, pietate, fide, justitia, cæterisque virtutibus, quæ magnum Regem comprimis decent, exornantque.

Religione nihil habuit antiquius. Unde factum, ut Ferdinandi Catholici, abavi sui, exemplo omnes Mauros ex Hispania pelleret. Hi magno numero baptismum quidem Christiano ritu susceperant, & externo cultu Christianos se simulabant, sed corde Mahometem nunquam serio excluserant; quin Mahometanos in Africa, Turcasque, &, uti ferebatur, Gallos etiam Anglosque clam incitabant, ut Hispaniam invadant. Qua proditione detecta, Philippus Rex omnes exulare jussit. Millio ferme hujus fœcis emigrasse dicitur: magna quidem ærarii, & frequentiæ, in regno non adeo populoso, jactura, sed majori Religionis puritate, & securitatis publicæ incremento.

Mauri pulsi.

Filios ex Margaretha Caroli Archiducis filia, reliquit tres: Philippum IV, qui in Regno successit, Carolum anno 1632 demortuum, & Ferdinandum, qui Archiepiscopatu Toletano, & Cardinalis dignitate jam ornatus, victoriæ Nördlingensis pars magna fuit, ad capessendam Belgii Præfecturam inde profectus; Filias autem

autem duas, Annam Mariam, Ludovico XIII Franciæ Regi nuptam, & Mariam Annam, Ferdinandi III Cæsaris conjugem.

ARTICULUS II.

Status Hispaniæ sub Philippo IV.

§. I.

Tragici Ministrorum casus. Bellum Mantuanum. Trevirensis captus. Bellum Catalaunense, Italicum, Belgicum. Defectio Lusitaniæ, seditio Neapol. &c.

Sexto decimo ætatis anno Regimen tot provinciarum auspicatus, aulæ Ministros, Regum gratia & potentia sua abusos, ad pœnam vocavit: *Ossunæ Ducem*, & Rodericum *Calderonium*: illum quidem, quod Prorex Siciliæ feroci severitate res Neapolitanas in discrimen adduxisset, carceri mancipatum, ut per otium animi impetus frangat: hunc vero, a Philippo III ex humili fortuna ad summam dignitatem evectum, atque gemini homicidii postulatum, sive veris criminibus, sive invidia laboraret, securi percussum. Calderonius. Ministri puniti.

Accessit tertius, Dux *Lermæus*, qui ipsum Regem Philippum III regere videbatur, ex aula is pulsus, purpuræ, quam ad sui tutelam a Pontifice petierat, debuit, ne acerbius in eum animadverteretur. In ejus locum assumptus Casparus Guzmannus Comes *Olivarius*.

Eo Ministro felicia erant Philippi IV initia; nam in Africa ad Mamoram fluvium valido monumento erecto, Marochii Regem illius obsidionem solvere coëgit: cum autem classis, eo transmissa, rediret, triginta tres naves Batavicas, mercibus onustas, finito jam induciarum tempore, in freto Gaditano aut demersit, aut suæ potestatis fecit. Nec minus secundam se fortuna præbuit, dum Batavi Molucis Insulis Hispanorum & Lusitanorum armis depulsi sunt; & in Brasilia Portu omnium sanctorum: prout etiam, cum Spinola in Belgio Bredam, a Batavis abreptam, magno licet impendio ad Regem reduxit. Olivarius. Felix.

Ad

At reliqua Philippi tempora minus, quam prima, erant prospera. Primæ ruinæ ab elementis; nam Iberus 1625 tantopere se effudit, ut Cæsaraugustam, reliquamque Arragoniam pene demergeret. Nec minus damni Formesius amnis Salmanticæ in Legionis regno intulit.

Versio fortunæ. In Calabria & Apulia terræ motus continuis septem diebus urbes & oppida vehementer concusserant. Accessit insolitus Vesuvii furor, qui ignitas undas aliamque pestem tanto impetu evomuit, ut Nolam civitatem, Amalphitanam, aliasque confines regiones obrueret: eo tamen emolumento, ut, dum corpora sterneret, animas erigeret.

Sed multo plus cladis ab hominibus acceptum, bellis videlicet assiduis, & provinciarum defectione. Et bellum quidem Italicum, præter sumptus, minus damni attulit. Ortum illud est rursus propter Ducatum Mantuanum, & Montisferratensem.

Bellum Mantuanum. Quippe defuncto 1627 Vincentio II Carolus Gonzaga, Dux Nivernensis (cujus pater ducta Nivernensi in Galliam domicilium transtulerat) ope Gallorum utrumque Ducatum, ceu proximus agnatus, occupavit. Quia autem solitam inaugurationem in hæc Imperii feuda a Cæsare non acceperat, neque ditiones in manus ejusdem deponere volebat, Imperator cum Hispano se opponebat. Adhæc tres alii erant competitores, Dux Guastallæ, Margaritha, Lotharingiæ Ducis vidua, Vincentii defuncti soror, Dux Sabaudiæ, qui Ducatum Montisferrati rursus postulabat, junctis cum Cæsare & Hispano armis. (1628.)

Itaque Consalvus Corduba, Mediolani Gubernator, cum Sabaudo Montisferratum invadit: captisque reliquis locis Casalim oppugnavit, sed irrito conatu.

Anno sequenti (1629) Ludovicus XIII domita Rupella in Sabaudiam & Pedemontium irruens, ad pacem Ducem adegit. Cæsar autem, Colalto, Aldringero, & Gallasso ducibus, exercitum, ad Lindaviam lustratum, per Rhœtiam in Italiam misit, totumque agrum Mantuanum (urbe principe excepta) occupavit: Spinola, quem amoto Cordubæ Rex Philippus in Præfectura Mediolanensi surrogarat, Casalim interea rursus incassum tentante (anno 1629)

Pax. Proximo dein anno Astu expugnata a Cæsareis Mantua, Casalis vero strenue defensa a Torasio, Ambrosio Spinolæ, summo illi Duci, tædium & mortem attulit. Cum autem propinqui jam adeo essent adversi exercitus, ut res prælium spectare videretur, itum,

Pon-

Pontifice per Mazzarinum annitente, in pacis leges: Nivernensis veniam a Cæsare precatus, ditionem Mantuanam & Montisferratensem reciperet: Sabaudo redderentur sua, deductis inde Gallicis præsidiis: pars nulla alterius hostibus, aut perduellibus assistat: Rhœtiæ claustra in pristinum statum reponantur.

Quamvis autem hæc pax in Comitiis Ratisbonensibus fuerit consummata ac confirmata; non amplius tamen quinquennio tenuit; siquidem anno 1635 magno rei Catholicæ malo erupit bellum Gallo-Hispanicum: cujus gentis culpa, DEUS novit, altera odium in alteram rejiciente. Proxima Gallis causa, Elector Trevirensis socius, alieno sane tempore, dum Sueci ac Protestantes Germaniam cladibus miscebant, a Ferdinando Cardinale Hispano in custodiam abreptus. Trevirensis captus.

Missi illico in Belgium Franci, Castillionæo & Berzæo ductoribus: quorum conjunctionem cum Batavis dum Princeps Thomas Sabaudus, a Gallis ad Hispanos transgressus, impedire nititur, ad *Aveinum* magna clade affectus est, 4000 Hispanorum cæsis, 500 captis, tormentis, signis, bellico apparatu plurimo, amissis. At Batavus, premente jam tum Gallici nominis invidia, florentissimum exercitum, sibi junctum, fame & miseriis perdidit. Initia belli Hispano-Gallici in Belgio.

Anno sequenti Ferdinandus Cardinalis Belgarum Gubernator, intercepta Ciapella, Castelleto & Corbeja, totam pene Picardiam subruit, sparso Lutetiam usque per Joannem Werthium metu.

Condæus, collecto apud Narbonam exercitu, in Catalauniam movit, ubi jacta jam erant seditionis semina. Sed necdum ad eam maturitatem pervenerant, ut Galli fructum inde possent metere.

Flagrabat tum in Italia bellum Sabaudicum, ea maxime causa, quod Victor Amadeus I tutelam filiorum suorum ad conjugem suam Christinam, Ludovici XIII sororem, detulerit, præteritis fratribus suis, Mauritio Cardinale, & Thoma Principe Carignano, qui ad se, ceu proximos agnatos, curam Caroli Emmanuelis nepotis, exclusa testamentaria tutela, pertinere arbitrabantur. Ventum ad arma: Principum causam Hispanus, viduæ sororis Gallus juvabat. Gubernator Mediolani Leganesius in Pedemontio plures urbes intercepit, Thomas Princeps Juream, Nicæam, & ipsum Taurinum, faventibus oppidanis, pyloclastro reclusum. (1638) In Italia ob tutelam.

At Rex Franciæ cum valido exercitu in Italiam misit Harcourium, qui Gubernatorem Mediolanensem, *Casalim* obsidentem, magna clade profligavit, omni castrensi apparatu exutum: Pugna ad Casalim.

Taurinum captum. cæſis dein aliquoties Hiſpanis, atque *Taurino* expugnato, ſolenni pompa reductam viduam tutricem conſtituit, eadem fortuna Caſtilioneus Attrebatum, principem Arteſiæ urbem Francis adjecit. (1639)

Belgium. Batavi quoque, quamvis aliquoties victi, magna tamen damna Hiſpanis intulerunt, claſſe intercepta, Fernambuco in Braſilia, Sylva Ducis, Arce Schenckia, Trajecto ad Moſam, Breda, quam Spinola tantis impendiis reduxerat, in Belgio occupatis.

Cataloniæ & Luſitani defectio. Sed longe funeſtiſſimus Hiſpaniæ fuit annus 1640, quo domeſticis ſciſſa diſſidiis, dimidium velut ſui amiſit, *Catalaunia* & *Luſitania* abſtractis. Catalauni tributorum magnitudinem, militum contubernia, privilegia violata, ſurdam ad clamores ſuos Aulam querebantur. Correptis proin armis totam provinciam tumultu complent. Regia præſidia expulſa, Prorex interemptus, Proceres alii regiarum partium aut necati, aut bonis exuti in exilium ejecti; ærarium quoque Regium direptum; imploratus Rex Franciæ, ejus filius, Dux Andegavenſis, trimus tunc infans electus Princeps: recepta Barcino totaque provincia in fidem ac patrocinium.

Secuta exemplum Luſitania, & quidem eodem ferme tempore in Europa, India, Africa, & Braſilia, miro conſenſu & conſpiratione, de qua nihil Hiſpanis antea innotuerat, res tota eſt acta. Olyſſipone Regium palatium, prætorianis cæſis, mox occupatum, Vaſconcellus, Miniſtrorum primus interemptus, Margaretha Sabauda, Franciſci Mantuæ Ducis vidua, quæ pro Rege Philippo Luſitaniæ Regno præerat, ad fines regni deportata, electus in Regem Joannes Dux Bragantinus. Ex tot ampliſſimis provinciis ſola Septa in Africa, quæ Hiſpanum Præfectum habebat, Hiſpanis manſit. Ut autem novum Regem Luſitani tueri poſſent, auxilia bellique apparatum prolixe a Gallis Batavisque, haud mediocriter tanta Hiſpaniæ diminutione lætis, acceperunt.

Olivarius infelix. Culpa tantæ defectionis conjiciebatur in Comitem *Olivæ*, qui regnum manu verſabat; & in *Caſtellanos Proceres*, arrogantius, quam genius ferret, in Luſitanos dominantes. Motus tum quidem loco Olivarius, Ludovico *Harao* ſubſtituto. Sed ſerum erat emplaſtrum.

Seditio Neapol. Imo necdum ruinarum ſatis: quaſi omnes gentes in Hiſpaniæ perniciem conjuraſſent; nam, profligato in Catalaunia Hiſpano exercitu, Perpiniano fame ad deditionem compulſo, compluribus in Belgio tum a Gallis, tum Batavis, urbibus abreptis, anno 1647 orta eſt *Neapolitana ſeditio* & Sicula, & hæc quidem Panormi ob panis

panis caritatem adverſus Proregem concitata, facilius ſedata eſt. Illa vero, multo graviſſima, prope erat, ut Regnum quoque Neapolitanum ab Hiſpania reſecaret.

Occaſionem dedit novum vectigal, minutis rebus, pomis & oleribus impoſitum; auctor vero erat *Aniellus* quidam, ſive Maſaniellus, infima de ſorte homo viliſſimus; audax tamen & lingua promptus, quem multitudo ſuum velut Regem conſtituit. Eo ductore ultra centum hominum millia, armis arreptis, per urbem ampliſſimam diſcurrebant, everſiſque, in quibus vectigalia exigebantur, tabernis, ac publicanorum ædibus, Proregem Magnatesque ingenti terrore complebant. Aniellus.

Archiepiſcopus cum venerabili Sacramento progreſſus quietem ab incondita multitudine rogavit, quam non alia conditione conceſſuram ferociter reſpondit, niſi confirmatis, quæ Ferdinandus Catholicus & Carolus V conceſſiſſent, privilegiis, tributa, annonæ impoſita, omnino abolerentur, gensque Neapolitana mitius more Majorum haberetur.

Prorex, ne ſe ipſum regnumque præſentiſſimo diſcrimini exponeret, prolixe omnia eſt pollicitus. Quare Maſaniellus, qui, quod ſane mirum, pro nutu verſabat multitudinem, ſevere edicit, ut quiete ac modeſte ſe gerant. Arma tamen retineri voluit, donec privilegiorum confirmatio & plena amneſtia a Rege adveniret.

Quamvis autem homo iſte inquies, ob turbatum curis & vigiliis caput, in delirium lapſus, a quatuor Nobilibus fuerat interemptus, necdum tamen tumultus conquievit, ſed plebs armata poſtulatis ſuis inſiſtebat. Contra vero Nobiles, ad quos non modica vectigalium portio defluebat, reſumpto ſpiritu, clientelas ſuas obibant, atque Proregem hortabantur, ne inſolenti plebi cederet, plura petituræ, ſi timidum & indulgentem cerneret.

Atque ita res in civile bellum abiit; plebs urbem, Prorex cum Nobilitate arcem ac portum occupabat. Cum autem populo dux deeſſet, ſubmiſſus e Gallia *Guiſius*, magno cum applauſu fuit exceptus. At ſubeunte paulatim belli tædio, obſequium erga Regem rediit. Dux Guiſius vero e fuga retractus, in manus Hiſpanorum incidit. Guiſius captus.

Rex Philippus IV vehementer equidem contendit, ut Pacis Weſtphalicæ ſocius admitteretur, ſed Gallorum artibus excluſus, inita cum Fœderatis Belgii Ordinibus transactione, liberam Rempublicam, ab Hiſpana ſubjectione manumiſſam declaravit, cum jure, libere utendi navigatione & commerciis: bellum vero cum Fran-

Francia, cui & Anglia acceſſit, proſequi coactus eſt, iniquiori tamen plerumque fortuna.

Cum igitur, poſt tantas provinciarum ſeceſſiones, inteſtinos tumultus, Miniſtrorum non optimas artes, tot undique hoſtibus, in Italia, Belgio, Catalaunia, India, Luſitania, infeſtis, imparem ſe cerneret, pacem tandem Pyrenæam anno 1659 cum Francia compoſuit, Mazarino Cardinale & Ludovico de Haro in Inſula Vidoſi amnis ad Regni utriusque confinia congreſſis. Firmari viſa eſt ea pax nuptiis Ludovici XIV cum Maria Thereſia, Philippi filia, ſed nova inde (licet paternæ hæreditati jurique in Hiſpanas ditiones renuntiarit) bellorum ſeges enaſcetur.

§. 2.

Pax Pyrenæa.

12. Poſt 24 annorum Hiſpaniam inter Galliamque atrox bellum, ſubventum tandem feſſis Europæ rebus, revocata pace, tamdiu exule. Et primum quidem, annitentibus Moguntino & Colonienſi Electoribus, ſemeſtres induciæ, poſtmodum prorogatæ, placuerant; dein vero ad ipſum pacis opus deventum.

Locus delectus eſt in Galliæ Hiſpaniæque finibus Vidoſi fluminis inſula, quæ *Phaſiana* dicebatur. Conſtructæ ibidem geminæ ædes, quas media aula committebat, ducta per medium aulæ linea, ceu termino, quo Mazarinus & Ludovicus Mendozius Comes de Haro, plena cum poteſtate Regum Legati, ſibi utrinque obvii, congrederentur.

Seſſionibus 24 capita pacis 124 condita. Prolixum nimium foret, omnia in hoc opere *in extenſo*, ut loquimur, apponere. Juvat igitur epitomen extrahere.

Amneſtia. 1 Inter Chriſtianiſſimum & Catholicum Regem, avunculum & nepotem, eorumque ſucceſſores pax eſto perpetua, atque ſincera amicitia, cum plena amneſtia, diſſidiorum radicibus ſtirpitus evulſis: ac proin etiam commercia gentem inter utramque libera ſunto.

2 Luſitania hac pace non comprehendatur, niſi ad Hiſpanum redierit: neque Gallus ulla arma aut apparatum bellicum ad eam devehat.

Nuptiæ. 3 Hiſpaniarum Regis primogenita Maria Thereſia Ludovico XIV

XIV nubat, iis pactis dotalibus, quæ ſpeciali libello ſunt contenta: inter quæ eſt renuntiatio ſucceſſionis Hiſpanicæ.

4 Regi Galliæ relinquitur in *Arteſia* Attrebatum, Lillerium, Lentium, Hesdinum, Tereona, Fanum Pauli: in *Flandria* Gravelinga, muniti aggeres, Allovinum, Burburgum: in *Hannonia* Landrecium, Quercetum: in *Luxemburgicis* Theonis villa, Mommedium, Damvillerium, Ivodium, Chavantium, Marvilla: in *Gallia* Rocrojum ſeu Rupes Regia, Caſtelletum, Lincampium: ad *Pyrenæos Montes* Ruſcinonenſis, & Confluentinus Comitatus: In *Germania* Superior & Inferior Alſatia, cum Suntgovia, Comitatu Ferretenſi, & Briſaco, prout per pacem Monaſterienſem ſunt ceſſa. **Gallus retinet.**

5 Contra vero Gallus Hiſpano reſtituit in *Belgio* Ipras, Aldenardam, Duxmudam, Furnam, Menenium, Cominæum: *In Italia* Valentiam, & Mortaram: *In Sequanis*, Juxum, Bleteranas, S. Amoris oppidum, & quidquid in Burgundiæ Comitatu occupaverat. In *Hiſpaniæ* finibus portus maritimos, Roſas, Urgellas, Comitatum Cerdanum, cum Puicerda, Belvero &c. **Reſtituit.**

6 Carolus *Lotharingiæ* Dux, nuper e captivitate dimiſſus, ab Hiſpano recipitur in gratiam, & in Ducatum ſuum reſtituitur, ſed ea lege, ut Nancei munimenta diruat, litterisque publicis conteſtetur, ſe Ducatum Claromontanum & Barrenſem, Stenæam, Jametium, Marvillam, & Mojenvicum, Galliæ Regi ultro ac merito permiſiſſe, ut in ejusdem ditionem concedant. **Lotharingus.**

7 Volebat omnino Hiſpanus, ut Ludovicus Borbonius, Princeps *Condæus*, a Gallo in gratiam receptus, ex integro reſtituatur. Sed petiit Gallus, ut prius humiliter veniam roget, & ſe ſuaque clementiæ Regis permittat. Significandum igitur Mazarino (quem ſummopere oderat) curavit, dolere ſe, quod contra Regem ſuum arma geſſerit: non malevolo in Regem animo, ſed temporum iniquitati, & perturbationi id eſſe tribuendum: victurum ſe deinceps in fideli obſequio Regis, modo delictorum veniam ſibi concedere dignetur. **Condæus.**

Sancitum igitur hoc tractatu, ut in gratiam recipiendus arma ponat, milites ſuos Sacramento ſolvat, eo modo, quo Regi Chriſtianiſſimo placuerit. Præſtitit hoc Princeps, & miſſo deprecatore, ſe & omnia ſua ejusdem clementiæ ſubjecit. Rex vero Hiſpaniæ, cautum per omnia volens Condæo, a quo in hoc bello tanta beneficia acceperat, pro plena illius indemnitate muneris aliquid obtulit. At nihil eo nomine petiit Gallus, niſi, ut Philippo

Wilhelmo, Duci Neoburgico, Juliacum reſtituatur, abducto inde Hiſpano præſidio.

Sabaudus. 8 Sabaudiæ Dux Carolus Emmanuel II hac pace fruatur. Hiſpanus ei Vercellas, & Cencium reſtituat, nec fraudi illi ſit, quod Galliæ partes fuerit amplexus. Ejus diſcordiæ cum Mantuano & Mutinæ Duce utriusque Regis opera componuntor. Alphonſo Mutinæ Duci Hiſpanus Corregium reſtituat. Rogeturque ſummus Pontifex, ut Controverſiæ circa Valles Comaclenſes, Caſtrum & Roſſilionem componantur. Monæci Principi bona ſua in Ducatu Mediolanenſi & Regno Neapolis reſtituantur.

Helveti. 9 Ne ignis, ſub cinere latens, Helvetos inter Catholicos & Proteſtantes rurſus erumpat, utriusque Regis opera concordia reſtituatur: uti etiam in Valle Telina.

Pax Vervina. 10 Omnes captivi dimittantur liberi, ſolutis tamen debitis contractis. Pax *Vervina* in omnibus obſervetur, in quibus hic ei non eſt expreſſe derogatum; &, ſi quid necdum eſſet impletum, adhuc impleatur.

11 Rex Chriſtianiſſimus pacis hujus, ſi velint accedere, participes facit, ſummum Pontificem, S. R. I. Electores & Principes, ad pacis Weſtphalicæ obſervationem ſecum obligatos, nominatim Electores, Moguntinum, Colonienſem, Heidelbergenſem, Ducem Neoburgicum, Regem Sueciæ, ceu Ducem Bremæ & Verdæ, Luneburgicos, Haſſos, Venetos, Helvetos, omnesque Reges & Principes, qui voluerint.

Rex Catholicus vero pacis communionem & conſortium offert ſummo Pontifici, Imperatori Romano, omnibus Archiducibus Auſtriis, & cunctis Regibus, Principibus, & Ordinibus, in pace Vervinenſi jam nominatis, & inſuper fœderatis Belgis, atque Guaſtallæ Regulo. *Actum* 7 *Novemb.* 1659.

Obſervatio.

13. Ad 1. *Pax eſto perpetua.* Hæc perpetuitas fuit ſex annorum.

Ad 2. *Luſitania &c.* hæc anno 1640 ab Hiſpaniæ dominatione receſſerat, electo ſibi Rege Bragantina ex ſtirpe Duce, qui Joannes IV eſt dictus. Unde Hiſpaniæ adhuc bellum erat cum Luſitanis.

Ad 3. Dum Philippus IV primogenitam ſuam dedit Ludovico, Galliæ Regi, ſecundo genitam vero Leopoldo Cæſari reliquit, videtur

detur non admodum multam rationem habuiſſe Domus ſuæ Auſtriacæ. Renuntiationem autem ejusmodi & jure invalidam eſſe, & poſteris non præjudicare, Galli dixerunt.

Ad 4. Rex Hiſpaniæ tam difficiles conditiones iniit; quia compulſus erat bello Gallico, Anglico, Luſitanico, & Italico.

Ad 5. Gallia in hoc & ſequentibus bellis tam multa occupavit, ut ſemper haberet, quod reſtitueret, & quod retineret.

Ad 6. Carolus III Lotharingiæ Dux, nec ſatis providus, nec ſatis conſtans, dum modo Hiſpanis, modo Gallis adhæſit, apud utrosque impegit: minime autem Domui ſuæ conſuluit. Contra ea autem, quæ hic de Lotharingia erant inſerta, publice eſt proteſtatus.

Ad 7. Ægre adducebatur Rex Galliæ, ut Condæum reciperet, a quo tot clades acceperat; ſed Hiſpania nec volebat, nec honeſte poterat pacem facere, eo non plene reſtituto: reconciliatio autem tanti, tantorumque ſpirituum Principis, qui inter arma ferociæ militari atque victoriis inſueverat, eſt memorabilis. Aquis Sextiis adductus ad Regem, atque in genua provolutus, demiſſo corporis ſitu, geſtu, & oratione humillime veniam eſt precatus, omnem fidem in futurum polliticus. Rex proſtratum elevans gratiæ ſecurum eſſe juſſit. Redditaque eſt ei Burgundiæ Præfectura cum omnibus ditionibus & bonis.

Ad 8. Cum anno 1637 obiiſſet Victor Amadæus I, reliquit duos pupillos ſub tutela matris Chriſtinæ, quæ erat Ludovici XIII ſoror. At vero tutelam ſibi vendicabant armis Mauritius & Thomas, pupillorum patrui. Favit illis Hiſpanus, Gallus vero ſorori & nepotibus: unde Sabaudia involuta eſt bello Hiſpano-Gallico.

Alphonſus quoque Mutinenſis ſequebatur cauſam Galliæ, imo in Italia bello præfuit, ſuorum & Gallorum adverſus Hiſpanos Ductor.

Ad 9. Inter Catholicos & Proteſtantes Helvetiæ Cantones grave bellum eruperat, cæſique prælio Villmergenſi anno 1656 a Catholicis quinque Cantonibus ſunt Proteſtantes. Pax tum quidem coaluit: ſed plena hujus, invictæ antehac, gentis concordia non rediit, nec redibit facile, donec avita fides reducta animos & vires vinculo antiquo colliget. Hinc illa Regum ſollicitudo.

Ad 10. Poſt pacem *Cameracenſem*, inter Philippum II & Henricum II anno 1559 concluſam, centum anni lapſi fuerant usque ad hanc *Pyrenæam*, anno 1659 initam. Interea vero anno 1598 inter Henricum IV & Philippum II ultimo vitæ anno ſancita fue-

rat

rat pax *Vervina*, Vernini nempe, ignobili antea Picardiæ oppido; quæ pax hic confirmatur; & cum in Vervina Cameracensis fuerit confirmata, etiam ista hic censetur confirmata.


Ad 11. Ex hoc patet, Regem Christianissimum & Catholicum pro tota quodammodo Europa pacem fecisse: & utinam ea fuisset perpetua, atque bellum in Thraciam concordibus animis & viribus conversum. Sed Christiani nominis probro, quod canit ille, bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Harosius legatus, postquam in Hispaniam redierat, magna ubique gratulatione Regisque adeo lætitia fuit exceptus, non, quod pinguem admodum pacem retulisset, cum tot urbes ditionesque amittendæ fuerint, sed quod Hispania, exhausto prope, tam diuturno, tamque gravi bello, ærario ac milite, potentissimum hostem a cervicibus removisset, ac proin, quod contra Lusitanos Anglosque supererat belli, tanto expiditius geri posset.

Missus illico a Rege Romam ad Alexandrum VII summum Pontificem legatus Poncius, quem 150 currus extra urbem exceptum deduxerunt; exultavit gaudio sanctus Pater totaque Roma, quod duos inter potentissimos Ecclesiæ filios exoptata tamdiu amicitia sit restaurata.

Obiit Philippus IV pientissime anno 1665, regni 44, ætatis 60. Ex prima conjuge Isabella, Ludovici XIII sorore, genuit Balthasarem, (qui anno 1646 obiit, ætatis 17, Mariæ Annæ Ferdinandi III Cæsaris filiæ desponsus) item Mariam Theresiam, Ludovico XIV, quod diximus, nuptam: ex secunda vero conjuge Maria Anna, Ferdinandi III Cæsaris filia, Margaretham Theresiam, Leopoldo Imperatori junctam, & Carolum II, quem successorem habuit. Natus quoque illi est Joannes ab Austria ex impari thoro, qui Belgii postea Præfecturam gessit.

Obitus Philippi IV.



ARTI-

ARTICULUS III.

Status Hiſpaniæ ſub Carolo II.

§. I.

Bellum Belgicum ob Jus Revolutionis. Pax Luſit. & Aquisgran. Nitardi fata, & Joan. Auſt. Seditio Meſſinenſis. Bellum Holland. Reunionum, Catalaunicum. Triſtis Hiſpaniæ facies. 14

Quatuor necdum annos impleverat Carolus, cum ſub tutela matris Mariæ Annæ, prout teſtamento pater Philippus caverat, Regno potitus eſt, tam imbecilli atque infirma valetudine, ut decimo ætatis anno vixdum pedes poſſet incedere: tenuitque, quoad vixit, virium debilitas, quæ ſpem longioris vitæ atque fœcunditatis pene adimeret; timore perculſa Hiſpania, & exſpectatione ſuſpenſa, quo tandem vacillans Monarchia, tam debili fulcro nixa, inclinaret. Infirmitas.

Nec ab hoſtibus externis tam teneræ & innocuæ ætati parcitum. Fervebat adhuc bellum Luſitanicum, in quod tredecim quot annis milliones ab exhauſto tot bellis ærario erat expendendum. Sed major vis hoſtilis, unde minime timebatur, incubuit. Tot cognati ſanguinis, tamque arctis affinitatis vinculis adſtricta erat Francia, ut, ſiquis impetus ex adverſo incurreret, in defenſionem inſontis pupilli accurſura crederetur. Hoſtes externi.

Sed aliud ſuaſit ratio ſtatus. Jam altero poſt mortem Regis Philippi anno (1667) grave bellum ſubito illatum Belgio, nec opinanti, nec parato. Interceptæ complures urbes, ſubacto Burgundiæ comitatu. Cauſam ac titulum bello dedit, quod pacem in ævum firmaturum credebatur, connubium Ludovici XIV cum Maria Thereſia, ex priori Philippi IV conjuge nata. Bellum. Ex jure devolutionis.

Id quippe juris aut conſuetudinis habent aliquot Belgii provinciæ, ut primi matrimonii liberi iis, qui ex ſecundo naſcuntur, hæreditatem præripiant (quod jus *Devolutionis* Belgæ appellant)

Hoc jus privatorum ad Regum quoque patrimonia extendebant Galli, Mariam Thereſiam Carolo fratri, ex ſecundis nuptiis genito, potiorem aſſerentes: renuntiationem vero, qua ſe abdicarit, Gentium ac naturæ juribus repugnantem, inanem fuiſſe & vacuam: id quod Juris communis Cæſarei legibus confirmabant.

Pax Luſitana. Gravi igitur hoc bello appetita Hiſpania, pacem cum Luſitania inire, eamque liberum Regnum, prout ante conjunctionem cum Hiſpania fuerat, recognoſcere coacta eſt, reſtitutis utrinque omnibus, quæ poſſederant, antequam coaleſcerent, Septa duntaxat (*Ceuta*) in Africa Hiſpanis relicta.

Aquisgranenſis. Cum triplex dein fœdus, Anglos inter, Suecos, & Batavos, in defenſionem Belgii cuderetur, inita fuit cum Gallis *Pax Aquisgranenſis:* qua illis relictæ ſunt urbes, quas in Belgio occupaverant, Burgundia vero Hiſpanis reſtituta. (anno 1668.)

Eodem anno Emmanuel *Mendoza* Sardiniæ Prorex, dum orta ſeditione Calaritanam urbem obambulat, plumbea glande percuſſus interiit. Evocata Neapoli claſſis ſedato tumultu, defectionem compreſſit; ſumpta de auctoribus pœna.

Tumultuatum in ipſa quoque Hiſpania, & quidem a Regni Proceribus aliquot, Joanne Auſtriaco maxime. Cauſam ſuggeſſit ambitio & invidia; dum Regina, pro filio Regni Moderatrix, uſa

Nitardus. eſt conſiliis & opera Everardi *Nitardi*, e Societate Jeſu ſacerdotis, quem a ſacris confeſſionibus habebat, atque ad ſummi Inquiſitoris dignitatem primum, inde vero ad præcipuam Regni adminiſtrationem admovit.

Joan. Auſtr. Neque propterea obſcurum jam murmur ſerpſit, ſed ad ſeditionem & tumultum res ſpectabat. Regina non ſtatim cedendum rata, *Joannem Auſtriacum*, factionis caput, ut amoveret, auro

Contin. Brietii. & milite inſtructum, ad Belgii Gubernationem denuo miſit. At ille accepta pecunia, provinciam recuſavit, atque in exilium ſuum reverſus eſt. Cum autem non deſineret diſcordiæ ſemina jacere, in carcerem conjici juſſus eſt. Verum is fuga in Arragoniam evaſit, conductisque trecentis equitibus Madritum redit, atque Nitardum ejici armatus poſtulat.

Regina, eo tumultum provectum cernens, ut timendum eſſet Galliæ exemplum; cujus Principes, Richelii, ac Mazarini potentiam non ferentes, civile bellum movebant, in Nitardi exauctorationem tandem conſenſit, non ante tamen, quam ad Romanam purpuram deſtinatum videret, a ſe dimiſit, Archiepiſcopi Edeſſeni, & Hiſpani Oratoris poſtea dignitate auctum.

Sub-

Sublato prætextu necdum quies; dum Austriacus ponere arma detrectaret, ni collata sibi Arragonii Regni Præfectura, omnia in singulis provinciis, quæ ad coronam illam olim spectabant, Vicaria Regis authoritate pleno jure administranda committerentur. Quæ postulata, quantumvis gravia & iniqua, ad fatiscentis alioquin Monarchiæ ruinam avertendam, concedi oportuit. (anno 1669.)

Præter Æthnæ & Vesuvii insolitos ructus, illataque utrique Siciliæ gravia damna, orta est eodem anno vehemens pariter seditio civitatis Messinensis, longiori jam tempore præparata. Senatus Urbanus detrectabat obsequium, totaque civitas, conspiratione inita, privilegiorum obtentu, in plenam se libertatem asserere moliebatur, juramento se obstringente populo, nulli decreto se pariturum, nisi a civitate prius esset approbatum: eoque perduellionis deventum, ut Regios Ministros, pervicaciæ obsistere ausos, velut ostracismo proscriberent, aut carceribus mancipa- rent. **Seditio Messinensis.**

Sequenti dein anno (1670) recruduit tumultus ob annonæ caritatem. Plures Senatorum & Nobilium domus & palatia a furente multitudine in cineres redactæ, quod crederent, avaro questu rem frumentariam alio diverti. Usus est ea occasione in rem suam Regius armorum Præfectus, atque plebem (quæ nuper cum senatu Urbano in seditionem conspiraverat) adversus Nobiles & Senatores fovit, pluresque eorum proscripsit. Finem tandem discordiis imposuit Principis Lignii, Siciliæ Proregis, Panormo Messinam adventus, qui larga frumenti copia advecta, exauthorato Præfecto, revocatisque, quos exulare jusserat, Nobilibus urbem ad obsequium reduxit. (1670)

Pax Aquisgranensis brevem ætatem tulit; namque Rex Galliæ anno 1672 fulminis instar Fœderatas Belgii provincias victoriis est emensus.

Hispani, pace licet indigerent, otiosi tamen spectare non poterant vicina Batavorum incendia, suis etiam tectis metuentes. **Bellum Hollandicum.**

Et quidem in Catalaunia, quo bellum pariter pervaserat, satis feliciter pugnabant Hispani, bis victo Schombergio. Et profligari omnino poterant Galli, nisi Messinensis defectio militem in Siciliam abstraxisset.

Urbs illa superioribus jam, quod diximus, annis in varias seditiones eruperat; tandem vero anno 1674 jugo Hispano omnino excusso, Franciæ Regi se subjecit. Misso is cum classe & com- meatu

meatu Vivonio duce, Messinenses suam in tutelam recepit. Sed cum cibaria carius vænirent, & Galli cum mulieribus familiarius versarentur, variis insidiis appetiti, urbem denique reliquerunt, traductis Massiliam 400 familiis, quæ veniam ab Hispanis se obtenturas desperaverant. Sed Rex Galliæ pace composita omnes in exilium misit, tota Gallia ejectas, ea vel causa vel prætextu, quod portum Massiliensem prodere molitæ essent.

In Belgio arctiores in annos singulos res Hispanorum fiebant, prædominante Gallica potentia, Burgundia, Limburgo, Cameraco, Valencenis, Gandavo, Ipris, Lovania, aliisque urbibus potita.

Et sane dignus miseratione tunc erat status Hispaniæ, jam non amplius, uti olim, potentis, opulentæ, formidandæ, & velut orbis utriusque dominæ, sed infirmæ, accisæ, & cum morbis suis luctantis.

Rex puer erat semivivus, aut potius simulacrum Regis; Aula factionibus mixta; Regina mater Regis & tutrix clavo dejecta, Toletum secessit: Joannes Austriacus gubernaculo fluctuantis hiantisque naviculæ admotus: Regis patrimonium bellis exhaustum, & creditoribus magnam partem oppignoratum. Quæ restabant vectigalia, quinquennio etiam anticipare necessum erat: Neapolis reditus, Messinæ rebellio absumebat: Mediolanum, duos olim milliones ducibus pendere solitum, totidem nunc ex Hispania repetebat, ad paucula præsidia, Togatorum & Sagatorum greges alendos. Ruscinonense & Catalaunicum bellum ex propinquo incumbebat gravius: neque ex Hispania, tot regna complectente, tantum virium colligi poterat, ut duodecim Gallorum millia Puicerda abigerentur.

Wagn.

Status Hisp.

Porro Belgium, tot hostibus expositum, nervos ipsos Monarchiæ incidebat: nec semel in senatu actum de eo deserendo, aut cum Ruscinone commutando. Visum tamen, Europæ & ipsius etiam Hispaniæ bono, immensis licet sumptibus, conservandum; prorupto etenim hoc aggere exundaturam Galliam in omnium perniciem.

Insanabilem autem tunc Hispaniæ morbum fecit, quod corpus, grande adhuc, spiritu languido animabatur. Inde tam inconstans regimen, perniciosa aulæ bella, Procerum collisiones, privatæque magis rei quam publicæ studium.

His

His caufis Hifpani, quantumvis duram, neceffariam tamen pacem ducebant, palam conteftati, a Batavorum rationibus, qui mercaturæ defiderio in pacem ultro rapiebantur, fuas fe non divifuros.

Cumque Hollandi pacem jam præcipitaffent, fecuti funt Hifpani: amiffa Burgundia, Cameracum, Valencenæ, Ipræ, Tornacum, Aria, Audomarum.

Pace Neomagenfi compofita, Carolus II Rex duxit in conjugem Mariam Aloyfiam, Philippi Ducis Aurelianenfis filiam.

Sed neque hoc vinculum colligatam diu tenuit amicitiam; fiquidem Ludovicus Rex, procufo Reunionum fyftemate, alios inter, Carolum Hifpaniæ Regem citavit, ut ratione Chinienfis comitatus homagium præftet; fecus fore, ut a Camera Metenfi privatus illo pronuntietur. Cumque citatio negligeretur, Chiniacum a Biffio eft interceptum. (1681.) **Bellum Reunionum.**

Actum tum quidem Cortracenfi in congreffu de prætenfis Ludovici juribus, fed cum conveniri non poffet, per Humerium Cortracum & Düxmudam Gallus occupavit, (1683) fequenti vero anno Luxemburgum. Gerunda autem in Hifpania, depulfis Gallis, obfidione eft liberata.

Succeffere induciæ, quæ *Vicennales* effe debuerant; fed tantum erant quinquennes; nam anno 1689 Rex Ludovicus bellum Hifpanis per fecialem indixit, quod polliceri nollent, fe nulli fore Cæfari auxilio. Infremuit Mars illico in Belgio, Infubria, Catalaunia: & in hac quidem Camredonum a Gallis expugnatum, fed a Villermofio mox receptum. Compreffa quoque Catalaunorum feditio. Barcino, quod non modo fceleris immunis, fed Regiis Miniftris effet auxilio, privilegiis aucta. (1690) ***Briet. cont.***

Anno proximo Urgella periit, cum Barcinone & Alonaglobis ignivomis vehementer conquaffatis. Cumque tot ruinæ iis vitio ferrentur, qui ad clavum rerum fedebant, fuadente Lobkovitio, Cæfaris ad Carolum Oratore, Dux *Oropefa*, præcipuus Regni Adminifter, ex aula dimiffus eft. **Oropefa.**

Nec tamen meliori curfu ferebantur res Hifpaniæ, fed armis Gallicis prævalentibus, fœderati anno 1697 ad pacem compulfi funt. Reftituta Hifpanis Barcino cum reliqua Catalaunia, & Belgii urbibus.

Cæterum mortua anno 1689 in flore ætatis Maria Aloyfia Aurelianenfi, Carolus II 1690 fibi defpondit Mariam Annam, Philip-

pi Wilhelmi Palatini Electoris filiam. Quod matrimonium, nisi fuisset sterile, gravissimis bellis & orbis revolutioni prævertisset.

§. 2.

Consilia de successore. Princeps Bavariæ destinatur hæres: sed moritur. Frigus inter Austr. & Hisp. partitionis tractatus. Cæsaris mens. Altera partitio.

15. Sed cum infirmitas Caroli Regis in dies magis ingravesceret, exspectatione suspensus erat orbis, quem tandem Hispania hæredem esset acceptura.

Susceperat Maximilianus Emmanuel Elector Bavariæ anno 1692 filium Josephum Ferdinandum ex Maria Antonia, filia Leopoldi Cæsaris, & Margarethæ, Caroli II sororis. Hunc hæredem futurum passim ominabantur. Et inclinabant eo Angliæ, Bataviæ, & ipsius etiam Hispaniæ studia: neque alienam se ostendit Francia, modo ne succedat Austria; adversus cujus potentiam rationes regni sui omni ope obfirmandas putabat.

Carolus Rex summam rerum primum matri, dein uxori permiserat. Erant illæ nominis Austriaci studiosissimæ, verum ex Senatu Regio, quem *status consilium* appellant, plerique Proceres Bavaro Principi favebant, Ferdinandus *Portocarrerus* maxime, Cardinalis atque Toletanus Archiepiscopus, Senatus princeps, magnæ vir authoritatis, perpetuis a Regina simultatibus diffidens. Ejus cliens Aquilarius Arragoniæ Præses auditus proterve dicere, neminem probum Hispanum, salva religione, hæreditatem Archiduci adjudicare posse.

Portocarrero.

Wagn.

Et invaluerat a longiori jam tempore frigus aliquod Austriam inter Germanam & Hispanam, quæ rationes suas antea ex integro conjunctas habuerant. Primæ offensionis ansa data, cum Ferdinandus III Monasteriensem cum Gallo pacem, necessitate compulsus, iniit, destituta Hispania, cum Gallis diu adhuc colluctante. Reddidit offensæ vices Philippus IV, dum Theresiam, primo loco natam, Ludovico XIV despondit. Nec omisit Gallia, aulam inter utramque simultatis & dissensionis semina jacere, ut fructus suos inde metat.

Frigus inter Hisp. & Austr.

Mansfeldius equidem Cæsareus orator morum venustate & nativa quadam facundiæ elegantia eam in aula gratiam collegerat, ut

Consilia de successore.

ut frigescentia studia aliquantum calefaceret. Sed hæc ipsa res Procerum æmulationem ita accendit, ut Cæsar eum Viennam revocandum existimarit. Substitutus Lobkovitius, veterana vir prudentia, sed acriore ingenio, quam ut aulæ delicatæ, & in alias partes nimium aversæ, placeret.

Harrachio igitur ardua legationis provincia commissa, qui pro sua prudentia & agendi usu in id incumberet, ut Carolus Archidux scriberetur hæres, de eo in Hispaniam trajiciendo Rex decerneret, atque ut militaris res & ærarium, penitus ferme collapsa, restituerentur. Deliberaturum se Rex respondit, nec ante deliberandi, quam vivendi finem fecit, Proceribus nimium quantum obnoxius.

Conatu igitur illo de trajectu Archiducis aulicis Procerum artibus everso, Mediolani interim Præfecturam Cæsar eidem petit, iisdem conditionibus, quibus Alberto & Isabellæ Belgium olim commissum fuerat, proprietatis jure possidendam, donec mutatis rebus in Hispaniam solvat. Responsum a Senatu: Belgium quidem, cum spes adhuc esset, reducendi ad obsequium Batavos, in gratiam Alberti fuisse abdicatum; quod tamen nuper Bavaro, perpetuam gubernationem petenti, sit negatum. Aliam etiam esse Mediolani rationem. Hoc uno commeatu Hispanas inter se provincias jungi.

Venit interea Madritum Harcurius, orator Franciæ, qui spes Austriæ, alioquin vehementer jactatas, pene evertit. Denunciat præcise status consilio, seu Archidux seu copiæ Cæsareæ Hispaniæ fines attingerent, belli declarationem videri, quo ariete ad expugnandam gentem, belli apparatu vacuam, nihil validius. Auditus etiam interrogare; quid tandem monstri foret, si e Francia Regem peteret Hispania, qualem e Germania duobus ante sæculis petierat? Pro Francia jus militare, quique jus exequantur, centum præ foribus armatorum millia præsto fore. *Wagn.*

Harrachius, cum negotium tot implexum difficultatibus, & Reginam Harcurii artibus a se aversam cerneret, Cæsaris venia Madrito discessit, vaticinatus id, quod postea evenit; dormituram tamdiu Hispaniam, donec se Gallicam videat.

In Anglo-Batavos Europæ oculi erant defixi; nec dubitatum, minime commissuros, ut Francia, tam formidandæ jam potentiæ, tantis incrementis augeatur.

At contra exspectationem alia erat gentis utriusque facies. Batavi, mercaturæ suæ incubantes, tetraque belli imagine perculsi,

culsi, nec fœdere, nec beneficiorum recordatione, nec propriis periculis tangebantur, nec pensi habebant, Austriam dejici; quin Bavarum Regem, minus potentem, rationibus suis opportuniorem ducebant: a Galliæ incursu interjectu Belgii Hispanici satis se tutos rati.

Guilielmus vero, Rex Angliæ, commutatus est adeo, ut, postquam diutina spe amicum Cæsarem suspenderat, Bavaricas primum, Gallicas postremo partes sit amplexus. Unde factum, ut secretum fœderis articulum, de evincenda Cæsaris in Hispania successione, instaurare detrectaret, pace Risvicensi præcipitata, & legionibus mox missione donatis.

Accessit Tallardi in Angliam legatio, viri ad miraculum facundi, qui aulicis artibus totum se in animum Regis infudit. Londini nullus erat Orator Hispanus, nec Madriti Anglus, utroque ob offensionem revocato. Aurspergius vero penitus ferme negligebatur.

Partitionis consilia. Anno 1699 Rege Guilielmo in Hollandiam digresso, in ejus arce Loënsi a Gallis, Anglis, & Batavis concepta est tripartita Hispanæ Monarchiæ divisio, Delphino assignata Neapolis, Sicilia, Sardinia, Hetrusci portus, Finarium, cum Cantabria seu Biscaja: Archiduci Mediolanum, Bavaro Principi Hispania, cum reliquis provinciis, Regni administratione interim, dum adolesceret, Electori attributa.

Summo silentio partitionis hujusce tractatus tegebatur initio. At ubi Madritensi aulæ innotuit, graves in Hispanorum animis, qui omnem divisionem horrebant, motus excitavit: moxque urgentibus Proceribus, Portocarrero maxime, qui Regem possidebat, & Oropesa, ab exilio revocato. Rex testamento Josephum Bavariæ Principem totius Monarchiæ hæredem scripsit, reclamante non solummodo Juniore Harrachio, qui patri in Legatione Hispanica successerat, sed etiam Harcurio, bellum comminante, si omnia Bavaro, nihil Franciæ tribueretur. Re ipsa ridebat Gallia, quod hac ratione Cæsarem ab hæreditate exclusum cerneret, & Europæ vires adversum se ipsas committendas speraret.

Mors Bavariæ Princ. Omnia nihilominus ad trajiciendum in Hispaniam Principem Bavarum jam parabantur, personante gratulationibus aula Bruxellensi, cum tristi morte extinguitur; (1699) septennium necdum egressus. Translatio Principis Bruxellas in tam tenera ætate valetudinem vitamque præcipitasse creditum.

Inopi-

Inopinatum hoc fatum vario per Europam affectu exceptum. Anglo-Batavi cum Hispanis telam suam intercisam dolebant. Summa autem luctus pars ad Electorem Parentem spectabat, qui & filio suavissimo se privatum, & Domum suam tantis accessionibus dejectam videbat.

Austria magno discrimine se defunctam credidit, nec dubitavit, omnium, præter Galliam, nationum oculos in Archiducem convertendos. Verum Guilielmus, Angliæ Rex palam denuntiavit Cæsari, Anglos Batavosque Hispaniæ ergo nolle bellum gerere, Franciam contra jus suum haud dubie armis prosecuturam: ac proin fore, ut Galli Hispaniam, cui Cæsar nec classe nec milite possit succurrere, unius æstatis expeditione subigant. Id ne fiat, parendum necessitati, & hæreditatem amice dividendam. *Wagn.*

Graviter omnino Cæsar eam denuntiationem accepit, necdum eo desperationis deventum asserens, ut Galliæ armis consentientis Europæ viribus obsisti non possit: sibi quidem constitutum, confecta nunc pace Turcica, legiones veteranas omnes in Italiam & ad Rhenum deducere; Imperii Electores plerosque & circulos in fœdus secum ituros. Idem facturos alios Principes & Respublicas, si securitati suæ & Europæ æquilibrio consultum velint; neminem quippe latere, omne incrementum Galliæ cum omnium periculo esse conjunctum. Invisum prætérea tantopere Hispanis divisionis nomen, ut totam potius Monarchiam in sinum Galliæ sint conjecturi. Id si contingeret, quid deinceps ad universalem dominatum defuturum? **Cæsaris consilia.**

At incassum hæc omnia. Famosi illi duumviri, Portlandus, Guilielmi Regis Minister primus, & Heinsius, *Pensionarius*, uti appellant, Hollandiæ, seu primus Minister provinciæ, & Procurator publicæ rei, ut bellum in præsens devitent, aliam longe rotam versabant. Denuntiant palam Cæsari, Franciæ Regem Navarram, Cantabriam, Neapolin, Siciliam, Sardiniam, Mediolanum, Belgium, Finariensem, & Hetruscos portus deposcere: Hispaniæ Regnum cum America Carolo Archiduci cesserum: curaturos tamen, ut de Belgio, Mediolano, & Navarra alia ineatur conventio. Duram quidem hanc esse partitionem, sed in præsens necessariam. Plus bello pretioso amissuram Austriam, quam amicis pactionibus. Esse Ludovico classem prævalidam, exercitus florentissimos, præstantes Duces, summam belli velut e Sphæræ centro opportunitatem. Lassatos bello, nuper primum finito, Europæ Principes, e quo superior omnibus Ludovicus excesserit. **Altera partitio.**

quid ergo Cæſar ſeorſim ſperaret, ſine claſſe, ſine ſociis navalibus, bello tam diffuſo per orbem terrarum, ut ab uno extremo ad alterum trajiciendæ forent legiones?

§. 3.

Cæſar Italiam & Belgium reſpicit. Cur Hiſpania debilis. Galliæ propoſitio: tertia partitio. Cæſaris indignatio. Hiſpaniæ conſternatio.

16. Triſtis erat oratio, & deliberatio implexa, de re poſt homines natos maxima. Fruſtra opponebantur Domus Auſtriacæ jura, poſt obitum Principis Bavari, ut ferebant, non controverſa. Fruſtra jurata fœdera, cum Anglo-Batavis inita, fruſtra ingeſtus Articulus ſecretus de conſervanda Auſtriacis Monarchia Hiſpanica.

Wagn.

Igitur Cæſar, a ſociis vix non in Gallica caſtra transgreſſis, deſertus, ſtatuit, Italia & propioribus Germaniæ provinciis retentis, Hiſpaniam cum Balearibus Inſulis & America minimo Delphini filio, Duci Bituricenſi, cedere.

Viſum nempe conſultius, veteres Auſtriæ ditiones, quoad fieri poſſet, cum novis Hiſpanicis ad mutui auxilii opportunitatem connectere, quam Archiducem in remotas Hiſpaniæ, miſerrime afflictæ, bellis undique obnoxiæ, atque a Germanæ Auſtriæ auxiliis penitus abſciſſæ, oras transmittere.

Hiſpaniæ ſtatus.

Neque opulentam admodum eſſe, nec populis frequentem Hiſpaniam. Americam equidem auri domicilium vulgo exiſtimari. Sed a Philippi II obitu graviorem ferme, quam utiliorem Regibus fuiſſe, magna hominum multitudine, militum, nautarum, præfectorum, claſſium, immani ſumptu, e vacua alioquin Hiſpania eo traducta. Emolumentum præcipuum negotiatione, merciumque permutatione conſtare. Hos autem fructus, jacente in Hiſpania pannificio & mechanicis artibus, omnes propemodum negotioſis Europæ nationibus obvenire: ut adeo auri argentique Peruvani pars maxima ad Anglos, Batavos, aliasque quæſtuoſas gentes deferatur.

Ex tot millionibus, annuatim in Europam advehi ſolitis, non ultra ſexcenta Imperialium millia Regio ærario inferri: duos præterea, quos ex hydrargiro Prorex induſtrius conficere poſſit, milliones, ex elocato vero gemmarum piſcatu quadringenta imperialium

lium millia, universas esse, quæ Regi obveniant, Americæ opes. De cætero id unum Regi relinqui, quod ejus auspiciis merces importentur alienæ, domesticæ pecuniæ evehantur: eam vero prærogativam millionibus aliquot in classem constare.

Postremis bellis haud arduum fuisse Batavis, Anglis, & Francis inermium provinciarum portus præsidiis occupare, sed quæstuosius duxisse, mercatura sua medullam succumque exsugere, quam Hispanis vacuos ferme titulos eripere.

Contra vero utiliorem multo Austriæ fore Italiam, idque non modo propter telluris felicitatem & opulentiam, sed etiam propter situm atque viciniam: neque committendum, ut ea unquam, præsertim Insubria, potiatur Gallia: sic enim omnes Austriacas provincias irruptioni fore expositas. **Austriæ deliberatio.**

Belgium, bellis perpetuis obnoxium, ab Archiducibus Lotharingo conferri posse, beneficiario jure possidendum. Batavorum dein fore, ut provideant, ne nimis vicini Gallum nanciscantur. Tentandum denique, ut Burgundiæ comitatus ad Imperium pactione reduci possit.

Et hæc quidem erat Cæsarei senatus designatio. Per gradus autem ascendendum, & primum Peruvia vel Mexicum offerendum: secundo loco Philippinas adjiciendas: si necdum acquiescant Galli, Americam potius totam, quam Italiam cedendam. Neque timendum, duorum capitum unum fore ex Hispania & Gallia conflatum Regnum; nam reges non tam sanguine & affinitatibus quam rationibus, status, regnique, respectus suos metiri.

Hanc ubi propositionem Heinsius accepit, concitato animo opposuit, quanta inde damna Batavorum Respublica esset passura: quamque pronum inde esset Galliæ, omnes nationes Americanis commerciis evertere. Nec minus Portlandus exarsit ad eam de America cedenda mentionem.

Post aliquot dies Rex Guilielmus Aurspergio per Heinsium renuntiat, Ludovicum Regem eo denique descendisse, ut præter Hispaniam & Americam, ante oblatam, Navarram quoque & Belgium Archiduci, Mediolanum vero Lotharingo attribueret, si is Lotharingiam Franciæ cederet. Hos esse ultimos gradus, ultra quos Gallus nec passum progredi, nisi bello victus, certum habeat. Eam esse Regis moderationem, ut ex tanto patrimonio nihil sibi præter Neapolin, Siciliam & Hetruscos portus deposcat; cum, si vellet, armis omnia posset subigere. **Galliæ propositio.**

Duo insuper Cæsari indigniora visa sunt, quam ut ferri possint: primum, quod Ludovici optioni sit permissum, an portionem suam regno unire velit, an in nepotem transferre; at Archiducis partem Germanicis Austriæ provinciis uniri vetuissent: alterum, quod sancirent, ni Cæsar certum intra tempus partitionis modulum acceptet, destinatam Archiduci portionem tertio cuipiam tribuendam, se vero (Anglo-Batavos nempe) Gallis ad suam obtinendam arma juncturos.

Cæsar, quamvis graviter ferens, se a sociis, quos ab interitu anno 1672 vindicaverat, non modo destitutum, sed comminationibus etiam lacessitum, dolorem nihilominus premens, Siciliam & Neapolim obtulit.

Tertia partitio. Sed necdum acquiescentes Europæ divisores, 3 Maji 1700 Semestri ante mortem Caroli II partitionis modum absolverunt: præfati, ne post mortem Hispani, atroci bello Europa concutiatur, Guilielmum Angliæ Regem ac fœderatos Belgii Ordines cum Rege Christianissimo ita convenisse, ut Delphinus ejusque posteri Neapolim, Siciliam, cum adsitis Insulis, Hetruriæ portus, Herculeum, S. Stephani, Orbitellum, Plumbinum, Portumlongum, Telamonium, Marchionatum Portumque Finariensem, ex Hispaniæ vero Regno, ac Cantabriæ provincia, Fontarabiam, & S. Sebastiani Fanum obtineret: Lotharingiæ Dux Mediolanum possideat, Delphino vero Lotharingiæ ac Barri Ducatus obtingat, dempto Bitsæ comitatu, qui Vaudemontio cedat. Delphinus cæteræ hæreditati renuntiet, eamque Archiduci relinquat. Hos tractatus ni Cæsar ratos habeat, Archiducis portio in tertium quempiam transferatur. Si Cæsar aliquam ex provinciis invadat, Angli Hollandique junctis cum Francia armis vim repellant. Archiduci non liceat, vivo Rege Carolo vel Mediolanum vel in Hispaniam abire. Nulla unquam ætate idem sit Imperator & Rex Hispaniæ: Delphini vicissim portio nunquam cum Galliæ regno coalescat. Harum pactionum vindices omnes Europæ Principes vocentur.

Fulminis instar Cæsareos perculit hæc partitio, indignissimum ratos, de fundo alieno decretoria sententia statui, illud vero multo *Wagn.* indignissimum, Guilielmum cum suis Anglis & Hollandis, tot officiis ac beneficiis cultis, adeo sui fuisse immemorem, ut Galliam, omnibus alioquin formidandam, tantis accessionibus auxerit, atque arma etiam minaretur Cæsari, socio, amico, fœderibus juncto, cui, ut coronam Angliæ consequeretur, non parum debuit. At constitutum erat Cæsari, quocunque demum res vergeret, in

pacta

pacta, suæ Domui adeo perniciosa, nunquam consentire, & potius totam Hispaniæ Monarchiam, quam Mediolanum & Insubriam amittere.

Exspectatione suspensus hærebat orbis, quem demum hæc res eventum sortiretur. Verum altiori ex specula prospiciebat Gallus. Non ille partitione ista sua finiebat consilia. Ad totam Monarchiam respexit, satis gnarus, Hispanos, ab omni divisione velut monstro abhorrere, ac proin, ut eam evitent, Regium ex Gallia Principem petituros.

Ita enim vero re ipsa evenit. Æstuantis maris fluctibus agitatæ naviculæ Hispania faciem induit. Regina Archiduci Carolo, suo ex sorore nepoti, quantum poterat, favebat: sed poterat parum, Rege in omnem partem versatili, prout Ministrorum turbo impulerat. Ipsos inter Ministros fatales regno factiones. Qui Reginæ addicti magis videbantur, Almirantes, Oropesa, Perlipes, variis artibus aula pulsi: conjecta in eos culpa seditionis ob annonæ caritatem.

Hispania ipsa misere erat comparata. Spectabantur Pyrenæis ex montibus magni Gallorum exercitus, neque tamen regno toto locus ullus munitus: universus tantæ Monarchiæ exercitus sex millibus hominum constabat, seminudis, famelicis, inermibus: bellica nulla rite armata: plebis egestas ultima, ærarium largitionibus in Proceres exhaustum, miserabilis undique rerum facies, in desperationem trahebant omnia.

Ubi vero partitio illa Hispaniæ innotuit, tanto omnes motu sunt concitati, ut dicerent, Marochii se potius Regem evocaturos, quam ut eas regni sui sectiones paterentur. Magnates summopere urebat, quæstuosa illa ac grandia Proregum, Gubernatorum, & Præfectorum nomina, quibus ambitionem & avaritiam saginabant, extingui: opulentas illas Siciliæ, Neapolis, Mediolani, Belgii Præturas penitus eripi, aliasque venas, quibus privatum suum ærarium, in publici boni dispendium, impleverant, exsiccari. Hispaniæ consternatio

Quapropter, pristinæ suæ amplitudinis, ad utrumque orbis cardinem protensæ, cum alto gemitu memores, communi velut in naufragio, ita animo erant comparati, dicebantque palam, evocandum Galliæ Regis nepotem, ut Monarchiam integram servent; facem his in motibus strenue ventilante Harcurio.

Harrachius equidem legatus perculſos erigere, atque ab ea cogitatione avertere omni ope ſatagebat. At illi: Cæſarem ni claſſem habeat, Hiſpaniæ nil profuturum: Germaniam variis reſpectibus diſſectam, ſeptentrionem flammis ardere, Italiam cum Pontifice Gallis favere, Hiſpaniam ipſam ut fateri neceſſe ſit, infirmiorem eſſe, quam ut armatæ Gallorum potentiæ poſſit reſiſtere.

§. 4.

Decernitur, advocandum Delphini filium: obluctante Harrachio. Teſtamentum Regis Caroli. Obitus. Auſtriæ & Galliæ jura.

17. Igitur Senatu frequentiſſimo, Rege ipſo præſente, communibus omnium ſuffragiis decretum, rogandum Regem Galliæ, alterutrum ex Delphini filiis, Regis Caroli nepotibus, ſubmittat; dandum potius beneficium. quam perniciem a potente accipiendam. Perſtituram hoc pacto Monarchiam, atque reductis membris, quæ per tot infelicia bella fuerant abſciſſa, ad veterem Majeſtatem, orbi adoratam, haud dubie reducendam, invictam hoc glutine deinceps, formidandam, florentemque: novum Principem ſine mora advocandum, ut recenti adhuc ætate Hiſpaniæ moribus imbuatur, nec regnum tamen ante Regis mortem contrectet. Rex Carolus tacitus aſſedit, cum hac ratione de regno ſuo diſponeretur.

Petitur Delphini filius.

Harrachius apud Reginam inſtat, conjugem Regem permoveat, ut generis ſui memor Archiducem hæredem ſcribat. Illa armatos ad fores Gallos in excuſationem obtendit: & licet Rex induci ad id ſe pateretur, teſtamento nunquam ſubſcripturos Proceres. Ad hos igitur converſus legatus gravi oratione oſtendit, falli omnino eos, qui ſibi perſuadeant, iis de Gallo Principe advocando conſiliis Monarchiæ diviſionem vitatum iri: nunquam id permiſſurum Cæſarem; & ſi is permittat, totam Europam obſtituram, quæ omnis in unam Borboniorum Domum brevi eſſet abitura, ſi Francia univerſa Hiſpaniæ Monarchia, tam late per utrumque orbem protenſa, foret potitura.

Dum ita confligitur, Rex Carolus in ſupremum morbum delabitur. Conclave Regium obſeptum adeo cuſtodiunt Proceres, ſub

ſub Portocarreri imperio, ut Harrachius ultimis menſibus nunquam ſit nactus Regis alloquendi copiam.

Tertia octobris conficitur teſtamentum, quo Philippus Dux Andegavenſis, alter Delphini filius, eoque ſine liberis decedente Carolus Dux Bituricenſis, tertius Delphini filius, & ſi etiam hunc ſine liberis mori contingeret, Carolus Archidux univerſæ Monarchiæ hæres ſcribitur. Teſtes ſubſcripſere Portocarrerus & Borgias Cardinales, Caſtiliæ & Arragoniæ Præſides, Medinacælius, Beneventius, & e Grandium Ordine Infantadæ & Seſtæ Duces. **Teſtamentum Caroli.**

Prima dein Novembris (1700) Carolus II Rex obiit, ætatis 39 Regni 35. Aperitur teſtamentum, publicatur, magnoque populi applauſu excipitur: perſuaſum omnibus, declinata hoc pacto corporis ſectione, unius capitis mutatione negotium abſolvi, Gallus ſit Rex, an Germanus, haud multum intereſſe. Bellum quidem in Italia & Belgio futurum a Cæſare, ſed Hiſpania intacta, Gallorum armis brevi difflandum. **Obitus.**

Certatum acriter inter Proceres, quis legationis Gallicæ honorem alteri præriperet. Miſſis per Interreges mandatis, provinciales Andegavenſi fidem jurarunt. Elector Bavariæ Belgium, Vaudemontius Mediolanum, Medinacælius Neapolim tradidit; itaque factum, ut menſis ſpatio univerſa Monarchia ſub poteſtatem Galliæ ſit redacta. Harcurius ob rem feliciter geſtam Dux & Par Franciæ dictus. Harrachius, quod unum ſupererat, contra teſtamentum Cæſaris nomine ſolenni forma excipiens, ne legationis dignitas violaretur, domi ſe continuit, ac brevi poſt cum Aurſpergio, qui in illo æſtu ſubrogatus illi fuerat, rus abiit, dum reditum Viennam inſtruerent, dolore, pro jacturæ magnitudine, acerbiſſimo tacti, quod tot provinciæ, per gradus veluti ſucceſſive Domui Auſtriacæ acquiſitæ, uno velut ictu concidant: legatione ſua Hiſpana & Anglica, tanta ſolertia geſta, effectu omni deſtituta. **Executio.**

Varii dein commentarii de cauſa tam grandi ſunt editi: Galli pro ſua ſucceſſione afferebant: Extincta Caroli V ſtirpe maſcula Hiſpanicæ Monarchiæ hæreditatem, licet nullum Caroli II teſtamentum haberetur, ad eum jure ſanguinis devolvi, qui eidem Carolo, ultimo poſſeſſori, gradu conſanguinitatis proximo eſt conjunctus. Atqui hunc eſſe Delphinum, ejuſdem Caroli ex ſorore Thereſia Nepotem, ejuſque ceſſione Philippum Andegavenſem Ducem, Delphini filium, Caroli II pronepotem. Leopoldum vero Cæſarem, Amitinum Caroli, gradu uno ab hoc eſſe remotiorem, ſiquidem (computando gradus ad normam Juris Civilis, **Galliæ jus.**

in

in ſucceſſionibus hæreditariis uſitatam) Carolum Delphino in tertio gradu eſſe conjunctum, Leopoldo vero in quarto.

Si etiam lineam aſcendentem ſpectare libeat, Leopoldum Cæſarem & Ludovicum XIV æquali gradu diſtare a Philippo III Hiſpaniæ Rege utriusque Avo materno, ea tamen diſpari ratione, quod Ludovicus ex Anna, primogenita ejusdem Philippi filia ſit genitus, Leopoldus vero ex Maria, ſecundo genita. Quacunque igitur parte res conſideretur, quoad ſucceſſionem ab inteſtato Gallos Auſtriacis jure potiores fore.

Neque obſtare, quod Anna & Thereſia, dum Franciæ Regibus nuberent, juri ſuo in Hiſpaniam renuntiarint; nam, præterquam, quod fœminarum renuntiationes hæreditariæ Jure civili ſint irritatæ, & eatenus tantum factæ, ne Regnum Franciæ & Hiſpaniæ in uno capite coaleſcant, Reginas illas præjudicii nihil potuiſſe afferre filiis ſuis aut nepotibus circa jus, a Majoribus & ſanguinis cum Hiſpaniæ Regibus propinquitate, acquiſitum. Neque enim Ludovicum Regem matri ſuæ Annæ in Regno Hiſpaniæ ſuccedere, nec Delphinum matri ſuæ Thereſiæ, ſed cum eæ jam dudum ſint mortuæ, proprio ac proximo ſanguinis jure Philippo III aut Carolo II.

Hoc jus ſuccedendi ab inteſtato ut eo certius ſuum conſequeretur effectum, Carolum II etiam teſtamento, libere & legitime confecto, atque a Proceribus Hiſpaniæ teſtibus præſentibus ſubſcripto, Philippum, Andium Ducem, ſuum ex ſorore primogenita pronepotem, totius Monarchiæ hæredem inſtituiſſe: neque obligatum ullo ex capite fuiſſe, alios cognatos ex linea collaterali inſtituere. Atque hæc quidem a Gallis tunc paſſim dicebantur ac ſcribebantur.

Jus Auſtriacorum. Contra vero opponebant Auſtriaci, eam eſſe Familiæ Auſtriacæ rationem, ut Auſtriacus Auſtriaco ſuccedat, qui nomen, ſtemma, familiam eandem propaget: neque ad fœminas, aut ex iis deſcendentes hæreditatem devolvi, dum ſuperſunt mares.

Extincta Caroli V ſtirpe maſcula, ſupereſſe e Ferdinando I Caroli Fratre, lineam alteram Auſtriacam, eamque maſculam. Si Carolus V absque liberis maſculis deceſſiſſet, ſucceſſurum haud dubie fuiſſe Ferdinandum fratrem, ex eodem Patre, Philippo Auſtriaco, Burgundiæ ac Belgii Principe, & eadem matre Joanna, Hiſpaniæ hærede, progenitum: hoc jus Ferdinandi in poſteros mares præ fœminis fuiſſe propagatum: Leopoldo proin Cæſari primum,

mum, dein Josepho, horumque cessione Carolo Archiduci hæreditatem deberi. Deficientibus vero totius Familiæ maribus, ad fœminas demum, & eos, qui ex eis descendunt, jus devolvi. Hanc esse normam, legem, ordinem, rationem domesticam succedendi in Familia Austriaca; Philippi etiam III & IV testamentis confirmatam.

Si proin testamentum aliquod a Carolo, sui compote, libere profectum sit, vacuum irritumque esse: neque enim a Carolo ordinem succedendi, a Majoribus constitutum, contra supremam patris avique voluntatem, potuisse convelli. Neque causam finemque Borbonicæ institutionis, in eo allegatum, ne regna coalescant, subsistere.

Non enim Annam, Ludovici XIV matrem, & Theresiam Conjugem, solennibus tabulis juri in Hispaniam renuntiasse eo duntaxat fine, quem Carolus in testamento assignat, ne Franciæ Hispaniæque regnum in unum coalescant, verum ut Hispanas inter fœminas Francicasque juris æqualitas foret, atque, ut hæ Salica, ita illæ celeberrima abdicationis lege cum suis posteris abstinerent regno. Si igitur jus succedendi post mortem Caroli ad descendentes ex fœminis Hispanicis fuisset devolutum, eo etiam ex capite Leopoldum Cæsarem hæredem fore, utpote Maria, Philippi III filia, quæ sola nunquam renuntiarit, progenitum. Theresiæ vero solennem renuntiationem etiam per publicas Pacis Pyrenææ tabulas fuisse confirmatam, atque per testamentum Philippi IV ita stabilitam, ut nullum superesse possit dubium.

Quod autem speciatim ad Belgicas Burgundici circuli provincias, & Insubres spectat, ceu feuda Imperii ab Austriacis Archiducibus fuisse possessas: ad feudorum autem rationem pertinere, ut extincta seniore linea mascula, ad juniorem transeant, prout omnium Imperii feudorum exempla demonstrent. Atque idcirco nullatenus fuisse in potestate Caroli II contrariam dispositionem facere. *Wagn.*

Eandem Neapolitani Regni esse conditionem, quod a Pontificibus, Dominis directis, ab omni memoria maribus præ fœminis collatum sit. Hæc pro utraque certantium parte dicta scriptaque recensere duntaxat pro Historica eruditione visum est. Neque enim meum est, de Magnorum Principum juribus quidquam decernere.



CAPUT III.

DE STATU LUSITANIÆ SÆCULO XVII.

SUMMARIUM.

Perſonatus Sebaſtianus ab Hiſpanis captus. Poſtquam Luſitania ab anno 1580 *usque* 1640 *Hiſpaniæ fuerat conjuncta, Regem ſibi proprium aſſumpſit Ducem Bragantinum Joannem IV, inito fœdere cum Gallia & Hollandia. Bellum. Joanni ſucceſſit Alphonſus filius. Sed hoc dejecto, ſuffectus ejus frater Petrus, ad regendum aptior. Pax cum Hiſpania.*

18. Anno 1601 plus rumoris, quam veri periculi excitavit perſonatus quidam & phantaſticus Sebaſtianus, qui Sebaſtianum Regem Luſitaniæ, in bello, anno 1578 adverſus Afros ſuſcepto, amiſſum ſe mentiebatur. Fabulam ita adornavit, ut non pauci verum Sebaſtianum crederent, viris quibusdam Religioſis ore & calamo illum defendentibus.

Perſonatus Sebaſtianus.

Fata is ſua & itinera, imo & arcana quædam coram Senatu Veneto ita concinne narrabat, ut de veritate dubitaretur: interventu tamen Oratoris Hiſpani carceri traditus, ac poſtea ex terris Reipublicæ proſcriptus, Florentiæ ab Hiſpanis interceptus, indeque Neapolim ductus, per ſententiam ad triremes condemnatus eſt. Creditum quibusdam, fuiſſe Calabrum, a natione quadam ſubornatum.

Hiſpanis ejectis.

Hiſtoria Luſitana cum Hiſpana 60 annorum ſpatio, ab anno videlicet 1580 ad 1640, quibus utrumque regnum fuit conjunctum,

ctum, est connexa. At vero anno 1640 ingens facta est mutatio, dum Lusitania, abdicata Hispania, novum sibi Regem ex Brigantina Regia Familia sibi delegit.

Quidam Proceres Lusitani Olyssipone, occupato Regio palatio, occiderunt *Vasconcellum*, Lusitanum quidem genere, sed quem affectu nimis Hispanum esse crediderant, & cum eo alios quosdam Ministros Regis Catholici, Regemque proclamarunt Bragantinum Ducem, sub nomine *Joannis* IV, simulque adegerunt Pro-reginam Principem Mantuanam, ut subscriberet Decreto, quo arcis Præfectus jubebatur eum tradere. Missi illico cursores in omnes provincias, qui novum Regem promulgarent, cum mandato, ut omnes Hispani comprehenderentur. Dux Bragantinus Rex.

Nunquam revolutio aliqua fuit tam prompta & expedita. Omnes civitates, non minus novi quam antiqui orbis, sub obedientiam novi Regis concesserunt, sola Septa seu Ceuta excepta, quæ Hispanum habebat Gubernatorem.

Comes Olivarius, veritus, ne Rex Hispaniæ Philippus IV pro magnitudine damni contristaretur, eidem gratulatus dicitur, quod justam causam habeat, omnia bona Domus Bragantinæ, quæ tertiam ferme Lusitaniæ partem complecterentur, Cameræ suæ uniendi. Sed artes hæ fuere Ministri, qui nihil magis metuebat, quam ne sinistri quidpiam ad Regem optimum, sed placidæ & quietæ vitæ acquiescentem, deferretur.

Quidam scribunt, Richelium hujus immensæ machinæ primum fuisse motorem: quod Galli tamen scriptores negant. Hoc certum, Galliam, cum Hispania tunc bello implicitam, illico, fœdere cum novo Rege inito, consiliis & armis eidem succurrisse, nihilque magis optasse, quam ut vasta Domus Austriacæ potentia minueretur. Fœdus cum Gallia.

Fœdere autem illo conventum, ut pars utraque terra marique contra Hispanos bellum gerat: Gallia 20 naves conjungat 20 Lusitanis, bene armatis: Hollandi associentur, qui pariter 20 bellicas addant, ad invadendas naves Hispanas ex India venientes, & terras Regis Castellani: Gallus præsit combinatæ classi. Si Gallia pacem cum Hispano sit initura, reservabit sibi jus assistendi Portugalliæ, si idem reliqui fœderati sint facturi.

Hollandi, qui adhuc bello cum Hispania erant impliciti, non dubitarunt, huic fœderi accedere, ea conditione, ut manerent in possessione eorum, quæ in utraque India occupassent. Occuparunt autem durante bello cum Hispanis loca plurima, quæ ad Lusita- Et Hollandia.

ſitaniam ſpectaverant. Et hæc inter alias Luſitanorum erat querela, ſibi propter conjunctionem cum Hiſpania tam multa eſſe amittenda.

Detecta, interceptis litteris, conſpiratio adverſus novum Regem, Archiepiſcopus Bragenſis, & Inquiſitionis Præſes ad perpetuos carceres ſunt condemnati, reliqui complices ad mortem.

Interea autem Luſitania libertatem ſuam fortiter defendit, & anno 1644 cum Francia fœdus renovavit, vehementer inſtans, ne pax cum Hiſpanis fieret, cui Rex Luſitaniæ non eſſet incluſus. At Mazzarinus, Richelii inſiſtens principiis, ne omnis paci via occludatur, id promittere noluit, id unum ſpondens, curaturam Galliam, quantum poſſet, ut, ſi paci futuræ Luſitania includi non poſſet, libertatem ſibi reſervet eidem aſſiſtendi. Cui ſponſioni adquieſcere tunc debuit Portugallia.

Paſſorellus de bello Luſit. Sub idem tempus Albuquercius, Luſitanorum Ductor, Hiſpanos acie vicit, cæſis eorum 3000. Quidam ſcriptor Luſitanos cæſos narrat plures.

Anno 1656 obiit Joannes IV primus ex linea Bragantina Rex Luſitaniæ, æt. 52, regni 16. Succeſſit filius *Alphonſus* VI, qui, Hiſpanorum armis alio diſtractis, Hollandos Braſilia expulit, belli denuntiationem paſſus propterea, naviumque direptionem in facie Olyſſiponis, civitatis Regiæ.

Bellum. Anno 1658 Luſitani Pacem Auguſtam obſederunt, ſed imminente Hiſpano obſidionem ſolverunt. Anno vero ſequente Hiſpani ab obſidione Elvæ depulſi ſunt.

Ut autem Hiſpanis validius reſiſterent, anno 1661 pacem cum Batavis Hagæ inierunt. Braſilia potiſſimum fuerat belli cauſa, in qua, ſicut in India Orientali, dum Hiſpanis adhuc parerent, varia loca Hollandi occupaverant, quæ Luſitani, Regem e Bragantina Familia nacti, repetebant. Ceſſere Batavi Braſiliam ea lege, ut negotiari & commercari ſibi liceat in omnibus, quæ ad Portugalliam ſpectant, provinciis. (Pax cum Holl.)

Joanni Regi, quod dixi, ſucceſſit filius primo loco natus Alphonſus, ſub tutela matris de Medina Sidonia. At ille vita degeneri, matre fidelibusque Miniſtris aula motis, ſibi ſimiles aſſumpſit. Bellum nihilominus cum Hiſpanis per Villaflorium ſtrenue geſtum. Amiſſa Ebora, receptaque, acie victo Joanne Auſtriaco (*anno 1663*) anno vero ſequenti Valentiam & Alcantaram expugnarunt Luſitani. Anno 1665 Victoria plena ad Villamvitioſam firmavit coronam Luſitaniæ. Galli, non obſtante pace Pyrenæa,

renæa, non parum ad eam contulerunt, nescii videlicet, quid post 40 annos futurum esset. Mortuo eodem anno Philippo IV Hispaniæ Rege, ex omni parte jam mutilatæ, infirmitas Caroli II Lusitaniæ Regem securum reddidit.

Tantæ victoriæ nequaquam tribuebantur Alphonso Regi, & sui, & regni, & thori impotenti, sed ejus Ducibus, subsidiis Gallicis adjutis.

Anno 1667 magnam mutationem subiit aula Lusitana. Alphonsus propter regnandi imperitiam throno privatus, in Camera sua comprehensus, & in Insulam Terceram abductus est, regnumque delatum fratri ejus juniori *Petro*, præstanti virtute Principi, qui tamen ad annum usque 1683, quo Alphonsus obiit, *Regentis* tantummodo titulo regnum administravit. Maria Nemorosia, Sabaudicæ stirpis Princeps, in Gallia educata, quo Majores ejus jam tempore Francisci I concesserunt, superiore anno Alphonso desponsata, matrimonio ob impotentiam Alphonsi declarato irrito, nupsit Petro ejus fratri, Pontifice in impedimento publicæ honestatis dispensante. **Alphonsus dejectus.** **Petrus Rex.**

Anno 1668 Hispania coacta est cum Lusitania pacem componere, atque coronam Portugalliæ ab Hispana independentem agnoscere; ablatis utrinque restitutis, solaque Septa in Africa, quæ ad Regnum Lusitaniæ pertinuerat, apud Hispanos remanente. **Pax cum Hisp.**

Anno 1683 obiit Alphonsus, ætatis 40, postquam throno fuerat dejectus, in Insulam Terceram fuit deportatus, sed anno 1675, cum suspicio esset orta, eo in loco consilia cudi reducendi illum ad regnum, inde retractus, reliquum ætatis in Cintrensi castro captivus egit. Tanta autem fuerat ejus, dum regnaret, vitæ dissolutio, ut vix esset, qui fatum ejus lugeret. Petrus autem post mortem fratris, posito Regentis nomine, se Regem dixit, toti Nationi acceptissimus.





CAPUT IV.

DE STATU BELGII *SÆCULO XVII.*

ARTICULUS I.

Status Belgii sub Alberto & Isabella: atque Mauritio Auriaco.

Obsidio ostendana. Spinolæ fortitudo. Induciæ. Mauritii Arausicani obitus: & Alberti Archiducis. Batavorum societas Indica. Mutuæ clades. Obitus Isabellæ.

19. Postquam Albertus, Rudolphi II Cæsaris frater, Isabellam, Philippi II Hispaniarum Regis filiam, connubiali fœdere sibi conjunxerat, Belgium communi opera gubernandum acceperunt. Et primam quidem expeditionem cum ad expugnandam *Ostendam* convertissent, anno 1601 exercitus eidem fuit admotus.

Ostendana obsidio. Cum Batavis ex parte alluentis Oceani accessus prohiberi non posset, atque recentibus identidem subsidiis præsidium augeretur, pertinax omnino & sanguinolenta fuit oppugnatio, ad triennium omnino producta. Et primo quidem anno Albertus, assultu tentato, cum strage 800 militum fuit rejectus. Alter annus variis operibus, ad includendam arctius urbem, faciendamque opportunius impressionem fuit consumptus.

Tertius demum annus maxime cruentus, & Batavis tandem fatalis fuit. Et primo quidem gemina irruptio incassum fuit tentata.

tata. Commissum etiam navale prælium, quo Fridericus Spinola Archithalassus Hispanorum (Ambrosii frater) interiit; obsessi vero, eruptione facta, gravi cum suorum jactura sunt rejecti.

Advenit interea in castra Ambrosius Spinola, qui tandem anno 1604 urbem expugnavit: præsidio, quod adhuc 4300 armatis constabat, libere abire permisso. Dicuntur in ea obsidione quinquaginta Hispanorum millia occubuisse, & vel uno mense totidem globorum millia majoribus ex tormentis fuisse explosa: plures milliones expensi. O! quanto facilius minorique impendio cœlestis Jerosolyma expugnaretur!

Inter hæc autem, dum Hispani tota vi Ostendæ incubuerant, Batavi Gravia, Slusa, & Rhinberga erepta damnum compensarunt. Spinola vero Grollam & Rhinbergam anno 1606 Mauritio eripuit. Pactus dein Albertus anno 1607 octo mensium inducias cum Batavis, sed in pacem conveniri non poterat, quod isti ab Indiis, in quibus profundas jam radices egerant, nollent decedere.

Induciæ.

Anno tamen 1609 ad 12 annos prorogatæ sunt induciæ, quibus Batavi quæstuosis navigationibus, muniendis urbibus, comparando apparatu, alacrius quam Hispani usi sunt, ad id, quod supererat belli, strenue gerendum. Sed neque induciæ tam sancte servabantur, ut non Hispani Duci Neoburgico, Batavi Brandenburgico Electori in causa Juliacensi auxilia ferentes, inter se colliderentur. Quantæ vero hoc induciarum tempore in Hollandia inter Calvinistas religionis dissidia ac turbæ sint exortæ, postea, ubi de statu Ecclesiastico, referetur.

Anno 1621 elapso induciarum tempore, Hispani, Slusa frustra tentata, Juliacum Batavis extorquent, frustra Mauritio Arausiaco jam Principe ad solvendam obsidionem accurrente. Idem fatum subire coactus est ad Bredam, dum præpollente Spinolæ virtute & arte militari, bis obsidionem solvere nequicquam conatus est.

Mauritius Nass. obiit.

Unde etiam creditur tædio obiisse, dum videret Spinolam se assequi non posse, & fortunam suam in deterius labi. Natus fuit Dillenburgi, Nassaviæ gentis suæ Domo, ex Wilhelmo Nassovio, Principe Arausico, Batavicæ defectionis auctore. Post mortem fratris Philippi, qui Catholicam Religionem fuerat amplexus, anno 1618 factus est Princeps Arausicus. Cum autem nullos legitimos liberos relinqueret, Henricus frater in Principatu & Præfectura Belgii fœderati illi successit, anno 1625.

Fuit

Fuit Mauritius 40 annis ſupremus Batavæ militiæ præfectus, inter clariſſimos belli Duces numerandus: major fortaſſe futurus, niſi in Spinolam incidiſſet, a quo ſibi diſcendum non diffitebatur. Bellum etiam geſſit cum propriis ſuis Prædicantibus, a quibus vitæ ejus inſidias fuiſſe ſtructas, ſparſum ſcriptumque fuit. Certe Adolphus Brachelius *in Hiſt. univerſ. lib. 2 ad ann. 1623* teſtatur, ab Arminianis concionatoribus gravem in Mauritium & Ordines conjurationem factam fuiſſe atque detectam, comprehenſis quibusdam, atque ſupremo ſupplicio affectis, qui noxæ participes habebantur, ſed de hoc infra.

Et Albertus Archidux.

Mauritium Antagoniſtam ſuum in alteram vitam anteceſſit *Albertus* Archidux, Maximiliani II Cæſaris quintus filius: anno 1559 natus ex Maria Caroli V filia. Sub diſciplina Busbequii educatus, anno 1570 ad avunculum Philippum II in Hiſpaniam miſſus Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, Luſitaniæ Prorex, ac demum 1595 Belgii Gubernator renuntiatus, anno 1598 abdicatis Eccleſiaſticis Dignitatibus, nuptias contraxit cum Iſabella, Philippi II filia, accepto in dotem Belgio, non tantum a Batavis ſed etiam Hiſpanis militibus, ob defectum ſtipendiorum tumultuantibus, afflicto. Anno 1621 ætatis 62 defunctus magnum apud Belgas ſui deſiderium reliquit.

Conſtituta hoc tempore a Batavis mercatorum ſocietas, in Indias negotiantium, quæ, magnis fulta ab Ordinibus privilegiis, ingentibus opibus eſt aucta. Proſcripta tunc, hac mercatorum ſocietate ſtabilita, Societas Jeſu ex omnibus Batavorum ditionibus. Idem aliis Religioſorum Familiis contigit.

Batavorum Societas Indica.

At non ſolus Ordo Eccleſiaſticus ab juratis his Religionis avitæ hoſtibus petebatur, ſed ſocietas illa Batavorum Indica, cum totum Oceanum oberraret, graviſſima mercatoribus Luſitanis damna intulit. Quare Philippus IV (defuncto nuper parente) collectis, quot poterat, Dunkerca, Oſtenda, Neoporto, & Hiſpania navibus, claſſem opponere coactus, terreſtres expeditiones in maritimas convertit.

Et primo quidem 32 naves Batavæ, ex Adriatico redeuntes, aut captæ ſunt aut depreſſæ. Mansfoldii collectitia prædonum manus, in Belgium irrumpens, a Gonzale Corduba conciſa aut diſſipata.

Contra vero Batavi claſſem Hiſpanam ad Limam Peruviæ urbem vicerunt: & in Braſilia urbem S. Salvatoris expilarunt, capto Prorege cum filio, Epiſcopo, aliisque primoribus, ceu ſpo-

liis

liis in Trophæum erigendis, in Hollandiam miſſis. At mox Fridericus Toletanus, cum claſſe ſuperveniens, ovantibus urbem eripuit.

Sub idem tempus Ferdinandus Cæſar, miſſo ad Hollandos legato, ab iis petiit, ut præſidia ex Imperii urbibus ad Rhenum Inferiorem deducerent; Mathiæ Archiduci promiſſam pecuniam ſolverent, atque adverſus Turcam, communem Chriſtiani nominis hoſtem, aliquid contribuerent. Quod ſi facerent, interceſſurum ſe apud Regem Hiſpaniæ, ut pax ſanciatur. Reſponſum ſatis ſuperbe, urbes Imperii ad fines tuendos a ſe detineri: Mathiam non eſſe amplius Belgii Gubernatorem: quo minus contra Turcam conferant, propriis ſe impenſis impediri: nullum ſe jus Regis Hiſpaniæ in ſuas provincias, ac libertatem, juſto bello partam, agnoſcere, eamque contra quemcunque defenſuros. **Superba reſponſio.**

Quin imo per legatum ſuum pacem nuper concluſam turbare conati ſunt inter Ferdinandum Cæſarem & Sultanum. Quod, cum non obtinerent, Jeſuitis, Græcia expellendis, omnibus viribus incumbebant; ſed prævaluit Chriſtianiſſimi Regis gratia, qua malignos conatus evertit.

Anno 1629 reverſum rurſus a maritimis expeditionibus ad terreſtres. Favit autem fortuna Batavis; nam Duſcoducum (*Sylvam Ducis*) in Brabantiæ finibus, & Veſaliam in Clivienſi Ducatu obtinuerunt: anno ſequenti vero Pernambucum, Braſiliæ munitiſſimum propugnaculum; non multo poſt Rhenobergam, Colonienſis ad Rhenum munimentum, Venloam, Ruremundam, Trajectum. Et, quod miſerrimum, cum captis urbibus capta etiam Religio: Sueco vires Hiſpanas diſtrahente, & Henrico Arauſicano occaſione magis ſtrenue quam pie utente.

Liberata eſt anno 1633 ex procelloſis mundi fluctibus & ad portum quietis tranſiit Iſabella Clara Eugenia, Philippi II Hiſpaniarum Regis potentiſſimi filia, Archiducis Alberti conjux lectiſſima, per 30 & ultra annos Belgii Gubernatrix pientiſſima: mulier vere fortis, quæ inter mundi hujus, ſemper variantis, inquieti ſemper, dextrum oculum ſemper ſurſum elevavit, virtutum omnium idea abſolutiſſima. Mirum, quod tanta Principum clementia rebellionem non flexerit. Sed illa erat generis calviniani. Nata fuit Iſabella anno 1566, mundo præluxit 67 annis. Belgium & Burgundia ad Regem Hiſpaniæ ſunt revoluta, thoro Alberti & Iſabellæ ſterili. **Obit Iſabella.**

ARTICULUS II.

Status Belgii sub Ferdinando Cardinale, & Henrico Auriaco.

20. *Galli in Belgium. Referunt ab Hispanis victoriam Aveniacam. Junguntur Batavis. Alternant victoriæ & clades. Obitus Ferdinandi Cardinalis. Succedit Melo felici quidem initio, sed non constanti. Domus Auriaca. Consilia de pace.*

Ferd. Gub.

Mortua Isabella missus in Belgium Gubernator *Ferdinandus*, Philippi IV frater, S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, 26 tunc annorum juvenis, sed animi magnitudine ætatem supplente. Is cum novo exercitu iter per Germaniam instituens, anno 1634 pars magna fuit victoriæ Nordlinganæ. Tum vero abstracto secum Trevirensi in Belgium, Præfecturam est auspicatus. (anno 1635)

In difficillima autem incidit tempora, quibus non tantum cum Batavis, sed Gallo etiam, novo hoste, eoque potentissimo, erat dimicandum. Unde mirum non est, plures urbes ab unitis istis viribus fuisse occupatas, cum Hispanum robur distractum non ubique præsens esse posset. Mirum potius, quod Ferdinandus Gubernator, qui copias tantis terrarum spatiis ex Hispania & Italia accersire debebat, & quidem, maribus infestis, terrestri itinere, non plus amiserit. Inspiciamus obiter ephemerides.

Hollandis accedunt Galli.

Anno 1635 Gallus abducto Trevirensi irritatus, bellum intulit Belgio, Castillionæo & Brezæo Ducibus: cum autem Thomas Princeps Sabaudiæ conjunctionem Gallorum cum Batavis impedire niteretur, in Brabantia prælio *Aveinensi* victus est 4000 Hispanorum cæsis, 500 captis, apparatu bellico & impedimentis amissis. Præmium victoriæ fuit Tillemontium, optandum Hispanis; nam conflatus ex Gallis & Batavis exercitus ingens, licentia ita diffluxit, ut nemini amplius esset terrori.

Pugna Aveniaca.

Schenckianam arcem munitissimam (quam videlicet Schenckius, nobilis Gelder, superiori sæculo ad Rheni divortium construxerat) Hispani Geldriæ præsidiarii noctu clam, applicatis scalis, interceperunt, cæsis Batavis, qui se opponere audebant.

Doluit

Doluit vehementer confœderatis tanti repaguli jactura; unde anno sequenti multo illud sanguine redemerunt. Hispani vero in Galliam irruentes, totam propemodum Picardiam occuparunt, terrore Lutetiam usque sparso: Henrico Condæo autem a Dolæ, permunitæ ad Dubim urbis, oppugnatione ab ipsis Burgundis depulso.

Infelicior Hispanis fuit annus 1637; nam Batavi *Bredam* in Brabantia expugnarunt, Spinolæ trophæum. Cautum Religioni. Sed aliud est promittere, aliud promissum implere. Quid exspectes ob iis, qui fidem DEO negarunt? Hispani quidem interea, cum obsidionem solvere non possent, Venlonam & Ruremundam in Geldria occuparunt. Sed unum plus erat, quam duo. Adhæc, ut Batavi commercium (animam suam) per omnes mundi partes propagarent, Minam in Africa, insigne Guineæ munimentum, Hispanis eripuerunt. Breda capta.

Nec minor pernicies a Gallis, qui Ivodium & Damvillerium ad Lotharingiæ fines, & Landresium, fortissimum in Hannonia munimentum, ductoribus Valeta Cardinale, & Candala, Espernonii Ducis filiis, decerpserunt.

Felicior Hispanis fuit annus 1638; nam & Geldriæ obsidium cum memorabili Batavorum clade solverunt, & Colloum, reportata insigni a Batavis prope Antverpiam victoria, receperunt. Gallosque ab Audomaro, non exigua, nobilium maxime, clade, a Principe Thoma, & Piccolomineo illata.

Annus 1639 inter victorias cladesque divisus. *Milleræus* Gallus, ille sæculi hujus Poliorcetus, machinarum magister incomparabilis, Hesdinum, firmissimum in Attrebatis locum, subjugavit. Contra vero Galli a Thionvillæ obsidione non exigua cum strage sunt repulsi. De Batavis nihil lego, quod hoc anno in Europa præstiterint, nisi præparationes ad futura incrementa. In India autem geminam per Trompium Archithalassum de Hispana classe retulerunt victoriam. Milleræus.

Anno 1640 Galli obtinuerunt Atrebatum, Artesiæ caput, urbem inter præcipua Belgii munimenta numerandam. Non ita feliciter Batavis cecidit alea; nam iterato in Geldriam urbem impetu fracto inglorii recesserunt. Ingens autem hoc anno non tantum Hispaniæ, sed Belgio quoque vulnus inflictum defectione Lusitaniæ & Cataloniæ, quia minora propter istos novos hostes subsidia in Belgium mitti poterant. Cum Joanne IV Lusitaniæ Rege a Gallis & Batavis mox in fœdus itum decennale.

Obit Ferd. Archid.

Annus 1641 geminam Belgio intulit jacturam, & Ariæ, urbis in Artesia fortissimæ, a Gallis abstractæ, & Ferdinandi Cardinalis, Belgii Gubernatoris. Obiit florenti ætate, septimo Belgicæ administrationis anno, vitæ 32, Princeps Austriaca pietate, non in morte duntaxat, sed & in vita sæpius experientia edoctus, quod non habeamus hic manentem civitatem.

Succedit Melo.

Successorem in Belgica Præfectura nactus est Franciscum *Melo*, Lusitanum ex Domo Bragantina, Fereyræ Marchionem, qui antea Prorex erat utriusque Siciliæ, & Mediolani Gubernator. Auspicatus adversus tantos hostes feliciter militare imperium anno 1662, redactis in potestatem Lendio & Bassæa, in Picardiam irrupit, atque ad Castelletum prope fontes Scaldis insignem de Gallis victoriam reportavit, captis duobus eorum millibus, & totidem ferme in acie cæsis. Ne victoriæ fructus carperet, obstiterunt ex altera parte Batavi, quibus obviandum erat, ne, dum profundius in alienam se regionem immitteret, propriam perderet. Imminebant insuper ad Mosam Venarienses. Arduum proin opus, exercitum non magnum tribus exercitibus in tribus locis opponere.

Belgii ruinæ.

Unde anno sequenti 1643 adversam Melo fortunam habuit; quippe, dum Rocroyum seu Regiam Rupem, Campaniæ in finibus Belgii urbem, obsidet, Condæus cum copiis fessis irruens non modicam passus est cladem. At refectis cibo somnoque militibus, altera die aggressionem repetens, plena potitus est victoria, cujus præmium fuere Rocroyi liberatio, & Thionvillæ, munimenti in agro Luxemburgico fortissimi, expugnatio.

Nec Batavis fortuna defuit, dum Cantelmum Ducem Hispanum haud procul Antverpia acie vicerunt. Fructus utrinque in annos etiam sequentes se exporrexit, quibus Batavi Aggeres Gandavenses & Hulstum, prævalidas Flandriæ urbes, Galli vero Gravelingam ceperunt.

Hanc urbem inter & Dunkercam in eadem Flandria situm est Mardicum, munita olim ad mare civitas. Hoc anno 1646 velut alea lusum, Gallis primus favit jactus, alter Hispanis, tertius iterum Gallis; quibus insuper accessit Cortracum, Vinoxberga, & quæ est plurium instar, Dunkerca, Condæi trophæum. Portum obsidebant navibus Batavi, ne subsidia intromitti possent. Sed felicior eis fuit hæc expeditio aliena quam propria, quam adversus Venlonam in Geldria susceperunt; nam irrito conatu ab oppugnatione recedere coacti sunt.

Anno

Anno 1647 utrumque Belgium, Hispanicum & Fœderatum acceperunt novos Gubernatores; illud quidem *Leopoldum* Wilhelmum Archiducem, Ferdinandi III Cæsaris fratrem, plurium Ecclesiarum Præsulem, adversus Suecos antea copiarum supremum Ductorem, hoc vero Wilhelmum II Nassovium, Principem *Arausicanum*, (alii *Auriacum* aut *Orangium*, vel *Oraniensem* appellant, ab Arausicano nempe in Gallia Principatu, quem Gens Nassovia hæreditario jure possidebat.) Successit autem Wilhelmus Henrico patri, anno isto defuncto. Fuit is Wilhelmi I Reipublicæ fœderatæ velut fundatoris filius, frater Mauritii, post cujus mortem administrationem nimis sttenue contra Hispanos gessit. Leop. Gub. Et Wilh. Nass.

Liberos, præter Wilhelmum II, reliquit 1 Ludovicam, quam Electori Brandenburgico despondit. Unde postea magna cum Nassoviis de hæreditate Arausicana contentio: 2 Albertina nupta fuit Principi Nassovio - Dietio. Unde liberi ex hoc matrimonio descendentes ab Ordinibus Batavis ad tantam potestatem evecti. Auriaca Domus.

Porro Wilhelmus II non ultra tres annos Gubernatoris munus gessit, ab anno videlicet 1647 ad 1650, quo obiit. Reliquit autem filium posthumum ex Maria, Caroli I Angliæ Regis filia, Wilhelmum III, qui ducta Maria, Jacobi II Regis Angliæ pariter filia, ad thronum magnæ Britanniæ fuit vocatus.

Respiciebant autem tam Hispani quam Batavi ad pacem; illi quidem, quia infirmiores se videbant, quam ut Gallis simul Batavisque resistant; ne igitur porro quot annis alias aliasque urbes amitterent, pacem cum Batavis, quamvis duram, ineundam potius ducebant, quam omnia perdere, satis hostium in Gallis & Lusitanis sibi superfuturum sapienter existimantes. Nec Batavis, 70 annorum bello fessis, pax displicebat, maxime, cum potentem Rempublicam jam constituissent, & Gallum nollent ultra in Belgio progredi, socium jam tunc magis timentes, quam hostem; hinc fœdere, cum eo inito, deserto, anno 1648 Monasterii in Westphalia in sequentes articulos convenerunt.

ARTICULUS III.

Pax Monasteriensis Hispano - Belgica anni 1648.

21. 1 Rex Hispaniarum Præpotentes Ordines Generales unitarum provinciarum cum earum ditionibus liberos, ac Dominos supremos, cum abdicatione omnis in eos juris agnoscit.

2 Pax sit firma, fidelis; cessetque omnis hostilitas terra marique.

3 Relinquuntur utrique parti, quæ actu possidet.

4 Subditi & incolæ utrinque fruantur amnestia, colantque amicitiam & inter se libera commercia.

5 Navigatio & commercia in utraque India conserventur conformiter privilegiis, utrinque datis, uti etiam in oris maritimis Asiæ, Africæ & Americæ Hispani continuent suas navigationes in India Orientali, tali modo, quo adhuc habent & utuntur, ita, ut ulterius eas non extendant: sicut vice versa incolæ unitarum provinciarum abstineant a frequentatione locorum Castilianorum in India Orientali.

6 In India Occidentali alter alterius portus navigatione & commerciis non subeat.

7 Pax in India Orientali incipiat post annum tenere: in Occidentali vero primum post medium annum, secundum limites, Societati Orientali & Occidentali præscriptos.

8 Subditi, in alterutrius terris commercia exercentes, non teneantur plus impositionis solvere, quam proprii respective subditi.

9 Extra limites suos pro mercibus transeuntibus nihil exigant.

10 Pars utraque in terris alterius fruatur a teloniis libertate antiqua, cujus in possessione pacata fuit ante belli initium.

11 Neutra pars alterius commercia aut negotiationes in terris suis impediat.

12 Rex tolli curret telonia ad Rhenum & Mosam, quæ ante bellum fuerant in provinciis Batavicis: uti etiam telonium zelandicum.

13 Pro sale, in alterius terras illato, non plus exigatur, quam a propriis subditis.

14 Scaldis, Canales Sassiæ, Swyndæ, aliique cum mari communicantes, ex parte Ordinum clausi teneantur.

15 Na-

15 Naves & bona omnia e Flandria venientia æqualibus respectu omnium exactionibus onerentur.

16 Civitates Hanseaticæ quoad navigationes & commercia in terris Hispanicis fruantur omnibus juribus, in hoc tractatu contentis, atque Unitis Provinciis concessis. Et vicissim istæ fruantur privilegiis illarum.

17 Subditi Ordinum in terris Regis gaudeant iisdem juribus, quæ sunt concessa Angliæ incolis.

18 Rex honesta designet loca, in quibus sepeliantur Batavi, in ipsius terris mortui.

19 Intuitu exercitii Religionis utrinque subditi modeste se gerant in terris alterius.

20 Naves, merces &c. non arrestentur, nisi via justitiæ exigat.

21 Instituatur *Camera bipartita* Judicum ex utraque parte, qui per vices alternas modo in unius, modo alterius terra resideant, & utriusque gentis inter se lites summarie & de plano cognoscant.

22 Sententiæ, contra personas, non defensas latæ, non dentur executioni.

23 Non sit licitum, cum bellicis navibus & militibus tanto numero, qui suspicionem movere posset, in alterius portus aut stationes intrare, nisi tempestas, vel alia necessitas ad evitanda pericula maris ad id cogat.

24 Bona, belli causa arrestata, aut fisco addicta, restituantur dominis suis aut eorum hæredibus, habeantque isti jus, propria auctoritate possessionem eorum adeundi, non obstantibus quibuscunque transactionibus & renuntiationibus.

25 Quod etiam locum habeat ad commodum hæredum defuncti Principis Wilhelmi Auriaci, etiam quoad jura in Salinis comitatus Burgundici.

26 Comprehendantur insuper bona & jura, in comitatu Burgundico & Charolesio sita: & quidquid juxta tractatum anni 1609 necdum est restitutum, id omne proprietariis, aut eorum hæredibus, vel actionem habentibus restituatur.

27 Item bona & jura, quæ post exitum treugæ duodecennalis per sententiam magni consilii Mechliniensis in præjudicium fisci Comiti Joanni Nassovio sunt adjudicata.

28 Princeps Auriacus adeat possessionem castelli Bellini, non obstante lite, dudum pendente, sublatis omnibus actionibus.

29 Si

29 Si alicubi ratione reſtitutionis difficultas moveretur, judex loci ocius curabit, ut ſortiatur effectum, breviſſimam viam amplectendo.

30 Batavis in ditionibus Regis licitum ſit, uti advocatis, procuratoribus, notariis, ſollicitatoribus, & executoribus, quibus viſum fuerit: & viciſſim.

31 Si bona aliqua confiſcata fuerint vendita, illis, ad quos pertinuerant, reſtituatur pretium.

32 Si vero creditoribus proprietarii ſint data in ſolutum, retrahere illa liceat proprietario & ejus hæredibus, reddito pretio.

33 Non tamen ſit locus retractui, ſi domus ſic ſint venditæ.

34 Meliorationes bonorum, ſi a prioribus proprietariis retrahantur, ſunt compenſandæ.

35 Omnia bona, quæ a Fiſco non ſunt annotata, proprietariis reſtituantur.

36 Uti etiam arbores amputatæ, ſi in fundo adhuc jaceant.

37 Item fructus, locationum pretia, cenſus, bonorum proventus, poſt concluſam pacem percepti.

38 Venditio poſt hunc tractatum facta, ſit nulla.

39 Domus reſtitutæ vel reſtituendæ ne onerentur plus præſidio militari quam aliæ.

40 Nemo a mutando domicilio impediatur, modo ſolvat jura ſolita.

41 Si quæ fortificationes aut opera publica in locis reſtituendis ſint facta, proprietarii æſtimatione bonorum, qualis prius fuerat, contenti ſunto.

43 Bona Eccleſiaſtica, ſi non ſint vendita, reſtituantur, & pertineant ad Collegia, Regi ſubjecta. Si autem ſint vendita, aut in ſolutum data, cenſus annuus ſolvatur ad rationem unius denarii ad ſedecim. Similiter fiat a parte Regis.

44 Bona, quæ Auriacus, ab Ordinibus accepta, poſſidet, ea firma ipſi maneant. Circa alias prætenſiones congrue ſatisfiat.

45 Puncta, privatis duobus inſtrumentis, anni 1647 pro Auriaco conventa, ſalva ſunto.

46 & 47 Tractant pariter de bonis privatis reſtituendis.

48 Legitimæ ſententiæ, quibus partibus jus dictum, teneant.

49 Rex renuntiet omnibus prætenſionibus, quas habet in urbem Graviam, & terram Cuickiam, quæ prius Domui Auriacæ oppignorata, dein vero tanquam propria conceſſa ab Ordinibus.

50 Ce-

50 Cedat item juribus in urbem & comitatum Lingæ, Bevergeerdæ, & Clopenburgi, ut maneant penes Auriacos.

51 Constituantur ab utraque parte Judices & executores in locis, proprietariis restituendis.

52 Superior tractus Geldriæ permutetur cum aliquo æquivalenti. Si autem conveniri non posset, remittatur causa ad cameram dispartitam, ut intra sex menses decidatur.

53 Rex & Ordines se obligant ad conservandam bonam amicitiam cum Cæsare & Imperio; curabitque Rex, ut Imperator illam confirmet.

54 Mobilia confiscata non sunt restituenda.

55 Actiones circa mobilia, ab Ordinibus remissæ, extinctæ sunto.

56 Tempus belli ab anno 1567 non computetur in alicujus præjudicium.

57 Qui durante bello alio migrarunt, fruantur effectu pacis, & habitent, ubicunque placuerit.

58 Nova fortalitia, canales, aut fossæ in Belgio in alterius præjudicium ne fiant.

59 Domus Nassovia ne afficiatur molestia, nec Comes Solmensis Gubernator Trajecti.

60 Privatus contraveniens paci puniatur in loco delicti aut domicilii. In casu tamen manifesto denegatæ justitiæ licitum sit per litteras Repressaliarum procedere.

61 Omnes exhæredationes & dispositiones, in odium belli factæ, sublatæ sunto.

62 Subditi utrinque successionis, tam ex testamento quam ab intestato capaces sunto, secundum consuetudinem locorum.

63 Omnes bello capti utrinque sine lytro liberi dimittuntor.

64 Solutio contributionum, quæ restant, ab officialibus dirigitor.

65 Maneant omnes in suis juribus.

66 Fruantur etiam effectibus treugæ duodecennalis.

67 Limites in Flandria & alibi determinentur.

68 Nominantur fortalitia, utrinque demolienda.

69 Registra, chartæ, & instrumenta utrinque extradantur.

70 Jus aquæ penes Slusam maneat, prout ei competit.

71 Agger injectus prope S. Donatum auferatur.

72 Includantur huic paci, qui intra tres menses utrinque nominabuntur. Interim ab Ordinibus nominantur Landgravius Hasso-Cas-

fo-Cassellanus cum suis terris, Comes Ostfrisiæ cum ditionibus & urbe Emda, Hanseaticæ civitates, specialiter Lubeca, Brema, Hamburgum.

73 Comiti Flodrovensi restituantur ablata.

74 Quæ a Legatis de Rutgero Hygensi tractata sunt, rata habeantur.

75 Conferant operam, ut viæ ac maria a prædonibus & pyratis purgentur.

76 Nihil committatur contra hunc tractatum; &, si quid commissum fuerit, illico resarciatur, abrogatis omnibus legibus & statutis adversis.

77 Hic tractatus a Rege & Ordinibus General. confirmabitur & ratihabebitur. Litteræ autem ratihabitionis debite subscriptæ, intra duos menses utrinque tradentur. Et tum primum hostilitas cesset.

78 Quando nempe fuerit commutatio ratihabitionum facta.

79 Tum vero pax publice promulgetur & omnis hostilitas cesset.

ARTICULUS IV.

Observationes in Pacem Hispano-Belgicam.

22. Crisis de Batavis. *Ad 1. Articulum.* Hic tandem fuit exitus 70 annorum belli, in quod Hispania multas classes, aureas & argenteas, frustra consumpsit. Mirum sane, potuisse gentem piscatoriam, ad sterilem Europæ angulum retrusam, in tantam magnitudinem excrescere, ut in omnes quatuor mundi partes dominationem exporrigeret, atque ad ultimum leges adeo pacis potentissimo Hispaniarum Indiarumque Monarchæ dictaret. Rei nauticæ, commerciorum, impigræ solertiæ, constantiæ hi fructus sunt. Industria mercaturam, mercatura pecuniam, pecunia militem, miles victoriam, victoria opimam pacem, pax septem provincias, cum magna Flandriæ & Brabantiæ parte, atque liberam ac præpotentem Rempublicam peperit, in paludoso ac sterili solo rebus omnibus abundantem.

Ad 2. Et fuit firma, adeo quidem, ut Batavus ex hoste in custodem genium Hispanici Belgii sit mutatus, non propter Hispaniam, sed propter se; quia sibi timebat, si proximus Ucalegon arderet. Hinc etiam munitarum urbium repagula postea depoposcit, suis præsidiis, alieno ære insidenda.

Ad 3.

Ad 3. Fœcundus hic Batavis Articulus attulit Hollandiam, Zeelandiam, Ultrajectum, Frisiam, Geldriam Inferiorem cum Zutphania, Gröningam Transysalaniam, septem opimas provincias, Sylvæducensem Marchionatum & Bergarum ad Zomam, Baronatum Bredanum, Trajectum ad Mosam cum comitatu Uronhovio, Graviam cum ditione Cuykia, Hulstam, Ambrachtam, Axeliam, Slusas, Cadsandiam, aliasque urbes, arces, & castella in Brabantia & Flandria; quæ omnia ad Hispaniarum Monarcham spectaverant.

Ad 4. Cum hoc sæculo cœptæ fuissent Ostendanæ in Indias navigationes commercandi causa, totis viribus se opposuerunt Batavi, quintum hunc articulum allegantes, quo reliquis Belgis jus ejusmodi navigationis & commerciorum volebant interdictum.

Verum hic articulus nec verbum habet de Belgio Hispanico, quo ei navigationis libertas adimatur: sed id duntaxat prohibet, ne pars alterutra navigationem suam extendat ad loca & portus alterius partis in India Orientali: prout manifeste patet ex adjecta clausula: *Sicut viceversa incolæ unitarum provinciarum abstineant a frequentatione locorum Castilianorum in India Orientali.* Crisis de libertate navigationis.

Poterant ergo Hispani salvo hoc tractatu navigare libere in Indiam Orientalem, modo abstinerent a locis, quæ ad Batavos spectabant. Multo magis id poterant Belgæ, quibus nulli sunt limites positi; quidquid igitur prohibitum fuisset Hispanis, non esset prohibitum Belgis; cum utique Belgæ non sint Hispani, quam parum Batavi sunt Hispani. Si aliquid prohibitum est Bohemis, an hoc ipso prohibitum est Hungaris? Multo autem maxime navigationes suscipere potest hodie Belgium Austriacum; cui nihil commune est cum Hispania.

Neque enim maris dominium arrogare sibi possunt Batavi, aut alias nationes a navigatione, aut maritimo commercio excludere. Mira profecto hic facta est rerum conversio. Cum Rex Hispaniæ prohibere volebat a navigatione in Indias Batavos, ad jura naturæ & gentium isti provocabant. Ediderat tunc ex eorum voluntate Hugo Grotius eruditum tractatum *de Mari libero*, in quo demonstravit, licere cuivis genti alteram adire, atque cum ea negotiari; tolli sic, jure naturæ & gentium assertam, humani generis societatem: neque etiam ipsum mare aut jus navigandi ulli genti proprium esse, utpote extra commercium humanum positum, ac proin neque titulo inventionis, vel occupationis, aut Et mari libero.

 præ-

præſcriptionis in alicujus dominium tranſire poſſe: niſi quis & aëris ſpirandi proprietatem ſibi velit vindicare.

Hæc tunc Batavi, cum mercatus ſuos necdum ita firmatos haberent. At mutatis poſtea rebus, cum Oſtendana inciperent florere commercia, alius Batavis factus eſt almæ naturæ genius, quia alium privatæ eorum rationes videbantur requirere. Iniquiſſimum ante erat Batavis, interdicta cæteris navigatione, Oceanum unius nationis mancipari obſequio. At poſtea viſum æquiſſimum, privato monopolio Europam premere, ipſique adeo omnibus communi Oceano jugum injicere. Scripſit in hanc rem pro Batavis Seldenus *de Mari Clauſo*, & vindicias *Maris Clauſi*: ſed ſtrenue eum confutavit Pattinus Belga in tractatu ſuo de *Mari libero*, atque ex Batavorum principiis, ex ore Grotii olim loquentium, theſin ſuam comprobavit.

Ad 6. & ſeq. Usque ad articulum vigeſimum tractatur de libertate navigationum (quæ antea Batavis a Rege Hiſpaniarum erant inhibitæ) de commerciis, tollendis teloniis, & aliis exactionibus. Batavi nempe, quorum anima ſunt navigationes, negotiationes & commercia, omni ope adlaborabant, ut hæc ipſis firma, ſecura, & oneribus ſublevata manerent.

Scaldis oſtia clauſa.

Memorabilis eſt Articulus 14, quo decernitur, ut Scaldis oſtia oocluſa teneantur. Timebant nempe Batavi, ne commerciorum alveus rurſum *Antverpiam* derivaretur. Erat quippe hæc urbs Brabantiæ, ad Scaldin ſita, tot tantisque commerciis olim frequens, ut parem vix in orbe habuerit. Sed Hollandi omnes vires impenderant, ut mercatores atque negotiationem Amſtelodamum transferrent; quo ſane Brabantia, & Belgium Hiſpanicum univerſim, dimidium velut ſui amiſit.

Ubi notandum, Batavos Scaldin, Saſſiæ & Swindæ canales voluiſſe clauſos; de Oſtenda, Neoporto, aliisque urbibus maritimis, earumque portubus nullam fieri mentionem. Si voluiſſent Batavi, inhibitas eſſe Belgio Hiſpanico navigationes per Oceanum, ante omnia exprimi debuiſſet portus Oſtendanus, præcipuus, quem tunc Rex Hiſpaniæ poſſidebat.

Sequentes articuli usque ad 50 tractant de reſtituendis bonis immobilibus, nominibus, & juribus, intuitu belli ablatis aut confiſcatis. Et quia Domus Auriaca in Belgio & Burgundia ab antiquo bona aliqua poſſidebat, & alia Wilhelmus a Carolo VI, ejus vero filii, Mauritius & Henricus ab Ordinibus plura ſunt conſecuti,

ti, jubentur iſta reſtitui, etiam ea, quæ Joanni Naſſovio, Comiti Catholico, a Rege ſunt aſſignata.

Ad 53. Quæ hic dicuntur de conſervanda amicitia cum Cæſare & Imperio, a Ferdinando III eodem anno 1648 edito Diplomate ſunt confirmata.

Ad 56. Decernitur hic, ut præſcriptio tempore belli cenſeatur non currere.

Ad 72. Poſt pacem initam a Batavis adhuc incluſi eidem fuerunt Comes Solmenſis & Bentheimenſis: Comes Oldenburgicus vero obtinere non potuit, ut includeretur, ob odium telonii, Viſurgi impoſiti.

Ex parte Regis vero fuerunt incluſi, Imperator, Rex Bohemiæ & Hungariæ, omnes Archiduces Auſtriæ, S. R. J. Electores, Principes, & Civitates, nominatim Joannes Princeps Anhaltinus, Comes Oldenburgicus, Schwarzenburgicus, & Civitates Hanſeaticæ.

Ad 77. Confirmarunt eodem adhuc anno Rex & Ordines hanc pacem, per Gaſparem de Braccamontio & Gusmania Comitem Penerandæ, Joſephum Burgænium Archiepiſcopum Cameracenſem, & Antonium Brun, ſupremi Conſilii Flandrici aſſeſſorem: ex parte Batavorum vero per D. a Gent, & ſeptem alios legatos.

ARTICULUS V.

Tractatus Commerciorum 23.

Inter Regem Hiſpaniæ & Fœderatum Belgium Synopſis.

Poſt pacem concluſam ſeparatus contractus, ad navigationes & commercia ſpectans, fuit initus eodem anno & loco, 18 capitibus conſtans.

1 Batavi omni libertate & ſecuritate ad omnia regna & regiones, cum quibus pace aut neutralitate gaudent, navigationes inſtituent, & in iis commercia exercebunt.

2 Neque libertas hæc commercandi turbetur, licet Rex cum illis bellum gereret.

3 Etiam reſpectu Gallorum, cum quibus Rex eſt bello implicitus.

4 Sic tamen, ut Batavi merces e regionibus Hiſpanis ad hoſtes

ftes Regis non deferant, quæ hofti adverfus Regem fervire poffent.

5 Neque ad alios Regis hoftes Batavi merces interdictas vehant.

6 Interdicta autem cenfentur omnis generis arma, & apparatus bellici.

7 Non autem frumentum, vinum, oleum, fal, aliaque ad fuftentandam vitam neceffaria. Quæ proin ad hoftes Regis deferre poffunt, non tamen ad urbes, ad eodem obfeffas.

8 Hinc naves Batavæ, ad hoftes Regis iter facientes, falvum conductum, & teftimonium, quod nullas interdictas merces vehant, Hifpanis exhibeant: quo facto, non explorentur naves, neque ulla moleftia afficiantur: fed liber illis curfus relinquatur.

9 Hic falvus conductus cum expreffione mercium, quæ vehuntur, exhiberi debet, cum jufta eft fufpicio, interdictas merces vehi ad hoftes Regis.

10 Tunc enim exhiberi debet.

11 Et Hifpanæ naves Batavis in mari occurrentes fcapham mittant, & litteras falvi conductus exigere poffunt, quibus fides habenda, nullas interdictas merces vehi.

12 Si merces prohibitæ in Batavorum navibus reperirentur, fifco addicantur, non tamen navis, aut aliæ merces, non prohibitæ.

13 Si autem Batavi merces aliquas Regis hoftium navibus imponerent, omnes fifco addicantur, licet alias non fint ex genere prohibitarum.

14 Si autem Batavorum navibus aliquæ merces, quæ Regis hoftibus funt propriæ, effent impofitæ, liberæ funto, exceptis interdictis.

15 Vice verfa fubditi Regis iisdem privilegiis in navigationibus & commerciis fuis refpectu Batavorum gaudebunt, ita, ut per omnia fit utrinque æqualitas.

16 Ifti commerciales articuli explicandæ paci Monafterienfi inferviant, fi aliquid dubium aut contrarium in illa occurreret.

17 Hic tractatus non minorem vim habeat, ac fi originali tractatui foret infertus. Poffuntque partis utriusque confenfu aliæ infuper cautelæ adjici, fi orituris forte controverfiis per iftas non fatis effet præcautum.

18 Hic tractatus intra quatuor menfes ab utraque parte ratihabebitur & confirmabitur.

Nota

Nota.

Neque in isto commerciorum Tractatu vel apex exstat, quo Belgio Catholico interdictum esset navigatione in Indias ad exercenda commercia; quin imo statuitur plena in omnibus æqualitas sine ulla exceptione. Profecto, si Batavi reliquos Belgas a commerciis & navigationibus voluissent exclusos, debuissent vel in pacis vel in hujus tractatus commercialis articulis aliquam eorum mentionem facere.

ARTICULUS VI.

Tractatus Commerciorum

Inter Hispanos & Urbes Hanseaticas anno 1647 *conclusus Monasterii.*

Antequam turbæ Belgicæ fuerant exortæ, neque Hollandis aut aliis nationibus licitum erat, merces ex Hispanorum aut Lusitanorum ditionibus Indicis exportare, sed ab istis in Europam devectas emebant. At vero cum bellorum motus exsurgerent, non amplius Gadibus aut Olyssipone eas devehebant, sed cum ingenti Hispaniæ & Lusitaniæ detrimento in Indias navigarunt, ut a prima manu eas reciperent. 24.

Indulgere hæc denique debuit Hispanus; & cum Hanseaticis civitatibus jam anno 1607 tractatum commerciorum iniit. Cum autem variæ adhuc lites orirentur, civitates illæ per legatos suos, in Westphalia cum aliis congregatos, Comitem de Peneranda rogarunt, ut renovationem tractatus a Rege impetraret. Assensit ille: conventumque in quatuor articulos, iis ferme similes, qui anno dein sequenti cum Batavis sunt constituti.

1 Confirmantur privilegia & immunitates, Hanseaticis civitatibus antehac concessæ, ut libere iis uti possint: sic tamen, ut, quæ Batavis, ipsis etiam sint interdicta, &, quæ istis concessa aut concedenda, ipsis etiam permissa intelligantur, præsertim, cum præcipuæ Batavorum civitates societatis Hanseaticæ sint membra.

2 Nautæ unam tantum specificationem navium & mercium exhibere teneantur. Si autem pax vel induciæ cum Batavis fuerint initæ, nihil amplius fore testandum, quam quod merces ad Hansea-

ſeaticas civitates pertineant, aut ad illas, quibus ſimilia privilegia a Rege fuerunt conceſſa.

3 Poſſint Hanſeatici cum hoſtibus Regis commercia exercere, merceſque terra marique apportare vel exportare, iis duntaxat exceptis, quæ bellico uſui inſerviunt, & ex Regis ditionibus evectæ fuerint.

4 Hanſeatici fœderis civitates gaudeant commoditatibus, quas Rex cuicunque alteri Principi aut Statui, neutrali atque amico, quocunque tempore aut loco ſit conceſſurus.

Subſcripſerunt nomine Regis Comes Peneranda, Archiep. Cameracenſis & Brunus: nomine civitatum, Lubecenſis, Bremenſis, & Hamburgenſis, Legati.

ARTICULUS VII.

Cauſæ belli Anglo - Batavici.

Trompius ter victus a Blacko Anglo. Plus damni a tempeſtate patiuntur Batavi. Pacem a Cromwelo impetrant.

Batavi, bello Hiſpanico liberi, dum navigationibus & commerciis ſuis intenti, ex orbe univerſo opes collectas accumulant, brevi cum Anglis, negotioſa pariter gente, & eorum Protectore Cromwelo gravi bello colliſi ſunt. Cauſæ, æmulatio, maris imperium, quæſtus.

Diſſimulabant hactenus Angli, vel turbis domeſticis præpediti, vel odio Hiſpanorum cohibiti, quos optabant minui, creſcentem in dies, & in omnes orbis partes Batavorum diffuſam potentiam maritimam; at, ubi pax Monaſterienſis, & fœdus etiam commerciorum coaluit, invidia urente, limites Batavis figendos exiſtimabant, ne Anglico Neptuno Tridentem eripiant.

Bellum Anglo - Hollandicum.

Querebantur inter alia non exigua in Indiis damna, atque a Scaldis in Belgio uſu ſe prohiberi. Cauſa tamen proxima erat halecum piſcatio ad Angliæ littora, quam Batavi ſine vectigali magno cum lucro exercebant.

Paratur utrinque animoſe bellum. Sexcentas naves, quarum quælibet 30 tormenta caperet, a Batavis inſtructas narrat Puldenius ad annum 1652. Favebant eisdem Hamburgum & aliæ civitates Hanſeaticæ, non modico allato auxilio. Rei ſummæ præfectus

Trom-

Trompius, uti audax, ita belli maritimi gnarus, qui Hispanas classes sæpius fuderat.

Nihilo tamen secius *Blackus* Anglicæ classis Præfectus trino navali prælio eundem ita devicit, ut amissis plurimis navibus & milite exanimis caderet. Substituit tum quidem Respublica Trompio Wassenarium Obdamum; sed cum ad quartam pugnam essent accincti, procellosus turbo ita mare bis concitavit, ut utrique parti multo plus damni afferret, quam triplex prælium. (*anno 1653.*) Trompius a Blacko ter victus.

Inclamarunt tum quidem Batavi Galliæ, Sueciæ, & Daniæ auxilia, & missis Oratoribus Regis Lusitaniæ, quem in Brasilia sibi bellum moturum timebant. Sed cum hæc subsidia incerta essent, & longinqua, ad pacem animum inclinarunt; eamque anno sequenti 1654 Londini a Cromwelo impetrarunt, adjecto fœdere. Pax.

ARTICULUS VIII.

Capita Pacis & Fœderis

Inter Cromvvelum Angliæ Protectorem & Belgas Fœderatos.

Synopsis.

1 Sit sincerior amicitia, unio, & fœdus inter utramque Rempublicam. 25.

2 Cesset omnis hostilitas.

3 Sit amnestia & oblivio omnium præteritorum.

4 Omnes capti sint liberi.

5 Alter status alterius libertatem defendat contra quoscunque.

6 Neuter aliquid agat in præjudicium alterius; nec aliis auxilium præstet, sed contradicet & resistet.

7 Neuter alterius rebelles foveat, aut juvet, sed utriusque Reipl. hostes judicentur, & perduellionis pœnam in loco delicti luant.

8 Utraque Resp. sibi mutuo terra marique opem feret, prout opus fuerit, contra alterius hostes & rebelles, sumptibus tamen rogantis auxilium.

9 Neutra alterius hostes aut rebelles recipiet, neque in mari, portu, aut terra.

10 Sed monita Resp. quod sint rebelles, illos expellet.

11 Quamvis propria ibi bona haberent: nec ulla illos ope juvabit.

12 Utriusque Reip. incolis liceat omnes ditiones portusque in Europa intrare, mercesque importare aut exportare, ſic tamen, ut conſueta portoria, vectigalia, aut cenſus ſolvant; quos alii extranei ſolvunt.

13 Si naves Batavæ in maribus Britannicis navi bellicæ Anglicanæ obviabunt, vexillum ſuum e mali vertice detrahent, & ſupremum velum demittent.

14 Neutra pars piratas aut prædones in ſuos portus recipiat, aut commeatum eis præbeat; ſed capiantur & puniantur, navesque eorum in alterutrius portum invectæ dominis ſuis reſtituantur.

15 Si alterutra fœdus aut amicitiam cum aliis Principibus aut Statibus ineat, alteram certiorem reddat, &, ſi voluerit, in eo fœdere comprehendat.

16 Fœdus hoc permaneat, licet aliqui contra illud delinquant. Sed delinquentes ſoli puniantur, & ad ſatisfactionem adigantur. Quodſi juſtitiæ ſe non ſubmiſerint, hoſtes utriusque partis judicentur. Bona illorum publicentur, & inde fiat læſis ſatisfactio: &, ſi in alterutrius poteſtatem venerint, pro ratione criminis plectantur.

17 Poſſunt utriusque partis incolæ libere & ſecure alterius urbes, & etiam munimenta intrare, mercimonia exercere (armati tamen non plus quam 40 ſimul) dummodo ſecundum ſtatuta loci ſe gerant.

18 Si naves mercatoriæ alterutrius portum intrent, a piratis vel tempeſtate compulſi, ſine moleſtia & vectigalis ſolutione, atque ſine viſitatione recedent: modo ibi nihil diſtrahant, aut agant contra leges loci.

19 Alterius naves non capiantur, aut arreſto ſubjiciantur, niſi ſumma neceſſitas cogat; ſalvis tamen legibus Reip.

20 Mercatores, eorumque inſtitores & famuli poſſunt cum armis intrare alterius portus & terras: ubi tamen in diverſorium ſuum devenerint, oportet ea deponere, donec ad navem redeant.

21 Si navis præſidiaria ſeu bellica in naves mercatorias alterius Reip. incidat, eas defendat, quamdiu eundem curſum tenuerint.

22 Si navis alterutrius in portu alterutrius ab exteris capiatur, communi opera raptam navim inſequantur & raptori ablatam domino reſtituant; hujus tamen ſumptibus.

23 Scru-

23 Scrutatores & alii officiales non plus exigant, quam leges & poteſtas, ſibi commiſſa, permittunt.

24 Non licet propter injuriam uti Repreſſaliis: ſed juſtitia eſt poſtulanda; hæc ſi ubique denegetur, litteræ Repreſſaliæ concedi poterunt.

25 Antequam quis ſpeciale diploma accipiat, per idoneos fidejuſſores caveat, ſe nullum damnum aut injuriam alterutri populo illaturum.

26 Portus alterius intrare liceat non tantum cum navibus mercatoriis & onerariis, ſed etiam cum bellicis ad eas reparandas, vel alimenta emenda: non tamen pluribus quam octonis. Pluribus ſimul intrare non licet ſine venia ejus vel eorum, ad quos portus pertinet, niſi tempeſtas aut vis alia cogat. Quo caſu illico Præfectum loci de adventus ſui cauſa edoceant: nec diutius hærebunt, quam ille indulſerit.

27 Curabunt Batavi, ut juſtitia fiat, qui in Amboina (*Hollandorum in India Orientali inſula*) Anglos occiderunt.

28 Se obligant ad reſtituendas naves & bona Anglorum, a Rege Daniæ durante hoc bello intercepta, ut mercatorum, nauclerorum, & proprietariorum damna reſarciantur.

29 Hæc ubi Batavi præſtiterint, ceſſabit omnis hoſtilitas, inter Anglos & Danos, ratione dictæ detentionis exorta, ita, ut Rex tanquam amicus in hoc tractatu comprehendatur.

30 Conſtituendi utrinque commiſſarii quatuor, qui examinent injurias & damna, quæ utraque pars ab anno 1611 ad 1652 in India Orientali, Braſilia, Moſcovia, Grœnlandia, ſe paſſam eſſe cauſatur. Si commiſſarii iſti convenire nequeant, prædictæ differentiæ ſubmittantur Proteſtantibus Helvetiæ Cantonibus, tanquam arbitris: & quidquid a commiſſariis, ab iis deputatis fuerit pronuntiatum, obligabit, & rite perficietur.

31 Hunc tractatum pars utraque firmiter obſervabit, & executioni dabit.

32 Batavi ſe obligant, quod Ordines fœderati, eorumque Præſides, Gubernatores, Præfecti militiæ, præſentes & futuri, juramento ſe ſint adſtricturi, ad hunc tractatum in omnibus ſervandum.

33 Intra 15 dies hic tractatus utrinque ratificabitur, confirmabitur, mutua inſtrumenta extradentur, & publicabuntur: atque a tempore publicationis omnis hoſtilitas caſſabit.

Subſcripſerunt & ſignarunt commiſſarii Protectoris & Batavorum, Weſtmonaſterii 5 April. 1654.

Not. Batavi in hoc tractatu Cromvelo Protectoris & celſitudinis sereniſſimæ titulum tribuerunt. Confirmavit autem tractatum ſua auctoritate de aſſenſu ſui conſilii.

Poſt hanc pacem concluſam adjecti adhuc ſunt duo articuli ſeparati. Primus in tractatu comprehenſos continet, his verbis: *Conventum eſt, quod in tractatu pacis, unionis, & confœderationis inter Sereniſſimum Celſiſſimumque Dominum Protectorem Reipublicæ Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ &c. ab una parte, & Celſos ac Potentes Dominos Ordines Generales unitarum Provinciarum ab altera, includantur Cantones Helvetici Evangelici, Dux Holſatiæ, Comes Oldenburgicus, Civitates Hanſeaticæ Lubeca, Brema, Hamburgum.*

Alter concernit Domum Auriacam; cum enim Wilhelmus III ultimus Oranienſis ſtirpis ſurculus, quatuor tunc annorum puer, natus eſſet ex Maria Stuarta, Caroli I Angliæ Regis, a Cromwelo & aliis Calviniſtis crudeliter interempti filia, Cromwelus, qui totam Stuartorum Familiam exciſam volebat, vehementer inſtitit, ut Batavi promitterent, ſe neque, quem diximus, Wilhelmum, neque ullum ex ejus poſteris, in ſupremum, ut vocabant, Capitaneum militiæ, aut claſſium Præfectum, electuros, eam cauſam prætexens, alias facile poſſe contingere, ut hoc fœdus rumpatur, & bellum recrudeſcat cum magno religionis reformatæ periculo.

Excluſio Domus Auriacæ.

Negabant initio Batavi, ſe eam conditionem inire poſſe adverſus Domum, erga ſe tam bene meritam. Tandem vero in vota Cromweli conceſſerunt, ac declararunt, *ſe nullo unquam tempore electuros prædictum Arauſionenſem Principem, ullumve ejus lineæ in Locum-tenentem vel Admiralem ſuæ provinciæ, nec aſſenſuros quoad ſuæ provinciæ ſuffragium, ut unquam ei ſummum in militiam Generalatus imperium conferatur.*

Quantopere hæc, verſis in Anglia rebus, ſint mutata, experta eſt poſterior ætas, quæ non tantum vidit hunc Wilhelmum Locum-tenentem, & ſupremum Gubernatorem terra marique, anno 1672 a Batavis electum, ſed etiam Regem Magnæ Britanniæ. Adeo verſatiles ſunt res humanæ & incerta conſilia.

ARTI-

ARTICULUS IX.

Obſervatio de Domo Auriaca & Gubernatoribus Belgii Fœderati.

Arauſionenſis liber in Provincia Principatus (ſic dictus ab urbe Arauſione, in qua tria celebrata fuerant Concilia Arauſicana) ab antiquiſſimis temporibus proprios Dominos habuit: per fœminas poſtea devolutus, primum ad Domum Chabilionenſem in Ducatu Burgundico, dein vero ad Noſſoviam in Germania. Ex ea primus ſucceſſit Renatus, dein Wilhelmus I Fœderati Belgii Fundator & Gubernator, tum ejus filii Mauritius & Henricus, qui magna auctoritate Rempublicam regebant. Henrici filius Wilhelmus II electus quidem pariter fuerat a Batavis Gubernator, ſeu ſupremus Locum-tenens, ſed minus erat gratus; & cum Amſtelodamum noctu cum armatis vellet obruere, paulo poſt inventus eſt exanimis, non ſine ſuſpicione, anno 1650. Reliquit filium poſthumum Wilhelmum III, quem factio Löwenſteinia nonebat Gubernatorem usque ad anno 1672, quo Gallus irrupit; tunc enim Wittiis occiſis, ab omnibus provinciis fuit electus (excepta Friſia & Gröninga, quæ Gubernatorem ex Familia Naſſovio-Diecenſi ſibi elegerant). Poſt mortem Wilhelmi III (qui Rex etiam Angliæ fuerat) ab anno 1702 quinque provinciæ nullum Gubernatorem ſubſtituerunt, donec anno 1728 Geldria & Tranſiſalania, Friſiæ Gubernatorem Wilhelmum Friſonem pariter aſciſcerent, & anno 1747 reliquæ quoque provinciæ, & quidem ita, ut hæc dignitas ſit hæreditaria, deficientibus maſculis ad fœminas etiam devolvenda. Factum id in gratiam Georgii II Angliæ Regis, cujus filiam Friſo conjugem habebat. Natus eſt ex eo matrimonio 1748 Wilhelmus, qui 1751 patri in munere Gubernatoris, Archithalaſſi & Capitanei Generalis hæreditario ſucceſſit ſub tutela matris, & quia, ſi Wilhelmus improlis decederet, devolveretur hæc dignitas ad ſororem ejus Caroli; nam obſtabant initio Batavi, ne Carolo Principi Naſſavio Weilburgenſi nuberet ob diverſitatem religionis, cum hic ſit Lutheranus. Porro Wilhelmus III 1702 Diecenſem Friſonem Principatus Arauſionenſis & aliorum bonorum hæredem teſtamento inſtituit. Sed oppoſuit ſe Brandenburgicus, ad antiquius teſtamentum Henrici Auriaci avi ſui materni, ſe referens, quo, velut fideicommiſſo, mater ſua ſit ſubſtituta 26.

mascalis ex Henrico descendentibus.

Tenuit hæc lis ad annum 1732, quo hæreditas illa transactione divisa est: & quidem Brandenburgo cessus est comitatus Moërsiæ, in Principatum dein conversus, Comitatus Lingensis in Westphalia, Herstalli ditio, postea Ecclesiæ Leodiensi vendita, Wateringa cum multis aliis in Belgio possessionibus: Frisoni vero obvenerunt Breda, Gravia, Flissinga, cum multis aliis urbibus & ditionibus in eodem Belgio. Arausionensis vero Principatus in pace Ultrajectensi a Brandenburgo, ut Geldriam urbem reciperet, cessus est Regi Galliæ, qui extirpatis Calvinistis, eum anno 1732 in Principem Contium transtulit.

ARTICULUS X.

Continuatio belli Hispano - Gallici. Fœdus Galliæ cum Cromvelo.

27. Hisp. Victoriæ. Inter hæc, dum Angli Batavique de maris usu certabant, Galli Hispanique de terræ possessione dimicabant. Belgium Hispanicum, Gallis opportunum, erat theatrum belli præcipuum; sed cum ab anno 1649 turbæ civiles Franciam miscerent, & a Batavis esset quies, Hispani magnas res gesserunt; quippe, præter Barcellonam & Casalin, prima Cataloniæ & Pedemontii munimenta, Gravelingam & Dunkercam cum pluribus aliis urbibus in Belgio receperunt; &, quod est plurium instar urbium, Ludovicum Condæum Principem, quem cum pluribus Gallorum millibus, quos secum adduxerat, Mazarini odio Hispania debuit, futurum deinceps ad pacem usque Pyrenæam momentum ingens adversus patriam.

At post compositos in Gallia belli civilis motus, aliam Belgium faciem induit; quippe Rex, Rhemis sacro inunctus chrismate, expeditionem in Belgium, ut animos & alacritatem suis adderet, ipse suscepit, & primo quidem Stenæum subigit; dein vero
Clades. ad solvendam obsidionem *Atrebatensem* accurrit.

Quidquid Hispani roboris erat in Belgio, ad obsidendum Atrebatum, præcipuam Artesiæ urbem, fuerat collectum. Aderant in castris præsentes quinque Principes, Leopoldus Wilhelmus Archidux Gubernator Belgii, Ludovicus Condæus, Franciscus Nicolaus

laus pro fratre ſuo Carolo, carcere detento, Dux Lotharingiæ, Ulricus Dux Wirtembergiæ, Princeps Lignius, cum ſuis quisque copiis, multique alii Duces ac Proceres Hiſpani nominis.

In tertium jam menſem tenuerat obſidio, ingenti apparatu inſtructa, cum Rex atque Turenius Hiſpanorum caſtra, bina quantumvis foſſa protecta, tanta ferocia aggrediuntur, ut relata inſigni victoria urbem liberarent, univerſo hoſte aut cæſo aut capto, aut in fugam acto. Celebratur maxime Hocquincurtii, in caſtra irrumpentis fortitudo: aliis partibus Turenius, Seneteræus, Aumontius irruerunt. Hiſpanorum 9000 a Condæo ſervata fuiſſe a clade, refert Tuldenius, ſcriptor illius temporis, Germanus, ad annum 1654, quo hæc geſta ſunt. Attrebatum obſidione liberatum.

Victoriæ complementum fuit ad Moſam *Carolomontii* expugnatio, urbis in Hannonia monti impoſitæ, quam Carolus V Imperator operibus etiam communiverat.

Acceſſerunt anno ſequenti Gallis, ſub Turenio militantibus *Landreſium*, *Condatum*, *Fanum S. Gisleni*, permunita in Hannonia loca. Boviniacum captum a Gallis, receptumque ab Hiſpanis. Ad Bochanium, a Gallis tentatum, fortiter pro more dimicans Condæus vulneratus eſt, & circumſeptus a Gallis, enſe viam fugæ aperuit, vel ultro conceſſa eſt, ne caperetur cum periculo capitis. Quamvis enim tunc hoſtis eſſet (patriæ an Mazarini?) amabatur tamen, & ſumme æſtimabatur a Gallis, præſertim militibus, tum a ſanguine Regio, tum maxime a virtute militari. Urbes captæ.

Anno 1656 *Leopoldus Wilhelmus*, poſt geſtam per decennium graviſſima inter bella Belgii Præfecturam, miſſionem tandem, dudum optatam, a Rege Hiſpaniarum obtinuit, valetudine Imperatoris fratris inclinante, & ætate Leopoldi nepotis adhuc tenera, Auſtriæ rebus neceſſarius. Succeſſorem, Belgii Gubernatorem, Philippus IV miſit filium ſuum *Joannem Auſtriacum*, 27 tunc annorum florentem ætate, Cataloniæ antea Proregem. Leop. abdicat Præfecturam. Succedit Joan. Auſtr.

Et præclara ſane fuerunt imperii auſpicia, quibus cladem ſuperioris anni inſigniter reparavit. Valencenas (*Valentinianam* veteres dixere) fortiſſimam in Hannonia ad Scaldin urbem, omnibus viribus oppugnabant Galli, Turenio, Seneterræo, & Fabero Ductoribus. Ad hanc maximi momenti civitatem obſidione liberandam, ut Gallis innoteſceret, omnes nervos novus Gubernator intendit. Sed a ſuperiobus cladibus paucæ reſtabant copiarum reliquiæ. Unde omni cura ad eas augendas incumbens, decem armato-

matorum millia, prius a Cæsare exauctorata accepit, duo millia Franciscus Lotharingus, a Gallo, ad quem defecerat, redux, adducebat, alia Wirtembergius, alia ex Belgis & Hispanis collegit; quorum ipse Ductor supremus, comitantibus Condæo, Wirtembergio, Lignio, Caracena, præstantibus bello viris.

Gallos cædit.

His ergo Ducibus & copiis fretus Austrius Gallorum castra adortus, tertio insultu illa perrupit, ingenti hostium strage, direptis tormentis, & impedimentis. (*anno 1656.*) Receptum mox Condatum, & Fanum S. Gisleni, priore anno amissa. Supplicatione publica solenniter instituta, dictæ DEO Evcharistico, & propitiæ ejus Matri laudes.

Fœdus cum Cromwelo.

Hac clade affecti cum essent Galli, ut majori vi Belgio incumberent, Mazarinus, præter tractatum commerciorum (jam anno 1655 conclusum) similem ferme illi, quem Batavos inter & Anglos sancitum retulimus, novum fœdus anno 1657 cum Cromwelo iniit, contra Hispanos potissimum.

Conventum quippe in eo, ut utriusque opera bellum in Belgio impigre continuetur, cureturque, ut potissimum Flandriæ maritima oppida occupentur.

Ostendam, Dunkercam, Neoportum, & Gravelingam Anglorum fore, reliqua expugnanda Gallorum. Illis mari, his terra agendum. Nec desistendum bello, nisi utrisque fuerit satisfactum. Assistendum Sueco contra Danum, ejusque fœderatos in Balthico, Anglo classem, Gallo nummum suppeditante. Promovendum quoque communi studio bellum in Catalonia & Italia.

Cameracum liberatum.

Hoc grandi fœdere, simulque aliquot millibus equitum, quos Ulricus Wirtembergius, ab Hispano deficiens, adduxerat, Francus auctus, *Cameracum*, primæ magnitudinis in Belgio urbem, quæ ad Imperium olim pertinuerat, obsedit. Modicum inerat præsidium; sed ubi Condæus & Lignius, perruptis hostium castris, cum selecta manu in urbem evaserant, obsidio soluta est, atque ad *Mommedium* in Luxenburgicis meliori fortuna est conversa; nam tertio oppugnationis mense dedere se Gallis urbs coacta est, vel potius pro tanto sanguinis pretio vendita, ut emptores pœniteret.

Minori impendio Fanum S. Venantii in Artesia, a Gallis, Borburgum & Mardicum in Flandria ab Anglis Gallisque fuit expugnatum. Ab Ardresii vero obsidione non levi cum clade a Turenio repulsi sunt Hispani. Atque hæc fuit expeditio anni 1657 minus felix Hispanis, Condæo post liberatum Cameracum Gandavi ex febri decumbente.

At

At multo infelicior illis fuit annus 1658; quamvis enim Condæus, Gallico *Hesdini* præsidio cum Marescallo Hocquincurtio ad se attracto, urbem Hispano subjiceret, & Ostenda Spinteleti dolo (prout supra in Gallicis fuit narratum) fuerit servata, cum non exigua Anglorum Gallorumque clade; Joannes tamen Austriacus Gubernator, bis prælio victus a Turrenio, florem exercitus, tormenta, *Dunkercam, Gravelingam, Aldenardam, Menenium, Ipras,* insignes Flandriæ civitates amisit: Turrenio, Fertæo-Sene-terræo, & Faberto, Gallorum Ductoribus, victorias suas strenue prosequentibus.

Galli & Angli a Condæo cæsi.

Joan. Austr. bis victus.

Protritus jam satis erat per continuum 24 annorum bellum Belgicus Martis campus. Pax Hispanis, rebus suis retro labentibus, & aliunde gravi adhuc bello Lusitanico distractis, erat necessaria, ni, Gallo & Anglo incumbente, totum suum Belgium vellent amittere, & fortassis etiam Cataloniam. Rex Galliæ Sponsam Hispanam, Philippi IV filiam (proh! quanta adhuc bella pariturum!) prensabat. Mazarinus propter fœdus Anglicum, & relictam Cromwelo Dunkercam, alias apud Catholicos male audiebat. Alexander VII summus Pontifex, cum Electoribus Moguntino & Coloniensi, pacem impensissime commendabat.


Pacis consilia.

Unde primum in inducias, postea in Pacem *Pyrenæam* fuit conventum, anno 1659. Tractatus hujus epitomen infra dabimus, ubi de statu Hispaniæ agendi erit occasio; neque enim de solo Belgio, sed & de Catalonia & Italia, in quantum ad Hispanos spectat, fuerat transactum.

Pax Pyrenæa.

De Belgio conventum, ut Galliæ relinquatur in *Artesia* Atrebatum, Lillerium, Lentium, Hesdinum, Tereona: in *Flandria* Gravelinga, Muniti Aggeres, Burburgum: in *Hannonia* Landresium, Quercetum: in *Luxemburgicis* Thionvilla, Mommedium, Damvillerium, Ivodium, Chavantium, Marvilla: in *Gallia* Rocroyum, Castelletum, Limcampium.

Contra vero Hispano restituitur Aldenarda, Duxmida, Furna, Menenium, Cominæum, Ipræ. Dunkerca vero interim in manibus Anglorum relicta fuit.



ARTICULUS XI.

Alterum bellum Anglo-Batavum. Pax & fœdus. Bellum Gallo-Belgicum, ob prætenſum Jus Devolutionis. Angli, Batavi, imo & Auſtriaci negant Hiſpanis auxilium: & cur?

28. Belgio Hiſpanico ad quietem aliquam compoſito, Fœderatum rurſus arma cepit, altero cum Anglis navali bello implicitum. Cauſa eadem, quæ primi, gentis utriusque nauticæ æmulatio. Et primum quidem inter jurgia mercatorum ſtetit. Secutæ navium direptiones, ac denique anno 1664 apertum bellum. Britannam claſſem ducebat Jacobus Dux Eboracenſis, Caroli II Regis Frater, Batavam Obdamus; cui, primo jam prælio cæſo, ſubſtituti Trompius & Ruiterus; quorum tanta erat audacia, ut in ipſa ad Londinum Thameſis oſtia ſe immitterent, ad cremandas Anglorum naves.

Bellum Anglo-Batavum.

Alterum prælium multo fuit pertinacius, in quartum usque diem acerrime continuatum, donec tempeſtas illud diremit, parte utraque ſibi canente Victoriam. Bellum hoc nutrivit Francus, atque ad ſpeciem acceſſit Batavis, qui tamen querebantur, ſpectatorem illum egiſſe.

Pax Bredana.

Anno 1667 *Pax Bredæ* inita, in plerisque articulis haud diſpar illi, quæ paucos ante annos cum Cromwelo fuerat concluſa; adjectumque fœdus *Defenſivum*, quo in caſum invaſionis ſibi mutuo promittunt 40 naves bellicas, hominibus & tormentis probe inſtructas, atque inſuper 6000 pedites, cum 400 equitibus.

Bellum Gallo-Belgicum.

Bellum iſtud Anglo-Batavicum aliud mox excepit Belgio-Gallicum, & quidem ex ea radice enatum, unde perpetuæ pacis nexum pullulare oporteret, ex matrimoniali videlicet fœdere Ludovici Regis cum Hiſpana Principe.

Ea quippe in Belgicis quibusdam provinciis, uti Brabantia, Arteſia, Geldria, viget conſuetudo, municipalibus etiam ſtatutis confirmata, ut liberi primi matrimonii præferantur in capienda hæreditate liberis etiam maſculis ſecundi conjugii: *Jus Devolutionis* Belgæ appellant.

Jam

Jam vero Philippus IV Rex Hiſpaniæ duas uxores habuit. Ex prima ſuſcepit Thereſiam, Ludovici Regis conjugem, ex altera Carolum II ſex tunc annorum puerum. Gallus igitur jus in Belgium per mortem Philippi IV, quam anno 1664 oppetiit, ad uxorem ſuam, aut Delphinum, ex ea natum, devolutum exiſtimans, centum millibus armatus Belgium invaſit anno 1667. **Ob Jus Devolutionis**

Miſerandus erat Belgii ſtatus, milite, ære, apparatu belli ferme vacuus. Hiſpania morbis ſuis laborabat, in puero vagiens ſub matre tutelam gerente. Acceſſit perpetua Gubernatorum mutatio, quorum modico tempore quatuor erant, Joannes Auſtrius, Ludovicus Caracena, & Caſtello-Rodrigius, Marchiones, Montereyus; ab Anglis Batavisque, Ludovici Regis artibus jam captatis, ſpes nulla. **Belgii Status.**

Quippe Carolus II Angliæ Rex, qui apud volubilem gentem res ſuas necdum ſatis firmaverat, nec illi ob venditam Gallis Dunkercam, motum nuper in Hollandos bellum, & Religionis Catholicæ ſuſpicionem, admodum gratus, Galliam cum materno lacte imbibiſſe viſus eſt, totumque ſe Ludovico, amitino ſuo, ceu labantis regni fulcro, applicuit.

Unde Oratores Domus Auſtriacæ, ſubſidia petentes, frigido reſponſo dimiſit; gravi bello vix defunctum non poſſe ſe in gratiam alienæ Domus novo immergere: Cæſarem quoque atque Hiſpanum nihil opis attuliſſe patri ſuo, magis indigo, ſibique ad comparandum avitum regnum: timores, quos ſpargerent, procul eſſe ab Anglia, foſſa illam ſat magna eſſe obvallatam: Belgium prius omne Hiſpaniam, Germaniamque adeo fore perrumpendam. Interea ſat temporis lapſurum capiendo conſilio. **Angli reſponſum.**

Batavi, quibus periculum propius, domeſticis diſſidiis ſciſſi, in duas abibant partes. Altera erat *Auraufica*, quæ Wilhelmum III juvenem Gubernatoris dignitati reſtitutum volebat. Huic Anglus avunculus, & Brandenburgus affinis, favebant. Altera *Lövvenſteinia* (ab arce hujus nominis ſic dicta, in quam ultimus Gubernator factionis hujus capita conjecerat) *Wittiorum* fratrum auctoritate ſuffulta, Præfecturam illam ſupprimere ſatagebat; huic addixit ſe Gallia. Principes Imperii a capite erant diviſi: atque in fœdus ſuum Rhenanum, quo tranſitum militi in Belgium negabant, abſtracti, Gravello & Grammonvillio, Franciæ Oratoribus facundia & largitionibus Ratisbonæ & in aulis dominantibus. **Batavorum diſſidia.**

Ipſa adeo aula Cæſarea, Aurſpergii maxime auctoritate, cunctabatur, quod, Hiſpanæ infirmitatis gnara, ſibi uni bellum graviſſimum incubiturum metuens: pauciores eſſe Cæſaris copias, quam ut tantæ moli ſufficiant: in novos autem delectus nec pecuniam, in Bella Turcica & Hungarica expenſam, nec tempus ſuppetere: fœderibus opus fore: ſed unde illa petenda, tota Europa largitionibus Gallicis in lethargum data? Et quantumvis Cæſari ſat copiarum præſto foret, qui obſtantibus Imperii Principibus in Belgium trajicerentur, nullam rationem apparere, niſi Rhenanum ipſorum fœdus, Brandenburgi nupera acceſſione tam validum, prius rumpatur, aut vi aperiatur via, quod imprudentiæ foret, Crequio præſertim cum juſto exercitu in Lotharingia excubante. Conſultius facturam Hiſpaniam, ſi urbium aliquot impendio pacem redimat, ne totum amittat, aut cum Luſitano utcunque tranſigat, & militem ac 13 milliones, quot annis in bellum illud conjici ſolitos, in Belgium transferat.

Auſtria.

ARTICULUS XII.

De Jure Devolutionis.

Libellis quoque Gallum inter & Hiſpanum certatum. Ille jus Devolutionis, in Belgio vigens, adſtruebat: abdicationem Thereſiæ fuiſſe irritam, atque juribus omnibus repugnantem. Neque dotem, Thereſiæ integre fuiſſe ſolutam, ſub cujus conditione abdicatio ſit facta. Cæterum Regem moderatione uſurum, & parte contentum, jus in reliqua abdicaturum. Hic vero repoſuit, aliam multo eſſe Regiarum perſonarum rationem, atque privatorum de plebe hominum: ſupremorum Principum hæreditates non eſſe definiendas ad Romani Juris aut Provincialium legum formulam. Abdicationem luculente eſſe factam, & quidem abſolute, nulla adjecta conditione; hanc non modo, recepto apud fœminas Principes more, ubique gentium haberi pro valida, ſed etiam ex conſuetudine apud Nobiles fœminas in Belgio vigente; earum enim renuntiationes, in favorem fratrum, qui ſoli ſtemma nomenque Gentilitium propagant, factas, a nemine vocari in dubium.

Cæterum renuntiationem Thereſiæ non eſſe factam in eum caſum, quo maſculus hæres ſupereſſet; nam tunc illum proprio ſuo jure, ſexus

xus prærogativa, recepto in omnibus regnis more ſucceſſurum; ſed abdicationem Thereſiæ reſpicere caſum, quo nullus maſculus ſupereſſet.

Antiquiſſima in hanc rem eſſe documenta. Jam anno 1204 Rom. Regem Philippum in Principum apud Confluentiam conventu ſuccedendi in Brabantia leges ſtatuiſſe his verbis: *Inſuper regia noſtra auctoritate ſtatuimus, & memorato Duci concedimus, ut filiæ ſuæ, ſi maſculum hæredem non habuerit, in feudis ſuis libere ei tanquam maſculi ſuccedant.* Idem ſancitum anno 1549 a Carolo V ratione Geldriæ & Zutphaniæ.

Nullum proferri poſſe exemplum, quo fœmina in regimine publico ejusdem gradus maſculo fuerit prælata. Contra vero non deeſſe exempla illuſtria, quibus id genus jus devolutionis prætenſum fuerit neglectum. Carolum V & Philippum II mortua prima uxore de provinciis Belgii libere diſpoſuiſſe; quod facere non potuiſſent, ſi ad liberos primi matrimonii per mortem matris jam fuiſſent devolutæ.

Si jus devolutionis in Belgii Principum ſucceſſione viguiſſet, Philippum III non fuiſſe ſucceſſurum, utpote ex quarto Philippi II matrimonio genitum, cum adeſſent ſorores ex tertio ejusdem connubio natæ. Igitur ſucceſſuram fuiſſe primo Iſabellam, atque poſt hujus mortem Catharinam, Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci nuptam, Domumque Sabaudicam, ex ea in hodiernum diem propagatam: & tamen neminem ſucceſſionem Philippi III, ex poſterioribus nuptiis geniti, ex hoc capite impugnaſſe. Hunc autem caſum prorſus eundem eſſe cum noſtro; nam ſicut in hoc Carolus II ex poſteriore matrimonio erat prognatus, ſic in illo Philippus III.

Carolum V anno 1549 legem, aſſentientibus Ordinibus, tuliſſe, ut omnes Belgii provinciæ ſub uno Principe unitæ maneant; hoc autem fieri non potuiſſet, ſi in aliquibus jus viguiſſet, & ſic diverſa in diverſis provinciis fuiſſet ſuccedendi ratio.

Quapropter a populari conſuetudine aliquarum provinciarum (ut inquiunt) nulla eſt illatio ad Principum ſucceſſionem; prælterquam enim, quod, prout ex dictis eluceſcit, alia de iſta ſit diſpoſitio, alius uſus, diverſa etiam eſt ratio; privata etenim bona facilius ad fœminas devolvuntur, quam Principum populorumque publicum regimen. Unde jure quodammodo gentium receptum eſt, ut in regnis & principatibus fœminæ non ſuccedant, extantibus maſculis, idque ſine diſcrimine, an ex primo, an vero ex ſecundo matrimonio ſint

 geniti:

geniti: imo in multis incapaces omnino ſucceſſionis ſunt fœminæ, niſi ſpeciali privilegio ſint habilitatæ; ut conſtat ex ſucceſſionibus in Principatibus Romani Imperii. Et in ipſa Gallia quam longe diſpar eſt ratio. Quare privatorum illam ſpecialemque conſuetudinem, a communi uſu abhorrentem, nullatenus ad principatus extendendam eſſe contendunt.

Neque etiam propter ſolutam needum dotem renuntiationem reſcindi; nam promiſſorem poſſe purgare moram. *L.* 27 *ff. de Verb. obl.* Et, ſi rigidiſſime procedatur, non eſſe eum moræ effectum, ut contractum reſcindat, ſed ut damnum, quod inde evenerit, ſarciatur: ita, ſi emptor in ſolvendo pretio moram fecerit, uſurarum, ſeu ejus, quod intereſt, præſtatione defungatur, illæſo manente contractu: prout ipſi etiam Galliæ Juriſconſulti paſſim doceant, renuntiationes regiarum filiarum ratam agnoſcentes, nec Juris privati legibus, interprete etiam conſuetudine, ſubjectas.

Progreſſus Lud. Regis.

Sed facilius erat Hiſpanis, pennis quam gladiis dimicare. Rodrigius Gubernator tricena, quæ habebat, millia, urbibus præſidio impoſuit. Sed quia nullus erat campeſtris exercitus, Gallus trimeſtri ſpatio Carolo-Regium, Furnam, Athum, Inſulas, Tornacum, Duacum, Montes, Aldenardam, Cortracum, Armentariam, venatione quodammodo cepit, anno 1667 & anno ſequenti, rigente hyeme, totum Burgundiæ Comitatum per Condæum, unius ferme hebdomadæ ſpatio.

Cur pacem inierit.

Facile tunc Ludovico fuiſſet, reliquum etiam Belgium victoriis percurrere; ſed videbat grandem coire tempeſtatem, quæ tandem exoneratura ſe eſſet in Galliam. Regina Hiſpaniæ pacem, quamvis duram, inire compulſa cum Luſitania: atque inde Joannes Auſtriacus 20000 propediem adducturus nuntiabatur. Tota Europa videbat, quo tanti Franciæ progreſſus eſſent evaſuri, niſi ad commune velut incendium reſtringuendum accurreretur. Anglia, Suecia, Batavia ad *Triplex Fœdus* percutiendum ſe accingunt; plures alii Principes eidem acceſſuri videbantur. Cæſar, qui deſertæ Hiſpaniæ, ſororis adeo ſuæ Reginæ, & nepotis Caroli invidia flagrabat, exauthorato Auerſpergio, quem Grammonvillius, Gallicus Viennæ Orator, ab Hiſpaniæ rebus alienaverat, miſſurus haud dubie erat auxilia. Legationibus etiam frequentibus apud Ludovicum agebatur.

Quapropter Gallia ineunte æſtate inducias pacta, Hiſpanis optionem fecit, an mallent occupatas urbes in manibus Franciæ relinquere, an vero pro iis reſtituendis Luxemburgum, Cameracum

cum, Ariam, Audomarim tradere. Sparsus quoque (Henrico Brewero, Tuldenii continuatore attestante) per Europam rumor, deliberare Hispaniam, an non expediret, potius Ludovico totum Belgium tradere, utpote immensam atque nunquam explendam auri voraginem, in quam vel solus Philippus IV ultra centum milliones conjecisset, ea tamen conditione, ut Rex Galliæ omni prætensione in Navarram, reliquamque Hispaniæ Monarchiam, etiam in casum, quo Carolus Rex (qui ob imbecillitatem virium non diu victurus videbatur) improlis obiret, penitus cederet, Ruscinonensem Comitatum, Pignerolium, Philippoburgum, Brisacum, totamque Alsatiam ac Lotharingiam restitueret.

Relatio Breweri de abdicando Belgio.

Credebatur, ab ipsis Hispanis hic rumor sparsus, ut Batavos Anglosque imminentis sibi periculi metu a torpore tanquam ad communem causam excitaret.

Ut ut hæc se habeant, de quibus neutra, credo, pars serio cogitavit, commovente se tandem omni Europa, pars utraque ad pacem, Aquisgrani ineundam consilia sua inclinavit. Reddita per illam Hispanis Burgundia; urbes, in Flandria occupatas Ludovicus retinuit. Placet, hujus tractatus summa capita breviter perstringere.

ARTICULUS XIII.

Pax Aquisgranensis

Inter Regem Galliæ & Hispaniæ inita anno 1668.

In exordio præmittitur, authoritate, paternaque sollicitudine S. D. N. Clementis IX Papæ, ejusdemque postulationibus & instantiis; tum pluribus litteris scriptis, & per nepotem etiam ejusdem Cardinalem Rospigliosum officiis interpositis, accedente complurium Regum, Potestatum, S. R. I. Electorum, & Principum, diligenti studio, per Colbertum & Baronem de Bergeyck, Regum Commissarios Plenipotentiarios, in sequentes articulos Pacis fuisse conventum. 29.

1 Inter utrumque Regem, eorumque hæredes, regna, provincias, subditos &c. sit perpetua pax, confœderatio, & concordia, prout fraterno sanguine junctos decet, cum oblivione omnium offen-

offenſarum: alterque alterius commoda ſincera mente procuret, & promoveat.

2 Poſt confirmationem & promulgationem hujus pacis ſtatim omnis hoſtilitas ubique ceſſet. Omnesque captivi ſine litro liberi dimittuntor.

3 Rex Galliæ retinebit Carolo-regium, Binckam, Athum, Aldenardam, Inſulas, Tornacum, Armentieram, Furnas, Duacum, Montes, Cortracum, Elcarpii propugnaculum, aliasque urbes, munimenta, locaque omnia, quæ anno elapſo in Belgio occupavit, cum omni jurisdictione, juribus, appertinentiis.

4 Rex Catholicus pro ſe ſuisque hæredibus abdicat omnia jura, quæ in prædictas urbes, & loca habuit, eaque in plenum regis Chriſtianiſſimi, ejusque hæredum dominium in perpetuum absque ulla reſervatione transfert.

5 Rex Chriſtianiſſimus mox a publicatione hujus pacis comitatum Burgundicum, cum omnibus urbibus & locis occupatis, integre & absque omni reſervatione Regi Catholico reſtituet.

6 Quæ ultra hic expreſſa usque ad promulgationem pacis fuerint erepta, utrinque fideliter reſtituentur.

7 Liberum ſit utrique Regi ſponſores hujus tractatus aſſumere Principes ac Status alios, qui voluerint eidem accedere.

8 Pax Pyrenæa in omnibus obſervetur, exceptis iis, quæ hic coronæ Galliæ ceſſa ſunt, & iis, quæ Luſitaniam reſpiciunt, cum qua Rex Catholicus particularem pacis tractatum iniit.

9 Ut autem certior ſecuriorque ſit iſta transactio, in Curiis & Parlamentis, Pariſienſi aliisque promulgetur, verificetur & inrotuletur, uti etiam in Curiis Hiſpanicis & Belgicis; omniumque ratihabitio, obſignatio, commutatione intra trimeſtre facienda, abſolvatur; atque Rex uterque ſolenni jurejurando, in præſentia alterius partis emittendo, omnia, in hoc tractatu contenta, ſe ſancte ſervaturum confirmet.

Præter Carolum Colbertum & Baronem Bergeyckium ſubdelegatum Caſtelrodrigii ſubſcripſerunt Legati ſummi Pontificis, Electoris Moguntini & Colonienſis, atque Epiſcopi Monaſterienſis.

ARTI-

ARTICULUS XIV.

Fœdus Triplex: ejus causæ. A Lud. Rege disruptum. Consilia Galliæ de invadendis Hollandis. Ejus ad Anglum, Hispanum, Cæsarem oratio pro fœdere contra Batavos. Cæsar bellum contra Lud. Comitiis suadet. Solus Borussus annuit. Coloniensis & Monast. Oratio. Certamen de Borusso. 30.

Post conclusam hanc pacem ad exitum perductum fuit *Fœdus Trinum*, jam ante cœptum, inter Anglos, Suecos, & Batavos. Causas illius altius aliquantum repetamus. Ad hæc ferme usque tempora formidanda Europæ, quin orbi videbatur vasta Domus Austriacæ potentia, quæ præter immensos in utraque India terrarum tractus, dimidium Europæ possideret. Hinc Gallia, Anglia, Batavia, Suecia, & Protestantes universim omnes in id consilia sua & studia contulerant, ut Austriacam magnitudinem deprimerent. **Fœdus Trinum.**

At vero, postquam Septem Belgii Provinciæ, cum omni ferme Orientali India, & Lusitania a corpore se separaverant; postquam commercia & opes alio fuerant derivata, atque Austriaca Familia utraque, Germanica & Hispana, continuis tot gravissimisque bellis exhausta; & maxime, postquam Gallia sub Ludovico XIV exporrectis in omnem partem incrementis, caput extulit, alia visa est status ratio, & adversus Franciam vertenda consilia, pangenda fœdera, ut Europæ conservetur æquilibrium. Hinc videas, posthac omnium ferme nationum arma in Ludovicum conversa.

Præcipue vero Batavos Anglosque terruit novissima in Belgium Burgundiamque irruptio, & armorum progressus ingens. Hinc initum fœdus inter Anglos & Batavos primum, tum accedente Suecia *Triplex* appellatum, magno Europæ plausu exceptum. Finis illi obtensus orbis Christiani tranquillitas, & pax Aquisgranensis, contra quemcunque perturbatorem defendenda. **Causa.**

Cæsarem non invitarunt, ne suspicionem præberent Galliæ, aut ab eo, Hispaniæ addicto, in bella raperentur, non necessaria. Sed neque ipse hoc fœdus appetiit, ne casus forte contingeret, quo in Hispanum, si Aquisgranensi paci non adquiesceret, stringere arma cogeretur.

Eo fœdere ſe peti, Rex Ludovicus perſpiciens, facili manu illud disrupit, inito novo in perniciem Batavorum cum Anglo commerciorum fœdere, & Sueco alio abſtracto.

Ruptum.

In Batavos deinceps, præcipuos trini fœderis auctores, Rex ſua vertit conſilia. Impenſum triennium apparando in illos bello. A Suecia nihil erat, quod timeret, penſionibus ac fœderum nexu ſibi alligata. Danum irritarant Batavi, menſuram portoriorum & telonii in Sundico præſcribentes. Principes Imperii bello propter Hollandos implicari nolle ſperabat, eosque aut neutras, aut ſuas partes amplexuros. Hiſpaniam, alias ſatis languentem, acceptarum a Batavis cladium memorem fore credidit. Luſitanum ob partum auxilio regnum, ſuum cenſebat. Colonienſis & Monaſterienſis, qui jam ante cum Batavis bellum geſſerat, anno 1666 pace finitum, cum Gallo in fœdus ibant.

Conſilia de invadendis Batavis.

Sed ſummum momentum erat in Anglia, quo illa ſe verteret. Miſſo igitur ad Carolum II Regem, patruelem ſuum, Colberto, intimæ admiſſionis Miniſtro, callido ac facundo, fœdus adverſum Belgas Fœderatos obtulit. Diligenter ille legatione ſua perfunctus, quanta ex eo Regi totique Britanniæ emolumenta forent naſcitura oſtendit.

Colberti ad Anglum oratio contra Batavos.

Non eſſe ferendum ultra gentis, e piſcatoriis nuper tuguriis emergentis faſtum, coronatis etiam capitibus inſultantis. Pelagi dominium, Magnæ Britanniæ proprium, ab ea invadi: omnia inquietari maria: ſurripi aliis Nationibus & Angliæ præſertim commercia: orbis monopolium Amſtelodami figi: immenſas accumulari opes: ea per Europam eſſe rerum pretia, quæ Hollandorum ſtatera defigat, quin omnem Europam ei vectigalem eſſe. Transmarinas merces atque theſauros Indiarum omnes propemodum huc deportari, tantasque in divitias excreviſſe mercatorum ſocietatem utramque Indicam, præſertim orientalem, quibus regna emerentur. Ab hac, anno 1602 cœpta, intra ſex annos tantas comparatas, ut ultra ſortem collatam 36 Imperialium milliones lucrarentur. Incredibilem ab illis in Indiis Orientalibus ereptum Luſitanis aliisque gentibus terrarum tractum, quem 11500 armatis, 160 navibus defendant, laborantibus in eorum uſuras ultra 80000 hominum. Similes ferme opes initio collectas ex America, dum Braſiliæ theſauros aſportarent.

Ipſam Angliam commerciis ſuis privari. Licet enim cætera prætereantur ſilentio, ex ſolo piſcatu halecum in mari Britanno, eos quot annis ſex milliones florenorum lucrum capere, eamque piſca-

piſcationem ſibi propriam vindicare in alieno pelago, quin ullum ſolvere velint portorium.

Ex his aliiſque quæſtuoſis per omnem orbem nundinationibus tantas collectas opes tantumque potentiæ conflatum, ut centum armatorum millia ſuis ſtipendiis poſſint alere, confluente ex omni Germania & Septentrione ad auri Hollandici fulgorem milite.

Nec minores vires eſſe maritimas; anno 1666 centum majores bellicas ad Texelam ſtetiſſe in anchoris armatas, cum 25000 magnis onerariis maria, & 300000 lembis, lintribus & phaſelis lacus & canales oberrare.

Viderent Britones, viderent nationes cæteræ, quo tanta opulentia, magnitudo tanta, ni frænum injiciatur, ſit evaſura: quantis jam nunc terra marique viribus polleant. Eundum profecto obviam creſcenti in dies potentiæ. Singulos fore impares: juncta opera dejiciendas portentoſo Coloſſo ſuperbas criſtas.

Meminiſſet Anglia, quanta jam in Indiis, in mari, in Europa a nova hac in orbe gente ſit damna paſſa, quam immanes ſumptus impenſi, quanta derivati alio lucri detrimenta. Angliæ & Galliæ auxilio Batavos non modo in libertatem aſſertos, ſed in eam etiam amplitudinem fuiſſe evectos. Jam eam beneficio gratiam rependi, ut in utrumque regnum inſurgant.

Habere, quod timeant, coronatos vertices, etiam a ſuis ſubditis, ſi aſpiciant, liberas Reſpublicas tanta florere rerum abundantia & felicitate. Salivam jam motam Britannis: experiri id Regem, expertum triſti fato parentem, dubio relicto, quid eventurum fuiſſet, ſi Cromwelus poteſtate ſua non fuiſſet abuſus: gliſcere adhuc igniculos ſub cinere. Parricidas contra fidem pacis Batavico ſinu foveri, facileque conjicii poſſe, quid Hollandi, Regum oſores, eſſent acturi, ſi qui in eorum ire vellent exemplum. Curandum, ut facere non poſſint, quod eſſent facturi.

Totam Galliam fore promptam tuendo Stuartorum Regio, ſibique cognato, ſanguini, ſi quid vis inimica auderet. Totam Franciam patere Britanniæ commerciis; quin igitur caperent emolumenta, quæ in Hollandos hactenus redundarunt? Quin fœdus fraternum æternumque conjungeret, quos idem ſanguis fructusque fœderis tam arcte conjungant?

Bataviam inter Angliæ Regem ejusque nepotem Wilhelmum Principem Auriacum, interque Hiſpanos, Gallos, eosque, qui auxilia conferrent, poſſe dividi, ut omnes inde augeantur, & emolumentum capiant.

Audiit haud illubenter legati orationem Rex Carolus, & cum alias jam esset in Galliam pronus, quam respiciebat velut certum in omnem casum coronæ suæ vindicem, in fœdus condixit, bellumque, Regio suo, si subsidia negaret Parlamentum, sumptu gerendum: dicitur tamen sibi pactus Zeelandiam, nepoti vero Auriaco Hollandiam.

Ad aulam Hispanam oratio.

Minus faciles aures Madriti apud Reginam Tutricem filii Regis Villarius Legatus invenit. Omnes ille nervos intendit, ut persuaderet fœdus in Batavos, vel ut Hispaniam illis subtraheret: cogitarent, ajebat, quam fœda fuerit, quamque perniciosa Hispaniæ Batavorum defectio: quot probris & contumeliis affecta ac publice prostituta: quanta damna per 70 annorum bellum illata, centum auri millionibus non satis æstimanda, eo tandem exitu, ut gratiæ rebellis plebis debuerit, prout ei lubebat, in miseram pacem posse descendere, illique omnia, quæ optabat, relinquere.

Nunc tandem illuxisse diem, tot injuriarum obstinatæque rebellionis vindicem, quæ pertinaciam frangat, & coronata capita veteresque dominos suos revereri doceat. Non diuturna opus expeditione fore. Jam ictum Galliam inter ac Magnam Britanniam in hanc rem arctum fœdus: accessisse Coloniensem & Monasteriensem Præsules, provinciarum suarum situ opportunos, multis gravibusque in perniciem rei Catholicæ injuriis a Batavis affectos.

Philipum II, olim Hispaniarum Monarcham, quamvis gravibus bellis distentum, non committendum putasse, ut Hollandi in Truchsessiana illa procella urbes, Ecclesiæ Coloniensi ereptas, retinerent, sed per Farnesium illas occupatas, sacro Principatui pro sua pietate restituisse: captam denuo a Batavis Rhenobergam, aliaque ad Rhenum castella, & usque in hanc diem inique detineri: Sacerdotes DEI in carceres rapi, tota Batavia Religionem sanctam exulare. Agi profecto Divinum cultum, Religionemque Catholicam, a Rege Catholico non deserendam: in totum Belgium illius libertatem facile reduci posse. Erigendum denuo impie dejectum vexillum crucis, Christianæ trophæum victoriæ.

Sed neque permittendum, ut gens palustris heri per rebellionem tenuibus e principiis nata, in Reges dominationem impotentem exporrigat. Procusum nuper a nundinatoribus istis fastuosum numisma, in quo ex una parte visatur Thetys cum Leone, velut Bataviæ insigne, ex altera parte privata singularum septem provinciarum insignia, cum fastuosa hac inscriptione, omnibus Regi-

Regibus, Hispano præsertim summopere injuria: *Assertis legibus, emendatis Regibus, vindicata marium libertate, pace egregia virtute armorum parta, stabilita orbis Europæi quiete.* Quid hoc aliud, quam Hispaniæ velut protritæ, insultare?

Et qui ferenda nundinatio avara in orbem terrarum extensa? Possideri quidem ab Hispanis in America utraque ingentes regionum tractus, sed Hollandos iisdem frui: ad illos fundum pertinere, ab istis succum exugi. Esse & aliis populis maria, flumina, portus, naves: ex commerciis cum Gallia & Anglia plus emolumenti ab Hispanis, quam a Batavis posse percipi. Quam autem nulla in his spes Hispaniæ, ex nupero bello colligi, quo nec pedem moverint. Facile tunc per eos fuisse, totum Belgium Hispanicum occupare, nisi Regis sui moderatio pro jure suo *Devolutionis*, quod certum credidisset, paucis fuisset contenta: sed & hæc, per pacem Aquisgranensem cessa, restituturum, adjecturum & alia, si regina induceret in animum ad commune fœdus in rem suam accedere.

Neque eam esse Regi suo mentem, ut Bataviam sibi vendicet, sed ut æquis portionibus dividantur; vel, si hoc non placeat, ut fœderati singuli diversis locis aggrediantur, & quod quisque occupasset retineret. Sin autem Hispania Regis sui justis armis se vellet opponere, cogitaret, Burgundiam & Belgium Hispanicum Gallici fore belli pretium.

Minus grata erat legati oratio. Unde verbis dubiis dimissus est. Hispaniaque ad bellum se paravit. Batavi vero ex Belgio Hispanico a Montereyo Gubernatore militem receperunt, ad augendum Trajecti, Buscoduci & Bredæ præsidium. Initum paulo post Cæsarem inter, Hispanum & Batavos fœdus, quo Belgium Hispanicum in statum, quem per pacem Pyrenæam est consecutum, reponatur, Fœderatum vero in præsenti conservetur.

Nec felicior in aula cæsarea fuit Grammonvillius, eadem ferme, qua Villarius in Hispania, oratione usus. Meminisset Domus Austriaca, quanta a rebellibus Batavis pertulisset. Adesse tempus justæ ultioni; vindicaret antiquum Burgundiæ patrimonium: Regem suum, Lusitaniam, Angliam, Sueciam, Daniam, Italiam, pluresque Imperii Principes adjutores fore. **Ad Cæsarem.**

Hostem Imperii continuum esse Batavum, qui Rhenobergam, sacrum Ecclesiæ Coloniensis patrimonium, aliaque ad Rhenum Germaniæ claustra tanto jam tempore pertinaciter insideret, atque Mona-

Monasteriensis Præsulis jurisdictionem sacram & politicam inique circumscriberet, non sine gravi Religionis detrimento.

Fuisse eam semper laudem Augustissimæ Domus Austriacæ, ut gloriari posset, non modo orthodoxæ Religionis incremento se opposuisse nunquam, sed præsidium etiam & tutelam exhibuisse. Objectum propterea non raro Gallis, quod cum alienis a vera fide populis fœdera ineant, & perversum dogma in suo quidem regno oppugnent, in alienis vero terris foveant. Non esse credendum, quod Austriaca pietas nunc primum a tanta laude & Religionis sanctæ studio sit deflexura.

Esse autem hoc tempus opportunum, quo genuinus Numinis cultus, atque Catholicæ Religionis decus in totam, a qua tamdiu exulavit, Bataviam reduci queat.

Deprimendum etiam fastum superbæ gentis, quæ Regibus quoque se æquare attentet; neque ferendum, ut auctis in immensum rerum, quas Germaniæ infert, pretiis, populos emungat, & tributarios velut sibi faciat.

Neque timendum, ut Gallia propterea multum increscat. Nam eo Regem suum animo arma correpturum, ut gens impotens fastum ponat, ut coerceatur, & circumscribatur, ut in coronata Regum capita reverentiam discat, Catholicæ Religionis sit patiens, bona Ecclesiastica restituat; aut, si contumax persistat, dominatione privetur, terra inter foederatos distribuatur, Ulissinga cum Zelandia Anglis, Hollandia Wilhelmo Nassoviæ Auriaco Principi, Ultrajectum Coloniensi, Transisalania Monasteriensi, Geldria & Zutphania Brandenburgo, Gröninga Neoburgico Duci Juliacensi, Frisia Luneburgicis obtingat, ac proin tota prope Batavia Imperii Principibus: Regem vero suum, præter armorum gloriam, non aliud sibi reservare, quam eas lacinias, quas Batavi ex Brabantiæ Ducatu adhuc possident. Si autem Domus Austriaca communi fœderi accedat, aliam fore distributionem, & Bataviæ provincias inter illam & Angliam dividendas, sic tamen, ut reliqui fœderati indemnes evadant, & aliquod navatæ operæ præmium referant.

Wagn.

Si autem Cæsari non placeret, accedere fœderi, Regem suum sperare, neutram saltem partem amplexurum, prout nupero factum bello; non enim ejus nomini sacratissimo gloriosum fore, si dicat Roma & orbis Catholicus: Regem Catholicum, Domus suæ sanguinem, opis indigum, destituit: hæresi autem auxilium tulit, & per eum stetit, quo minus excinderetur.

Non

Non ſine indignatione aula Viennenſis legatum audiit, quamvis enim Lobkovitius, Aurſpergio exauctorato ſuffectus, Grammonvillii partibus non obſcure faveret, Miniſtri reliqui tamen ceu vanam dicacitatem exploſerunt; decretoque Batavis auxilio, Lobkovitius gratia & loco motus eſt, legatus vero Gallicus Vienna amandatus.

Bello igitur in Gallos decreto, Imperium etiam in illud pertrahere fuit conatus Cæſar. Agitata fervide in Comitiis Ratisbonenſibus cauſa. Cæſar bellum communi Imperii nomine Gallo indicendum ſuadebat: quantamque Ludovici Regis molitiones Imperio labem aſpergere ſoleant commemorabat: ut diſſidiis inter ſe commiſſi Principes, Alſatiæ civitatum libertas turbata: Lotharingia occupata: nuper Hiſpanicum, nunc Fœderatum Belgium armis petitum: rerum arbitria ad Gallum velut Imperatorem deferri: totius Europæ controverſiis ſe miſcere: Cæſari præter inanem ceremoniarum pompam vix aliquid relictum: perpenderent apud animum ſuum Ordines, quo demum Imperium, quo inſatiabilis Ludovici ambitio ſit evaſura. Se, quam juraſſet, Imperii curæ ac ſaluti non defuturum, nec commiſſurum, ut Gallus tantis acceſſionibus Bataviæ augeatur. Cæſar bellum contra Lud. ſuadet. Wagn.

Sed alius omnino comitiis erat animus. Bellum quippe omnes perhorreſcebant. Suecus, Bavarus, Colonienſis, Monaſterienſis, etiam aperte ſe opponebant, negantes Cæſareis copiis per terras ſuas tranſitum; cumque Auſtriaci Præſules iſtos reprehenderent, objicerentque, eos contra boni civis officium bellum cœpiſſe: vi ab eo abſtrahendos, vetandumque lege, ne Principi ulli absque Cæſaris aut Circuli conſenſu, niſi propriæ defenſionis cauſa, bellum gerere liceat. Quod tamen poſtulatum, tanquam paci Weſtphalicæ adverſum, & Statuum libertati noxium, communi conſenſu rejectum eſt. At comitia bellum detrectant.

Epiſcopi vero reſponderunt, Batavorum cauſam nihil cum Imperio habere commune: imo articulo III. Pacis Monaſterienſis expreſſe fuiſſe cautum de mutuis Imperii aut Galliæ hoſtibus non juvandis. Idem in capitulatione Cæſarea, & fœdere, anno primum ſuperiore 1671 inter Imperatorem Leopoldum & Ludovicum XIV Viennæ concluſum, conceptis verbis fuiſſe promiſſum, expreſſis etiam Batavis Colon. & Monaſterienſis oratio.

Per Imperii conſtitutiones permiſſum ſibi eſſe, injurias, a Batavis illatas, perſequi. Illos multo jam tempore Rhenobergam, aliasque Imperii urbes & arces inique detinere, quin a Cæſare ſit alla-

allatum remedium: jure igitur ſuo egiſſe, dum ad alia fœdera reſpicerent: Auſtriaca conſilia magnas pro more Germaniæ calamitates portendere, bellum omne in patriæ perniciem attractura. Ita Ratisbonæ verbis certatum, nullo niſi ad aſperanda odia emolumento.

Catholici plerique Epiſcopis velut de bello ſacro applaudebant. Summus vero Pontifex petitas e Ducatu Mediolanenſi & Regno Neapolitano ſacerdotiorum decimas negavit, gratulatus Præſulibus fœdus, bellumque, pro cauſa Dei ſuſceptum. Quamvis poſtea, evolutis magis rebus, mutatus dicatur.

Boruſſus accedit Cæſari.

Ex Ordinibus Imperii ſolus Fridericus Wilhelmus Elector Brandenburgicus (Friderici moderni Boruſſiæ Regis proavus) Clivenſis haud dubie Ducatus, cum Gallia in Neoburgicum videretur pronior, periculo motus, adhæſit Cæſari, jam ante Batavis fœdere defenſivo, quo 20000. partim ſuo, partim Hollandorum ſtipendio alenda, conjunctus. In hoc Principe, qui per pacem Weſtphalicam multis acceſſionibus auctus, provinciarum amplitudine omnes anteibat, momenti plurimum, in quam ille partem ſe verteret. Certe Batavi magnam in eo collocabant fiduciam, quod apud ſe educatus, Wilhelmi III. Auriaci amitam habuiſſet conjugem.

Quamvis Galli conarentur, eum abſtrahere.

Omnem Galli movebant lapidem, ut hunc Principem Batavis eriperent. Repræſentabant, quam maligno in illum Batavi fuerint animo, quam contemptim a factione Löwenſteinia, dominantibus Wittiis, cum Wilhelmo affine fuerit habitus, quam ignominioſe, eorum potiſſimum opera, a Triplici Fœdere excluſus: quam inique Veſaliam, Embricum, Orſojam, præſidiis ſuis occupatas detineant. Has ei reſtituendas adpromittunt, ſi neutras partes ſequeretur, adjecturos Geldriam & Zutphaniam, ſi ſocius expeditionis eſſe vellet. Quid ipſe ſolus a mente Ordinum Imperii recederet? Morem hunc eſſe Auſtriacis, Germaniam bellis involvere, ut ad privatos ſuos fines pertingant. Oſtentabant Cliviæ & Weſtphaliæ pericula, atque in ipſum potiſſimum incubiturum bellum, ſi magni Regis indignationem provocaret. Acceſſit, a Colonienſi miſſus, Fürſtenbergius, ut novos admoveret arietes: ſed incaſſum omnia. Ambigue reſpondet omnibus.

Interim vero fœdere ſe jungit Cæſari in hæc capita: paci Clivenſi, Olivenſi, Aquisgranenſi ſtandum. Fœderato Belgio conſulendum. Bremam adverſus Suecum defendendam. In Religione nihil innovandum. Fœdus in decennium teneat. Icto etiam cum

cum Batavis Fœdere viginti millium exercitum partim ſuis, partim Reipublicæ ſumptibus armavit. Et ita legem de non mittendis in Belgium ſubſidiis, in *Capitulatione* Leopoldi Imperatoris propoſitam, Brandenburgus primus omnium antiquavit. (*Wagner ad Ann.* 1672.) Poſt annum deficiet a Cæſare, poſt biennium, pace cum Gallis violata, ad illum redibit, prout nempe rationes privatæ requirent.

ARTICULUS XV.

Expeditio Gallorum & Præſulum in Bataviam. Cauſæ belli. Quod inchoant Angli contra Hollandos trino prælio navali. Iter Regis per terras Imperii. Cliviæ urbes expugnat. Trajecto Rheno ſubactæ provinciæ. Reſtituta ſacra. Præſulum progreſſus. Criſis famoſi ſcriptoris. Liberati per pilam ſacerdotes. Conditiones pacis. Rerum converſio. Cauſæ. Diſceptatio in Comitiis Imp. Ludovicus Bataviam deſerit, & theatrum belli in Belgio Hiſp. & Germania figit. 31.

Europa ſic comparata Ludovicus Rex Batavis bellum indicit, publicatque ejusdem cauſas, faſtum & ſuperbiam gentis intolerabilem, coronatis etiam capitibus inambulantis, Europam his mercatoribus vectigalem & tributariam, cuſa adverſus Galliam Fœdera, aliasque, ſumma ingratitudine, molitiones in illius perniciem, infames picturas in ludibrium Regis affixas, ſparſasque ſatyras, ſummopere injurias: has juſto ferro & neceſſario vindicandas. **Cauſæ belli.**

Et vindicavit ſane. Centum armatorum millia ſub ſignis habebat, alacrem & probe exercitatum militem; cumque Petrus Grotius, Batavorum legatus, qui præſens tunc adhuc aderat, interrogaſſet, quorſum tanta multitudo? Rex reſpondiſſe fertur, cogitare ſe, mures iſtos caſeo Hollandico nutrire, legatus vero reponuiſſe, in Hollandia multos eſſe catos. Et certe mures iſti, ordine verſo, devoraſſent feles Hollandicas, niſi alienæ ſorores tuliſſent ſuppetias, & ab interitu illas vindicaſſent.

Angli in Holl. Tria prælia navalia.

Primi hoſtilem in Batavos vim exerunt Angli, dum illarum onerarias, Smirna cum mercibus redeuntes invadunt, Architalaſſo Duce Eboracenſi; pugnatum dein ter navali prælio, æquo ferme Marte, Hollandis denique ad tutandos Zeelandiæ portus & littora, quo Angli reſpiciebant, ſe ſe recipientibus.

Iter ſecundum Rhenum.

Rex Galliæ exercitum ſuum in quatuor partes diſtribuit, quarum primam ipſe ducebat, aſſumpto legato Turrenio, alteram Condæus cum filio Principe Enguiennio, tertiam Crequius, quartam Luxenburgus: atque ineunte vere anni 1672. diverſis itineribus e Piccardia, Campania, Lotharingia, per Leodienſem, Juliacenſem, & Colonienſem agrum, in Clivenſem Ducatum movit. Tranſeunti obviam veniebant Leodium, Colonia, Dux Juliacenſis Philippus Wilhelmus cum filio Joanne Wilhelmo, atque Maximilianus Henricus Elector Colonienſis Dux Bavariæ, cum Egone Fürſtenbergio, Epiſcopo Argentinenſi, Gallicis partibus cum Fratribus Hermanno Bavaricæ aulæ Præfecto, & Wilhelmo, impenſe addicto. Omnes magna amicitiæ ſignificatione a Rege ſunt excepti, & cum is viridi in ceſpite ſub fronde pranderet, innumera multitudo Bonna, Colonia, Duſſeldorpio, aliiſque locis affluxit ad viſendum tantum Regem.

Rex urbes Cliviæ expugnat.

Poſtquam Colonienſis & Monaſterienſis ultra viginti armatorum millia ad eum adduxerant, primus labor fuit expugnare urbes arceſque complures, quas in Germano ſolo ad Rhenum Batavi inique inſidebant. Ereptæ illis in Clivenſi provincia Orſoja, Burichium, Embrica ſive Emericum, Lippiomunda, Reeſa, &, quod caput eſt, Veſalia. Rhenoberga expugnata Colonienſi Domino ſuo tradita, &, ut cum ſuis copiis libere in Batavos movere poſſit, Bavaro præſidio cuſtodita. Mirum, breviſſimi temporis ſpatio tot valida munimenta fuiſſe ſubacta, quæ annuam obſidionem latura crederentur. Applauſum Regi Chronoſtico: LVDoVICVs trIVMphans. Cardinalis Bullionius, caſtra ſecutus, occupata iſta loca expurgat, & Catholicam Religionem reducit. Ravenſteinium quoque cum ditione, eo pertinente, Juliacenſi fuit reſtitutum a Batavis.

Brew.

Rheno iis ex partibus jam aſſerto, ſuſcepta fuit expeditio Batavica. Primum obicem poſuit arx *Schenckia*, validiſſimum & ſitu & opere munimentum, a Martino Schenckio priore ſeculo conſtructum in angulo, quem Vahalis a Rheno divortium efformat. Sed præſente Rege intra triduum fuit expugnatum, dicente, ut fertur, Helvetorum quodam, nongentos ſuæ Nationis homines

mines tale caſtrum per annum contra centum virorum millia defenſuros. (*Brewerus ad Ann. 1672.*)

Majoris erat molis tranſitus Rheni, quem Batavi ex altera ripa vehementer infeſtabant; evictus tamen eſt, vel emptus potius ſanguine non modico, vulnerato etiam Condæo & occiſo Longavillæo. Tum vero fugato Batavo, terrore perculſo, in Zutphaniam, Velaviam, Betaviam, Geldriam Inferiorem, Tranſiſalaniam, Utrajectum expugnataque Nardena & Muda in Hollandia, ad Amſtelodami usque conſpectum iter ſignatum victoriis: percurſæ turbinis inſtar amplæ provinciæ. Captæ per diverſos Duces Arnhemium Velaviæ caput, Zutphania & Ultrajectum cum cognomine provincia; urbs hæc ad Epiſcopum olim pertinuerat. Renovatum templum Metropolitanum a Bullionio Cardinale Catholicis uſibus. Acceſſerunt Bommelia, Tiela, Teutiburgum, Amersfordia, Knottenburgum, Rhena, Vageringa, Wika, Duiſterta, Genepa, Crevicordium, Gravia, Noviomagum, libera olim Imperii civitas, poſtea vero ad Burgundiæ Duces ac Belgii Principes, ad Batavos denique translata. In omnibus his Provinciis, urbibus, oppidis, Religionis libertas promulgata. Quo loco duo erant templa, juſſum unum Catholicis reddi; ſacerdotiorum quoque olim patrimonia & Eccleſiarum bona jure poſtliminii imperata reſtitui.

Trajecto Rheno ſubactæ provinciæ.

Reſtituta ſacra.

Interea autem Elector Colonienſis & Chriſtophorus Bernardus de *Gablen*, ex antiquiſſima Weſtphaliæ Familia oriundus, Epiſcopus Monaſterienſis, magnorum ſpirituum Princeps, aſſumpto ſago, non minus ſtrenue in Orientali Batavorum plaga, ſuisque regionibus contermina, bellum ſunt proſecuti.

Præſulum progreſſus.

In Zutphaniæ provinciam quippe & Tranſiſalaniam irruentes, Grollam, Borckeloam, Lochemium, Lingiam, Brevortum, Zwollam, Covordiam, Daventriam, Tranſiſalaniæ Metropolim, munitiſſimas urbes expugnarunt, indeque conjectis in fugam Batavis, in Friſiam usque & Gröningam effuſi, palmas & lauros metebant. Et hæc omnia a Gallis Præſulibusque præſentibus unius menſis, Junii nimirum, ſpatio ſunt geſta.

Reducta ubique Catholicæ Religionis libertas, templa pro illius exercitio publico a victoribus poſtulata: bona Eccleſiaſtica ad priſtinos ſuos Dominos redire juſſa.

Brewerus.

Certe niſi aliunde ſufflaminata fuiſſent arma Catholica, ſpes optima affulgebat, intra illam adhuc æſtatem totam ſubigendi Bataviam, miſeramque æternum pereundi voluntatem eripiendi decepto

Crisis de hoc bello.

cepto per insanos Præcones populo: ut adeo mirum sit, recentiorem quendam famosum scriptorem, in quo nihil nisi stylus nitet, nativa sua affectione (qua nulla major Historici labes) eo fuisse abreptum, ut non modo in rationem status profunde se immergens, magnorum Principum Catholicorum censorem mordacem ageret, sed in hanc etiam expeditionem Batavicam, in qua causa Dei & animarum agebatur, qua poterat, exæstuantis bilis vehementia audacissime inveheretur. Sit, quod non religionis sed regionis fuerit intentio (quod tamen præsumere non deberet) solitus tamen non raro Deus est, ex intentione, non semper optima, bonis omnibus optatos eventus elicere. Et nunquid? eadem audacia & carpendi libidine hoc omnibus Principibus posset objici? Profecto, qui diceret, Ferdinandum II Imperatorem sanctissimum, non religionis, sed regionis amore, ad Balthicum usque mare Protestantium terras invasisse, impudens omnino foret, & temerarii homo judicii.

Gnome alias bonæ mentis est, si factum non possis, intentionem excuses. Hic factum bonum est, & ex primis jam initiis effectus optimi sunt consecuti. Habita cultus Divini & animarum salutis cura, non attenta ratione politica, quod Anglia confœderata aliique Protestantes alienari possent. Quid ergo intentionem accusas? Accusabis etiam, quod Rex Ludovicus haud multo post, dum Protestantes exegit, Regnum suum tot millibus subditorum, artificum, militum, cum grandi ærarii detrimento, evacuarit? sed redeamus ad institutum.

Sacerdotes liberati.

Illud memorabile, quod, cum Præsules *Coverdam* oppugnarent, prima pila in urbem injecta ceciderit in carcerem, in quo plures sacerdotes, ex Westphalia abstracti, detinebantur captivi, omnesque, igne viam faciente, evaserint incolumes.

Nulla erat provincia, quæ non fuerit vel ex integro occupata, vel ex parte saltem, nisi Seelandica, quæ Anglorum invasioni fuerat destinata; unde non tantum in iis, ad quas belli procella devenerat, sed etiam Amstelodami & Roterodami adeo fuit trepidatum, ut de cedenda certis legibus Republica jam deliberarent Ordines.

Quibus conditionibus pax promissa.

Missus in hanc rem ad Regem, in castris ad Dœsburgum versantem, Petrus Grotius, qui nihil jam amplius de multitudine Catorum in Hollandia loquebatur, sed supplici oratione pacem rogabat, ut mures cessent & feles & caseum rodere.

Rex

Rex iftas conditiones propofuiffe dicitur. Omnes extra feptem provincias urbes Regi tradant, cum Bomella, Crevicordio, & Löwenfteinio: Colonienfi comitatum & civitatem Mœrfenfem, Auriaco vero, ad quem fpectat, alio modo jacturam compenfent: Monafterienfi Grollam, Brevordam, Lichtevordam, Burcloviam in Zutphania, Schenckii & Neomagi munimenta diruuntor. Gallicis navibus in portus Batavicos fine portorii fumptu intrare, licitum efto. Catholica Religio publice admittatur, & pro libero ac publico ejus exercitio in fingulis Bataviæ civitatibus, ubi funt plures Ecclefiæ, una Catholicis tradatur. Si autem una tantum fuerit, liceat Catholicis alteram pro fe conftruere. Bona Ecclefiaftica Melitenfibus, & Clero Catholico reftituantur, non tamen fructus jam percepti. Catholici fine difcrimine in fenatum admittantur, neque ab aliis publicis muneribus arceantur. Omnia, Romano Imperio ablata, eidem redduntor, nominatim Principi Oftfrifiæ Emda, & alia erepta. Galliæ fumptus belli refundant, & quot annis oratorem Lutetiam mittant, gratias acturum pro hujus pacis beneficio. Ita Henricus Brewerus, fcriptor Germanus ad annum 1672, cum quo finit decennalem fuam Hiftoriæ Brachelianæ & Tuldenianæ continuationem.

Verum fubito facta eft magna rerum converfio. Siftebatur ulterior armorum progreffus, erecti Batavorum animi. Caufæ hujus tantæ mutationis variæ: in pluvias & imbres folutus Julius, aggerum cataractis laxatis tellurem, alioquin paludibus plenam, inundabant Batavi: *Wittii* fratres, in quos culpa conjiciebatur, a furente populo atrociter difcerpti, Wilhelmus Auriacus dictus Gubernator: Gröningana, Ardenburgi, & Sylvæducis foluta obfidio: Coverda recepta a Batavis: imminentes cum exercitu Cæfar & Brandenburgus: quibus cum copiis felectis obviam miffi Condæus & Turrenius, anima expeditionis Gallicæ, per tot etiam urbium præfidia plurimum imminutus campeftris exercitus, aliunde fecundis quoque rebus accifus: ad proprios lares tuendos revocati Præfules. **Rerum converfio.** **Caufæ.**

Hac rerum facie fifti in medio curfu debuit victoria: Rexque in Galliam rediit; ubi triumphantis inftar fuit exceptus. Exhibitus Hercules, leonis Batavici tectus exuviis, fepticipitem Hydram ducens captivam, illamque, uno ictu decifis capitibus, conficiens.

Non multum recreabat Regem hæc imago, qui fatis noffet, quam brevi exuviæ illæ fint detrahendæ, & Hydræ, fi fas ita loqui,

qui, capita ſua ſint renaſcitura. Nutabat fœdus Anglicum, Parlamento bellum improbante, Cæſar, Hiſpanus, & Brandenburgus incumbebant humeris, periculumque aderat, ne & Danus, ac totum Imperium in ſe conſurgerent.

Diſceptatio in Comitiis. Quippe Ratisbonæ Cæſarei id non frigide urgebant: communem Imperio eſſe cauſam: Gallum per Leodienſem, Colonienſem, Juliacenſem, Clivenſem, Germaniæ terras, cum exercitu tranſiiſſe. Exceperunt Colonienſes & Monaſterienſes, permittentibus harum provinciarum dominis id eſſe factum: Brandenburgicum vero ſe jam tunc Galliæ hoſtem fuiſſe profeſſum. Batavos non tranſitum duntaxat aliquem copiarum innoxium feciſſe, ſed vi armata irruiſſe; invaſas terras Imperii, captas urbes arcesque, & ultra ſæculum inique detentas. Si tanta cura terrarum Imperii, cur tanto tempore tolerati eſſent violenti incubatores Germaniæ, hodiedum incubituros, niſi per Gallos fuiſſent depulſi, & ſua Rhenanis Principibus reſtituta. Coleret pacem Imperium, aut, ſi tantus bellandi ardor, peregrinarentur arma, in Hollandos diuturnos Germaniæ hoſtes verterentur: ſponſores ſe fore, nullum in terris Imperii hoſtem futurum: magnas jam res geſtas in Batavia, venirent in partem opimæ victoriæ: Bataviæ provincias in fœdere Anglo-Gallico alioquin jam Principibus potiſſimum Imperii eſſe deſtinatas: magnam enimvero rem in Germaniæ bonum præſtiturum Cæſarem, ſi bellum & vaſtitatem e Batavia, aliena terra, in patriæ viſcera & Belgium Hiſpanicum attrahat.

Eadem ferme Bavari, Juliacenſis, Hannoverani erat ſententia, imo & Brandenburgi, poſt transactionem, cum Rege initam, ut urbes Clivenſes, prius a Batavis, poſtea a Gallis detentas, reciperet. Contra vero Danus, Cellenſis, Guelferbytanus, Haſſo-Caſſellanus in partes Cæſaris abeunt, Hiſpano jam pridem fœdere eidem adſtricto; Anglo vero, armis poſitis, quieſcente, Parlamento vero in Galliam armato.

Lud. Bataviam deſerit. Gallus, cum tanta in ſe fœdera pangi cerneret, Cæſaremque priori jam anno ad Rhenum usque cum exercitu progreſſum, ut regni ſui ſecuritati conſuleret, Bataviam, remotam nimis, abdicandam cenſuit, eductisque ex quadraginta & ultra, quas ceperat, munitis urbibus arcibusque, præſidiis, ſolam Graviam retinuit, cui Trajectum ad Moſam, anno 1673 expugnatam, adjecit, theatrum belli deinceps in Belgio Hiſpanico & Germania fixurus: ridentibus in ſinum Batavis, mures Gallicos aliena ope tam

tam cito a caſeo ſuo devorando abſtractos. Gallos vacuis manibus Batavia deceſſiſſe, utique non eſt credibile; quod autem crudelitate tam immani ſævitum ſit, qualem inter Chriſtianos populos in nulla Hiſtoria ſit legere, prout laudatus ſupra auctor ſcribit, alii ſcriptores non memorant.

ARTICULUS XVI.

Treviri Capti. Pugna ad Seneffam, ad Moncaſſelium, ad Montes. Progreſſus Gallorum. Batavi pacis avidi, quam primi ineunt Neomagi. Acceptant Hiſpani, & Cæſar. 32.

Cum autem Galli cernerent, a Cæſare, & pluribus Imperii Principibus ad Rhenum bellum ſibi moveri, limitaneas Germaniæ urbes, *Trevirim*, Alſatiæ civitates, aliasque occuparunt; exercitu ſub Turrenio in Palatinatum & Franconiam infuſo; ut Rhenum, Mænum, Moſellam & Moſam in poteſtate habeant. Unde irritati Imperii Ordines Cæſari plerique ſe addixerunt, prout in relatione Hiſtorica de ſtatu Germaniæ prolixius diſſeruimus. Jam res Belgicas breviter perſequamur. Treviri capti

Anno belli *primo* (1672.) Galli Bataviæ magnam partem occuparunt. *Altero*, ut milite præſidiario adverſus tot hoſtes uti poſſint, ex illa abſceſſerunt, *Gravia* duntaxat retenta & *Trajectum* multi ſanguinis impendio expugnarunt. *Tertio* a Ludovico tota ſubacta Burgundia, conſertaque, *Condæo Ductore*, cum Cæſareis, Hiſpanis & Batavis, quos Auriacus regebat, ad *Seneffam* in Brabantia tam atrox pugna, ut multa millia utrinque ceciderint. Non ſanguinolentum prælium deremit, quo Galli, multis captivis & ſpoliis onuſti, in caſtra receſſerunt, fœderatis adhuc in acie ſtantibus: pars utraque victoriam celebravit. Alterum fœderati erant inituri prælium, niſi Souchius, natione Gallus, qui Cæſareos ducebat, ſe ſubduxiſſet. Exauthoratus propterea a Cæſare & in exilium miſſus, ſuffecto in ejus locum *Sporckio*. Auriacus vero poſt trimeſtrem obſidionem Graviam cum multis, quæ Galli Batavia extulerant, ſpoliis recepit. Pugna ad Seneffam.

Quarto Gallis ceſſit Dinantum, Hujum, Limburgum, arx Leodienſis, Thænæ. *Quinto* Condatum & Buchainum Condæus cepit: Galliæ progreſſus.

cepit: eoque Turrenio, ad profequendum in Germania bellum, fuffecto, Humerius Marefchallus Ariam, Crequius arcem Bullioniam & S. Gilanum: Auriaco Trajectum fruftra obfidente, damno maximo.

Sexto in poteftatem Gallorum venerunt Valencenæ, Cameracum, Audomarum: ad hujus obfidionem folvendam cum accurreret Auriacus, infelix bello Princeps, ab Aurelianenfi Duce acie victus eft, a Caroloregii etiam obfidione repulfus. Pugna illa, qua *Aurelianenfis* Regis frater, fœderatos cecidit, omnibusque impedimentis exuit, *Moncaffelenfis* appellatur. Cæfi in acie 4000, capti 3000.

Pugna Moncaffelenfis.

Nec fœderatis felicior Annus feptimus belli (1678.) nam Galli jam initio Martii campum Martium ingreffi Gandavum & Ipras, præftantes Flandriæ urbes, dum Batavi adhuc in hybernis fterterent, occuparunt. Dum autem Galli Luxemburgio Duce Montes Hannoniæ obfidione cingunt, Auriacus, bellum, infeliciter geftum, magno facinore coronaturus, illos aggreditur. Pugnatum acriter dubio Marte in noctem: & recruduiffet die altero prælium, nifi de pace, cum Batavis confecta, fuiffet nuntiatum.

Pugna ad Montes.

Diffoluto, propter interceptum maxime Fürftenbergium, Colonienfi legatorum conventu, jam anno 1675. *Neomagum*, five Noviomagum, celebris Geldriæ provinciæ civitas, delectus fuit paci fanciendæ locus. Cum Suecus in partes Galli fecefliffet, delatum conciliatoris munus Carolo, Angliæ Regi, qui neutras tunc partes fequebatur. Nec cunctanter, pacatæ Europæ gloriam appetens, commiffam fibi provinciam fufcepit, miffo Templio, viro acri & rerum agendarum experto, cujus induftria pax etiam Bredana & Aquisgranenfis coaluerat. Subfequitur Templio adjutor Arlingtonus, non minus Gallo quam Regi fuo gratus.

Batavi pacem quærunt.

Batavi, belli, ruinarum atque jacentis commercii pertæfi, cum cernerent, per immenfos fumptus non aliud lucrum capi, quam ut quot annis Belgium magis magisque accidatur, Gallusque crefcat, omni opera pacem fibi comparandam putabant. Obftitit Auriacus Gubernator, cui Rempublicam gerendam commiferant, five quod nullam, fibi decoram, pacem iniri poffe cerneret, five quod gloriæ fuæ vulneribus cicatricem obducendam fperaret.

Ne tamen, aut apud Britanniæ Regem aut Batavos, in quorum animis propter tot clades jam viluerat, offenfionem incurreret, tales pacis conditiones propofuit, quas a Gallo non admittendas

mittendas, videbat. Hiſpaniæ Rex Ducis Aurelianenſis filiam connubio ſibi jungeret, cui Ludovicus Rex omnia, quæ a Pyrenæa pace de Belgio abſtraxerat, in dotem traderet. Anglorum Regi, ſi talem pacem procuraret, ducenta librarum Sterlingarum millia præmium fore.

Sed non ea erat rerum facies, ut Gallus aliquid amittendi animum induceret. Ad cauſam inſuper Fürſtenbergii capti & Lotharingi, cui Gallia Ducis titulum negabat, negotium adhæſit.

Annus 1676 Neomagi in determinandis ceremoniis fuit conſumptus. Electores Imperii contendebant, legatos ſuos eadem ſolennitate, obviam procedendi, ſalutandi, ſedendi, ac Venetæ Reip. Regumque adeo legatos, excipi, & *excellentiæ* titulo honorari; ut adeo Cæſari nulla honoris prærogativa relinqueretur. Diſceptationes Neomagenſes.

Similibus contentionibus annus ſequens abſumptus Neomagi. Angliæ legati, tanquam conciliatores primum, etiam ante Cæſareos, locum poſtulabant. Brandenburgico legato titulum Excellentiæ negabant. Hinc evitatus congreſſus, & per ſolos ferme Batavos internuntios omnia agebantur. Aderat etiam legatus Pontificis, quem Conciliatorem Anglis addi Cæſar volebat, prout in pace Monaſterienſi factum: nec abnuerunt Gallus & Hiſpanus, ejusque opera ſunt uſi, quamvis, reliquis Proteſtantibus non admodum invitis, vehementer ſe opponerent Batavi.

Ventum tandem, ſuſpenſis contentionum parergis, ad rei ſummam. Damnorum compenſationem pars utraque petiit. Galli Cæſari ac Brandenburgo pacem Weſtphalicam offerunt, Dano Hafnienſem, Batavis Trajectum, cum Hiſpanis ex Interdicto *uti poſſidetis*, agere volebant.

Diſplicuere vehementer hæ conditiones reliquis fœderatis: ſolis Batavis placuerunt, Trajecto, maximi momenti ad Moſam urbe ſic potituris, quam, ſi armis eripienda eſſet Gallis, ex fœdere Hiſpanis tradi oporteret. Tegebant tamen adhuc ſilentio ſua pacis conſilia. Et ſic dum Cæſar Lotharingiam, Alſatiam, Briſacum, Friburgum, reſtitui peteret, Hiſpanus nihil amittere vellet, Gallus omnia retinere, Suecus recipere omnia, Brandenburgus nihil reddere, actum eſt nihil.

Tandem anno 1678. quod dudum meditabantur Batavi, in privatam cum Gallis pacem conſenſerunt, melioris conditionis fore rati, qui primus paciſcatur, quam qui ultimus. Quia vero magnam ſe apud confœderatos ſuos offenſionem incurſuros facile vide-

Batavorum querelæ.

videbant, acerbe conquefti funt, Cæfarem, Danum, Brandenburgum, Imperii Principes privatis fuis rationibus confulere: Hifpaniam inertem torpere, ab Anglia in illis Regem inter & Parlamentum motibus, nihil fperandum: totam ferme belli molem humeris fuis incumbere: nonaginta armatorum millia Batavo ftipendio ali: feptenne hoc bellum pluris fibi, quam feptuaginta annorum cum Hifpanis bellum conftitiffe, nec alio operæ pretio, quam ut fingulis annis propiorem finibus fuis hoftem haberent. Res ita effe comparatas, ut æftas imminens Flandriæ atque Brabantiæ fatalis, perruptis jam aggeribus, merito timeatur: Brugas, Bruxellam, Lovanium, Mechliniam, Antverpiam, complementum Gallicæ victoriæ fore: præftare partem fervare, quam totum amittere.

Primi pacem ineunt, ut Trajectum recipiant.

Igitur Batavi ultima Julii, abrupto fœdere primi, ut *Trajectum* reciperent, fubfcripferunt paci, quam fœderati ut injuftam, pactis juratis, Divinis humanisque juribus pugnantem, funt execrati: fœderatos, ac maxime Cæfarem unice propter Batavos graviffimum hoc bellum fufcepiffe, fuaque omnia difcrimini obtuliffe, ut ab extremo exitio fervarentur; jam vero hanc gratiam rependi, ut in focios foteres telum retorqueatur, ab eorum cervicibus averfum. Ecqua hæc gratitudo? quæ fides? quæ fanctimonia fœderis? quæ facramenti religio? documento id memori fore pofteritati, quid fpei reponendum in iis, qui fidem juratam tam turpiter infregerunt: fi annus 1672 rediret, quem amicum habituros?

Querelæ fœderatorum.

Sed quam juftæ, tam inutiles erant hæ querelæ. Dicuntur legati Batavici, inftigantibus Hollandicæ provinciæ ftatibus, & maxime Amftelodamenfibus, Löwenfteiniæ factionis, adhucdum glifcentis, confulibus, infciis ftatibus Generalibus, Hagæ Comitis congregatis, hanc pacem præcipitaffe. Sed hoc videtur incredibile. Si enim difplicuiffet, cur eam habuiffent ratam? Cur acceptaffent & confirmaffent?

Amftelodami defcriptio,

Quamvis enim Hollandiæ provincia tantum dicatur ad onera publica contribuere, quantum omnes reliquæ fex provinciæ, & Amftelodamum, mundi compendium, omniumque Nationum commercantium emporium, 50000 ædificiis, 200000 incolis, 4000. lapideis pontibus, interfluenti Amftelæ & canalibus impofitis frequens, curia, qualem orbis non vidit, collybiftarum menfis, portu, mille navium capace, immenfisque opibus fuperbum, quantum omnes reliquæ civitates ad Rempublicam conferre, eam

tamen

tamen ipſis eſſe authoritatem, ut invitis reliquis provinciis, quæ etiam ſuas formant Reſpublicas liberas, & inſciis ſtatibus Generalibus, qui ex ſingulis provinciis ſunt delecti, atque Hagæ ſuos conventus habere ſolent, invito quoque Gubernatore, cui tanquam ſupremo terra marique Præfecto rerum agendarum clavum committunt, magni momenti negotia, quæ univerſam Rempublicam concernunt, qualia ſunt belli paciſque arbitria, ſua auctoritate poſſint tantam poteſtatem exercere, nemo eſt, qui crediderit. Sic enim reliquæ provinciæ non amplius eſſent liberæ, ſed Hollandicæ ſubjectæ, aut iſti duntaxat a conſiliis, ſi penes ſolam eſſent rerum arbitria.

Et Hollandiæ.

Imo, tametſi omnes Batavi vulgo *Hollandi* appellentur, tamen in Comitiis Generalibus provincia Hollandica ne quidem primum locum occupat, ſed ſedent hoc ordine: Geldria, Hollandia, Zeelandia, Ultrajectum, Friſia, Tranſiſelania, Græninga. Ubi illud adhuc notari poteſt, tres eſſe Friſias, quæ confundi inter ſe nullatenus debent, *Occidentalis* nempe, quæ ad ſeptentrionem projecta, eſt appendix Hollandiæ, eique ſitu adhærens unam cum illa provinciam conſtituit, ſicut Zutphania cum Geldria. Altera eſt Friſia *Orientalis*, Principatus videlicet in Germania, ad Rom. Imperium ſpectans. Inter has media Friſia eſt una ex ſeptem Batavorum provinciis, quæ longo tempore peculiarem Gubernatorem ex Domo Naſſovio-Diecenſi habuit, qui propterea *Friſo* cognominabatur, & Leovardiæ, provinciæ metropoli, ſedem fixerat.

Tres Friſiæ.

Sic neque cum memorata Geldria, Batavorum provincia, quæ *inferior* dicitur, confundi debet Geldria *ſuperior*, cujus diverſa omnino eſt ratio. Etſi enim olim ad unum Geldriæ Ducatum utraque ſpectabat, ſuperior tamen remanſit in Hiſpanorum poteſtate usque ad hoc ſæculum XVIII. quo inter Auſtriacos, Boruſſos & Batavos fuit diviſa; primis ceſſit Ruremonda, ſecundis Geldria, tertiis Venlona, principes provinciæ urbes.

Duæ Geldriæ.

Confectam Gallos inter & Batavos pacem acceptare coacti ſunt Hiſpani, in ea rerum ſuarum infirmitate tanto hoſti ſine Hollandis impares. Relinquere igitur in Galliæ manibus debebant totum comitatum *Burgundiæ*, & in Belgio nobiliſſimas urbes ac munimenta, *Cameracum*, *Valencenas*, *Ariam*, *Tornacum*, *Ipras*, *Audomarum*. Gandavum vero, Limburgum, Condatum, Buchainum cum reliquis hoc bello captis, exceptis memoratis urbibus,

Hiſpani pacem coacti acceptare, quamvis miſeram,

bibus, restituta sunt a Gallis, optimo consilio multa occupantibus, ut pauca restituant.

Et Cæsar, desertus a sociis. Sequenti anno 1579. etiam Cæsar, desertus a sociis, *pacem Neomagensem* iniit; cujus epitomen supra, ubi de statu Germaniæ, dedi.

ARTICULUS XVII.

33. *Monumenta quædam, bella ista Belgica & Burgundica concernentia, ex actis publicis deprompta.*

§. I.
QUÆSTIO:
An Cæsari & Imperio fas sit, Circulo Burgundico contra Gallos succurrere?

Cum Galliæ Rex gemino bello post pacem Pyrenæam Burgundiam Belgiumque fuisset aggressus, quæstio in Comitiis Ratisbonensibus fuit agitata, an Cæsari & Imperio circulo Burgundico liceat succurrere? Affirmabant Cæsarei, negabant Galli. Sparsi ab utrisque in hanc rem libelli.

Galli ad Instrumentum pacis Monasteriensis, ejusque Art. III. appellarunt, ubi dicitur: *Circulus Burgundicus sit maneatque membrum Imperii, post controversias inter Galliam Hispaniamque sopitas in hac pacificatione comprehensus; bellis tamen in eo jam vertentibus nec Imperator, nec ullus Imperii status se immisceat. In futurum vero, si inter ea regna controversiæ oriantur, firma semper maneat inter universum Imperium & Reges, regnumque Galliæ de mutuis hostibus non juvandis supra dictæ reciprocæ obligationis necessitas.*

Supra dicta autem obligatio habetur *Art. II*, ubi sancitur, ut alter alterius hostes, præsentes & *futuros*, nullo unquam titulo, vel prætextu quocunque modo juvet, aut ullis copiis, quas contra aliquem hujus pacis consortem duci contigerit, transitum indulgeat.

Ex his, dicebant Galli, manifeste patere, Cæsari aut Ordinibus Imperii fas non esse, Hispanos aut Batavos adversus Gal-

liæ Regem, pacis conſortem, juvare. Cum clare ſtatutum ſit, ut neutra pars alterius hoſtes, præſentes aut *futuros*, quocunque titulo juvet: ut hoc locum etiam habeat, ſi *in futurum* inter ea Regna (Galliæ & Hiſpaniæ) controverſiæ oriantur: ut bellis, in circulo Burgundico vertentibus, nec Imperator, nec ullus Imperii ſtatus ſe immiſceat.

Perſpectum id ſatis fuiſſe Hiſpanis, qui propterea ſint proteſtati contra II & III Articulum, conqueſtique, ſic Burgundiam & Belgium ſolummodo nomine tenus haberi pro circulo Imperii. Ea tamen proteſtatione non obſtante, paciſcentes ad conſervandam pacem inter Imperium & Galliam, eam cautelam eſſe neceſſariam judicaſſe, ac proin Inſtrumento inſertam.

Ad hæc Auſtriaci reſpondebant, clarum eſſe ſenſum Inſtrumenti Monaſterienſis: in eo transactum id tantummodo, ut in præſenti bello, hoc eſt, quod pacificationis tempore, & poſtea etiam cum Hiſpanis continuabatur, Cæſar aut Imperii ſtatus Hiſpanum non juvent. Perſpicue hoc ſignificari per verba: Bellis *jam* vertentibus: ſenſum ergo dilucidum eſſe: durante quidem bello tunc Galliam inter & Hiſpaniam vertente (quod per pacem Pyrenæam finitum fuit) non eſſe aſſiſtendum Hiſpanis: at vero bello illo finito, ſicut alios Imperii circulos conſortem hujus pacificationis fore circulum Burgundicum, adeoque ſicut alios circulos a conſortibus defendendum, & ad quid eſſet Imperii membrum & circulus, ſi nullus unquam eſſet effectus?

Verba autem illa: *in futurum vero, ſi inter ea regna &c.* interpretationem a prioribus, ne illis ſint contraria, accipere, ita, ut verus eorum intellectus ſit: ſi in futurum inter regna Galliæ & Hiſpaniæ, tanquam exteros, bellum oriatur, e. g. ſi Gallus Cataloniam aggrederetur, quæ cum Imperio nihil commune habet, neutra paciſcentium pars alterius hoſtibus opituletur: Burgundiæ vero circulum non eſſe exterum, ſed membrum Imperii; ac proin, ſi ille invadatur, non inter regna, ſed inter Imperium & Regnum Galliæ rem agi.

Hunc ſenſum aperte declarari per capitulationem Cæſaream, in qua Leopoldus Imperator Art. XIII promittit, in quantum circulum Burgundicum, & bellum, in eo *tunc, tempore initæ pacis exiſtens & adhuc durans*, concernit, Weſtphalicæ paci conformiter ſe geſturum, nec coronæ Gallicæ præſentibus ac futuris hoſtibus *exteris* auxiliaturum. Et Art. XIV nullatenus nos miſcebimus in bella, quæ in Italia & circulo Burgundico *nunc* geruntur.

 Duo

Duo hic dilucide contineri: primum, Cæſarem nunquam Galliæ hoſtes *exteros* adjuturum: ſecundum, neque Burgundiæ circulum (qui reſpectu Imperii non eſt Galliæ hoſtis exterus, ſed ejus membrum) quamdiu hoc bellum, anno 1635 cœptum, durabit.

Et ſane recta ratione ſuaderi, eum, qui promittit alterius hoſtes non juvare, non promittere, quod ſe ipſum, aut ſua membra nolit defendere. Tale autem membrum eſſe Imperii circulum Burgundicum, jam a Maximiliano I. anno 1512. inter circulos comprehenſum, & a Carolo V in Receſſu Imperii 1522, maxime vero in *Transactione Burgundica*, anno 1548 Auguſtæ inita, atque in Receſſum Imperii relata, per quam Imperator & Imperii ordines ſe obligarunt, ad Belgicas & Burgundicas circuli Burgundici provincias, tanquam membra ejusdem Imperii, non minus ac alios circulos, *defendendas*, *conſervandas*, *fovendas*, *ac fideliter juvandas*.

Per Pacem dein Monaſterienſem, centum poſt annis cum corona Galliæ confectam, hanc defenſionem tantiſper, quamdiu nempe bellum illud cum Hiſpania, tunc vigens, duraret, fuiſſe ſuſpenſam, ſed nequaquam ultra finem illius belli, quod anno 1659. per pacem Pyrenæam fuit terminatum; tum vero, ſecundum expreſſum Inſtrumenti Monaſterienſis tenorem, in pace comprehendendum, hoc eſt, ſicut alios conſortes pacis & Imperii circulos defendendum, & contra hoſtes quoscunque adjuvandum; prout in eodem Inſtrumento Art. III. ſancitur: ut neutra pars alterius hoſtes juvet, *ſalvo aſſecurationis Articulo infra* (num. 117.) *deſcripto*.

Eundem Inſtrumenti intellectum adhuc magis declarari, dum ſexennio poſt (1654.) dum ipſi paciſcentes adhuc vivebant, quibus mens inſtrumenti in recenti erat memoria, Cæſaris totiusque Imperii conſenſu civitas Biſontina Regi Hiſpaniæ pro Franckenthalio fuit tradida, ea conditione, *ut inter circuli Burgundici provincias pari protectionis ab Imperio jure, vigore antiquorum pactorum, poſſidenda exiſtat, & comprehendatur*.

Quod autem ab adverſa parte dicatur, Burgundicum circulum eſſe aridum & inutile membrum Imperii, id a veritate omnino alienum videri, cum non raro Rex Catholicus inde eduxerit exercitus, quibus res Imperii dubiæ ſint ſtabilitæ, urbes, provinciæ, circuli integri aut ſervati Imperio aut reſtituti, nummi vero longe ultra Matriculam collati.

§. 2.

§. 2.

Fœdus inter Cæſarem & Brandenburgum anno 1672 initum. 34.

Poſt irruptionem Gallorum in Hollandiam, primi fœdus inter ſe pepigerunt pro hac atque Imperio defendendis Cæſar & Elector Brandenburgicus, Fridericus Wilhelmus, cujus hæc erant capita.

1. Maneat conſtans amicitia (*ad annum duratura.*)
2. Confirmatur fœdus decennale, jam antea initum.
3. Pax Osnabrugenſis ſervetur illæſa.
4. Paciſcentes Osnabrugenſes & Hiſpanus poſſunt accedere huic fœderi.
5. Pax Pyrenæa, Clivenſis, Aquenſis conſerventur illæſæ, ad defendendum Belgium Hiſpanicum.
6. Uti etiam transactio Electoris Colonienſis, cum Colonia civitate inita.
7. Sociabit in caſum neceſſitatis pars utraque arma.
8. Pars utraque in hunc finem paratum exercitum habeat, pro tranquillitate conſervanda.
9. Cum Cæſar cum aliquibus Principibus jam fœdus inierit, dabit operam, ut huic accedant.
10. Pars neutra poſſit facere pacem aut inducias ſine alterius conſenſu.
11. Durabit hoc fœdus minimum per decennium.

Articulus ſecretus 1. Provideatur civitati Colonienſi. Congreget Cæſar 12000 armatorum, & totidem Brandenburgus.

2. Nihil ad rei ſummam pars una faciat ſine altera.
3. Quoad religionem omnia relinquantur in ſtatu præſenti ſecundum pacem Weſtph.
4. Civitati quoque Bremenſi ſervetur libertas &c.
5. Cæſareæ dignitati nullum præjudicium inferatur. Circa tranſitum & hoſpitationem exterorum ſerventur Imperii conſtitutiones.
6. Pax Weſtph. decernens, quomodo ſtatibus bellum liceat, ſervetur.
7. Hiſpanus pro conſervanda pace Pyrenæa & Aquenſi congruum ſubſidium Electori conferat.
8. Curet Elector, ut Danus, Domus Brunſuicenſis, & Caſſellenſis huic fœderi accedant.

§. 3.

§. 3.

35. *Fœdus Hagenſe inter Cæſarem & Batavos Anno 1672.*

Batavi, a Gallo invaſi, rogarunt a Cæſare auxilium pro pace Clivenſi & Weſtph. conſervandis. Unde hoc fœdus ictum.

1 & 2. Promittit Cæſar, ſe ultra 12000, cum Brandeburgicis conjungenda, totidem additurum, ſed ſub ſtipendiis Batavorum, in quæ conferent in ſingulos menſes 45 Imperialium millia.

3. Batavi exercitui Cæſareo Brandeburgico addent octo peditum millia: nec pacem facient ſine Cæſaris & Electoris conſenſu (*quod vidimus, quam ſancte obſervaverint.*)

4. Etiam finito hoc bello, maneat fœdus inter Cæſarem & Batavos, atque pars quælibet 12000 habebit parata ad mutuam defenſionem, impenſis petentis auxilium alenda.

5. Parti utrique liberum ſit, pauciores copias petere. Communi conſilio omnia agantur.

6. Neutra pars poterit aliud fœdus inire, quod huic deroget.

7. Hoc fœdus ad decennium duret. Acceſſit iisdem cum Batavis conditionibus Elector Brandeburgicus.

Eodem anno paulo poſt initum eſt *fœdus Brunſuicenſe* in triennium, inter Cæſarem, Danum, Brandeburgicum, Luneburgenſes, & Caſſellenſem, pro defenſione pacis Weſtph. & quietis in Imperio, determinato copiarum numero, a ſingulis conferendo ad mutuum auxilium.

ARTICULUS XVIII.

36. *Unionum Syſtema Belgium quoque infeſtat. Induciæ vicennales. Bellum ob cauſam Palatinam. Lud. Rex in Belgium. Montes & Namurcum capit. Luxemburgi victoria. Namurcum redit ad Hiſp. Bellum incendiarium. Pax Riſuicenſis, Hiſpanis favorabilis.*

Unionum Gallicarum ſyſtema, mox poſt pacem Neomagenſem erumpens, Belgium quoque, Luxemburgenſem maxime Ducatum, afflixit, pati coactis provincialibus, quidquid Tornacenſe tribunal decreviſſet. Multum proin terrarum ſine interceſſione ereptum, Luxemburgum oppugnatum, Auriaci bona occupata;

pata; sed Batavis factionibus scissis, Brandenburgo Gallis favente, & ne bellum illis propterea fieret, obsistente, Principibus Germaniæ inter se divisis, belloque Turcico flagrante, *Inducias Vicennales* inire necesse fuit. (*vid. Germanica.*)

Exorto ob causam Palatinam & Coloniensem anno 1688 bello gravissimo, Belgium pro more pars illius non parva fuit, Gallo haud alibi lubentius, quam in illa munimentorum catena theatrum belli aperiente.

Causam & occasionem Hollandis bellum indicendi dedit Wilhelmus Nassovius Princeps Auriacus, Belgii Fœderati Gubernator, qui auxiliantibus Batavis cum classe 65. navium bellicarum, alioque apparatu in Angliam trajecit, ductis secum 30000 hominibus, adversus Jacobum II Regem legitimum suumque socerum. Belli causæ.

Batavi, ut inexpectati hujus consilii rationem orbi probarent, Principum legatis Hagæ significant, assistere se oportere Gubernatori suo, qui in Angliam navigaret, nequaquam ut regnum invaderet, aut Regem throno suo dejiceret, sed ut Nationi, legibus, libertati, religioni reformatæ, quam Jacobus eversum iret, succurrat. Verum Rex Jacobus non eversum ibat religionem reformatam, sed libertatem conscientiæ, quam Protestantes olim toties appellabant, permissam voluit. Neque Wilhelmum religio in Angliam egit, sed corona, obtentu religionis quæsita.

Anno 1689. Humierus Franciæ Mareschallus ad Walcurium a Waldeccio Principe, Hollandorum Ductore, clade affectus est, 1200 Gallorum cæsis. Humiero surrogatus *Luxemburgus* belli Imperator in Flandria, qui anno 1690. Waldeccio vices reddit, prope Carolo-Regium 6000 Hollandorum acie cæsis, 7000 captis. Rex Lud. in Belg.

A. 1691. Rex cum Principibus Regii sanguinis, Carnutensi, Borbonio, Contio, Mainio, Tholosano, Vendomio & Mareschallis, Luxemburgo, Duras, Fevillada, in Belgium progressus, *Montes* Hannoniæ expugnavit, antequam Auriacus (Rex Angliæ proclamatus) suos Anglos & Hollandos ex hybernis educeret. Leodium, quia receperat fœderatorum copias, ignibus missilibus a Gallis impetitum.

A. 1692. Gallis cessit *Namurcum*, præsente iterum Rege, Luxemburgo vero oppugnationem cum exercitu protegente, ne Elector Bavariæ & Auriacus eam possent solvere. Secutum est prælium *Stenkecanum*, quo cæsi fœderati ad septem suorum millia amiserunt.

A. 1693. *Bufflerius* Furnas capit, captis 4000 Anglorum: Hujum Villaregius. *Luxemburgus Landensem* reportat victoriam, cæsis fœderatis, & opima præda reportata. Carolo Regium Villaregio se dedidit: Hollandis vero Ponticherium in India Orientali, præcipuum Gallorum munimentum.

Land. pugna.

A. 1694. Variis itineribus & mutatione castrorum finita propemodum fuit in Belgio expeditio. Wilhelmus tamen Auriacus, raro exemplo, Hujum & Dixmüdam recepit. Diepam vero & Portum Gratiæ Classis fœderata ignibus infestavit, magno privatorum damno, nullo ad rei summam emolumento; nisi quod animi ferme magis, quam ædificia inhumano hoc belli genere accendantur. In Dunkercam quoque & Morclavium igniarius hic imber deseviit.

Luxemburgo succedit Villareg.

A. 1695. Mortuo *Luxemburgo*, heroi eximio, successit in supremo exercitus Belgici Præfectura *Villaregius*, minus felix quam artium bellicarum peritus. Elector Bavariæ & Auriacus Namurcum expugnarunt, Galli decem millia, fœderati dimidio plures amisisse scribuntur. Postquam residui de præsidio liberi fuerant dimissi, detentus est Bufflerius Mareschallus, quod Galli præsidium Dixmüdæ contra deditionis pacta retinuissent. Memorabile etiam videtur, quod, dum Galli anno 1692 Namurcum expugnarant, portæ urbis inscripserint hoc lemma: *reddi potest, vinci non potest:* nunc vero, cum Fœderati idem munimentum oppugnatione cruenta recuperaverant, substituerint hanc epigraphen: *& vinci, & reddi potest.* Galli dicunt, quod expugnatio Namurci sit præcipuum opus, quod Wilhelmus Auriacus tota vita sua patrarat. Verum in eo perficiendo socium habuit Maximilianum Emmanuelem Electorem Bavariæ, Heroem toto orbe notissimum.

Namurcum.

Obiit hoc anno Maria, Jacobi II filia, Principis Auriaci conjux; qui tamen perrexit, se Regem Magnæ Britanniæ gerere: sed quo jure in regno hæreditario?

Bellum incendiarium.

Villaregius *Bruxellas* ignibus infestavit, quibus tria domorum millia conflagrarunt. Larreyus, Wilhelmi Auriaci panegyrista, in sua Historia Angliæ propterea scripsit, nullam amplius esse Galliæ politicen. Sed responderent Galli, se secutos Anglorum politicam, qui Dunkercam, Diepam, Maclovium, Portum Gratiæ, aliaque Franciæ littora, quantum in se erat, in cineres redegissent.

A. 1696. Angli & Hollandi eandem politicam exercuerunt in Caletum, centum domibus combustis, in Insulam Rheam, im-

missis

missis 4000 ollis igniariis, totidemque in Olonnam. His gestis expeditio maritima anni istius stetit. Terrestris in Belgio adhuc fuit sterilior, aspectibus mutuis absoluta.

Anno 1697. postquam Catinatus, confecta cum Sabaudo pace, in Belgium translatus Athum expugnavit, Risvici Gallus etiam cum Hispano, Anglo, & Hollando in pacem convenit, interlocutore Sueco.

Hispanis Rex Christianissimus restituit Montes, Caroloregium, Cortracum, Athum, cum locis, post pacem Neomagensem reunitis. Hollandis impositum, ut Marchionatum Bergensem ad Zomam Comiti Arverniæ, quem hoc bello possessione dejecerant, restituerent, prout etiam Pontícherium in India societati Gallicæ Orientali. In favorem Angliæ Wilhelmus Auriacus agnitus Rex Angliæ, destituto Jacobo II Rege. Loca, utrinque ablata, reddita. Pax Risvic.

Mirati sunt multi, Ludovicum victorem tot urbes terrasque restituisse. At ille altiori e specula prospiciebat; ea Caroli II infirmitate nodum magni fœderis scissum volebat, Hispaniam Domui suæ conciliatam, maris potentes amicos, ut consiliis suis de Hispania viam complanaret.

Quamvis autem magnum Protestantibus gaudium afferret, quod, dejecto Jacobo catholico, suo de gremio Princeps in throno Britannico esset firmatus, lætitiam tamen temperavit dolor geminus, & quod Edictum Nannetense non fuerit, prout petierant & speraverant, restitutum, & quod Articulo pacis IV fuerit inserta, invisa sibi, de qua alias clausula. Anni sequentes impensi sunt partitionibus Monarchiæ Hispanicæ. Et prima quidem Hagæ facta, tribuitur Carolo Archiduci Mediolanum, Delphino Neapolis & Sicilia cum portubus Hetruscis & Guipiscoa, reliqua Monarchia Principi Electorali Bavariæ: hoc vero mortuo altera divisione, suscepta Londini, Delphino adjecta est Lotharingia, Duci vero Lotharingiæ Mediolanum assignatum, reliquum Monarchiæ Carolo Archiduci. Quantum in omnem partem fuisset auctum regnum Galliæ, si partitione stetisset!



CAPUT V.
DE
STATU HELVETIÆ
SÆCULO XVII.

SUMMARIUM.

Inſtituta Congregatio Benedictino-Helvetica. Fœdus cum Henrico IV. Sabaudus Genevam tentat. Bellum in Valle Telina. Tur-
37. *bæ Religionariæ. Bellum inteſtinum. Vilmergenſis Catholico-*
rum victoria. Pax. Lis Epiſcopi Baſileenſis cum urbe. Lites Glaronenſium compoſitæ. Calumnia Hottingeri in Card. Sfondratum. Supplicatio proceſſionis a Sangallenſibus turbata. Calendarii correctio. Turbæ Griſonicæ. Abbas Murenſis creatus S. R. J. Princeps.

Congreg. Bened. Helvet.

Anno 1601 erecta eſt congregatio Benedictino-Helvetica, conſilio & opera Joachimi Beroldingeri, Decani Einſidlenſis, primum inter Abbates St. Gallenſem, Einſidlenſem, Muranum, & Fiſchingenſem. His acceſſerunt Falerianus, Diſertinus, Rheinavienſis, Engelbergenſis, Steinenſis. Hæc congregatio a Clemente VIII. aliisque Pontificibus approbata, multisque privilegiis fuit ornata. Certe ab eo tempore Regularis diſciplina & doctrina eximie floruit. Et vero zelo explicando vel ipſi Acatholici campum amplum aperuerunt, contra quos tot invicti deinceps heroes prodierunt

Fœdus cum Henr. IV.

Anno 1602. Helveti fœdus cum Henrico IV. Galliæ Rege renovarunt Pariſiis in Eccleſia B. V. ſuper ſacris Evangeliis juramento præſtito. Rex eis confirmavit privilegia, quibus fruebantur in Francia. Cantones Proteſtantes eam adjecere conditionem, ne arma ferre cogantur adverſus homines ſuæ religionis, Catholici vero, ut continuare ſibi liceat fœdus cum Mediolano & Sabaudia, ſi illud non vergat in præjudicium Franciæ.

Sabaudus Genevam tentat.

Anno 1603. Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ miſſis tribus armatorum millibus Genevam, cum Helvetis fœderatam, & ſub

Galliæ protectione ſtantem, noctu intercipere conabatur. Jamque plures ſuperato vallo mænia conſcenderant, atque in urbem evaſerant, cum cives ſtrepitu exciti, armis correptis, hoſtem repulerunt, pluribus interfectis captisque, aliis in foſſam deſilientibus, & vitam ſibi ipſis adimentibus. Genevenſes in ſabaudicum agrum effuſi, incendia & populationem propagabant; jamque ad bellum res videbatur vergere, cum a Rege Galliæ feroces animi ſunt conciliati. Dux factum per ſuum apud Bernates legatum excuſabat, non fuiſſe intentionis ſuæ urbem retinere, ſed Gallos prævertere, qui eandem per Ledigueriυm fuiſſent occupaturi. Cæterum eam civitatem Epiſcopus Genevenſis dicebat ſuam, Sabaudus eam ſibi vindicabat, Genevenſes liberam aſſerebant.

Anno 1605. Genevæ interiit Theodorus Beza, dignus Calvino Diſcipulus & in cathedra peſtilentiæ ſucceſſor. Plures ſunt ſcriptores, qui mortem ejus plenam deſperatione referunt.

Anno 1610. Epiſcopus Baſileenſis cum ſeptem Cantonibus catholicis fœdus renovavit, ad tuitionem maxime Religionis, a Zwinglianis undique impetitæ, quam etiam ex Valleſia extrudere omni ope collaborabant, prout ex Griſonia, Turgovia, Valle Rheni &c. Münſterthalenſibus jus civitatis Bernates dabant, ut hoc eos titulo contra Epiſc. Baſileenſem, Dominum ſuum, poſſent protegere.

In Valleſia anno 1614 in Epiſcopatum ſuæ factionis hominem intrudere conati ſunt. Anno 1618 etiam ex 4 Zwinglianis Helvetiæ civitatibus Prædicantes in Dordracena ſynodo comparuerunt. 1619. Plurſium oppidum cum Schilono a collabente monte *Conto* in Griſonia penitus oppreſſum eſt, lacu inde emergente.

Anno 1620. Catholici in Valle Telina, a Griſonibus ſevere habiti, Wormium occuparunt, omnesque Calviniſtas occiderunt. Miſerunt illico Griſones Judices, qui in ſontes animadvertant; & ſectæ ſuæ Eccleſias erigant. Dux de Feria novus Mediolani Gubernator, a Catholicis imploratus, miſit illico copias. Gallia, Veneti, Helveti cauſam communem fecere, non paſſuri, ut Hiſpania cum provinciis hæreditariis Auſtriacis, quæ ſunt in Germania, tam facilem communicationem nanciſcatur, miſcebant ſe huic negotio; unde ortum novum bellum, interveniente ſummo Pontifice ſopitum, ſæpius rurſus exarſit. Conventum denique, ut Hiſpani & Griſones ex Valle Telina ſuas reducerent copias, nova propugnacula ſolo æquarent, & quidquid in detrimentum Religionis Catholicæ eſſet introductum, tollatur.

Bellum Val-Telinum.

Anno

Anno 1623 cum turbæ Vallis Telinæ necdum essent compositæ, Hispanis adhucdum ibidem morantibus, provincia illa tanquam sacrum depositum Pontifici a Gallis & Hispanis fuit commissa. Sed cum neque hoc consilium haberet constantiam, unio inter Franciam, Sabaudiam, & Venetias in eum finem fuit concepta, ut Hispani cogerentur Valle Telina decedere; & munimenta, quæ erexerant, diruere.

Anno 1624. Cantones Solodori coram Galliæ oratore congregati, copiam fecerunt Gallis conductoribus, per omnes provincias habendi delectus, eum in finem, ut Hispani ex Valle Telina depellantur. Datus etiam a fœderatis, Gallo, Subaudo, Venetis, Mansfeldio nervus belli, ut vires Austriacas distrahat.

Cævreus igitur Marchio cum copiis Vallem Telinam ingressus, plura munimenta expugnavit. Tandem vero post tot annorum turbas & bella, quæ minima hæc Europæ portiuncula Europæos inter summos Principes excitavit, confecta est pax, anno 1626. a Regibus Galliæ & Hispaniæ.

In ea confirmatur Jurisdictio suprema Grisonum in Vallem Telinam, Religio item Catholica cum exclusione omnium sectarum, tam in Valle, quam Comitatibus adjacentibus, Bormiensi & Clavennensi. Valtellini ipsi magistratus sibi eligant, & Gubernatores. In signum tamen subjectionis Grisonibus pendant annuatim 25000 Scutorum.

Quia autem occasione belli Valtelini contra Genuenses etiam, Hispanorum socios, fœderati, (Galli, Sabaudi & Veneti) bellum gesserunt, delatus est Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci titulus Regis Cypri. Catholici Helvetiæ Cantones pacem approbarunt, Protestantibus vero articulus de Religione displicuit. Grisonibus summa annua justo minor visa est, sed cum pax a summis Principibus esset confecta, acquiescere oportuit. Anno eodem (1626.) Heterodoxis Vallesia excedendum fuit, adnitente potissimum Hildebrando Jost Episcopo, formato in comitiis Sedunensibus Ostracismo.

Anno 1629, cum bellum ob successionem Mantuanam arderet, Imperator, capta Mayenfelda & Curia, per Grisoniam, Collalto Duce, traduxit exercitum, Venetis alteram per Tyrolin in Italiam viam præpedientibus. Translatus in Mantuanum agrum Germanus miles, urbem ipsam principem, non minus munitam quam opulentam, intercipit, paludibus glacie concretis, expilatque,

que, Nivernenſi & Eſtræo legato Gallico in Romanæ Eccleſiæ terras ſe recipientibus, anno 1630.

Verum eodem adhuc anno concluſa eſt in Inſubria ſuſpenſio armorum, & Ratisbonæ pax.

Tempore belli Suecici Helveti neutras partes ſunt amplexi; quamvis Zwingliani non una occaſione deſideria ſua prodiderint. Rottwilam Wirtembergicus Adminiſtrator anno 1631 occupavit, & a fœdere Helvetico, cui anno 1519. ſe adjunxerat, abſtraxit.

Epiſcopus Conſtantienſis & Abbas S. Galli cauſas matrimoniales ſuorum ſubditorum, eorum quoque, qui a Religione deſciverant, ad forum ſuum Eccleſiaſticum pertinere, omni jure contendebant; ſed ii ſub Tigurinorum alas ſe abdiderunt, in gradibus prohibitis Tiguri copulati, competenti foro ſe ſubtraxere, uſurpationibus hujusmodi longævam conſuetudinem prætexentes. In communibus præſertim Præfecturis tales, aliæque lites quam plurimæ agitabantur; unde perpetuæ in comitiis Badenſibus & Franconfeldenſibus querelæ, & Catholicos inter & Proteſtantes Ordines contentiones. O quam alia fœderatæ & intime unitæ Reipublicæ fortiſſimæ facies, dum eſſet unius labii! **Turbæ Religionariæ.**

Anno 1633. Lucernæ, (ubi, cum quidam incaute in volucrum nidum ſclopum ſolveret, Auguſta ad S. Leodegarii Baſilica ad muros usque conflagraverat) Catholici Cantones cum Victore Amadeo, Sabaudiæ Duce, fœdus renovarunt, cum patre ejus & avo initum, ad defenſionem mutuam.

Tigurinis multiplex frequensque contentio cum Anabaptiſtis. Proſelytos illos efficere laborabant; ſed cum diſputando nihil cum illis proficerent, quavis parte Scripturas ad ſuos errores absque judice detorquente. Quare ad vim, ad carceres, mortemque ipſam ventum: Anabaptiſtis ad libertatem conſcientiæ, more Zwinglianis & Lutheranis ante hac uſitato, fruſtra appellantibus.

Anno 1638. Glaronenſes Acatholici circa ſcholas, cauſas matrimoniales, Præfecturas, peregrinationes ſacras varia in præjudicium Catholicæ partis innovarunt. Novatores hæc licita ſibi eſſe prætendunt, non autem Catholicis antiquas conſuetudines retinere. Eodem jure Patres Capucini ex catholicis etiam in Griſonia locis, prævalente Calviniſtarum potentia, per ſummum nefas expulſi ſunt. In Turgoia Frauenfeldæ Zwingliani novum ſibi templum conſtruxere. Querulabantur nihilominus perpetuo, ſibi ab

agno aquam turbari; quod etiam anno 1655. factum, cum Dux Sabaudiæ Waldenses, pervicaces suos subditos, castigaret.

Bellum Religionis. Tandem Religionis diffidia adeo exarserant, ut anno 1666. in apertam belli flammam erumperent. Quippe, dum Arthi, oppido ad lacum Tugiensem sito, quidam a fide deficerent, & Tigurum profugissent, Suicenses, ad quorum cantonem Arthum pertinet, reliquos de defectione suspectos Suicium perduxerunt, contumacesque aliquos, pro suprema sua & independente potestate, capite multarant, subditos etiam suos, Tigurum profugos, reposcentes, ni venirent, bona eorum fisco addicturi.

Tigurini vero, quibus se Bernates adjunxere, hæc Suicensium acta injuriam suam interpretantes, atque jus emigrandi, quod probare non poterant, prætendentes, bona profugorum deposcebant: &, cum Suicenses, Tigurinis nihil in ditiones suas juris esse rati, leges nollent accipere, Tigurini aggressores ad arma versi, Rappersvilam, rupta pace, oppugnarunt.

Vilmergensis victoria. Lucernates, Uranienses, Suicenses, Subsylvani, Tugienses, injuriam non ferendam existimantes, vim vi retundere statuunt, atque ad *Vilmergam*, oppidum in libera provincia, 24. Jan. cum hoste congressi, insignem ab eo victoriam reportant; in cujus memoriam & debitam gratiarum actionem 23 Januarii quot annis Lucernæ solennis per urbem supplicatio sub vesperum instituitur.

Difficile tunc non fuisset Catholicis tantæ victoriæ, qua 2000 Bernatum in acie cæsa, 500 capti referuntur, fructus legere, nisi pacis & Reipublicæ universæ amor manum cohibuisset. Annitentibus igitur Cantonibus Friburgo, Solodoro, Basilea, Scaphusia, Glarona, Abbatiscela, quæ neutras partes fuerant secutæ, pax confecta est, ex qua victores victosque non dignosceres; neque enim Catholici quidquam aut terrarum, aut novi juris sibi vindicabant, sed pacem & quietem, toties ab Acatholicis turbatam, respiciebant: digni profecto, qui versa deinceps armorum fortuna eandem animorum æquitatem experirentur.

Pax. Sancitum, ut quilibet Canto in sua provincia & ditione suæ religioni & supremæ Jurisdictioni atque dominio, absque turbatione, quietus relinquatur. In communibus provinciis (uti Turgoia, Valle Rhenana, Comitatu Badensi & Sargantino) Religio *antiqua* & *vera* integra & illæsa conservetur. Si qui vellent in alium Cantonem, præsertim si ibi diversa est Religio, emigrare, integrum sit loci dominis, contra tales subditos discessuros pro arbitrio procedere.

Verum

Verum ea pax, Badenæ inita, impedire non potuit, quo minus Tigurini novas in Turgovia Catholicis, & Abbati præſertim S. Galli moleſtias faceſſerent, civi quoque Frauenfeldenſi, ad avita ſacra reverſo, liberos abſtractos in ſuæ ditionis terram abducerent; quos tamen, intervenientibus Catholicis Cantonibus, reſtitui oportuit. 38.

Major cum Baſilea erat controverſia; nam poſt Edictum Reſtitutionis a Ferd. II Imperatore anno 1629 promulgatum, Epiſcopus Baſileenſis Eccleſiam Cathedralem, a civitate injuſte ereptam, repetiit; Cæſar vero Electori Bavariæ, & Archiduci Leopoldo executionem commiſit. At mutata dein armorum fortuna negotium Edicti urgeri non ſatis poterat. Epiſcopi nihilominus juſtæ ſuæ petitioni porro inſtitere; nam Joannes Conradus aliique anno 1663. rurſusque anno 1672. tum Ratisbonæ apud Cæſareos & Gallicos legatos, tum etiam in ipſa urbe Baſilea jura ſua ſunt perſecuti. Verum urbs obtentu Pacis Weſtph. & poſſeſſionis vindicationem eluſit; quamvis annus normalis, in pace Weſt. fixus, ad ſola membra Imperii, a cujus nexu Baſileenſes jam anno 1501 ſe abſciderant, pertineret, poſſeſſio autem absque juſto titulo mala fide cœpta continuataque, nunquam fuerit quieta. Lis Baſil.

Anno 1679 Chavignius, Gallicus Genevæ legatus, in ſuo ſacello Miſſam celebrari curavit, ad quam etiam exteris aditum conceſſit. Ingens mox in urbe fremitus: cingitur a furioſa plebecula Domus legati: exploduntur ſclopi. Sed legati conſtantia ſe minime a ſanctis & generoſis cœptis abſterreri paſſa eſt.

Nec minus animoſe Catholici Glaronenſes eodem tempore, ringentibus heterodoxis, Patres Capucinos introduxerunt. Cum autem varia etiam alia diſſidia orirentur, Cantones ſex ſequentes articulos propoſuerunt, anno 1683. 1. Pars quælibet in civilibus & criminalibus ſuæ Religionis ſubditos privative judicet. 2. Si lis vertatur inter Catholicum & Acatholicum, pari numero ex utraque parte ſint Judices. 3. Glarona unus indiviſus Canto permaneat, atque pro negotiis exteris, & communibus, cum locis confœderatis, atque pro communibus dominiis curiam communem habeat, ibique votum commune concipiat. 4. In expeditionibus provincialibus pars utraque ſuos ducat. 5. Dies Dominicos & Feſtos pars utraque obſervet. Glaronenſis compoſitio.

Quando Rex Galliæ & Dux Sabaudiæ Calviniſtas ditionibus ſuis expulerunt, dici non poteſt, quantos conatus Tigurum & Berna, ut id impedirent, oppoſuerint: quot legationibus & interceſſioni-

ſionibus actum! quanta devotione hos, ut dicebant, pro Evangelio exules exceperint, foverint, atque Brandeburgo, Hollandis, Haſſiæ Principi commendarint, armis & argento inſtruxerint, ut per ſtratas Domini ſui copias vias ad reditum rimari poſſent. Nempe filii tenebrarum prudentiores &c.

Anno 1693. Bernæ Anabaptiſtæ invaluerant, prout ab uno errore ad alterum facilis eſt tranſitus. Verum ſenatus exilium, triremes, necem in eos decrevit, præſertim ſi ſint prædicantes; nec proderat eis, quod ex Bibliis ſe vellent defendere.

Anno ſequenti prope erat, ut ad arma veniretur; nam cum Wartavii, in Sargantino comitatu, qui ad ſeptem antiquiores Cantones ſpectat, jam plures eſſent Catholici, Gubernator dedit illis ſacerdotem Catholicum, jure vetuſtiſſimæ poſſeſſionis, & pacis tractatibus nixus; ſed tota vi ſe opponebant Acatholici, donec tandem, Ameloto Gallico legato interveniente, lis fuit compoſita, reſervato Catholicis ſuo jure.

Calumnia in Card. Sfondrati.

Cum exeunte ſæculo XVII. Cardinalis Sfondrati, viri doctiſſimi, qui Abbas & Princeps S. Galli ante fuerat, *Nodus Prædeſtinationis Diſſolutus* in lucem prodiiſſet, Præcones etiam Tigurini, fatali neceſſitate prædeſtinationis effectus definientes, nodum adhuc in ſcirpo quærebant. Hos inter Joannes Jacobus Hottinger, in Helvetica ſua Hiſtoria, vel potius inſulſa fabula, & calumnioſa in Catholicos ſatyra, quam Tomis quatuor eſt complexus, ad annum 1695. ſcribere non veretur, duos Archiepiſcopos & tres Epiſcopos librum Cardinalis Sfondrati *ut gravibus ſcatentem erroribus* apud Pontificem accuſaſſe.

Honeſti ſcriptoris fuiſſet, Archiepiſcopos iſtos & Epiſcopos in tam gravi accuſatione nominare ſaltem, ut aliquid probaret; ſed de probatione hic homo non eſt ſollicitus; ſufficit illi, ut in plurimis aliis, calumniari, ut aliquid hæreat. Dos inſignis profecto Hiſtorici! vel citat Hoſpinianum aliquem mendacem, aut Henricum Hottinger venerabilem ſuum parentem, aut alium Prædicantem Tigurinum, cacabus ollam. Catholicos ubique ceu homines inquietos & pacis perturbatores exagitat, Patres præſertim Capucinos, quia in Helvetia & Griſonia fidem orthodoxam ſtrenue propugnant; ipſum S. Franciſcum Saleſium ceu virum leviſſimum traducit. De Catholicorum Vilmergenſi victoria vix mentionem facit. Militibus ante invaſionem Genevæ extremam unctionem impertitam, promiſſumque, eos per eandem ſcalam, quam mœnibus applicarant, in cælum aſcenſuros nugatur.

Car-

Cardinalem Sfondrati in ſuo Nodo Diſſoluto docere ait, infantes in utero materno mortuos, majori frui beatitudine, quam ſi in cælum eſſent recepti: eos cælo excludi propter peccata parentum. Falſiſſimum autem eſt, tales doctrinas in Sfondrati libro reperiri. Aliud eſt, quod propter culpam parentum non perveniant ad Baptiſmum, aliud, quod propter illam cælo excludantur, cum propter peccatum originale excludantur; quæ certa Sfondrati & omnium Catholicorum doctrina eſt.

Poſtquam Cœleſtinus Sfondrati anno 1695 ad Purpuram Romam avocatus, Principatum St Gallenſem depoſuit, 10 Jan. 1696. in Abbatem electus eſt Leodegarius Bürgeſer Lucernenſis, Decanus antea Monaſterii, cui mox urbs St. Gallenſis, quæ minime debuit, moleſtiam intulit: & injuriam publicam, perſimilem illi, quam olim Abbas ad S. Crucem a Lutheranis Donawerdæ eſt perpeſſus.

Cum enim anno 1697. Feſto Inventionis S. Crucis Monaſterium piam ſupplicationem pro veteri more per urbem S. Gallenſem educeret, Zwingliani crucem deponi imperant, cumque Catholici nihilominus illam, aliquantum elevatam, præferrent, cives correptis armis proceſſionem & Monaſterium infeſtarunt. Supplicatio S. Gall. turbata.

Graviter, ut par eſt, Abbas Princeps eam violentiam tulit, nihilque a vetuſtiſſima conſuetudine alienum, nihil contra conventiones actum aſſerens, ſatisfieri ſibi pro injuria petiit. At Zwingliani ad vim reverſi, occluſerunt civitatis portas, ac erectis novis operibus, mœnia machinis tormentariis armarunt, donec quatuor Cantonum Protectorum Legati arma poni juſſerunt, atque deinceps crucem ante pectus erectam per urbem portari. Condemnata etiam eſt urbs in expenſas.

Poſtquam Proteſtantes in Germania ultra centum annos adhuc errare maluerant in computo Eccleſiaſtico, quam correctionem Calendarii Juliani admittere, religioni ſibi ducentes, aliquid, quod a Papa provenit, quamvis ſapientiſſime eſſet conſtitutum, & neceſſitas publica expoſceret, admittere; anno tamen 1699 30 Dec. vel inviti a Papa didicerunt, qua ratione quoad ſubſtantiam emendandum ſit Calendarium, atque, ut exemplum ſuum ſequerentur, hortati ſunt Acatholicas quatuor Helvetiæ civitates. Calendarii acceptatio.

At illæ, cum adhuc tenerioris eſſent conſcientiæ, per annum ſalubre negotium diſtulerunt, donec omiſſis 11 diebus, annum 1701 a 12 januarii ſunt auſpicatæ. Glarona vero, Abbatiscella (quoad partem Acatholicam) urbs San-Gallenſis, & Griſo-

 nes,

nes, Juliano aberrante uti perrexerunt, cum non modica rerum confusione.

In Grisonia Calvinistæ sub initium seculi XVIII. in apertam rursus vim adversus Catholicos eruperunt. Sagenæ, pago, horæ spatio distante Ilancio, plerique erant Catholici; sed Calvinistæ paulatim irrepentes, privato sectæ suæ exercitio non contenti, templum sibi construere moliebantur. Catholici, eam novitatem conventionibus patriis ac juribus suis pugnare, contestantes, se opponebant. Quare ad tria Novatorum millia, ex vicinis locis concursantium, armata manu Catholicos Sagenæ adorti ac direptione & cædibus sævientes, Catholicos incolas sedibus suis expulerunt.

Turbæ Rhœticæ.

Intervenere tamen Deputati ex utraque Religione, qui statuerunt, ut Acatholici intra privatum in domibus suis exercitium, sicut hactenus, se continentes, a templi molitione desisterent, infantes, non baptizatos, in communi cœmeterio sepeliendi jus habeant, Parochus vero loci, cujus zelum Heterodoxi maxime accusabant, cum alio commutetur. Catholici Sagenses hac transactione, in quam obtorto velut collo essent rapti, enormiter se gravatos querebantur; multisque in aliis etiam locis erumpentibus discordiarum incendiis, in Comitiis popularibus, procellosi instar maris æstuantibus, non raro ventum ad verbera, manu, quam ad suffragium attollere debuerant, in cædes pruriente.

Murensis Princeps.

Anno 1702 Placidus, ex Illustri Tugiensi Familia Zurlauben prognatus, Monasterii Murensis Abbas, ab Imperatore creatus est S. R. J. Princeps. Displicuit initio hæc res Cantonibus Helvetiæ, maxime Acatholicis, quemcunque Catholicorum splendorem sibi umbram facere autumantibus. Respondit Placidus, hanc dignitatem a se nullatenus quæsitam, sed a comite Trautmansdorffio, Cæsareo ad Helvetos legato, Imperatoris nomine inopinato sibi fuisse oblatam. Monasterium Murense esse fundationem Domus Habspurgo-Austriacæ, repudiationem gratiæ, ultro oblatæ, ingratitudinis & contemptus speciem præseferre.

Cæsar Leopoldus amplum Diploma impertivit, in quo memorat, hanc Domum Dei, a suis Progenitoribus fuisse fundatam, dotatamque, atque ab ea insignia Familiæ suæ totique Romano Imperio obsequia fuisse præstita; dignum proin esse Placidum ejusque successores, ut Principum Imperii Dignitate ornentur, cum omnibus prærogativis & honoribus, huic Dignitati annexis, utque 4 hæreditaria officia, Mareschalli, Camerarii, Pincernæ, Dapiferi possit erigere, & quidem Mareschalli munere semper senior Fami-

liæ

liæ Zurlaubianæ, Baronum ad Turrim & Gaſtellenburgum infeudetur. Aſſumit denique Cæſar Placidum ejusque Monaſterium & bona ſub ſpecialem protectionem Romani Imperii.

CAPUT VI.

STATUS ANGLIÆ
Eccleſiaſticus & Politicus
SÆCULO XVII. 39.

ARTICULUS I.
Status Angliæ ſub Jacobo I.

§. I.

Jacobi Regis initia. Conciliabulum. Ejus Decreta. Perſecutio Catholicorum.

Poſtquam anno 1603 mors ſuſtulit Eliſabetham Reginam Angliæ, Parlamentum Jacobum VI Scotiæ Regem, Mariæ Stuartæ filium, Henrici VIII Angliæ Regis ex ſorore Abnepotem, Regem dixit, ſub nomine *Jacobi I magnæ Britanniæ Regis.* Jacobi initia.

Catholici ſpem optimam de hoc Principe, e Catholicis parentibus nato, & a matre pie educato, conceperant; unde porrecta libello ſupplici libertatem Religionis rogarunt.

At licet initio clementiam præſetulerit, libertatem ſacrorum pollicitus; quia tamen hæreticum virus jam imbiberat, qualis eſſet, brevi demonſtravit.

Quia autem Epiſcopalium potiſſimum ſectæ ſe addicebat, Conciliabulum eorum inſtituit, illique præſedit. 141 Articuli in eo ſunt conditi, Presbyterianis & Puritanis in Anglia, Calviniſtis in Gallia & Hollandia maximam partem contrarii. Quippe in illis ſtatuebatur, Regem eſſe caput Eccleſiæ Anglicanæ, Epiſcopos, Pres- Synodus Epiſcopalium.

Presbyteros, Diaconos ſolenni ritu eſſe conſecrandos, certos dies feſtos colendos, ſtata jejunia ſervanda, Lytanias cantandas, ad nomen Jeſu genua flectenda, veſtitum Miniſtrorum in Eccleſiis retinendum, in baptismo formandam crucem, confirmationem adminiſtrandam, confeſſionem auricularem adhibendam.

Sequenti anno idem conventus inſtaurabatur, in quo Rex propoſuit 1. ſibi videri, Confirmationem, velut complementum Baptismi eſſe retinendam. Reſpondit Archiepiſcopus Cantuarienſis, Confirmationem ſemper ab Apoſtolorum ætate in Eccleſia fuiſſe uſitatam. Conſentiebant alii Epiſcopi.

2. Abſolutionem privatam a peccatis pariter retinendam, quia & ipſa ab Apoſtolorum tempore deſcendat. Epiſcopi rurſus conſenſerunt. 3. In caſu neceſſitatis etiam a laicis extra templum conferri poſſe baptismum. Reſponderunt Epiſcopi, antiquiſſimum hunc uſum eſſe, *Act.* 2, dum uno die 3000 baptizarentur, exercitum.

Jacob. perſequitur Cath. Murmurabant quidem contra hos articulos Calviniſtæ, ſed a Rege ipſo confutabantur, qui addidit, ex omnibus Bibliorum verſionibus nullam pejorem eſſe Genevenſi, omnesque gloſſas, marginales & interlineares, plenas falſitatis & ſeditionis eſſe.

Ne autem Calviniſtæ turbas cierent, gratum quid iis præſtandum judicavit, gemino edito Decreto; quorum primo omnibus ſacerdotibus Catholicis ſub pœna capitis exilium indicitur: altero omnes Angli, qui extra regnum in Seminariis viverent, revocantur. In Jeſuitas maxime inquiri jubetur, prohibeturque ſub gravi pœna, ne quis eos tecto excipere audeat, cum ſevero mandato illos denuntiandi.

§. 2.

40. *Conſpiratio Pulveraria. P. Garneti mors. Novum Juramentum, a Rege exactum.*

Cum Catholicis nulla ſupereſſet ſpes Religionis libertatem obtinendi, injuſte ſe invaſos belloque velut petitos rati, defenſionem ſui opponere decernunt. Octo præſertim Nobiles Juvenes, quorum Caput *Robertus Catisbeyus*, ſtirpe & corporis forma præſtans, conjurant in facinus atrox, horrendum, impium, quod, eventum licet fuiſſet nactum, nemo ſanus comprobarit. (Conſpiratio Pulveraria.)

Præ-

Præstituta erat dies frequenti in palatio Westmonasteriensi habendo regni senatui. Totam igitur subvertere ædificii molem statuunt. Vicinam in eam rem domum conducunt, indeque subterraneos ad palatium agunt cuniculos, eosque implent pulvere pyrio, quando Rex cum Parlamento collectus esset, incendendo, ut una omnes ruina contumulet.

At eventu intento caruit immane consilium; nam antequam Parlamentum conveniret, quidam ex conjuratis ad Montagium, senatorem Catholicum, scripsit epistolam, tacito nomine suo locoque, ac monuit, ne eo die in Parlamento compareret. Detegitur.

Montagius hanc schedam Comiti Sarisburio, intimæ admissionis Ministro, tradidit, & iste Regi. Qui pestem subodoratus inquiri jussit, deprehensoque opifice in cella, & in carcerem ducto, tota conjuratio fuit detecta.

Conjurati Londino diffugiunt, & Catholicos per provincias dispersos ad arma concitant; sed vix centum colligere poterant. Restiterunt tamen insequentibus Regiis. Sed Catisbeyo cum aliis quibusdam cæso reliqui Londinum vincti abducti sunt, atque senatus sententia mortis supplicio affecti. (1606.)

Quamvis autem conjurati, severe examinati, uno ore negassent, ullum sacerdotem conspirationis fuisse conscium, atque ea per duos menses publica fuisset persuasio, Calvinistæ tamen nihil omiserunt, quo Jesuitas in suspicionem possent trahere. Tres autem ex illis, Garnetum, Grienwelum, & Odoenum, quamvis nullum sceleris indicium appareret, reos egerunt, parricidas regnique proditores proclamantes.

P. Henricus *Garnetus* e latebra extractus Londinum captivus abducitur, ibique, quamvis nulla ratione convictus aut crimen ullum confessus, ad mortem condemnatus suspendio fuit enecatus: moxque per totam Europam fama dispersa, quod tanquam complex imo auctor meditati parricidii interierit. Verum Deus etiam miraculo innocentiam servi sui comprobavit; nam spica, sanguine ejus tincta, effigiem Garneti perspicue exhibebat; id quod multorum, ipsius etiam Hispanici legati oculis fuit subjectum, fatentibus pictoriæ peritis, nulla humana arte talem effigiem in festuca effingi posse. Garnetus.

Ad eandem mortem condemnatus fuit P. Edvardus *Olkornus*, non alia ex culpa, nisi quod Jesuita fuerit; de cætero nullum indicium, nulla probatio delicti. Nicolaum *Odoenum*, Societatis Fratrem laicum, gravi hernia laborantem, contra jurium placita in Olkornus. Odoenus.

in equuleo ſuſpenderunt, tantaque crudelitate torſerunt, ut viſceribus effuſis exanimis concideret. Neque hic criminis alicujus fuit inventus reus.

Conſpiratio illa, quæ *Pulveraria* dicebatur, ſicut nefarie & inſipienter fuit concepta, ita alios fructus non intulit, quam ut acerbiora in Catholicos decreta ferrentur. Ingens quippe mulcta iis fuit impoſita, qui ad Cœnam non accederent, aut ad templa, aut preces publicas. Omnes Catholici arceantur a publicis muneribus, & ab ipſo etiam Regis vel aulæ acceſſu. Bona illorum, qui in ultramarinis ſeminariis educantur, ærario Regis addicuntur.

41. Juramentum novum. Hæc pluraque id genus alia minus adhuc gravia viſa ſunt, quam illa, quæ novo & inaudito juramento promittere jubebantur. Octo articulos illud complectebatur.

1. Quod Jacobus ſit Rex legitimus.
2. Quod nec Papa nec ullus alius poſſit eum deponere, aut ſubditos ejus a juramento fidelitatis aut ſubjectionis abſolvere.
3. Quod, non obſtante quacunque excommunicatione, aut abſolutione Papali, fideles & obedientes eſſe velint.
4. Quod toto corde abominentur tanquam impiam, hæreticam, & execrandam doctrinam, Principes, a Papa excommunicatos, aut depoſitos, poſſe occidi a ſubditis, aut juribus ſuis privari.
5. Quod nec Papa nec alius poteſtatem habeat, hoc juramentum relaxandi.
6. Quod hoc juramentum legitima auctoritate imponatur, omnisque contraria diſpenſatio & exceptio ſit rejicienda.
7. Quod hoc juramentum emittant ſincere absque ulla reſervatione aut reſtrictione mentali.
8. Quod jurent libere, vere, fideliter, absque dolo.

Hoc Juramentum grandes difficultates, diſcordias, turbasque inter perſonas Eccleſiaſtici ordinis excitavit. Quidam enim cum Patribus Societatis illicitum dicebant: quidam in medio conſiſtebant; potiſſima vero eorum pars licitum putavit, & duce ac hortatore Georgio Blackvelo, Archipresbytero, illud præſtitit.

Improbatum. Paulus V. ad Catholicos in Anglia reſcripſit, hoc juramentum nullatenus edi poſſe ſine læſione Divini honoris & conſcientiæ.

Blackvelus. At *Blackvelus* Pontificis litteras promulgare recuſavit, ceu ſub- & obreptitie a Jeſuitis impetratas, ſed Papa alteras addidit; Bellarminus etiam & Suarez ſcripſerunt contra Regem Angliæ, atque juramentum iſtud. Verum Rex ipſe aliique replicarunt, non ſatis attenden-

tendentes poteſtatem clavium, a Chriſto conceſſam Petro ejusque ſucceſſoribus, & ipſos etiam Principes eſſe inter oves Chriſti, paſtorali baculo Petri ſubjectos. Atque has inter controverſias annus 1607 fuit evolutus.

Juramentum, quod diximus, cum emittere detrectaret *Thomas Garnetus*, Henrici nepos, ad furcam ductus eſt; ubi Societatis Jeſu ſacerdotem ſe profeſſus, atque Catholicos ad conſtantiam adhortatus, glorioſam mortem pro fide ſubiit. At non ſe continuit intra Angliam tyrannis atrox, in Hiberniam quoque progreſſa & Scotiam complures e Clero ſæculari & S. Franciſci Familia Martyres cœlo transmiſit. Thom. Garnetus.

§. 3.

Heroïcum certamen P. Joannis Ogilbæi.

Verum illuſtrius nihil fuit, quam Joannis Ogilbæi fortitudo intrepida, primæ Chriſtianæ ætatis heroem referens. Natus is erat in Scotia nobili genere, atque in patriam redux, cum aliquanto tempore converſioni animarum inſudaſſet, proditus captusque ad Archiepiſcopum Glaſcovienſem ductus eſt; a quo examinatus, variaque interrogatus, tanto ingenii excitati acumine, tanta prudentia, eaque in graviſſimis quoque tormentis infracta conſtantia reſpondit, ut vel ipſos hæreticos in admirationem raperet, & pudore ſuffunderet. Inter alia quærebant, cur in Scotiam veniſſet? ut illam ab hæreſi revocaret, reſpondet. *Illi*, qua authoritate id faceret? Divina, ſedisque Apoſtolicæ, inquit. *Illi:* crimen eſſe læſæ Majeſtatis, aſſerere, quod Papa Romanus poteſtatem hanc habeat. *Ille:* Articulum fidei eſſe, quod illam habeat. *Illi*, an Papa poſſit Regem deponere & dignitate ſua privare? *Ille*, legitimum Regem ſanctæ Eccleſiæ obedientem non poſſe deponi reſpondit. *Illi:* quid autem, ſi fieret hæreticus? *Ille:* ad hoc ſe nolle reſpondere: Doctores conſulerent. *Illi:* ediceret, quid ipſe ſentiret. *Ille:* ſe non eſſe Judicem inter Papam & Regem, reponit. 42. Ogilbæi examen.

Ad conſpirationem deinde pulverariam delapſi, quid de ea ſentiret, interrogant. Se illam deteſtari, reſpondit. At Jeſuitas fuiſſe complices, inquiunt. *Ille*: malignarum mentium figmentum hoc eſſe, nullo teſte probatum, ab omnibus reis negatum. *Illi:* ex Jeſuitarum doctrina ſequi parricidia, negavit Ogilbæus; & ex Wiclephi aliorumque hæreticorum doctrina illa ſequi aſſeruit:

ruit: addiditque, conſpirationem Londinenſem fuiſſe paucorum Nobilium: at vero inſtinctu Miniſtrorum Regem, quod in Catholicos videretur clementior, in curia Edenburgenſi occidendum fuiſſe a populo Calviniano, niſi Prætoriani milites eum defendiſſent.

Epiſcopus poſt hæc ejusque aſſeclæ plura de P. Henrico Garneto ingerunt; & quid Ogilbæus de illo exiſtimet, interrogant. Reſpondit ille, inſontem ſibi videri, quia nec debuit nec potuit ea revelare, quæ non niſi ex confeſſione ſacramentali ipſi fuerant cognita.

Ductus inde ludibria inter populi Edenburgum, novis quæſtionibus fuit vexatus: uti, cur in Scotiam veniſſet? *Ille:* ſine culpa ſibi non poſſe patria interdici. *Illi*: apud quos divertiſſet? *Ille:* nunquam ſe hoc dicturum; quia in perniciem aliorum cederet. Cum autem dein eum vehementer torquerent, ut confeſſionem exprimerent, reſpondit: tametſi ante voluiſſem vobis aliquid fateri, jam non facerem, ne videar ſenſu vinci. Expedite cataſtas, equuleos, ferrum, ignes, tormenta, & quidquid tyrannis crudelitatis invenit, experimentum dabo, an plura vos & atrociora inferre, an vero ego ſufferre cum gratia Dei poſſim. Corpus in veſtra eſt poteſtate, animus liber eſt.

Generoſa reſponſa.

Raptus dein rurſus eſt Edenburgo Glaſcoviam, ubi Præfectus urbis inter minas ad eum: ſi Rex ego forem, liquato te metallo excoquerem. Cui Ogilbæus: ſi Deus te Regem facere voluiſſet, magis te prudentem & minus barbarum feciſſet. Andreas Knoxius, cum vidiſſet, heroem iſtum nullis minis, nullis tormentis flecti poſſe, blanditiis & promiſſis agendum ratus, dignitates & divitias obtulit, dummodo animum induceret, ut patriam religionem amplecteretur.

Quænam hæc eſſet patria religio, interrogavit Ogilbæus: antiquiſſimam per multa ſæcula continuatam religionem patriæ eſſe Romano - Catholicam: novitiam, nuper inductam, eſſe verſatilem, inconſtantem, in dies mutabilem, in plures ſectas diffuſam, ut adeo ſciri nequeat, quænam hodie ſit religio patria.

Paucos ante annos vobis articulus fidei erat, Chriſtum ſolum eſſe caput Eccleſiæ; jam vero jurato aſſeritis, Regem eſſe caput Eccleſiæ. Tu ipſe, Knoxi, publice contra Epiſcopos & Epiſcopatus prædicabas, diaboli membrum eſſe, qui Epiſcopatum ſuſcipiat, omni contumelia afficiendum. Paulo autem poſt ipſemet plures Epiſcopatus aſſumpſiſti. Similiter Couperus contra ſtatum Epiſco-

Epiſcopalem librum edidit. Jam vero ipſe Epiſcopatum amplexus eſt.

Imo Concilium Miniſtrorum (pergebat) ſtatum Epiſcopalem abominandum & nullo modo tolerandum graviter definivit. Jam vero docetis penitus contrarium. Profundius ſe modo inſpicere veritatem dicebant. Ita eſt, repoſuit Ogilbæus, nam prius ceu pauperes Miniſtelli vix centum videbatis, nunc autem in Epiſcopali cenſu videtis millia. Prius, dum in Epiſcopatus invecti eſtis, verbum Dei vos prædicare jactabatis; nunc hoc verbum falſum eſſe dicitis. Quid tum? modo pinguius fumet culina, & cuticula lautius ſaginetur, & ſplendidius exornetur.

Mihi ſic loqueris? quærit Epiſcopus; ſape tandem, & conſilium meum ſequere: blandiri neſcio, reponit ille, præſertim in hac cauſa. Malim lictorem ad patibulum ſequi, quam tuum conſilium, quod recta ad infernum ducit.

Tandem poſtquam multæ id genus quæſtiones & reſponſiones, quæ diverſis linguis prolixius ſunt typis editæ, fuerant propoſitæ, mortis in eum ſententia fuit pronuntiata. Cum ad patibulum educeretur, prohibitum ei fuit, ne quid ad populum loqueretur. Verum cum per Præconem publice ediceretur, Ogilbæum non propter fidem, ſed propter ſeditionem & rebellionem adverſus Regem damnatum fuiſſe, alto clamore id negavit. De Rege ſuo etiam apud exteras nationes honorifice ſemper ex innato amore patrio fuiſſe locutum, eique optima quæque peroptaſſe. Id unum eſſe, quod dixiſſet, Pontifici Romano in his terris poteſtatem Eccleſiaſticam competere, Regemque hæreticum excommunicari ab eo poſſe. Pro hac veritate lubenter ſe mortem ſubiturum. Atque mox ſubiit animo prorſus imperterrito. Martyrium.

§. 4.

Regis Jacobi mutatio. Carolus ejus filius abit in Hiſpaniam ad ducendam Philippi III. filiam. Sed ea relicta ducit Ludovici XIII. ſororem. 44.

Rex Jacobus, uti pacis amans publicæ, ita in privatos etiam, ſi indoli ſuæ relinqueretur, manſuetus, alieno potius ductu quam ſuo per plures annos in Catholicos ſæviit; tandem vero anno 1621. ſive eventis quibusdam infauſtis territus, ſive ſpe deſponſandi Carolo filio ſuo Hiſpanam Principem, ſive ſingulari Dei, Catholici carcere liberati.

Dei, in cujus manu ſunt corda Regum, inſtinctu, Catholicis conciliatus, omnes carceres aperiri juſſit.

Ægre hæc Regis mutatio hæreticos Angliæ habuit, qui publico etiam in ſenatu nuptiis cum Hiſpana ſe opponebant. Eadem erat Hollandorum machinatio, qui gubernationem uniti Belgii Carolo offerebant, ſi ab eo recederetur conſilio. At Rex propoſiti tenax, nec Regi patri nec filio Regis adimendam eſſe libertatem aſſerebat, quam vel ipſa natura infimæ etiam hominum ſorti communem vellet.

Actum proin inter Reges de pactis connubialibus, videlicet 1. ut liberi, ex hoc matrimonio naſcituri, Catholica Religione a matre imbuerentur ad decimum usque ætatis annum; tum vero libertati ſuæ relinquerentur.

Pacta connubialia.

2. Ut liberis iſtis aſſeratur ſucceſſio hæreditaria in regno, absque diſcrimine Religionis.

3. Ut haud procul a Regio palatio futuræ ſponſæ ſacellum ædificetur pro Religionis Catholicæ exercitio, utque illud toti illius aulæ ac domeſticis pateat, absque omni impedimento.

4. Sponſa Epiſcopum Londini habeat, cui 24 ſacerdotes aſſiſtant in ſacello aulico.

His conditionibus Pontifex motus diſpenſavit, ut Princeps Catholica cum alienæ religionis Principe matrimonio jungi poſſit: moxque Carolus in Hiſpaniam navigavit, ut ſponſam ſuam videret, magnoque apparatu anno 1623. Madriti a Philippo III. Rege totaque aula Hiſpana exceptus fuit.

Verum ſive ſponſa non placeret, ſive Buckingamus, qui eum comitatus fuerat, animum averteret, Carolus amores ſuos in Henricam, Ludovici XIII. Galliarum Regis, ſororem convertit, eandemque iisdem ferme conditionibus & pactis nuptialibus, aſſentiente Pontifice, duxit, in calamitatum abyſſum ituram.

Obit Rex.

Mortuus eſt paulo poſt (1625.) *Jacobus Rex* anno ætatis 59. Regni Anglici 22. Scotici 58. quia Scotiam cum Anglia conjunxit, primus *Rex Magnæ Britanniæ* fuit appellatus. Pacis & tranquillitatis publicæ adeo erat amans, ut ad nullum bellum permoveri poſſet; licet Fridericus Palatinus ejus gener proſcriptus Electorali Dignitate & Provinciis fuerit privatus.

ARTICU-

ARTICULUS II.
Status Angliæ ſub Carolo I.

§. I.

Præluditur immani tragœdiæ morte Ducis Buckingami, Proregis Hiberniæ & Archiepiſcopi Cantuarienſis. Galli expelluntur. Rex fugit. Hiberni Catholici ei aſſiſtunt. Scoti captivum Anglis tradunt. Judicio ſiſtitur, accuſatur. 45.

Turbulentum ſane fuit Caroli I. Imperium, Senatu Regni, quem *Parlamentum* vocant, in Regem inſurgente. Prima tempeſtas in Ducem Buckingamum detonuit, accuſatum in ſenatu, quod Regem, tunc Walliæ Principem, in Hiſpaniam abduxerit, Papiſtica fide imbuendum: quod ibidem Catholicum ſimularit, & Principem induxerit ut Papæ ſcriberet, eique propenſionem ſuam erga Catholicam Religionem conteſtaretur, atque *Sanctiſſimum Patrem* compellaret. Quod ſponſalia illa contraxerit ex privatis rationibus in præjudicium regni. Quis jam non videt, per latus Buckingami Regem ipſum fuiſſe petitum, apud quem Buckingamus ſingulari valebat gratia; quam ob cauſam etiam brevi poſt a milite nefarie fuit interemptus.

Apertius autem Parlamentum averſum ſuum a Rege & Regina animum demonſtravit, dum Gallos, qui Reginæ erant ab obſequiis, ex Anglia amandarunt. Quod acerbe adeo tulit Rex Galliæ, ut Angliæ legatum ab acceſſu arceret, & per Baſſompetrium de injuria quereretur. Reſponſum a Senatu, propter Gallorum exceſſus id factum: Catholicos per eos confirmatos, adoleſcentes in Seminaria extra regnum transmiſſos, ruri variis in locis conventus habitos, dictam Miſſam, conciones &c. palatium Reginæ commune eſſe Jeſuitarum diverſorium, ab iis perſuaſam Reginam, ut pedes exiret, ad locum ſupplicii, ut ibidem Catholicos, ob proditionem & inobedientiam morte punitos, tanquam Martyres coleret, aliaque plura eſſe patrata regni legibus graviter vetita. Parlamenti querelæ.

Recruduit diſcordia anno 1629. cum Rex pontibus vectigal quoddam vellet imponere; nam Parlamentum in faciem reclamavit; nec paruit, cum Rex illud vellet diſſolvere; ſed ſcriptum publicavit, in quo ſancivit, pro hoſte Regis regnique habendum, qui

Catholicam religionem conaretur introducere, uti etiam, qui Regi ſuaderet impoſitionem vectigalis, aut illud præſtaret ſine conſenſu Parlamenti.

Amici Regis occiduntur. Nec hoc contenti ſenatores, poſtquam Buckingamum ſuſtulerant, Thomam Wentwortum Staffordiæ Comitem, Proregem Hiberniæ, ſingulari amicitiæ nexu Regi conjunctum, quod minus in Catholicos crudelis eſſet, magisque, ac vellent, Regi charus, ad mortem condemnarunt. Omnia tentavit Rex, ut Miniſtrum fidiſſimum liberaret: ſed incaſſum omnia. Comes publico in foro carnificis manu capite plexus eſt. (1641.) Fulcra nimirum erant ſubtrahenda, ut Regem ipſum ſubruerent.

Quapropter in tertium quoque Regis amicum, Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſævitum. 14. erant accuſationis capita: inter quæ præcipua, quod Pontificiam velut poteſtatem exerceret, in Regis Eccleſiæ Capitis præjudicium. Quod Papiſticam ſectam reducere tentaret, atque ad Eccleſiaſtica officia aſſumeret homines, Papiſtica labe infectos; quod niſus eſſet Anglicanam Eccleſiam cum Romana conjungere, eumque in finem conſilia cum Papa & Jeſuitis contuliſſet. Nulla valuit defenſio; ſed homo infelix, quod videretur velle ſapere, ſecuri ictus periit. (1645.)

Præluſum ſic fuit graviori & inauditæ tragœdiæ; nam omnis propemodum Anglia in Regem ſurrexit. Quapropter ſui non amplius Londini ſecurus, Eboracum fugit, ubi portæ ipſi fuerunt præ-

Rex fugit. cluſæ. Arrepta ab utraque parte arma. Nomine Parlamenti copias in Regem duxit Comes Eſſexiæ. Sed brevi poſt Thomas *Fairfaxius* & ſub eo Oliverius *Cromwelus* exercitus Duces ſunt electi.

Rebellio. Pugnatum ſæpius, Regiis plerumque victis. Nec Rex duntaxat habebatur deſpectui, ſed in ipſum Parlamentum irrupit diſcordia. Dominatum quippe invaſit ex mercatoribus potiſſimum conſtans *Domus Inferior*, & Archiepiſcopos, qui primas ſedes obtinuerant, penitus extruſit; diramque in Catholicos perſecutionem inſtituit, ea crudelitate, ut Eliſabethæ tempora redire viderentur. Satis erat ad mortis ſententiam, ſacerdotem eſſe.

Crudelitas. De hoc crimine accuſati plures e Clero ſæculari, ex S. Benedicti, S. Franciſci, & Societatis Jeſu Religioſis Familiis, ſuſpendio vitam finierunt; quantumvis Catholicorum Principum Legati pro eis intercederent. Quippe Domus Parlamenti Inferior, quæ ſummam & independentem poteſtatem uſurpabat, magnamque partem ex Calviniſtis Puritanis conſtabat, inviſam ſibi Religionem funditus exciſam volebat.

Reten-

Retentæ ad id usque tempus fuerant pleræque Catholicorum ceremoniæ, veſtimenta, altaria, imagines; at nova hæc poteſtas, plus quam Tribunitia, omnia hæc aboleri præcepit. Intentio erat, omnia ad Calvinismi normam reducere, & detruſa Monarchia populare regimen introducere. Qua de cauſa præcipuus Londini Advocatus capite luit, quod auſus fuiſſet dicere, Regem eſſe ſupra Parlamentum.

Quantum autem Calviniſtæ Regiam Majeſtatem oderant, tantum Catholici in Hibernia pro illa defendenda certabant. Concurſum infeſtis armis, Catholicis ſtrenue pro Rege (adverſæ licet religionis eſſet) dimicantibus.

Impedire tamen non poterant, quo minus Rex a Fairfaxio obſideretur Oxfordiæ. Ne autem in manus hoſtium delaberetur, mutata veſte ex urbe fugit, atque in Scotiam evaſit, ea ſpe fretus, ſe in patria ſua ſecurum aſylum, & apud populares coronæ ſuæ defenſionem inventurum.

At ſpe ſua vehementer falſus eſt; nam perfidi Calviniſtæ Anglicano eum Parlamento tradiderunt, a quo ab una cuſtodia ad alteram traductus, demum in inſula Wichta fuit concluſus. **A Scotis traditur Rex.**

Cum populus Regem ſuum captum audiret, pacem cum eo ſanciri petiit. Igitur Parlamentum articulos quosdam, in odium maxime Catholicæ Religionis, atque ad ſtabiliendum Calvinismum conceptos, ſubſcribendos eidem propoſuit.

1. Catholicos exarmandos, exercitus utrinque abdicandos. 2. Poteſtatem & authoritatem Parlamenti, præſertim quantum ad executionem juſtitiæ & puniendos delinquentes (Catholicos nempe) pertinet, illæſam conſervandam. 3. Catholicorum liberos Anglicana religione imbuendos, atque in ea educandos. 4. Papiſticam Religionem cum ſuis Doctoribus penitus eliminandam. 5. Fœdus ineundum cum Batavis aliisque Proteſtantium Principibus & Statibus. **Calviniſtarum acroamata.**

Reſpondit Rex, ſibi non minus ac Parlamento curæ eſſe, ut vera Religio conſervetur, & quamvis Majeſtatis juribus non poſſit decedere, pacis tamen amore conceſſurum Parlamento omnia, quæ fas eſſet concedere. Domus ſuperior erat ad pacem prona, ſed Inferior omnia intervertit. Quippe Fairfaxius, caſtris ad Londinum locatis, Parlamento libellum, querelarum adverſus Regem plenum obtulit.

Bellum civile a Rege concitatum, inquiebat, ſubditos oppreſſos, Parlamenti jura ſucciſa, per ejus Epiſcopos abuſus Papi-

ſticos

Fairfax. & Cromwel. furores. ſticos introductos, Germanos equites, & Hibernos pedites urbium præſidiis impoſitos, Catholicos Hibernos conductos & ſub ſigna vocatos, a Rege Daniæ belli apparatum petitum, Anglos Scotosque ad defectionem ſollicitatos.

Mox Fairfaxius & Cromwelus Londinum invadunt, expugnantque, Senatu expellunt, quos Regi faventes crediderant, & Calviniſtas, juratos ejus hoſtes, intrudunt. Rex vero captivus Londinum perductus per quatuor dies examini Judicum fuit ſubjectus. (Rex captus.)

Cum ad tribunal fuiſſet pertractus, accuſator Judicii Præſidem allocutus, nomine populi Anglicani, inquit, ſiſto tibi & accuſo Carolum Stuartum de crimine perduellionis & proditionis patriæ, & ejusdem populi nomine peto, ut accuſationis capita ipſi prælegantur. In his eum compellabant tyrannum, proditorem, latronem populi, hoſtem Reipublicæ. Præſes vero ſubdebat: Carole Stuarte! nomine Parlamenti & populi tibi præcipio, ut reſpondeas & rationem reddas. (anno 1649.) (Examinatus.)

§. 2.

46\. *Carolus Rex a Parlamento condemnatur, & occiditur. Scoti & Hiberni pro Walliæ Principe arma capiunt; ſed a Cromwelo prælio victi profligantur. Triſtis fuga Principis. Parlamenti crudelitas. Prædicantium diſcordia.*

Rex ad mortem condemnatur a ſubditis. Anno 1649. vidit Anglia ſpectaculum, horrendum, immane, inauditum, cujus exemplum, ſi totam retro antiquitatem excutias, nullum invenies, & ad cujus aſpectum ipſa barbaries inhorreſcat. Captus coram ſubditis ceu reus adſtat Rex, ceu reus criminis capitalis per ſententiam judicialem ad mortem a ſubditis condemnatur Rex trium Regnorum.

Ante ipſum palatium Regale Witehalenſe erigitur ferale pegma, funeſta ſecuri & atro apparatu horridum. Hunc thronum Majeſtas ſcandit Regia; verticem coronatum imponit trunco; carnificis manum exſpectat unctus Domini; reſecatur caput Regium, quod omnibus gentibus ſanctum habetur. (Mactatur a carnifice.)

Sic vitam finiit Carolus I. Rex Magnæ Britanniæ anno 1649. æt. 49 Regnorum 24. defuncti Manibus immolabantur triſtes reliquiæ

quiæ Dux Hamiltonus aliique amici trucidati Regis; Regina vero cum filiis, ſceptro natis, exulatum abiit.

Et hoc eſt æternum monumentum Calvinianæ hæreſis, truculentæ, ſanguinariæ, impiæ. Legite, ſi lubet, annales mundi. Multas ille cruentas tragœdias luſit; tam funeſta Cataſtrophe nullam clauſit. Multi Imperatores, Reges, Principes, aut inſidiis, aut latrocinio, aut furore militum, vel ab hoſte violenta morte ſublati ſunt; at per formam judicialis proceſſus, per juris ordinem, ut iſti præferebant, a propriis ſubditis per tam atrocem & barbaram ſententiam damnatum, atque carnifici publice mactandum nullum unquam coronatum caput traditum legimus.

Calvinianæ modeſtiæ hoc debetur portentum, quod vel Scythæ & Braſilo terrorem incutiat. Per inſignem calumniam Regicidas Calviniſtæ compellant Catholicos; dum ex illorum manibus digitisque Regius cruor deſtillat. Injuriam faciunt, mentiunturque, dum facinus ſuum, in oculis orbis patratum, nobis imponunt. Propria hæc eſt Calviniſtarum indoles, dejecta Regum Majeſtate ad popularem regiminis formam gubernationes reducere, prout factum in Hollandia, & Anglia.

Quippe poſt nefariam Regis cædem ejus interfectores ſub pœna capitis vetuerunt, ne quis regium nomen uſurpet, aut Monarchiæ formam reducere attentet. Carolus Walliæ Princeps & Jacobus Dux Eberocenſis, Regis interempti filii, ab omni jure ad coronam excluduntur: Superior Parlamenti Domus exauctoratur: ex Inferiori 40 Regentes electi, quos inter primus Cromwelus, Fairfaxius vero armis fuit præfectus. Cuſa moneta cum inſcriptione: *Respublica Anglicana:* ſigilla vero regia fuerunt confracta: bona regia ſub haſta vendita. Si quis contra hæc vel mutiret, actus in exilium.

Respublica Calviniana.

Hiberni interea, maximam partem Catholici, in partes Caroli Walliæ Principis tranſierant, duce Ormondo Comite. In Scotia diviſi erant animi. Miſſi a majori parte Bredam ad Carolum legati, qui cum eo tractarent de regno recipiendo. Carolus ipſe in Scotia magna cum veneratione fuit receptus & Rex ſalutatus. At Parlamentum Anglicanum Cromwelum (Fairfaxio præfecturam abdicante) cum valido exercitu miſit; qui & Scotos & Hibernos vicit. (1650.)

Walliæ Princeps victus a Cromwelo.

Anno ſequenti Carolus juſto cum exercitu in Angliam penetravit, multique ei ſe jam conjunxerant, ſed a Cromwelo rurſus acie victus ad Worceſtriam, a Catholicis ſubtractus, ruſticaque

Fugit.

que veſte indutus, & in excavata quercu cuſtoditus, per varias tandem ambages in Galliam evaſit, atque Pariſiis a matre ſua totaque aula amiciſſime fuit exceptus.

Parlamentum tantis victoriis rerumque ſucceſſu ferox crudeliſſimam in omnes, qui regias partes fuerant ſecuti, aut adhuc ſequi videbantur, tyrannidem exercuit, feralibus inſtrumentis ubique ſtridentibus. Vehementius nihilominus in Catholicos ſæviebatur; quorum plures cum Rodulpho *Corbæo & Henrico Morſæo*, Societatis Jeſu Sacerdotibus, ferali e trabe pendere juſſi ſunt.

Corbæus & Morſæus trucidati.

Minus crudeliter fœminæ in Miniſtros Prædicantes ſæviebant. Res lepida eſt, quæ hac tempeſtate in Scotia contigit. Calvinianos inter Prædicantes ortum eſt ſchisma. Pars una celebravit *Synodum Deninghæ*, atque ad hanc citavit confratres ſibi adverſos, rationem reddituros, &, niſi comparerent, excommunicandos & officiis privandos.

Synodus Deninghenſis.

Uxores Prædicantium, qui fuerant ad Synodum citati, collato inter ſe conſilio, 120 numero, præfixa die ad Concilium, maritorum loco, iter ineunt, fuſtibus armatæ, præeunte tibicine. Cum ad templum veniſſent, in quo Synodus celebrabatur, mulieres in cœmeterio circumſiſtentes templum cingunt.

Exterritus pro periculi magnitudine venerabilis Patrum chorus, cum Amazones iſtas cerneret, quærit, quid ſibi velint, & an earum mariti ad Concilium ſint venturi? Fœminæ agminatim in templum irrumpunt: clamore & fuſtibus circumtonant; cum, ecce! Patres congregati, viri graviſſimi, curſu incitato, qua data porta, quisque diffugiunt, ut fuſtigationem evadant, relictis in manibus mulierum 12 equis & omnibus impedimentis. Atque ſic per ſacrilegam imbellis ſexus audaciam ſacra iſta Synodus diſſoluta fuit, earumque mariti ab excommunicatione liberati. (*Hazart in Hiſt. Eccleſ. Angliæ part. 9. cap. 16.*)

ARTICULUS III.

Status Angliæ ſub Cromwelo Protectore.

47. *Cromwelus Angliæ Protector: ſuprema cum poteſtate. Agnitus etiam ab exteris. Ejus agendi ratio cum legatis. Obit. Succedit filius & abdicatur. Quackerorum ſecta.*

Poſtquam Cromwelus Scotos & Hibernos acie victos diſſipavit, Regiamque Dignitatem antiquavit, inducta eſt quædam Reipublicæ

publicæ forma, quam rectius Anarchiam aut tyrannidem dixeris, a Parlamenti Inferiore Domo conſtitutam. Non diu populare hoc regimen viguit; quippe Cromwelus ad ſupremam poteſtatem adſpirans, ſimulavit, velle ſe armorum præfecturam abdicare; nec id ingratum fuiſſet multis. Alii vero aut beneficiis deliniti, aut amittendi officia, quæ obtinuerant, periculo impulſi, aut pretio, vel promiſſis empti, *Protectorem* illum *Angliæ*, *Scotiæ & Hiberniæ* proclamarunt, porrectis regni ſigillis, enſe, & *Altitudinis* titulo attributo. (1653)

Itaque Regis inſtar palatium Witehalenſe ingreſſus legem tulit, qua perduellionis reus denuntiabatur, qui negaret, ſummam poteſtatem penes Protectorem & Parlamentum eſſe, aut ullum cum Domo Stuarta commercium haberet; ſimulque acerbiſſima in Catholicos edicta inſtauravit; tantamque poteſtatem exercuit, quantam vix ullus ante eum Regum. **Cromweli potentia.**

Mirum ſane, ab Europæ Principibus agnitum Protectorem, & *Altitudinis* titulo honoratum, quin imo prenſatam adeo illius amicitiam, ut, quis legatorum alterum præveniret, eſſet contentio; quamvis vili & detrito ſatellitis inſtar veſtitu indutus cum faſtu & deſpectu illos eo majore exciperet, quo majorum Principum erant legati. Vilibus vero perſonis inſolitos honores exhibuit.

Abſona & paradoxa hæc agendi ratio multos Nobilium offendit, qui veterem ſplendorem Regium, ſub quo Nobilitati & Illuſtribus Familiis ſua dignitas conſtabat, revocare nitebantur. Unde frequentes conſpirationes, & appulſus Colonia, ubi exulaverat Carolus Walliæ Princeps, cum aliqua copiarum manu in Scotiam, curas Protectoris intendebant. At Scoticam tempeſtatem facile diſcuſſit per Monchium, dum Angliam & Scotiam unam eſſe Rempublicam declaravit, & 30 Scotos in Parlamentum aſſumpſit, Carolus vero ſucceſſu deſperato Coloniam rediit; ubi etiam Henricus frater ejus natu minimus Dux Gloceſtriæ degebat; aliis Statibus, ne Anglos offenderent, hoſpitium negantibus. (*anno 1655.*)

Quamvis autem multi præſentis regiminis in Anglia pertæſi, varias turbas & ſeditiones excitarent, ſtructis etiam, Cromwelo (pulvere nitrato palatio Withalenſi ſuppoſito) vitæ inſidiis, Parlamentum tamen anno 1657. coronam illi & ſceptrum cum regia dignitate offerebat.. Verum Cromwelus, probe gnarus, quantam inde apud populum invidiam ſibi conflaret, veritusque, ne inimici ſui eum apicem in præcipitium verterent, regium nomen, ut Julius olim Cæſar, recuſavit. At, ſicut ille, ſupremam abs- **Regium titulum recuſat.**

que provocatione poteſtatem ſub Protectoris titulo, per omnia tria regna publicato, exercebat.

Nihil proin Cromwelo felicius. Verum dum maxime blandiebatur infida fors, ut ferunt res humanæ, ſubito vitam finiit, & quidquid contulerat ampullata vanitas. (*anno 1658. poſt 5. annos uſurpati imperii.*) Succeſſorem & hæredem teſtamento ſcripſit Richardum, filium ſuum natu maximum; qui etiam mox Protector eſt renuntiatus, tametſi nec ingenio, nec calliditate, nec belli peritia, aut rerum experientia ullo modo comparandus patri. Unde Britannia procelloſum mare, turbinibus in fluctus agitatum, referebat.

Obit.

Quatuor autem potiſſimum, quibus æſtuabat, erant factiones. Duces militiæ regimen ad Reipublicæ formam, qualis in unitis Belgii provinciis, aut apud Venetos viſitur, reduci poſtulabant. Alii cum Lamberto, Richardo patris poteſtatem ex integro tribui volebant: alii maris eum Præfectum conſtitui, Suecisque ſuccurri; alii denique Regiæ Stuartorum familiæ adhærebant cum Monckio, Scotici exercitus Ductore.

Angliæ fluctus.

Iſtos inter dum diſceptaretur, militares Duces *Fledwodum* ſibi elegerunt ſupremum belli Præfectum, fractis Cromweli inſignibus, coactoque Richardo ejusque fratre Henrico, quem pater Hiberniæ Protectorem conſtituerat, dignitatem Protectoris abdicare, palatium Witehalenſe cum aliis Regiis ædificiis vendiderunt in ſtipendium militum: Parlamentum vero exauctorare conati ſunt.

Richardus filius Cromw. exautoratus.

Interea vero multi, dum patriam ſusdeque verti cernerent, fœdere inter ſe inito, pro *Carolo Stuarto* Rege conſtituendo conjurant; at iſti ab exercitu, a Parlamento immiſſo, victi fugatique ſunt. Tandem vero Superis placuit, quod amici Regiæ familiæ non poterant, felicem ad exitum perducere, Regemque exulem revocare. (*anno 1660.*)

Dum Olivierus Cromwelus in Anglia poteſtate plus quam regia dominabatur, ſectæ omnes impunes erant, præter Catholicam. Sub annum 1655. orti ſunt *Quackeri*, qui etiam *Trementes* appellabantur, novum & abſurdum prorſus hæreticorum genus. Nudi propemodum per plateas curſitabant; in triviis, Angiportubus, pontibus concionabantur, & ſomnia ſua atque phantasmata cœleſtes velut revelationes palam exponebant. Interrogati de Secta ſua hanc confeſſionem edebant.

Quackeri.

1. Scriptu-

1. Scripturas novi & antiqui teſtamenti non eſſe verbum Dei, aut lumen ad ſalutem. Nec refutare eos poterant ex ſuis principiis alii hæretici.
2. Omnes homines per ſe ipſos jam eſſe illuminatos.
3. Hominem non indigere alio lumine.
4. Nec cœlum eſſe nec infernum pro hominibus.
5. Nullam reſurrectionem mortuorum fore.
6. Bona omnia debere eſſe communia.

Cromwelus prohibuit quidem phanaticis iſtis novatoribus concionari; noluit tamen moleſtiam ipſis faceſſi, quamdiu regimini ſe non opponant.

Verum tanta erat eorum inſolentia, ut *Nailotum* eorum caput, ſub Fairfaxio & Cromwelo militem, capi, & exciſa propter blasphemias lingua, flagris cæſum, carceri mandari oportuerit. Quamvis autem ridicula prorſus ſint, quæ de hac fæce hominum narrantur, ita tamen in Anglia aucti ſunt, ut in hanc diem extirpari nequierint. Quin imo in Hollandiam quoque, Galliam, Germaniam digreſſi, ſectam ſuam propagare laborabant. Cum aliis hæreticis vix aliud commune habent, quam pertinaciam.

ARTICULUS IV.

Statūs Angliæ ſub Carolo II. 48.

Monckius Scotorum Dux pro Rege feliciter laborat. Miſſa legatione revocatur ad regnum. Magno apparatu excipitur, & coronatur. Judices iniqui puniuntur. Bellum cum Hollandis. Oates perſecutionem excitat in Catholicos. Seditiones & inſidiæ Regi & Eboracenſi ſtructæ. Rex obit Catholicus.

Poſtquam per decem annos ſub Parlamento primum, ſub Protectore deinde fluctuavit Imperium Magnæ Britanniæ, turbas inter, cædes, ſeditiones, tumultus, bella civilia, feſſis tandem rebus ſuccurrit providum Numen, quod ab exilio revocandi Regem ſuum animum ingeſſit ſubditis.

Plurimum ad eam rem momenti attulit Monckius, Scoticarum copiarum ductor; qui tandem in partes regias transgreſſus, Lamberto & Fledwodo, Protectoris in Republica Dignitatem ambientibus, fortiter ſe oppoſuit, & primum gentis ſuæ animos expugnavit, tum vero in Angliam profectus Londini in Parlamento, quod

Rex revocatur Monchii opera.

quod novum fuerat conſtitutum, expulſa fæce, quam Cromwelus intruſerat, pro reducendo Rege adeo potenter peroravit, ut legatione honorifica Bredam, ubi Princeps tunc verſabatur, miſſa, ad capeſſendum regnum eundem invitaret. Inter legatos novi Parlamenti erat Fairfaxius, Dux olim exercitus contra Regem, qui tamen belli præfecturam brevi depoſuit, & nunc in genua coram Principe provolutus, veniam rogavit, non ante ſurrecturum ſe profeſſus, donec illam obtinuiſſet.

Hagæ Comitum Hollandiæ Ordines Carolum convivio Regali honorarunt. A dextris ipſi aſſidebant Eliſabetha amita, Friderici V. Electoris Palatini vidua, prætenſa olim Regina Bohemiæ, & Jacobus Dux Eboracenſis frater: ex parte læva Maria ſoror, Wilhelmi II. Auriaci vidua; Dux Gloceſtrenſis frater, cum Wilhelmo III. Principe Auriaco nepote.

Antequam autem Carolus II. navem Regiam conſcenderet, Londini Rex Angliæ, Scotiæ, Franciæ, Hiberniæ, atque Protector fidei fuit proclamatus, confractis Cromweli, Fledvodii, & Reipublicæ inſignibus. Regiæ domus atque palatia, Weſtmonaſterienſe, Wittehalenſe, Somerſetenſe, San-Jacobæum, reparata, Regio rurſus ſplendore exornabantur, bona regia reducta, Regicidarum vero Fiſco addicta. Liberati e carceribus, qui Regi adhæſerant, Cromwelliſtæ officiis publicis privati. Repoſita Statua Caroli I. cum inſcriptione: *Carolus I. ſecundus Monarcha Magnæ Britanniæ, Rex Franciæ & Hiberniæ.* Regi viginti Sterlingiorum millia a Parlamento decreta, Jacobo vero Duci Eboracenſi, ejus fratri, totidem floreni.

Regicidæ puniti. Excitabant equidem turbas, qui Cromwelo, Fledvodio aut veteri Parlamento erant addicti, ſed multitudine bonorum facile comprimebantur, Judices vero & interfectores Regis Caroli I. ex Anglia fugerunt, aut publicatis bonis ad carceres & mortem ſunt damnati.

Anglia ſic ad excipiendum Regem ſuum Carolum II. undecim annorum exulem, præparata, ineunte Junio 1660. in Regnum ſuum venit; quanto autem apparatu, ſolennitate, & pompa, Londinum fuerit deductus, ibique coronatus, haud facile, quin majora & auguſtiora fuerint omnia, deſcribi poſſunt.

Regnum auſpicatus, religionem, ab avo & patre ceremoniis & ritibus externis cultam, a Calviniſtis vero ſub Cromwelo dejectam, inſtauravit, Epiſcopis, organis, aris, imaginibus, ſuperpel-

perpelliceis reſtitutis. Quackeris tamen etiam ſectæ ſuæ libertatem fecit, dummodo non turbarent quietem publicam.

Monckius porro, primus Regiæ reſtitutionis motor, præcipuis muneribus & dignitatibus a Rege auctus eſt. Contra vero in eos, quos culpa cædis patratæ gravabat, ſevera fiebat a Parlamento inquiſitio. Alios inter Hugo Peterſius, Calvinianus Præco, auctor & incentor, laqueo periit. Cromwelli cadaver e ſepulchro effoſſum, & e patibulo ſuſpenſum eſt. *Lambertus* & *Fledvodus*, quorum uterque Protectoris dignitatem prenſabat, & populum in partes traxerat, capitis damnati ſunt.

Dum Carolo II. ſerenior jam dies affulgeret, nubes aliqua plenum gaudium temperavit, dum mors illi hoc eodem anno 1660. Henricum, Gloceſtriæ Ducem, Principem omnibus dotibus ornatiſſimum, fratremque chariſſimum abſtulit anno ætatis 20.

At ſolatium rurſus attulit Catharina, Joannis IV. Luſitaniæ Regis filia, anno 1662. eidem conjux data. Vixit illa ad annum 15. hujus ſæculi: ſed, quod dolendum, thoro ſterili. **Uxor filia Regis Luſit.**

Quamvis autem Rex magna populorum gratulatione fuerit receptus, multique adverſæ factionis publico ſupplicio fuerint ſublati, frequentioribus nihilominus conſpirationibus & ſeditionibus in Anglia & Scotia fuit tumultuatum, tum a Calviniſtis, quietis impatientibus, tum a Quackeris aliisque fanaticis, qui a Deo ſe miſſos dicebant, ut Monarchicum regimen ſubvertant, & populare introducant. Aliqui horum audaciam capite luebant, alii exilio. Reducti in Scotiam quoque Archiepiſcopi & Epiſcopi non ſine tumultu Calviniſtarum.

Anno 1665. Rex Carolus Batavis bellum denuntiavit, quod navigationes & commercia turbarent, ac gravia Britonibus damna intuliſſent. Prætextus hic videri poterat, re ipſa a domeſticis turbis ſubditos avertere fuit animus. Batavorum claſſis a *Jacobo Duce Eboracenſi* Angliæ Archi-Thalaſſo gravi clade affecta eſt. Triumphavit Londini victor, quamvis ob religionem multis exoſus eſſet. Promota inſuper in Africam & Americam temporali Anglorum felicitate, Rex diſcordias, ſuperiorem inter & plebejam Parlamenti Cameram exortas, compoſuit, melior Chriſtianus quam Politicus. **Jacob. Dux Eboracenſis triumphat de Batavis.**

Cum anno 1672. Galliæ Rex Hollandis bellum denuntiaſſet, Britanniæ Rex in partes venit, a ſorore ſua Henrica, Aurelianenſi Duci nupta, quæ in Angliam transmiſerat, ut creditur, perſuaſus. Anglica claſſis, cui rurſus Eboracenſis præerat, cum Gal-

Alterum cum iis bellum.

Gallica, quam Eſtræus ducebat, conjuncta, Hollandicam, a Ruitero gubernatam, fuit aggreſſa. Æquali ferme Marte bis terve dimicatum; donec Rex Angliæ anno 1672. cum Batavis pacem inire a ſuis ſubditis, id bellum ægre gerentibus, fuit compulſus. Oderat nempe Gallos Natio, quos Carolus Rex amabat. Atque inde turbarum ſemina; quarum tamen præcipua cauſa fuit Religio Catholica, cui Rex favere viſus eſt, liberam permittendo; Eboracenſis autem ejus frater etiam amplexus fuerat.

Religio invifa.

Hinc Parlamentum ægerrime tulit, quod hic Mariam Eleonoram, Alphonſi IV. Mutinæ Ducis filiam duxerit conjugem, atque adeo exarſit, ut a Rege importune poſtularet revocationem facultatis liberæ, quam Catholicis dederat. Imo nedum officiis eos privari, ſed & exilio mulctari voluit, qui alienam ab Anglicana religionem profiterentur. Quo factum, ut multi, præcipuæ etiam Nobilitatis viri, regno excederent. (1673.) Quin imo vix non coactus fuit Rex, ut Gallis bellum indiceret.

Oatis perfidia.

Recruduit perſecutio anno 1679. propter hominis unius viliſſimi mendacium impudens. Erat is Titus *Oates*, a Calviniſtis ad Catholicos transgreſſus, atque a Patribus Societatis Jeſu in ſeminarium Valliſoleti primum, dein ſancti Audomari in Belgio admiſſus, ſed ob perverſos mores inde dimiſſus. Hic homo nefarius, vindictæ cupiditate flagrans, Catholicos meditatæ in Regem Carolum proditionis reos egit, & calumnias ſuas atroces juramento confirmavit, atque apud plebejum Parlamenti ordinem id efCathol. perſecutio.

fecit, ut ſeptem Societatis Patres, quos inter Provincialis Angliæ & Rector Londinenſis, ad mortem fuerint condemnati, cum Staffordiæ Comite, & multis aliis Catholicis, partim morte affectis, partim in exilium ejectis. Sed brevi poſt fraudes Oatis & perjuria detecta ſunt; propter quæ publica fuſtigatione aliiſque probroſis pœnis correptus eſt. Crimina ſua & machinationes in mortem Regis, quas hæretici bene multas adornaverant, Catholicis intorferunt.

Vix enim unquam conquievit rebellionis in Anglia ſpiritus; ſed duce Salisburienſi Comite multi, Calviniſtæ præſertim, in vitam Regis & Eboracenſis conſpirarunt; ſed dum a Catholicis indicia ad Regem deferuntur, conjurationis auctore in Hollandiam

Quare Eboracenſis fugit.

profugiente, ſuffocatæ ſunt machinationes parricidales. (1682.) Anno nihilominus ſequenti inſtauratæ a conjuratis bis fuerunt inſidiæ. Sed illis detectis, Regis vita provide fuit ſervata. Eboracenſi

censi tamen Duci in Belgium discedendum fuit, ut furori se subtraheret.

Foris etiam rei Christianæ perniciem Angli attulerunt; nam Tingitanam in Africa arcem prævalidam, superioribus annis strenue defensam, munitionibus exutam barbaris reliquerunt, qui tamen munimenta mox restituerunt. (1684.)

Proprius quoque Regis filius insurrexit adversus patrem & patruum. Erat in Dux *Montmuthius*, qui sequiori licet thoro progenitus, regnum tamen affectavit, confisus Calvinistarum ope, quorum sectam profitebatur. Nec spes erat inanis; nam multos ex illis sibi adhærentes habuit. Rex autem natalium vitio infectum a regno arceri professus, Eboracensem fratrem publico in Parlamento successorem promulgavit, addita Proregis Scotiæ dignitate, & Vicaria per omnes terra marique ditiones procuratione. Sed Rex eum successorem promulgat.

Frendebat invidia, odiumque Catholici nominis, quod profiteri Jacobum non ignorabant hæretici, quæ una causa fuit, cur Montmuthium multi Regem optassent; sed Carolus Rex conspirationes, conjurationes, seditiones prudentia sua ita fregerat, ut non auderet amplius rebellio caput attollere.

Sequenti anno 1685. mortem, quam prævidisse visus est, oppetiit Londini, ætatis 55. regni vero 25. Fuit Carolus II. prudentia, mansuetudine, charitate in rebelles toties subditos, amore pacis, aliisque regiis virtutibus Princeps clarissimus. Duo tamen vitio dabantur; quod in Gallos propensior Dunkercam eis vendidisset, nec obstitisset crescenti Ludovici XIV. potentiæ, & quod voluptatibus deditus plures proles, nullam tamen ex legitimo thoro suscepisset. Catholicis quod esset indulgentior, multas passus est injurias, seditiones, insidias. Proscripsit quidem illos, sed a Parlamento coactus. Cæterum pro occulto Catholico ab Anglis habebatur, certumque ex documentis relictis videtur, de peccatis confessum & reliquis sacramentis perceptis Catholicum obiisse. Obit Rex.



ARTICULUS V.

Status Angliæ ſub Jacobo II.

SUMMARIUM.

49. *Quamvis aperte Catholicus Rex renuntiatur. Montmuthii in Regem rebellio. Querelæ Prædicantium, quod Rex Catholicis faveret. A Wilhelmo Auriaco, genero ſuo & nepote accito, deturbatur throno. Deſertus a ſuis in Galliam fugere cogitur. Trinam in Britanniam expeditionem tentat, at conatu irrito. Obitus.*

Jacobus Dux Eboracenſis communia ferme cum fratre Carolo fata habuit. Erat uterque fortunæ pila, jactatus in altum, rurſusque decidens. Sceptro uterque natus, ad coronam educatus. At patris ruina utrumque involvit. In toto regno ſuo nec mapale ipſis ſupererat. Fuga in exilium morti utrumque ſubtraxit. Carolo fratri in Regnum reducto ibat comes frater, ſortis proſperæ deinceps & adverſæ ſocius. At fratre Rege fatis defuncto majora multo utriusque fortunæ ludibria tulit.

Jacobi fata.

Nam imprimis, quamvis propter fidem Catholicam, quam etiam publice profeſſus fuerat, vivente adhuc Carolo fratre, multas magnasque perſecutiones tulerit, bis electo exilio, ut patriæ quies redderetur; nihilominus tamen poſt illius mortem ab omnibus regni Proceribus Magnæ Britanniæ Rex fuit ſalutatus, in Oxonienſi quoque Academia, Angliæ præcipua, Doctoribus omnibus in eam euntibus ſententiam, diſcrimen religionis neminem, ſceptro natum, a regno arcere, neminemque propterea, ſine perduellionis crimine ſubtrahere poſſe obtemperandi obſequium.

Sed aurora iſta, ſplendore fulgens, nubilum brevi diem traxit, in imbres denique, turbines & procellas abiturum. Prima tempeſtas a Jacobo *Montmuthio* Duce, Caroli II. filio naturali primogenito intonuit. Is etenim vivente adhuc patre, dum Jacobus patruus ſucceſſor in regno fuiſſet denuntiatus, tumultum concitavit, ſed compreſſus ſanguine luiſſet ſcelus, niſi Regem habuiſſet patrem. Exilii tamen, ne porro turbaret, pœnam tulit.

Montmuthii rebellio.

At vero mortuo patre in ſpes priſtinas aſſurgens, Britanniæ ſe Regem dixit; habuitque, quod hæreticus eſſet, non paucos aſſeclas. His igitur confiſus, præmiſit ex Hollandia Argylium Co-

mitem

mitem in Scotiam cum copiarum manipulo. At victus a Regiis, captus, & ultimo supplicio cum aliis rebellibus affectus est Edenburgi.

Non desperavit ex iniquo eventu Montmuthius, sed collecta alia turma in Scotiam, & Angliam veniens, idem fatum expertus est, Londini carnificis manu cadens; ubi Regni Comitia Majestatis reos dixerunt, qui publicam quietem turbarent. (1685.) Occiditur.

Verum non diuturna fuit malacia, in horrendam brevi tempestatem, pro variabili gentis indole, exæstuans. Quippe, dum Jacobus edicta, contra Catholicos lata, abrogaret, ad publica officia illos adhiberet, libertatem religionis concederet, Castelmenium Romam ad Pontificem mitteret, suo & aliorum Catholicorum nomine obedientiam contestaturum, atque majori, quam tempora & hæreticorum genius ferret, ardore Religioni Orthodoxæ postliminii jure reducendæ studeret, gentis, errori suo pertinaciter inhærentis, animos a se avertit. Jacobi fervor religionis.

Episcopi & Prædicantes de pinguedine sua & uxoribus actum rati, si avitæ religionis rigor restitueretur, conferre inter se capita, murmurare, ex suggestibus contra Regem & Catholicos detonare, ferendum non esse, ut Romana superstitio dominetur: Missas vix non palam dici, erigi scholas, capellas aperiri, Jesuitarum turmas impune circumvagari, Regem ad hæc non modo connivere, sed exemplo præire, & superstitionem, legibus damnatam, civitate donare; quorsum hæc alio spectarent, quam ut eversa religione patria & Ecclesia Anglicana, invisus rursum Papatus in throno collocetur.

Hi Prædicantium, & iis incentoribus, plebis clamores, ac sparsis variis etiam libellis, querelæ erant. Nobilitatem insuper ambitio, & rerum novandarum pruritus accendit. Parlamentum denique Regibus, nisi eos ad omnia obsequentes haberet, semper infestum fuit. Querelæ gentis.

Quod autem mireris, Rex Jacobus nullos majores hostes experiri debuit, quam Clarendonii & Rochestriæ Comites affines suos, &, quod adhuc indignius, Wilhelmum Arausicanum Principem, uniti Belgii Gubernatorem, generum suum, & ex sorore nepotem, in quem Britones, ut Catholicorum hostem, oculos suos reflexerant, quin ad regnum capessendum invitarant. Neque is (ex Calvini utique disciplina) veritus est, contra Jacobum, & Regem legitimum, & Avunculum, & Socerum suum, quem ut patrem colere debuerat, hostilibus armis insurgere.

Præmiſſo igitur in Britanniam edicto, venturum ſe ut religionis atque libertatis, quas Jacobus everſum iret, defenſorem ſpondebat. Nec minus male, quam promiſit, implevit. Quippe anno 1688. cum claſſe, 13000 Hollandis militibus inſtructa, ex Hollandia ſolvit. Verum, indignantibus elementis, cum jam in altum provectus eſſet, ventorum turbine ad littus Batavum rejectus eſt.

Felicior illi fuit altera navigatio; nam pelago transmiſſo, nemine prohibente, in Angliam appulſus eſt, & velut Rex exceptus.

Hæc ubi ad Regem Jacobum fuerant perlata, pro periculi magnitudine territus, quo ſe verteret, ignorabat. Habebat quidem ſub ſignis ſuis navalem & terreſtrem exercitum, ſed cui fidere non poterat; Londini autem ea erat rerum conditio, quæ præſentiam ejus requireret. Statuit tamen ad exercitum ſe conferre. Prius tamen convocatis aulæ ſuæ Miniſtris, aliisque, quibus munera publica commiſerat, expoſuit, convocatum fuiſſe a ſe Parlamentum, quod eſſet omnino liberum: libertatem Anglicanam religionemque omnino tutam fore. Si quid ultra a ſe deſideretur, paratum ſe eſſe, in vota Parlamenti populique concedere. Oblatas ſibi a Rege Galliæ copias, ſed, ne videretur ſubditis ſuis diffidere, eas non eſſe acceptatas.

Ab Arauſico genero ſuo Regno pellitur.

Quis non credidiſſet, tantam Regis optimi demiſſionem ferreos etiam animos expugnaturam? At Proceres, multis licet gratiis acceptis devincti, liberaliter quidem omnia promiſerunt, ſed fide Punica. Nam occultis tunc conſiliis cum Arauſicano conſentiebant, & parum abfuit, quin Churchilius, grandium beneficiorum debitor, Regem in ejus manus traderet.

Dum autem Rex cum exercitu uſurpatori obviam prodiret, plerique, eo deſerto, ad Arauſiacum defecerunt. Quare Londinum regreſſus, conjugem cum filio Jacobo in Galliam velut aſylum miſit. Obtulit dein genero ſuo Wilhelmo optimas conditiones pacis, ſed deſpectus, gratiæ loco habere debuit, quod e regno ſuo per magna pericula fugæ locum tandem invenerit in Gallia, ubi, inſtructo ad S. Germanum palatio, Rex Chriſtianiſſimus eum excepit, non ut fugitivum, ſed Monarcham.

Sola ferme Hibernia, ex Catholicis potiſſimum conſtans, in fide Regis perſiſtebat, atque exercitum aliquem conflabat. Unde Jacobus cum Gallicis ſuppetiis trajiciens Dublini receptus fuit; Londonderium tamen fruſtra obſedit, (1689.) Schombergio urbi ſuccurrente.

Anno

Anno sequenti Wilhelmus ipse in Hiberniam exercitum, quadraginta millibus numerosum, duxit, ut Jacobum Regem, vix Victus. viginti millibus instructum, ejiceret. Consertum prælium, quo Jacobus victus multitudini cedere, & in Galliam redire debuit. Hibernia vero tota propemodum victoriæ præmium fuit. (1690.) Solum Limericum diuturnam sustinere oppugnationem est ausum.

Copias amisit Jacobus & urbes, sed non animum. Quare cum classe Gallica reversus, in Angliam, ubi apud plures adhuc causæ melioris sectatores habuit, penetrare tentavit. Verum a Ryssello Angliæ Archithalasso navali prælio victus, ad internecionem prope cæsus est. (Anno 1692.)

Ultimum conatum adhibuit anno 1696. quo Anglorum quidam pro reducendo eo clam laborabant. Instruxit iterum eum in finem Gallia classem. Ipseque Jacobus, illam conscensurus, Caletum jam pervenerat; sed detecto consilio ad S. Germanum rediit, ubi anno 1701. pientissime obiit, atque ad regnum in cœlis certius Obit. meliusque transiit, cujus non erit finis. 68. ætatis annos inter ærumnas implevit. quatuor duntaxat in regno, jure Natalium sibi debito, sed iniquissime erepto. Victima religionis fuit, aut martyr: regnum temporale reliquit, ut æternum consequeretur.

ARTICULUS VI.

Status Angliæ sub Wilhelmo Auriaco.

SUMMARIUM.

Articuli a Parlamento eidem propositi. Jacobi filius per calumniam dictus illegitimus. Wilhelmus in Belgio Fœderatorum Dux. Ejus gesta, & obitus.

Postquam Wilhelmus III. Princeps Auriacus (*Arausicanus*, *Oranienfis*) uniti Belgii Gubernator, Wilhelmi I, qui Author fuerat defectionis Batavicæ, abnepos, Jacobum II. natalium jure 50. legitimum Britanniæ Regem, socerum suum & avunculum, Regno expulerat, Thronus vacuus ab Ordinibus Angliæ declarabatur, atque ad Mariam, Jacobi spoliati filiam, Wilhelmi conjugem devolutus; Wilhelmus vero titulo uxorio Rex Magnæ Britanniæ renuntiabatur.

Antequam autem inaugurararetur, sequentes articuli fuerunt Novæ leges. propositi. 1. Dispensationem in legibus, aut dilationem executionis

nis esse invalidam, nisi consensus Parlamenti accedat. 2. Potestatem Ecclesiasticam Regi non competere (*sic Papam suum & Caput Ecclesiæ Anglicanæ venerabantur.*) 3. Non posse Regem sine consensu Parlamenti exercitum colligere, aut populum tributis onerare. 4. Singulis minimum trienniis Parlamentum congregandum. 5. Nullam personam regii sanguinis Catholicæ personæ matrimonio jungendam. 6. Officia non esse vendenda.

Hæc postquam Wilhelmus confirmaverat, una cum conjuge coronatus est. Nec multo post etiam Scoti eundem Regem renuntiarunt, missa per legatos corona. Ac proin soli ferme Hiberni Jacobo Regi suo constanti fide adhæserunt, donec a Wilhelmo armis subacti, ad indebitum obsequium adacti sunt.

Ex quibus toti orbi manifestum est, Jacobum II. unice propter Religionem regno fuisse spoliatum. Et cur alias Jacobum Edvardum, legitimum ejus filium, ex Eleonora Estensi Mutinæ Ducis filia anno 1688. susceptum, exclusissent? Cur sorores, multo inferiori matre natas, prætulerunt? Cur in extraneæ stirpis Principem hæreditarium Stuartæ Familiæ regnum devolverunt?

Fabula de natalibus Jac. III.

At ecce commentum, uti multo levissimum, ita Nationi honestæ turpissimum! Absque ulla causa, contra omnem veritatem, per injuriam & calumniam atrocissimam finxerunt, Jacobum Edvardum illegitimo thoro fuisse prognatum, ac proin successionis hæreditariæ incapacem, ut hoc mendacio propaginem omnem Stuartam etiam in radice extirpent, atque a successione removeant. Dignum profecto Calvinistis inventum; quod si locum inveniat, Principibus omnibus est exitiale.

Wilhelmi gesta in Belgio.

Porro Wilhelmus III. modo, quo dictum, creatus Rex, devicto fugatoque Jacobo, rebusque suis in Britannia compositis, neminem timebat, nisi Ludovicum XIV. Igitur accedens magno contra eundem fœderi, anno 1691. in Belgium, pecunia & milite a Parlamento liberaliter instructus, abiit, ibique fœderatorum Dux Montes Hannoniæ obsidione Gallorum liberare frustra tentavit, prout etiam postea Namureum.

Anno 1692. virtuti suæ & copiarum multitudini confisus, ut nomen suum æternitati consecraret, Luxemburgum Gallorum Ducem in castris ad Stenkirchium aggressus est; sed adveniente cum suppetiis Boufflerio, fugam arripuit.

Sequenti anno Luxemburgus vices reddidit, & meliori fortuna Wilhelmum, castris munitum invasit, atque post pertinacem pugnam victum in fugam compulit.

Anno

Anno 1695. Namurcum deditione recepit; Gallis Düxmüdam aliaque oppida expugnantibus.

Denique anno 1697. a Gallis quoque in pace Riſvicenſi Rex Magnæ Britanniæ fuit agnitus, & Gentilitium ſuum Principatum Arauſicanum in Gallia recepit. Jacobi vero Regis exulis in pace illa nulla eſt ratio habita, Gallis propria commoda alienis præhabentibus.

Ne autem per mortem Caroli II. Hiſpaniarum Regis, quæ magnis paſſibus imminere cernebatur, novum graviſſimumque bellum exardeſceret, Wilhelmus cum Anglis & Batavis partitionis Hiſpanicæ (de quo in Hiſpanicis) tractatum iniit anno 1700. At vero Hiſpaniarum Monarcha eodem anno decedente, Gallia illius teſtamentum, ſpreta diviſione facta, apprehendit. Wilhelmus vero inito cum Cæſare & Batavis adverſus Franciam fœdere, cum Obit. equo in venatione lapſus, accedente febri in Anglia extinctus eſt, anno 1702. ætatis 52. regni 13.

Creditur in Hollandiam Belgiumque reliquum ſæpius ex Anglia diſceſſiſſe, atque fœderati exercitus præfecturam aſſumpſiſſe, ut Britannorum effugeret inſidias, quas pro mobili gentis indole, vitæ ipſius ſtruxiſſe feruntur.

CAPUT VII.

STATUS TRANSYLVANIÆ *SÆCULO XVII.*

ARTICULUS I.

Bethlemus, inito cum Bohemis fœdere, Hungariam diſcerpit. Cæſus Ragozi, Dux Bethlemi; qui a ſeditioſis Rex proclamatur. Tampier & Buquojus cadunt. Bethlem pacem init, quam mox frangit. Turcas evocat. Rurſus pacem obtinet.

Compoſitis anno 1606. cum Turca induciis, quieta utcunque 51. manſit Dacia atque Pannonia: donec novi tumultus orirentur a Tranſylvania, flagris, ut ſolet, ſanguineis furente hæreſi.

resi. Plures in ea brevi tempore Principes, aut tyranni potius dominabantur.

Transylv. Principes. Quippe post Sigismundum Bathorium, varium atque versatilem Principem, ditione pulsum, frater ejus Andreas primo Regiminis anno a rusticis est interemptus (1599), Stephanus Botskaius altero anno Principatus occubuit (1606), Sigismundus Ragozius non ultra annum fasces tenuit. Gabriel Bathorius quinto anno a subdito suo *Gabriele Bethlemo Gabore* fuit obtruncatus (1613.)

Hic autem *Bethlemus Gabor* per multos nimium annos turbulentum actorem egit in mundi proscenio, dolis ac fraudibus summos quoque Principes involvens. Nam primo fœdus petiit a Mathia Cæsare, obtinuitque ea lege, ut Hungariæ rebus se non immisceat, eosdemque (Turcam excepit) cum Cæsare hostes habeat. A Bohemis autem rebellibus, religionis sociis sollicitatus, numerosum scripsit militem, evulgato rumore, adversus Bohemos pro Cæsare Ferdinando II. (cum quo fœdus renovaverat) bellum parari.

Bethlemi perfidia.

At ille ambitione elatus, Regnoque Hungariæ inhians, percusso clam cum Bohemis fœdere, junctusque cum rebellibus Hungaris, repente in Hungariam irruit, admotisque ad Cassoviam octodecim millibus, eandem extorquet: Boczio Præfecto capto, & in Transylvania misere pereunte.

Crudelitas. Hæc irruptio ingenti terrore Catholicos perculit, sectariis vi, cædibus, rapinis sævientibus. Fit passim fuga, sacrorum maxime hominum: in quos atrocia & fœda dictu facinora barbarorum more edebantur.

Hungariam diripit. Ita Hungaria turbinis instar decursa, patentibus ubique ferme portis, quas aut metus, aut hæreticus favor reseraverat. Resistentibus Jaurino & Comorra; partem exercitus in Moraviam, Bohemiamque Palatino misit (nam in Monte Albo octo Hungarorum millia pro eo pugnabant) parte altera Posonium expugnavit, subsidiis trium millium a Buquoio ex Bohemia missis, ferme deletis.

Jamque Bethlemus ad Viennæ usque mœnia exercitum & terrorem spargebat, provinciis omnibus hæreditariis exitium minatus, cum subita Ragozii Ducis sui clades in Hungariam eundem retraxit.

Cæsus Ragozius Dux Bethlemi. Quippe *Humanajus*, Hungariæ Dynasta, sub adventum Bethlemi in Poloniam abierat, ibique collecto exercitu in patriam rediit. Occurrit illi Ragozius, quem Gabor Cassoviæ præfectum reliquerat, pellitque Humanajum, sed cum is cum validioribus

copiis

copiis rediret, committitur rursus prælium, quo in biduum extracto, simulant Poloni fugam: cum autem Hungaros ordinibus solutos ad prædam discurrentes adverterent, regressi incompositos aggrediuntur, magnaque clade afficiunt. Peditatus omnis ferme deletus: equitatus cum Ragozio in fugam conjectus.

Hac suorum clade nuntiata, Bethlemus, ex Austria redire coactus, Redejum Ferentium, rebellem Hungarum, adversus Humanajum cum parte copiarum misit, ipse vero cum altera Posonium contendit, coactisque Comitiis Hungariæ Principem se ipsum renuntiat, (1619.) eo ipso tempore, quo Ferdinandus II. legitimus Hungariæ Rex Francofurti dictus fuit Imperator.

Cum autem ea res multos, fidos adhuc Ferdinando Hungaros, graviter offenderet, timeretque, ne plures a Rege Poloniæ venirent copiæ, ad simulationem compositus, inducias init cum Cæsare, ut Polonos, sui securos, eo certius opprimeret, resque suas interea firmaret. Nam sollicitato Turca, renovatoque cum Bohemis fœdere, Neosolium comitia indixit, in quibus a rebellibus sectariis Rex Hungariæ est proclamatus, postquam Bohemi Palatinum Regem dixerant. (anno 1620.)

Bethlemus Comitia cogit. Rex Hung. a Rebellibus proclamatur.

Cæsar, tot hostibus undique obsessus, *Tampierium* ex Bohemia adversus Bethlemum in Hungariam misit: ubi, dum Posonium oppugnat, glande ictus occubuit. Cæsarei autem casu Ducis perculsi, re infecta discesserunt. Fuit Henricus Comes Tampierius, seu Tempetrius, gente Lotharingus, militaribus artibus celebratus belli Imperator, Domuique Austriacæ in paucis fidus.

Tampier. ad Posonium cadit.

In supremum jam felicitatis apicem elatus sibi videbatur Bethlemus, solio sublimis, diademate redimitus, sceptrique potens. Sed aliam mox fortunam expertus, fatale sibi nuntium de Palatini & Bohemorum, in quibus spei summam collocaverat, clade accepit. Versis igitur alio consiliis, Turcas & Tartaros invitavit in communem adversus Austriacos societatem: opimas Hungariæ Germaniæque provincias patere in prædam. Litteræ hæ in manus Procerum Hungariæ sunt delapsæ, quibus illi gravissime offensi, deserto, quem Regem paulo ante dixerant, Bethlemo, privatim cum Cæsare sunt conciliati. (1621.)

Adhæc Buquojus, Bohemia subacta, cum exercitu in Hungariam profectus, Bethlemum in Transylvaniam repulit, majoremque Hungariæ partem recuperavit. At, dum Posonio recepto Neosolium oppugnat, ab hostibus est interemptus. (1621) Natione Belga, patrem habuit Longevallium Vauxii dominum, Alexandro

Buquojus ad Neosolium cadit.

andro Farnesio comprimis charum; cujus commendatione comitis dignitatem ex Bucquojo, gentilitia in Artesia ditione, a Philippo II. Hispaniarum Rege accepit. Mortuo patre, Alexander Wallonum turmæ Carolum præfecit, atque ad militiam ita excoluit, ut celebres inter heroes bellique Imperatores censeri mereatur, virtute, fide, continentia, rerumque gestarum gloria inclitus.

Datum tunc fuit mox perspicere, quantum momenti viri unius auctoritas & secunda fama in bello possit. A morte Bucquoji retrolapsa Cæsaris in Hungaria fortuna Bethlemum, jam ferme prostratum, denuo erexit. Is quippe cum novo exercitu e Transylvania progressus, cum Turriano & Jägerndorffio populationem late per Hungariam circumtulit. Expugnata Tyrnavia, tentatoque necquicquam Posonio, in Moraviam effusus, truculenti instar Tartari sæviit.

Sed cum audiret, viginti Tartarorum millia, auxilio sibi ventura, a Polonis esse cæsa, Jägerndorffium, maxima copiarum parte a Cæsareis & Saxonicis intercepta, tota Silesia ejectum, adhæc Esterhasium, Wallensteinium, Donavium, Tribunos Cæsareos valido cum milite sibi imminere, ad pacem respicere coactus, legatos ad Cæsarem misit.

Gabor pacem init.

Cæsar, bellis in Germania novis novisque succrescentibus, alienus non erat a pacis consiliis, quin pinguiorem etiam, quam exspectare debuerat, Bethlemo concessit. Nam *Nicolopoli* transactum in has leges: retenta Cassovia, septemque in Hungaria ditionibus, atque nonnullis in Silesia, Principis Imperii titulo contentus, depositaque corona, cæteris Hungariæ urbibus cederet. Status vero Religionis ac Patres Societatis in eum locum restituerentur, quo ante bellum fuissent. (1622.)

Quam mox frangit.

Verum Bethlemus Gabor pro ambitione sua & versatili ingenio quiescere non diu potuit: addentibus, ut turbaret, stimulos Mansfeldio & Brunsvicensi, aliisque Germaniæ Protestantibus. Cum propriæ vires non sufficerent, ut bellum inferret Cæsari, grandi usus mendacio Portam Ottomannicam pulsavit: fingit ad ordines Hungariæ litteras, velut ab Imperatore Romano scriptas: quod victo Palatino ejusque Ducibus, in Valachiam, Bosniam, Græciam, &, si cederet, Thraciam, ipsamque Sultani regiam, bellum sit illaturus. Has a se fictas, ceu interceptas mittit Sultano; & crebris Ferdinandi victoriis accensa invidia fidem fecit.

Turcas mendacio evocat.

Quapropter Mustapha, quamvis alias pacis amantior, misit in Hungariam sexaginta Turcarum & Tartarorum millia: quibus

bus Bethlemus cum ſectariis ſe junxit, atque Hungariam rurſus Moraviamque miſerum in modum devaſtavit. Sed affuit cauſæ meliori Numen propitium: barbarus exercitus ter cæſus ab Eſterhaſio: atque Muſtapha, de impoſtura Bethlemi certior factus per Legatum Cæſaris Curtium, ſuos revocavit, factasque cum Cæſare inducias in plures annos prorogavit. (1623.)

Gabor, ubi ſe deſertum vidit, Mansfeldium inſuper & Brunſvicenſem ſocios cæſos, pacem rurſus a Cæſare petiit. Et obtinuit ea conditione, ut Hungaria abſcedat, captivos, & ablata reſtituat. Rurſus pacem obtinet.

ARTICULUS II.

Ferd. II. Religioni conſulit. Ejus filius Rex Hung. Bethlem tertium bellum inchoat, juvante Turca. Cæſus iterum, pacem obtinet. Moritur. Ragozi invadit Hungariam. Cæſus Principatu deponitur, Redajo ſuffecto.

Pacata tantiſper Pannonia, ea Cæſari cura fuit, ut Ferdinandus 52.
filius Rex Hungariæ renuntiaretur. Poſcebat eam proviſionem eo temporum ſtatu & Religionis incolumitas, & Domus Auſtriacæ ſalus. Quippe Bethlemus Religionem Catholicam, ſacrosque ejus cultores, graviſſime eſt perſecutus. Neque procul erat ab interitu, niſi pientiſſimus Cæſar in ejus conſervationem curam omnem intendiſſet.

Auxilio comprimis fuit Petrus Pazmannus, Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis: qui erectis Viennæ, Strigonii, Tyrnaviæ, aliisque in locis Collegiis, in quibus juventus Hungarica litterarum diſciplinis erudiretur, id effecit, ne animabus amplius idonei deeſſent paſtores. Rex Ferd. ſcholas erigit.

Cum Religione rediit Hungarorum in Cæſarem, Regem ſuum, ejusque Domum amor, ut adeo Proceres quidam mentionem de filio ejus in Regem & ſucceſſorem cooptando ingererent, ut ſucceſſore jam certo, nemini ſpes eſſet novandarum rerum. Indicta igitur a Cæſare regni comitia Edenburgum. Ad quæ ipſe cum conjuge & liberis atque Caraffa Nuntio Apoſtolico, qui hæc ſcripſit, ſe contulit. Religioni conſulit.

In Comitiis inquiſitum de fonte tumultuum, qui hactenus regnum tantopere concuſſerant, atque de eorum remediis. Deinde,

de, cum plures Christiani, inductis pluribus uxoribus, Mahometanorum more matrimonii sanctitatem temerare non erubescant, quomodo hoc probrum coercendum.

Tum vero a Strigoniensi, Esterhasio, aliisque paucis ad Regni successorem deflexa oratio. Acatholici palam repugnabant, maxime, qui præsentes aderant, Legati Bethlemii: rationem electionis ad modum libertatis Polonicæ reducendam contendentes. Sed cum Legati Sclavoniæ, Croatiæ, & Dalmatiæ, Catholici prope omnes, advenissent, per majora suffragia fuit decreta electio. Hoc cum cernerent reliqui, unanimi omnium ordinum voto dictus est Rex Ferdinandus, atque allata singulari prorsus cum pompa Posonio S. Stephani corona a Strigoniensi Archiepiscopo ornatus. Eodem tempore Esterhasius electus fuit Palatinus seu prorex Hungariæ. (1625)

Ferd. II. filius electus Rex Hung.

Ussit Bethlemi invidiam hæc coronatio, cum ipse eandem ambitione jam præcepisset. Adhæc amplissimæ nuptiæ cum Electoris Brandeburgici filia, sumptuosissimo apparatu, Orientis & Occidentis Imperatorum Legatis præsentibus, celebratæ, spiritum hominis, alias arrogantem, & quiescere nescium inflaverant. Denique incitabant Christianus IV. Daniæ Rex, qui bellum Cæsari indixerat, cæterique fœderati, cum Budæ Præfecto, Cæsari infenso.

Horum singula poterant hominem levem nulliusque fidei ad tertium bellum Hungariæ inferendum permovere: præsertim cum Austriam tumultuantem, Cæsaremque gravissimis procul a Pannonicis abstractum bellis videret.

Tertium Bethlemi bellum.

Irrupit igitur rursus valido cum exercitu in Hungariam, in qua multos amicos habebat, quos aut hæresis aut novandi cupiditas ei conjunxerat. Nec regni hujus rapinis satur, in Moraviam quoque & Silesiam, ubi conjunctionem cum Mansfeldio condixerat, populationem extendit. Ex altera parte Turca Hungariam invasit, Damaschio expugnato, & Novigrado obsesso. (anno 1626.)

Juvante Turca.

At Cæsar, Dano jam fracto, Wallensteinium cum copiis in Hungariam misit, qui nominis sui terrore, & Turcas Novigrado depulit, & Bethlemum, cum Mansfeldio & Vinariensi conjunctum, in fugam conjecit.

Ad Tartaros pro more recurrens Bethlemus, 40000. millia sibi promissa exspectabat, sed ii in Polonia ita sunt contriti, ut non nisi cladis nuntium acciperet. Turca, Babylonico bello involutus, suos retraxit. Mansfeldius & Vinariensis privatas prædas agebant.

agebant. Brevique Mansfeldius, funestus Germaniæ, Bohemiæ, & Hungariæ titio, Budæ inter Turcas extinctus est.

Bethlemus undique desertus, spe abjecta, in Transylvaniam suam recessit, obnixeque a Cæsare pacem petiit. Concessit ille homini, quamvis toties perfido & perjuro, his legibus: Hungaria cedat. Belli concitatores aperiat. Mansfeldium & Vinariensem dimittat. Tartarico aliisque fœderibus renuntiet. Restitutionem Damaschii a Turca impetret. Captivos, & a Turcis in servitutem abstractos, reddat. Promisit Bethlemus prolixe omnia, quasvis conditiones bello, toties infeliciter tentato, potiores, ducens. (1627.) **Cæsus pacem iterum obtinet.**

Biennio post turbulentus hic actor de theatro vitæ humanæ abscessit: postquam 16. annis fraudibus, insidiis, perfidia involutam tragœdiam lusit, totique Europæ illusit. Natus est in Transylvania loco nobili anno 1580. in aula primum Gabrielis Bathorii, dein Constantinopoli aliquot annis educatus: ac inde redux, ope Turcarum dejecto atque interempto Bathorio altore suo ac domino, Principatum Transylvaniæ invasit, conspiransque cum Domus Austriacæ hostibus, quas diximus, tragœdias dedit, personam etiam Hungariæ Regis agens. Uti fidei, ita Religionis nullius fuit, nisi ea dicenda sit Religio, quod Catholicos immani odio sit persecutus. Obiit anno 1629. ætatis 50, regiminis 16, prole nulla relicta. **Obit.** **Effigies.**

Successorem in Transylvania habuit *Stephanum Bethlemum* fratrem, sed eo mox dejecto, Georgius *Ragozius* electus est, cujus jam pater Principatum gesserat. Is cum Bethlemo Gabrielis fratre inimicitias primum, dein bellum gessit. Bethlemus modicis a Turca auxiliis instructus, atque bis victus, in Thraciam rejicitur. Denique amicorum opera conciliantur. (1636.) **Ragozius.**

Anno 1644. idem Ragozius, haud dubie a Suecis incitatus, cum 70000 Armatorum in Hungariam irrupit: causam præferens, Hungariæ libertatem violatam a Cæsare: multa contra priorum annorum pactiones immutata. Cassoviam itaque aliaque nonnulla loca invadit. Ejus impetum Comes Bucheimius cum Cæsareis, & Hungarorum fida manu strenue sustinuit, donec anno sequente pacem petiit, quam eo pronius Cæsar concessit, quo majore Suedici Gallicique belli pondere premebatur. **Hungariam invadit.**

Ejus filius regni cupiditate pariter ebrius, cum Hungaricam non posset, Polonicam coronam prensavit. Accendit spem Carolus **Filius a Polonis cæsus.**

lus Guſtavus Rex Sueciæ, ut ad ſocietatem belli Polonici eundem attraheret, promiſſis large omnibus, quæ ambitio petebat.

Dehortabatur eum non modo Cæſar cum Proceribus, ſed ipſe adeo Tartarorum Chamus, ne huic bello ſe immiſceat: noratque, quam ſeveris minis Aula Ottomannica Georgium parentem a Suecorum ſocietate bello Germanico abſtraxerit. Sed ne ſalubri monito aures daret, Barzajus, primæ admiſſionis Aulicus, effecit. Dudum homo verſipellis principatum ambiebat, conſiliis id agens omnibus, ut præcipitem indole Principem deturbaret.

Sueci vero miſſa Bizantium Legatione acriter Turcam incitabant, ut Cæſari in Hungaria bellum faciat: ferro & igne exſcindendos, qui lignea ac triticea ſimulacra pro Numinibus colant. Sed æquior Sultanus extrema minatur Ragozio, ſi quid in Poloniam ſuſcipiat, quacum ipſi amicitia intercederet. Verum obſurduit ad hæc miſer, regnandique inſania ſui impos, fœdus percuſſit, ſibi, Cæſari, Hungariæ, reique Chriſtianæ exitioſum. (1657.)

In afflictam Tranſylvaniam fuga evadit.

Nam Poloniam multo cum exercitu ingreſſus, ingenti clade proſtratus eſt, amiſſis in acie quinque ſuorum millibus, pluribusque in fuga a Polono equite trucidatis. Quapropter traditis Keminio cladis reliquiis, in lucro ponere debuit, quod caput, quod coronæ inſertum ibat, acinaci Sarmatico potuerit ſubtrahere, atque per invios calles & montium prærupta in Hungariam præcipiti fuga evadere.

Nec Keminio fortuna melior. Per Valachiæ alpes fugam rimatus, a Tartaris captus eſt, exercitu ejus aut trucidato, aut in ſervitutem abſtracto. (1657.)

Quibus animis a Tranſylvanis exceptus ſit infelix Ragozius, cogitatu pronum; cum nemo ferme eſſet, ad quem non pars aliqua cladis pertineret: auctusque dolor, cum immenſa auri vis pro captivis redimendis a Tartaris exigeretur. Nihil certe propius erat, quam ut in ipſis comitiis a Keminii filiis trucidaretur.

Turcarum minis a Principatu deponitur.

Verum longe atrocior tempeſtas miſero Principi incubuit a Mahomete IV. Sultano, quod ſe Suecico fœderi illigare, & Poloniæ coronam ambire ſit auſus: nec iram barbari placabat, quod fugitivus, rebus exutus, domi inviſus, foris ſpretus temeritatem luiſſet: ſed funditus illum perditum ibat. Atque e veſtigio Budenſi cæterisque limitum Præfectis mandat, ut ad Temeswarinum copias ad expeditionem paratas habeant. Renningerum vero Cæſareum Conſtantinopoli oratorem monet, nuntiaret Viennam, non alio hæc arma, quam ad caſtigandam perfidi hominis contuma-

tumaciam ſpectare. Securum Hungariæ, atque amicitiæ eſſe juberet Cæſarem. Mittitur & ad Tranſylvaniæ Ordines, Albæ Comitia habentes, qui denuntiaret, Ragozium illico provincia expellerent, Turcicumque præſidium Jenæam admittant: ſecus extrema omnia exſpectarent. (1658.)

Facile advertit Ordines, quo hæc irarum in Ragozium ſimulatio collimaret: Principatum potius, quam Principem a Turcis peti. Sed quid facerent terrore attoniti, milite, fœderibus, opibus, amicis, fide, rebus omnibus deſtituti? Monent Ragozium, cederet tantiſper tempori, atque, ne furens Turca libertatem adimat, patriæ dignitatem condonet.

Abdicat ſe haud gravate. Moxque Franciſcum *Redaium* Principem renuntiant, virum primæ inter ſuos Nobilitatis, egregia & pacata indole, dignumque meliori tempore. Redajus ſufficitur.

At Ragozius privatam vitam non ferens, ſolutis vixdum comitiis, & dimiſſo Bizantium Legato, egentium ac perditorum hominum delectibus habitis, brevi tempore decem hominum millia collegit. Permulti Nobiles, pro mobili Nationis genio, eos conatus clam promovebant. Redaii modeſtiam pro ignavia carpunt. Ea fiducia, creſcente in dies adhærentium numero, datis ad Ordines litteris poſtulat reſtitui. Mittitur ad eum, quæ diſſuaderet, legatio, at incaſſum. Vi doloque intruſum Redajum clamat. Invitis etiam Ordinibus & ringentibus Turcis ſe Principem fore. Nec intra minas hæſit, ſed Comitiis copias admovet. Quare perterriti Proceres, in ejus verba denuo jurant: Redaio æquabili animo Magiſtratu abeunte. (1659.) Ragozius armis ſe reſtituit.

ARTICULUS III.

Ragozi a ſe ipſo reſtitutus; ſed a Turcis Barzajus intruditur. Ragozi Cæſarem implorat. Barzajum dejicit. A Turcis occiditur. Varadinum a Turcis expugnatum.

Graviſſime Turca id accepit, nullis muneribus a Ragozio ſe placari paſſus, Legato illius obtruncato. Quare Ragozius in Turcicam ditionem progreſſus, populationibus late omnia implevit, donec Budenſis Prætor, quem *Baſſam* vocant, cum 15000 occurreret. Confligitur mox acri prælio; victus caſtriſque exutus Turca. 53. Vincit Turcas.

Sed

Sed Turcæ aucti Barzajum intrudunt.

Sed victoriæ lætitiam absterſit nuntius de adventu 45000 Turcarum. Tradita Jenæa Turcis, *Barczaji* fraude, ut ea ad Principatum ſibi viam ſternat. Miſſus idem ad Vezirium Legatus, apud quem valebat gratia, ut pacem ab eo exoret. Avocato in Orientem opportune Turcarum exercitu, ubi Aleppi Prætor gravi ſeditione Syriam miſcebat, datæ induciæ hac lege: *Barczajus Principatum obtineat, at Caranſebiam & Lugoſium (duas munitas urbes limitaneas) Turcis traderet: Ragozium, vivum aut mortuum, cum Valachiæ & Moldaviæ Principibus, Sultano transmitterent. Duplum tributum annuum pendant. Nobiles quatuor obſidum loco apud Vezirium maneant.* Atque ita Barczajus Principatum, tot ſceleribus quæſitum, eſt conſecutus, execrabilis patriæ, & Religionis proditor. (1659.)

Auxilia a Cæſare fruſtra petit Ragozius.

Ragozius, ſpe necdum dejectus, a Leopoldo Imperatore rogat auxilia, Barczaji impietatem, Turcarum incrementa, & deſpoticum in Tranſylvaniam dominatum, ferendum non eſſe Cæſari: ſummum inde Hungariæ reique Chriſtianæ enaſci periculum. Decem modo Germanorum millia ſibi mitterentur, retrudendæ in Thraciam Turciæ ſe parem fore. Aſiaticis turbis ſatis negotii Vezirio objectum iri. Affore Moldavos, Valachos, Coſaccos, Hungaros; neque ob miſſas auxiliares copias pacem a Cæſare violandam.

At Cæſar, ſparſis per Daniam adverſus Suecos copiis, non id eſſe tempus exiſtimabat, quo cupidam belli Turciam irritaret. Ungaro militi parum tribui poſſe, qui multus quidem affluat, ſed facile rurſus diffluat, velitationibus, quam ſtatariæ pugnæ aptior. Cæterum in ambiguo eſſe, an Barczajo, an Ragozio plus fidendum: parem utriusque ambitionem, utrumque imperandi veſania abreptum, quidvis admiſſurum.

Cum igitur nihil opis exſpectare juberetur Ragozius, cum Barczajo tranſegit: ſecuram in Tranſylvania habitationem, ſeſſionem & votum in Comitiis, regreſſum ad dignitatem, cum per Turcam licuerit, pactus.

Neque his pactis Vezirium emolliit Ragozius, neque Mayenbergii legati Cæſarei ad Sultanum oratio. Variæ tam implacabilis iræ cauſæ ferebantur. Veriſſima fuit cupiditas Turcarum, ſubigendi penitus Tranſylvaniam, atque invadendi Hungariam; unde minaces illæ Sultani ad Cæſareum Legatum voces. Ut quid Cæſar in terris ſuis hominem, *Fulgidæ Portæ* adeo inviſum, ſuſtineret. Sibi eum bello perſequendum, ubicunque eum morari contigerit.

Neque latebat Leopoldum, bellum a Turcis quæri. Quare, ut Hungarorum animos pertentet, coactis Comitiis, quid ab illis exſpectandum foret, explorat. Magno conſenſu non modo annonam Germano militi, verum & regnum omne in armis fore, prolixe promittunt. Sed promiſſis exigua poſtmodum fides reſpondit.

Cæterum ea fuit Barczaji væcordia, avaritia, & ſervilis erga Turcas ſubjectio, ut Tranſylvanis jam vilis & exoſus, Ragozius contra, ceu liberalis & ſplendidus, in pretio eſſet & amoribus. Præparatis ita animis, Ragozius cum milite in Tranſylvaniam profectus, magna ab omnibus voluntate jam tertium Princeps acclamatur. Barczajus vero arrepta fuga Temeswarinum ad Baſſam evaſit, de Ragozii & popularium injuria multa conqueſtus. Ragozius Barczajum dejicit Principatu.

Ea rerum converſione Conſtantinopolim nuntiata, Sultanus Tranſylvanis ſervitutem & ultimam vaſtitatem comminatur, niſi recepto protinus *Barczajo* Ragozium expellant: Cæſari vero per Legatum ſcribi petit, pro belli denuntiatione ſe habiturum, ſi vel tantillum opis rebelli præſtaret. Temeswarini Præfectus cum 15000 reducere Barczajum jubetur, qui magna clade Ragozium affligit.

Tum vero is, ſumpto a deſperatione conſilio, ut Princeps non inultus moriturus, cum 6000 ſuorum ad Claudiopolin incredibili ferocia in numeroſum Turcarum exercitum irruit, ingentique ſtrage illorum edita, in confertum hoſtium globum ſe injicit, multisque vulneribus acceptis concidit, atque ſpirans adhuc Varadinum deportatur: ubi, ejurato Calvino, magno pietatis ſenſu Catholicus obiit: felicior morte quam vita. Vulneratus a Turcis obit Varadini Catholicus.

Familia natus fuit nobiliſſima ac pervetuſta, avo & patre Tranſylvaniæ Principibus. In bello fortis potius miles, quam Dux providus. Initio Principatus Baſilium Moldaviæ Regulum ditione exuit. Polonica vero expeditio perniciem ei attulit. Felici eſſe licuiſſet, niſi perdidiſſet ambitio. Filium ex Sophia Bathorea reliquit Franciſcum, in Hungariæ hæreditarios fundos cum matre ſe recipere coactum. (1660.)

Ragozii morte necdum quies Tranſylvanis reddita. Quippe dum, Jani Keminii, Principatum ambientis, machinatione, detrectant Barczajum recipere, Sultanus Halyum Baſſam ad Varadini oppugnationem dimittit. Suſa, Dux Cæſareus, quanta cuperent, Varadinenſibus auxilia offert. At illi ſatis ſibi propugnatorum eſſe reſpondent, Calviniano Præcone pro concione clamante,

te, ne ſe arcemque Papiſtis Germanis crederent, ſatis animorum viriumque ad defenſionem eſſe Hungaris.

Reſponſo hoc abrupto ad Suſam delato, convccatis Hungariæ Ordinibus deliberatum, qua ratione occurrendum periculo. Una fuit omnium ſententia, non committendum, ut tanto præſidio Turcæ potiantur: cum non Hungariæ modo ſed Chriſtiani orbis ſit propugnaculum. Quippe Tranſylvaniæ, Valachiæ, Moldaviæ ſalutem unius Varadini mœnibus contineri, frænumque Turcis injici, ne in provinciæ formam eas regiones redigant. Hactenus procul, atque in ipſam adeo Aſiam ad ſtativa deducendum fuiſſe Turcis militem, capto Varadino, ex provinciis iſtis, frumenti feraciſſimis, ſuſtentandos. Rudolphum Cæſarem ad hunc locum conſervandum graviſſimo bello ſe implicuiſſe, eumque vindicaſſe. Et quamvis utriusque Imperii conſenſu is ad Tibiſcum & Samoſium tractus Tranſylvaniæ Principibus ſit conceſſus, non tamen propterea a ſuprema Regum Hungariæ, in cujus ſolo eſt ſitus, fuiſſe ſubtractum. Ipſam Tranſylvaniam ſemper Hungariæ partem fuiſſe habitam, Principibus fidem Regi jurantibus. Quod Turcis tributum pendant, tyrannide potius quam jure fieri.

Varadinum a Turcis expugnatum.

Verum, ut inquit ille, dum Romæ deliberatur, Saguntum perit. Varadinum, ob præſidii paucitatem, machinatorum imperitiam, proditiones incolarum, magna Chriſtianæ rei jactura, 47. oppugnationis die Turcis eſt traditum, Bizantio magnis plauſibus excipiente victoriæ nuntium, & clavem in Chriſtianorum terras ab Halyo inventam gratulante. Suſæ autem Halyus denuntiat, niſi finibus protinus excedat, venturum ſe cum victore exercitu, & pauculos Germanos internecioni daturum.

ARTICULUS IV.

Barczajo depoſito Keminius intruſus: hoc pulſo Abaffius. Pax cum
54. *Turcis. Abaffi invadit Hungariam. Tranſylv. ad Cæſarem. Herbevill Ragozianos cædit. Hung. vaſtata.*

Dejecto iterum Barczajo Keminius Princeps.

Majori interea, quam unquam, intemperie æſtuabat Tranſylvania. Durante Varadini obſidione Barczajum, ne quid turbaret, in cuſtodia tenebat Halyus: tum in Principatum remiſit ea lege, ut Turcis cedat Claudiopolim, & 500 æris millia numeret. Cumque impotentius pecuniam exigeret Barczajus, Tranſyl-

Tranſylvani eo deſerto *Keminium* Principem renuntiarunt. Barczajus vero, cum Turcam per litteras invitaſſet, oblatis rurſus duabus, quas vellet, urbibus, Ordinum voluntate cum fratre eſt interfectus, belli calamitatum Princeps auctor. Ragozium herum, ut ejus dignitatem obtineret, in pernicioſa conſilia præcipitavit, ſpem Regni Polonici injecit: Turcas in vindictam concitavit, Jenæam pollicitus, Caranſebiam, & Lugoſium tradidit; Varadinum machinationibus ſuis perdidit. Ante mortem monetam cudit, cum lemmate: *ſalva nos: perimus.* Et in parte averſa: *de profundis clamavi.* Deleta ſtirps omnis. Uxor mendicato vivere coacta.

Barczajus interfectus a ſuis.

Amoto hoc probro Chriſtiani Nominis, Halyus, agni vellere vulpem tecturus, Keminium Temesvarinum amice invitat, ut ſolenni inauguratione Principatus inſignia capiat. At non ita ignarus erat Turcicarum artium, quin reſtim ſibi paratam intelligeret. Viennam igitur legatos mittit, rogatum auxilia, ſe, totamque Tranſylvaniam Cæſaris fidei permittens.

Benevole accepti ſunt legati, atque ſpe pleni remiſſi. Ad Sultanum & Halyum directi Legati a Cæſare, tentaturi, ſi qua ratione absque bello conſuli Keminio & Tranſylvaniæ poſſit. Uterque reſponſum accepit, Keminium vivere amplius non poſſe: ſi ejus cauſam Cæſar ſuſcipiat, pacem violatam videri. Itaque jam ſerio bellum apparatur.

Interim vero, dum Cæſarea auxilia, & modica & lenta, conveniunt, Keminius Tranſylvania a Turcis pellitur. Michaël *Abaffius* vero, qui ruri vitam degebat, ab iisdem accitus, ad mortem ſe duci credebat, cum Princeps Tranſylvaniæ renuntiatur. (1661.) Keminius collecto milite contra eum, comitantibus 2000 Cæſareorum, duxit, ſed affluentibus Turcis, & Tranſylvanis prodentibus, victus eſt, & trucidatus.

Keminio pulſo Abaffius Princeps.

Ex quibus apparet, omnes iſtos Principes Tranſylvaniæ, ex Calvini diſciplina homines fuiſſe ambitioſos, turbulentos, & ſanguinarios, qui vix Principatum adepti Rempublicam tumultibus, ſeque ipſos alternis velut cædibus involverunt, aut Turcis per factiones ſuas mactandos præbuerunt.

Devoluto ad Abaffium Principatu per interitum Keminii, ſolliciti erant Tranſylvani, qua ratione Germanos, quos enixis precibus paulo ante advocaverant, ex urbibus denuo, quas præſidiis tenebant, expellerent, prout a Sultano imperatum fuerat Abaffio. Et miſerunt eam in rem Legatos ad Cæſarem, qui ſe abducturum copias recepit, niſi in manus Turcarum venirent.

Tranſylvani Turcis mixti Claudiopolin obſident, a Cæſareis ſtrenue defenſam.

 Cum

Cum igitur hoc metu Cæſarei in munimentis perſiſterent, Tranſylvani Turcis mixti Claudiopolin oppugnant. At Cæſarei Redano Præfecto, civibus Calvinicolis exarmatis, adeo ſtrenue urbem defendebant, ut hoſtis re infecta abſcedere fuerit coactus. (1662.)

Pace cum Turcis inita Abaffius confirmatus.

Grave dein bellum Cæſar cum Turcis geſſit propter Tranſylvaniam, ne tanta provincia in eorum poteſtatem laberetur. Parta Cæſari *San-Gothardana* victoria, Vezirius pacem petiit, qua conventum, ut uterque Imperator copias ſuas Tranſylvania deduceret, liberamque Ordinibus poteſtatem Principem ſibi eligendi relinquat. Keminii & Ragozii hæredibus armatus in Tranſylvaniam ingreſſus interdictus: Abaffio ſua relicta dignitas. (1664.)

Abaffius in Hung.

Porro Abaffius & Tranſylvani, quacunque ope poterant, rebellibus Hungaris ſuccurrebant, atque aſylum præbebant. Anno 1675. Kaloum, Tokainum, Zatmarinum, tanquam veteres eſſent Principum Tranſylvaniæ poſſeſſiones, repetebat, velut inique a Ragozio in Cæſarem alienatas; cum tamen ab omni ævo in Hungariæ Regum ditione fuiſſent, atque ad tempus duntaxat fiduciario jure Ragozio conceſſæ.

Igitur cum 12000 Armatorum movet in Hungariam, auriferis montibus inhians, omnemque late regionem devaſtavit, Scepuſienſem præſertim agrum.

Cum dein *Pedipolius* ad Tranſylvaniæ Principatum aſpiraret, bellumque inferret, totum ſe Abaffius ad rebelles Hungaros applicuit, eorumque opera victoriam retulit; cumque Pedipolius, inſtaurato e Valachis exercitu, novum prælium pararet, mandatum cum minis a Sultano accipit, ut arma ponat. Abaffius vero, ut Hungaris pro ſubmiſſis ſubſidiis gratiam referret, totidem ad fovendam promovendamque rebellionem, Töckelio ductore, conſignat milites, atque acceperat. (anno 1678.)

Turcis ſe adjungit. Tranſylvania in provinciam a Cæſare redacta.

Exorto ſubin bello Turcico, totum ſe Ottomannis applicuit Abaffius, donec anno 1687. prævalentibus Cæſareis armis, a Leopoldo Cæſare in provinciæ formam redacta eſt Tranſylvania. Quippe Carolus, Dux Lotharingiæ, parta *Mohacenſi* victoria, ſuſceptaque in Tranſylvaniam expeditione, Claudiopolim, Cibinium, Hebam Juliam, totumque Principatum deditione accepit, his legibus; munita provinciæ loca præſidium Cæſareum reciperent, illudque alerent. Abaffio ærariæ ac civilis rei adminiſtratio, fundi, jurisdictio, comitia convocandi authoritas ſalva maneat. Religionum libertas ne turbetur. Magiſtratus ſuis legibus moribusque vivant.

vivant. Si Turcæ aut Tartari tranſitum extorqueant, gubernatoribus id mature ſignificarent, & Chriſtianis opem ferant.

Tentata quidem eſt poſtea ſæpius a Turcis Tranſylvania, ſed armis Cæſareis ſtrenue vindicata, in fide perſtitit ad initium usque hujus ſæculi: ubi occaſione belli Hiſpanici Hungarica ſeditio denuo exarſit. Nam eo ex incendio in Tranſylvaniam quoque flamma ſparſa eſt; quam tamen *Rabutinius* Gubernator cura ſua vigili tantiſper compreſſam tenuit, ſenatoribus Cibinio concluſis. (1703.)

Verum anno ſequenti Ragozius, miſſis in Tranſylvaniam ſex Hungarorum millibus, pleraque ad defectionem prona invenit. Volitabant mox per provinciam perduellionis vexilla. Rabutinius, interclusis omnibus ſubſidiis, Claudiopolim, quia ſervari non poterat, dejecta muri parte, deſeruit, atque Cibinium reſiduas vires collegit. Indeque prorumpens grandi clade Tranſylvanos Hungarosque multavit. **Ragozius rebellis, a Rabutinio cæſus.**

Ragozius nihilominus ſub initium anni 1705. Ductore Forgatſio Hungarorum ad 40000 immittit, quibus ad 10000 Tranſylvanorum ſe adjunxere. Obſeſſa mox Deva, Fogaraſia, Corona, Medieſinum, & ipſum denique etiam Cibinium, triginta hominum millibus urbi circumfuſis.

In arcto res erant poſitæ; tota ferme provincia in hoſtium poteſtate; Varadinum & Giula, Tranſylvaniæ clauſtra longa obſidione ad famem redacta; viæ cæſis arboribus, objectis aggeribus, ductoque perpetuo vallo præpeditæ; omnia ad exitium, quod Rabutinius, Felſius, Beckerus virtute, fide, conſtantia morabantur, inclinabant; cum Herbevillius longo & difficillimo itinere ducto in Tranſylvaniam exercitu, tutelaris velut genius, rebus afflictis ſuccurrit.

Vallo adhuc aggerique ſtruendo intentum hoſtem *Herbevillius* ad Siloam aggreditur. Difficilis pugna: hoſtis & numero multo ſuperior, & aggere valloque defenſus. At eniſa Germanorum virtus plenam victoriam retulit. Cæſi 4000, tormenta 28, ſigna 50, annonæ & impedimentorum currus omnes victori in prædam ceſſere. Enituit virtus Schlickii, Glöcklſpergii, Langleti, Draſcovicii. **Herbevill. rebelles profligat.**

Mox alia tum rerum facies. Peramplus & quæſtuoſus Principatus a præſentiſſimo exitio ſervatus, atque in fidem Cæſaris aſſertus. Claudiopoli jam ſtabant triumphales arcus, magnificis epigraphis, *Victori, Patriæ vindici, Germanorum Domitori*, inſigniti,

gniti, multusque apparatus cernebatur ad ſolennem pompam, qua tertia poſt die Ragozius inaugurandus erat Tranſylvaniæ Princeps. Jam vero cives urbis claves obviam victoribus ſupplices tulerunt. Vis annonæ grandis reperta; captivi Germani ſignis ſuis redditi, rapti ad ſupplicium transfugæ. (1705.)

Vaſtata ab Hungaris Hungaria.

Reſtitutam ſibi Rempublicam, coactis more veteri comitiis, ſapientiſſime Rabutinus gubernavit: cum accipit Vienna litteras, quibus cum majori legionum parte in Hungariam ſuperiorem juſſus eſt migrare, Stahrembergio futurus auxilio. Difficillima erat profectio; quia perduelles omnes regiones, quibus transeundum erat, igne ferroque vaſtaverant, cibariis aut avectis, aut defoſſis, aut corruptis, ut Cæſareis deſertam ſolitudinem relinquerent. Debrezinum, urbs ampliſſima, inventa eſt hominibus & rebus penitus vacua: ardentes vici & triſtia buſta ubique viſebantur. Adeo nempe boni iſti cives in patriæ ſuæ, veluti matris viſcera, graſſabantur.

Remiſſo cum 2000 equitibus in Tranſylvaniam *Tigeo*, qui vicario nomine provinciam regeret, poſt anni dimidii miſeram peregrinationem Budam tandem Rabutinus attigit: ſub finem vero anni 1707. in Tranſylvaniam, graviter laborantem rediit; poſtquam de ea deſerenda jam plures in Senatu Aulico ſententiam dixerant, de inhibendis excurſionibus in Auſtriam & Moraviam ſolliciti.

Viſa proin eſt hæc ſententia privata potius ſpectare commoda, quam bonum publicum Joſepho Cæſari, qui tam amplam pinguemque provinciam, tantis impendiis partam, licet longinqua ſit, & nova ſupplementa exigat, neutiquam omittendam cenſebat, eaque perduelles aut Turcas potiri; maxime, poſtquam Rabutinus & Tigeus eam totam ad obſequium Imperatoris reduxiſſent.

Rabutino

Laborabat tamen Rabutinus, Gallicæ originis homo, poſt res tam præclare, tantaque fide, ſolertia, conſtantia, & bellica virtute geſtas, apud Proceres Viennenſes invidia. Quapropter, miſſione impetrata, Viennam conceſſit, articulari etiam morbo afflictus, nactusque eſt in Tranſylvania ſucceſſorem *Kriechbaumium*, qui domitam equidem provinciam accepit, ſed brevi expertus eſt, quam ardua gubernatio ſit demandata, Karolyo irruente, ſupplementis, veſtibus, annona deficientibus, incolis vero, qui molliſſime erant habendi, parum contribuentibus. (1708.)

Subrogatur Kriechbaumius.

Hei-

Heiſtero, copias Tranſylvanicas ad Tibiſcum in Hungariam duci cupienti, mos geri non potuit, Ragozio & Carolyo, 14000 armatis circumtonantibus per provinciam, Varadino ab iis obſeſſo, cui annuis ſubſidiis ſuccurrendum. Et, ſi cætera abeſſent, in illa gentis mobilitate, Nationum ac Religionum colluvie longius a ſpecula abeſſe non licuit.

Ad hæc Raſcianis, partes licet Cæſaris ſequerentur, confidi non potuit, utpote qui, ſibi relicti, amicos juxta hoſtesque ſpoliabant, dicente Wilſono Hyberno, Aradiæ Præfecto, Raſcianum, ſi vel ad inferos prædam videat, adequitaturum. Nec puniri poterant, ne in ſeditionem agantur, eſſentque in illa Germanorum paucitate neceſſarii. (1709.)

Sequenti anno, gravi per Tranſylvaniam peſtilentia ſæviente, nihil ferme belli fuit; niſi, quod Rabutinus, paternæ legionis Pro-Tribunus, populatorium Baloghi agmen oppreſſerit, captis ſignis 10. equis 153. Ragozianis 40.

Kriechbaumio, curis & laboribus immortuo, in Tranſylvaniæ Præfectura ſurrogatus Steinvillius Lotharingus: qui multos Nobilium, ad Cæſarem redeuntes, benigne ſuſcepit. Illud autem ſuſpectum atque periculi plenum videbatur, quod Proteſtantes Tranſylvaniæ Ordines viginti aureorum millia obtulerint, ſi Abaffius & Bethlemus Comes e Vienneuſi cuſtodia domum remitterentur. **Et huic Steinvillius.**

Alter metus a Turcis erat, qui Ruſſorum victoriis commoti, tam potentem vicinum creſcere nolebant, Regemque Sueciæ, Benderi poſt Pultawanam cladem exulem, reſtitui poſtulabant. Quapropter omnia ad bellum apparabant. Timebatur proin, ne flamma in vicinam Tranſylvaniam & Hungariam erumperet. Nec vanus omnino metus, ne Turcæ, a Ragozianis & Legato quodam (ut fertur) interpellati, aliud ſimularent, aliud acturi eſſent. At metum abſterſit Thalmannus, Cæſaris Byzantii Interpres, ſuſpicionem de invadenda Hungaria nullam apparere. Et ſane mirum eſt, Turcas in illis Hungariæ, ſurſum deorſum euntis, turbis Carlovicenſes inducias ſervaſſe, nec ullis precibus a Ragozianis exorari ſe paſſos, datam ut fidem rumperent: exemplo ſane, Chriſtianis imitando. **Turcæ Hungarorum turbis ſe non miſcent.**

Anno tandem 1711. Tranſylvania quoque Hungaricæ paci incluſa eſt: ejuratus cum factione ſua Ragozius. Magnates ac Nobiles, ejus partes ſecuti, atque in Moldaviam profugi, reſtituuntur. Leges & ſtatuta priſtino loco ſtare juſſa. Captivis libertas aſſerta. **Pax.**

CAPUT

CAPUT VIII.

STATUS HUNGARIÆ *SÆCULO XVII.*

ARTICULUS I.

Seditio Calvinistarum. Bellum Turcicum. Cum Vivarino multa loca amissa. Sant-Gotthardana victoria. Causæ properatæ pacis.

55. Transylvanica bella Hungaricum cum Turcis post se traxerunt. Nam cum isti nihil æqui admitterent; Cæsari autem committendum non videretur, ut Sultanus pro arbitrio Transylvaniam, Hungariæ Regno veteri jure innexam, versaret, bello decreto, *Susam* Hungariæ rebus præfecit, Montecuculum vero supremum belli Imperatorem in Transylvaniam misit, ut Keminio novo Principi adversus Ottomannos assistat.

Susa in Transylvaniam,

Invitus omnino Dux sapiens eam expeditionem suscepit, probe gnarus, quantis cum difficultatibus per ardua tot itinera, ob annonæ defectum, Turcarum frequentiam, suorum paucitatem, Transylvanorum inconstantiam, depugnandum foret Et revera nullo confecto negotio, cum interea Transylvani a Keminio ad Abaffium, novum Principem, ab Halyo datum, defecissent, in Hungariam, cum acciso morbidoque exercitu redire coactus est. (1661.)

Sed neque in Hungaria meliores successus habuit Susa. Ad decem Hungarorum millia coegerant Esterhasius, Nadastius, Bathianus, Bucheimius Comites: sed præter inutiles excursiones, & Palankas aliquot (exigui operis munitiones) exustas, nihil admodum actum. Quid? Ne hyberna quidem Hungari concedebant Cæsareo militi, sed ex sua gente Regem deposcentes, in ejus perniciem conspirabant. Calvinistæ potissimum, *Vesselinio*, Hungariæ Palatino incentore, has turbas machinabantur, Ministellis pro concione oleum flammæ non perfunctorie infundentibus: Papistas præ Mahometanis expellendos. Quapropter Leopoldus Cæsar in superiore

Sed redire coactus. Calvinistas in Hungaria rebelles habuit.

riore Hungaria, majorem partem Orthodoxa, hyberna Montecuculo assignavit.

In Posonienfibus quoque Comitiis, ad sanandos regni morbos, & bello Turcico apparando, a Cæsare indictis, nihil ex æquo decerni poterat, ob induratam Protestantium repugnandi voluntatem. Detrectabant illi ulla de re prius consulere, quam omnia templa, ab anno 1619. sibi ablata, restituta forent. Distinctum præterea a cæteris regni Ordinibus collegium postulabant. Neque Catholici omnes erant integri. Ut Germani ex Hungaria abducerentur, omnes postulabant, privilegia pro more ingeminantes.

In ipsis etiam regni Comitiis.

Cæsar, qua erat facilitate, partem copiarum quamprimum in Austriam reduci jubet. At illi audaciores deposcebant, Regiis litteris testaretur Cæsar, præter jus fasque abs se actum, quod contra Comitiorum authoritatem exercitum in Hungariam duxisset. Denique insalutato Cæsare se omnes subduxerunt. Unde Cæsar quoque, gravissime offensus Viennam rediit. Nec mitius actum cum Germano milite, aliis, quod tectis excluderentur, frigore pereuntibus, aliis a rusticis trucidatis.

Hoc animorum habitu eo sollicitius, misso Constantinopolim Perisio, de pace agebat Cæsar. Duo potissimum Turcæ opponebant: Quod Cæsar necdum Transylvania deduxisset copias: novumque Zrinius exstruxisset propugnaculum. Cæsar vero petiit, ut secundum pacta, a Solymanno cum Ferdinando I. inita, libera Transylvanis esset facultas Principem sibi deligendi.

Cum Sultano acta.

Moram injecit mors *Chiuperlii* Vezirii: qui præcipuus fuerat belli incentor, Ragozii Keminiique juratus hostis: homo adeo truculentus, ut sex eminentiorum capitum millia a se resecta gloriari sit auditus: Sultano autem mire charus, ut, quod rarum, Vezirii dignitatem etiam in filium transferret. Qui Astrologiæ hactenus impensus, bellique imperitus, ratas inducias mox habuit: pacificatione ad Halyum, Temesvariensem Bassam, rejecta.

Turcæ ad bellum se præparant.

Christianis pacis exspectatione otio torpentibus, Turcæ bellum strenue præparabant. In exteris Principibus, bellis ubique ferme flagrantibus, spes nulla. Comitia Ratisbonensia more suo lente incedebant: nec deerant ex civitatum legatis, qui dicerent: Hungariam & Transylvaniam nihil pertinere ad Germaniam: sua oportere quemque defendere; satis albere illas regiones Germanorum ossibus: nec æquum, ut unius utilitati omnes militent. Palam etiam lentitudo Portiæ, & Aulæ Viennensis frigus accusabatur.

Difficultates ex parte Cæsarea.

tur. Tandem 6000 militum decreta, ſed 4000 tantum ſub finem Novembris, ad hyberna videlicet, in Hungariam venere: Cæſarei vero ad variarum urbium & provinciarum defenſionem adeo ſunt diſtributi, ut Montecuculo non plures, quam 4000 equitum, & 2000 peditum ſupereſſent. Hac modica manu contra 100000 Turcarum Chriſtianorum cauſa erat agenda, ut adeo Mantecuculus ad Cæſarem ſcriberet, ſe poſt 36. annos militiæ eo redactum, ut 4000 equorum curſoria acie Croatam velitemque agere neceſſe habeat. Id ſaluti fuit, quod barbari tantam debilitatem aliquamdiu ignorarent.

Miſera conditio Hungariæ.

Vezirius, cum Leopoldus in tributum, a Ferdinando I. Turcis depenſum, conſentire nollet, pacis tractatione abrupta, grandi cum exercitu movens in Hungariam, Vivarinum (Neuhäuſel) oppugnare decernit. At vero Forgatſius, munimenti Præfectus, cum intellexiſſet, tria Turcarum millia appropinquare, obviam illis egreſſus ad 20000 invenit, conſertoque, cum evitare non amplius poſſet, prælio, victus eſt fugatusque, multis ſuorum in acie amiſſis, multis captis, & barbara crudelitate trucidatis, dicente Vezirio, ſibi non eſſe panem pro canibus.

Neoſolium amiſſum.

Partitis inde agminibus, alii Hungariam populati, alii in Moraviam effuſi, cultiſſimam provinciam, 14000 in diram ſervitutem abductis, ſolitudinem fecerunt: alii Vivarinum oppugnabant, ortaque in urbe ſeditione militum, deditionem depoſcentium, expugnarunt.

Graviter perculit tam muniti loci jactura, quibus Chriſtiana res curæ erat. Acerbe laceratus Aulæ Viennenſis tepor, Legiones velut alta pace alio mittentis: Miniſtrorum genius, qui grandia bella cum potentiſſimo hoſte ſuſcipienda ſuadeant, nec tamen neceſſaria provideant. Quaſi vero cum ſex millibus adverſus centum & ultra millia bellum adminiſtrari queat. At facilius erat conviciari, quam opitulari.

Et aliæ multæ urbes.

Eodem poſt Vivarinum captum impetu Nitria, Leva, Novogradum, aliæque urbes arcesque occupatæ, Turcis immani barbarie populationem & provinciarum vaſtationem circumferentibus, ut adeo quidam ex Hungaris, jugum ſubire & Sultano tributum pendere cogitarent. (1663.)

Superioris anni languor intendit utcunque fervorem ſequentis. In comitiis Ratisbonenſibus triplum Romani menſis decretum, in ſubſidium belli Turcici. Octo Equitum, quadraginta peditum millia hoc juxta computum Imperii conficiebat. Sed ſtatim multorum

torum ortæ querelæ, nimium ſe prægravari, temperandam prius pro ratione facultatum matriculam. Ardua magis hæc erat poſtulatio, quam ut ea tempeſtate perfici poſſet. Satius viſum Cæſari connivere, ut vix tertia pars fuerit exhibita.

Neque tamen illa etiam Cæſaris voluntati permiſſa, ſed lecti Duces, qui Imperii auſpiciis copias ducerent. Rhenani maxime fœderis Principes conſilium hoc urgebant, Gravello Franciæ legato annitente, ne Cæſari libera eſſet poteſtas utendi Imperii auxiliis. Ea tamen fuit Ludovici XIV. magnanimitas, ut Duce *Collignio* ſex Gallorum millia, ex Italia, quo adverſus Pontificem miſſa fuerant, ob violatum, ut credebat, Legatum, in Hungariam adverſus Turcas melioribus auſpiciis dimitteret. Lud. XIV. 6000. mittit Colignio Duce.

Decem millia Pontifex coegerat, illaque, cum Franciæ Rege conciliatus, in ſacri belli ſubſidium deſtinaverat. Sed cum tempore convento nemo Cæſareorum Romæ aut Anconæ eſſet, qui eas ſuppetias exciperet, Itali omnes miſſione donati ſunt. Grandi tamen ære Pontifex rei Chriſtianæ ſubvenit, data etiam poteſtate, ex Eccleſiarum fundis amplam pecuniam colligendi. Eo liberalitatis exemplo excitati Italiæ Reguli varia ſubſidia contulere. Subſidia Pontificia.

Media hyeme Zrinius expeditionem ſuſcepit in Turcas, quam ſummis alii laudibus; vituperiis alii, præſertim Montecuculus, Gonzaga, Suſa, & peritiores belli Duces exceperunt. Obſcuriora non pauca oppida intercepit, aut flammis delevit, Eſſekinum pontem exuſſit. Quinque Eccleſiis primum, dein ipſi etiam Caniſiæ oppugnationem admovit. Sed grandibus ſumptibus impenſis, terris vaſtatis, ad rei ſummam vix aliquid effecit. Zrinii expeditio.

Suſa vero majori cum emolumento ſuſcepta expeditione, Nitriam primo expugnat; victis dein ad Cſernicium acie Turcis, duo eorum millia cecidit. Victoriæ fructus Leva fuit, deditione accepta. Mox tamen rurſus ventum ad manus. Suſa Ordines obequitans hortabatur, quam nuper pauci & debiles inchoaſſent victoriam, nunc aucti firmatique abſolverent: framearum fulgore, & incondito barbarorum clamore ne percellantur: hoſtium quidem plures eſſe, ſed Tartaros, Moldavos, Valachos, coactum militem, numerum duntaxat facere. Perferrent fortiter primum impetum; tum vero confertis ordinibus ſtrenue ſigna inferrent. Pugna ad Levam felix.

Septem ſolummodo noſtrorum millia erant, Turcarum viginti. Dextrum cornu Valachis & Spahiis attributum, Moldavis & Tartaris ſiniſtrum: Janitſari in medio ſtabant. Anceps diu erat prælium, noſtrique victis propiores, cum Ducum virtute reſtituta

acies barbaros in fugam conjecit, cæſis eorum, ut fertur, octo millibus.

Strozzius quoque ad Muram tria Turcarum millia internecione delevit. Sed parta victoria ſubita glande petitus victor occubuit, triſti ſilentio caſtrorum communis velut omnium pater deploratus.

Expugnato dein Neozrinio Vezirius, multitudini ſuæ confiſus, decretoriæ pugnæ fortunam committere ſtatuit. Nec abnuit Montecuculus. Quapropter ad San-Gothardum congreſſus eſt uterque exercitus.

Turcarum copias, 60000 æſtimatas, ducebant, præter Vezirium Imperatorem, Damaſci, Aleppi, Armeniæ, Bosniæ, Prætores. Noſtrorum haud plures 30000 erant, ex variis nationibus collecti. Univerſo exercitui præerat *Montecuculus:* equitatui Adolphus Sulzbacenſis: peditatui Cæſareo Sabaudus Marchio Pio: Imperialibus copiis Leopoldus Marchio Badenſis, cui Legatus Comes Waldeccius, &c.

Wagn. Initio Imperiales Tyrones, qui ad eam diem Turcicum acinacem non viderant, terrore perculſi, ſolvere ordines, fugam circumſpicere, arma abjicere, in genua procumbere, ſupplicum geſtu manibus elevatis vitam deprecari. Plerisque, quo erant habitu, in genua provolutis, demeſſa capita. Submiſſis mox a Montecuculo veteranis ſubſidiis, repreſſoque hoſtium impetu, reſtituta acies.

Sant-Gothardana victoria. Sex horis acerrime dimicatum: cum pactis velut induciis utrinque reſpiratum tantiſper. Tum vero Montecuculus animato milite copias ſimul omnes in hoſtem duxit, tanta fortitudine irruentes, ut prima ſtatim impreſſione loco mota hoſtium acies, atque miſſilium pilarumque grandine in effuſam fugam ſit conjecta. 2000 Turcarum aquis hauſta: in ipſo campo 6000 interfecta. Alii 16000 occiſa tradunt. Signa 140 capta, cum ingenti præda.

Montecuculus *Generalis locum tenentis* dignitate ornatus. Badenſis, Waldeccius, Holachius, Colygnius cum ſuis Gallis, ſummis laudibus celebrati, atque a Cæſare aurato torque donati. Quo minus fugientibus inſiſteretur, grandes imbres, inundationes, defectus pulveris bellici, & annonæ obſtiterunt.

Articuli pacis. His aliquantum proviſi, cum de novo prælio cum Turcis conſerendo, ageretur, ſtupentibus nuntiatur, pacem per Renningerum cum Vezirio, illam petente, in pago *Vasvarino* eſſe compoſitam: & quidem in has leges: In 20 annos induciæ tenento.

Tranſyl-

Tranſylvania uterque miles deducitor. Antiquum Principis eligendi jus penes Ordines eſto. Zeckelhyda diruitor. Keminii atque Ragozii hæredibus, proprio vel alieno milite armatis, Tranſylvaniam ingredi nunquam fas eſto. Zatmarienſis, & Zabolcienſis, comitatus ſit penes Cæſarem. Loco Vivarini novum munimentum exſtruere Cæſari liceat. Nullus ad fines exercitus conſiſtat. Solenni legatione robur pactis & celebritas addatur. Dona utrinque, tantis Principibus digna, afferrentur. (1664.)

Cur pacem Vezirius feſtinaret, nemo mirabatur. Nam Germanorum virtutem expertus, totque præliis victus, verebatur, ne ſiniſtra ulteriori belli alea Sultani gratia excidat, amplum belli præmium ratus, quod Varadinum & Vivarinum retinere queat. Cauſæ properatæ pacis.

At vero, cur Cæſar victor inopinatam adeo pacem conceſſerit, magnæ vulgo admirationi erat. Vivarinum certe, quod e Viennæ mœnibus proſpicere propemodum liceat, in Turcarum manibus relinqui non debuiſſe. Verum illi, quibus notum erat, quot difficultatibus obnoxium hoc bellum fuerit, quot tædia Cæſari abſorbenda, quot querelæ ad eum delatæ, quanta Ratisbonæ tergiverſatio, quantæ exceptiones & oblocutiones, quæ ſpes in Tyrone milite, aut Gallicis copiis, quis Hungarorum in Cæſarem animus, quantæ tot inter Duces, pro arbitrio bellum gerere volentes, diſcordiæ & contentiones, quantæ commeatuum difficultates, quamque immania ærarii exhauſti onera, quibus, inquam, hæc erant perſpecta, non admodum videbatur mirum, quod Cæſar tot difficultatibus per honeſtam pacem ſe expediret.

Miſſus dein a Cæſare Conſtantinopolim Legatus Comes *Leslæus*, nobiliſſima in Scotia familia natus, ſed Religionis cauſa exul, comparatis in Styria ampliſſimis fundis, domicilium fixerat: toga ſagoque clarus, per 30 jam annos trium Imperatorum fidiſſimus Miniſter. Complures e prima Nobilitate ibant comites. Strigonii, Budæ, Belgradi, Adrianopoli, Conſtantinopoli magnis honoribus exceptus. Multi ab eo ſervitute redempti: commerciorum ratio inita: Jeſuitis, ne Præfectorum injuriis exagitentur, publicis litteris cautum: Franciſcanis ſacrorum Jeroſolymis locorum poſſeſſio, unde a 30 annis exacti fuerant, in integrum reſtituta. Turcici legati Viennæ multo alia erat vivendi ratio, cruda, avara, ſordida. Cæterum Sultanus Cæſarem *Imperatorem Germanorum* compellabat; nam *Romanum Imperatorem* ſe ipſum eſſe prætendit. Leslæus Cpolim.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

Hungariæ fertilitas, genius, querelæ. Hæresis fax turbarum. Protest. Intercessiones. Perfidia. Vesselenii artes seditiosæ. Ragozium & Nobilitatem ad rebellionem concitat. Zrinii, Nadasti, Frangipani, Tattenbachii in Leop. Cæsarem conjuratio. Detecta. Capti. Ultimo supplicio affecti.

56. Hung. fertilitas. Quod de Gallis dicitur, aut foris bella quærentibus, aut domi habentibus, id de Hungaris militari & acrioris indolis natione, spiritu armorum, cholerico sanguine, & generosa quadam ferocia ad inquieta & turbulenta quandoque consilia impellente, dici posset; præsertim cum incredibilis soli fœcunditas, in vina præstantissima, armenta boum, piscium abundantiam, altilium, ferarum, fructiferarum arborum luxuriem multo fertilissima, & quod consequi inde necesse est, victus levissimo parabilis, ingentem otiosorum hominum multitudinem, paratam semper miscendis regnis materiam, nutriat.

Indoles. Quippe miranda patriæ glebæ clementia quam abundantes earum rerum, quas natura profert, tam earum, quæ labore & artificiis parantur, inopes facit. Raræ artificum officinæ: præter vini, tritici, salis, pecorum nativa commercia, vix aliud negotiationis genus: nec egrediuntur, ut vendant, sed exspectant, donec veniant, qui emant. Agriculturam ipsam ignave, & per solos ferme Sclavos, quos servorum instar habent, exercere solent. In tanto autem desidiosorum hominum numero nihil pronius, quam ciendo turbas, rapinarum occasionem & impunitatem quærere.

Querelæ. Nec defuerunt Nobiles, qui spiritu elati, tumultuum authores multitudini se præberent, aut officio se præteritos indignati, aut aversione & odio in Domum Austriacam turgentes: ferendum non esse jugum dominationis exteræ, nec extra Regnum Regem quærendum. Barbaros velut & Scythas haberi Hungaros, quod in molles & voluptuarios aliorum mores immigrare nolint. Austriæ consiliis de capite & fortunis suis decerni: opulentissimas Præfecturas a Germanis occupari: præter leviora quædam munia nihil administrationis sibi concedi, nec præter obsequii & cæcæ servitutis gloriam quidquam esse reliquum: ferenda Reipublicæ onera, nec sentiri ejus commoda: exedi sibi medullam, ut exteri pinguescant.

Inso-

Insolens id genus murmur ambitiosorum & turbulentorum hominum calidioris sanguinis nationem facile in iras & conspirationes movere poterat: maxime, cum cuilibet comitatui fas sit, privatum in concilium coire, in quo tributorum, litium, Regiorum mandatorum ratio ineatur. Sit, qui in tanta loquendi libertate querelas ejusmodi publice proponat, aut injuria quapiam, seu vera seu ficta, se affectum lamentetur, jam ad vindictam accenduntur omnes, privatam etiam causam suam faciunt: velut in copiosa, & accendi facili materia, serpit flamma, conferuntur capita, jaciuntur conjurationum & seditionum fomites, exterorum etiam Austriæ hostium flabellis non raro in apertum incendium eventilati. Quibus si accedat insita pectoribus a Germanis, lingua, habitu, moribus tantopere discrepantibus, animorum aversio (cum alias usuvenire soleat, ut limitanei populi ac finibus proximi, animis longissime distent, atque conviciis se mutua dicacitate insectentur) cogitatu pronum est, in populo facile irritabili facile cieri turbas.

Sed inter tot seditionum incentiva, nullum tamen hæresi, face illa Regnorum, & formidanda imperantibus furia, potentius. Hæresis fax turbarum. Hæreses quippe omnes alieno natæ sunt sanguine: nec ullum Principem in solio suo securum relinquunt. Cum enim sacra magnam Reipublicæ partem constituant, nunquam illa sola convelluntur, sed in coronata etiam capita furor grassatur, ex ipsa hæresis indole, rebelli, turbulenta, sanguinaria, sua.

Ludovico jam Rege in Hungaria gliscere cœpit exitiale hoc malum. Primus Franciscus Perenius hospitium illi præbuisse fertur. Ingentibus deinceps sub Austriacis Regibus incrementis diffusum, in Transylvania maxime, quod alias memoravimus, sedem fixit, sectarum colluvie ad omnem fœditatem contaminata: Tibisci quoque in Hungaria tractu præ reliquis infecto, eo majori contagii pertinacia, quo major accolarum ruditas, morumque distorsio.

Hac usi Ministelli, ab stiva ferme & aratro ad Regnum illud animorum emergentes, feram illam ac prope barbaram Tibiscanam gentem fraudibus suis aptam nacti, turbulentis suis concionibus, magicis velut incantationibus adeo dementarunt, ut pro oraculis haberentur. Calvini asseclæ hi erant potissimum, cujus secta dominationis ferme impatientes facit, & nescio, quam majorem impietatem, audaciamque sanguinariam suis cultoribus inspirat. Anabaptistæ pauciores, & opificiis intenti, sunt quietiores.

Allaboratum equidem a Ferdinando I, ut Catholicissimum olim Regnum pristino Religionis nitori reddatur, sed, prout est

in

Proteſt. Principum interceſſiones.

in perniciem ſuam ingenioſa improbitas, imploratis Principum Proteſtantium interceſſionibus, eluſa prope ſunt pientiſſima Cæſarum conſilia; cum ea tunc eſſent tempora, quibus tribui haud parum oportebat iis, ſine quorum auxilio ægre ſtetiſſet res Auſtriaca. Certe vix ad bellum Turcicum aliquid contulerant, cum graviter inſtarent, ut Hungaris credendi libertas concedatur. Qua in re plus ſibi, quam Cæſari, poteſtatis eſſe volebant.

Ferro denique, quo prece aut pretio pervadere non poterant, extortis variis permiſſionibus, penetrarunt, templis occupatis, conſtitutis ſcholis, petere etiam auſi, ut ſeparatum a Catholicis ſtatum ipſi conſtituerent. Turcarum dein auxilium implorare, imperia contemnere, vicinos populos ad pervicaciæ ſocietatem invitare: opprimi libertatem, retento poſt bella in Hungaria Germano milite vociferantes.

Perfidia hæret.

Indigniſſime ſiquidem Acatholici ferebant, iis excubiis licentiæ ſuæ effuſæ frenum injici, neque tantum a ſe fieri poſſe, quantum hæreticus ſpiritus auſus fuerat. Verum hi ipſi conatus impii id effecerant, ne Cæſares faciles aures refractariis darent: præſertim ubi Leopoldus per Leslæum ex Budenſi Prætore, Chriſtianis parentibus olim nato, intellexit, infidos omnino Chriſtiano Cæſari eſſe Hungaros, ut a quorum nonnullis arces aliquot & præſidia Sultano ſint oblata, ſi in clientelam reciperentur. Promiſiſſe inſuper filios obſides miſſuros Budam: conſilium ab iis ſibi ſuggeſtum, ut montibus auriferis & tractu Neoſolienſi potiretur. In hac autem proditionum atrocitate privilegia nihilominus ſua jactabant, in perfidiæ videlicet inſtrumenta ea vertentes, quæ olim ob fidem erant conceſſa.

Veſſelenii artes.

Propius jam ad ipſas conjurationes adverſus Cæſarem Domumque Auſtriacam, quæ ex obtentis his cauſis deſcenderunt, accedendum. Turbarum præcipuus author fuit *Veſſelenius*, Hungariæ Palatinus, ſeu Prorex, homo ſimulandi & diſſimulandi artibus, calliditate, popularitate, omnibus acceptus, ſed clam Domui Auſtriacæ infenſiſſimus. Ejus inſtinctu oblatæ velut Ordinum nomine querelæ, quod inſciis Hungaris pax cum Turca eſſet inita; Sine Regni conſenſu tantum negotium confici non debuiſſe. Quæ autem hæc pax eſſet, per quam tanta ſpolia in hoſtium manibus eſſent relicta? Germanum militem ex Hungaria deducendum, ſibique regni cuſtodiam permittendam: niſi forte contra ſuam libertatem ea comparata eſſent militum præſidia.

Reſpon-

Reſponſum per Lobkovicium, ſupremum poſt Portiam Aulæ Cæſareæ Præfectum, manſuete. Non tamen acquievit Veſſelenius, cujus prima erat cura, Principes Regni familias in conſpirationem attrahere. *Ragoziani* nominis magna ex opum amplitudine apud Hungaros erat Authoritas. Surculus ſupererat unicus, *Franciſcus* ſub matris tutela: huic unicam Nicolai Zrinii filiam jungit, eumque ad ſeditionem concitat, ingerens, quo patre, quibus avis natus eſſet: num pateretur, a Germanis ſe velut captivum teneri? Hungariæ oculos in eum, velut liberatorem verti: eſſe opes novasque cum ſponſa ampliſſimas clientelas, quibus magna ad poſteritatis omnis memoriam poſſit agere. Aggreſſus dein Zrinium, Nicolai in venatione occiſi fratrem: utrumque verborum lenicinio in caſſes egit: adjectis Tibiſcanis Calvini aſſeclis, ad omnia audenda projectis. (1665.) Seditioſæ. Ragozium & alios Nobiles ad rebellionem concitat. Zrinius.

Zrinius igitur, Banni Croatiæ dignitate negata æger, cœptis inſiſtens, ſocios conquiſivit, quos ad rebellionem proniores exiſtimabat. Hos inter erat Comes *Nadaſtius*, pollens opibus & audacia, iratus Cæſari, quod, mortuo nuper Veſſelenio, quem primum conjurationis incentorem diximus, Palatini dignitatem, efflictim ambitam, non ſit conſecutus. Statuerat quippe Cæſar, eum Magiſtratum, nomine tuendi leges, Regibus gravem, antiquare. 57. Inſidiæ in Cæſarem præparatæ. Nadaſti.

Collatis conſiliis, ſtatuunt, Cæſari inſidias ſtruere, eumque, cum comitantibus paucis Nobilibus Schottviennam ad ſalutandam ſponſam, ex Hiſpaniis adventantem, diſſimulata perſona, alieno habitu eſſet excurſurus, per locatos in inſidiis Pottendorfenſi ex arce milites intercipere.

Saluti Leopoldo fuit, quod ante Schottvienna diſceſſerit, quam 500 ſclopetarii, quos inter arbuſta abdere conſtituerant, eſſent collecti. Latuit hoc ſcelus, donec conjurati poſtea, antequam de iis ſupplicium ſumptum, confeſſione ſua illud vulgaſſent: prout etiam, quod fontem aulicum, unde aqua in cibaria petebatur, veneno infeciſſent. (1666.)

Fruſtrato hoc ictu, non tamen finiit conjuratio, ſed machinatore Zrinio majora multa incrementa ſumpſit, adeo quidem, ut de bello Cæſari inferendo grandes apparatus fierent. Tentata Ragozii mater, quæ in arce Mongatſienſi ſe tenebat, quo mariti, Tranſylvaniæ olim Principis, ampliſſimas opes, vel juſto exercitui pares, congeſſerat. Dudum huc oculos verterant conjurati, unicum velut factionis nervum: ſtimulabantque Ragozium, quem jam Nova conjuratio.

ante in partes ſuas pertraxerant, ut hæreditatem paternam matri extorqueret. Jamque vi armata arci imminebant; cum mulier, fida Cæſari, diſponi tormenta in ſubeuntes jubet. Filio vero cordate denuntiat, ſpem omnem potiundæ hæreditatis ponat, donec conſpirationi nuntium mittat: nolle ſe eſſe proditoris matrem. Non tamen ille a turbulentis conſiliis pedem retraxit, ſed Tokainum, Germanorum præſidio occupatum, expugnare eſt conatus.

Ejus molimina. Frangipani. Creſcebat in dies factio, Miniſtrorum ſeditioſis concionibus ad arma excita. Sed multo maximum incrementum ex *Frangipanii* Comitis acceſſione accepit. Opes juveni nobiliſſimis natalibus orto, fundique in Croatia ad Dalmatiæ fines ampliſſimi. Nulla is injuria accepta, a Zrinio in eundem vorticem abreptus, Monachum Conſtantinopolim ablegat, quanta maxima poſſet auxilia a Turcis petiturum: atque, ubicunque poterat, rebellionis ſemina ſpargebat. (1667.)

Cæſar, allaturus publico jam malo remedium, comitia cogit. Sed irrita fuit oblata clementia, vanus labor: Ordinibus aperte clamantibus, niſi creato Palatino haberi non poſſe comitia: neque admittendos Germanos Præſides. Proteſtantes reſtitutionem fanorum, & libertatem religionis regerebant: moxque domum redierunt. Effectum proin nihil, niſi quod in plures ſit propagata rebellio, atque totum denique regnum pervaſerit.

Quin de induſtria Turcicis finibus cum Ragozio populationem intulerunt, ut irritati arma in Hungariam Turcæ convertant. Ut autem argentum pro milite parent, opulentiſſimos ex Catholicis diripiunt.

Tattenbach. Neque Germania immunis fuit a contagio. Eraſmus Comes *Tattenbachius*, amplis in Styria opibus fundisque locuples, atque in ſacratiori ibidem conſilio locum obtinens, Raveſteinii item comitatus in Franconia potens, eo væſaniæ devenit, ut, Cillejæ provinciæ ſpe oſtentata, in rebellionis ſocietatem a Zrinio ſe trahi ſit paſſus, ſacramento etiam fidem obligans.

Progreſſus conjurationis. Factione ſic roborata, miſſa rurſus legatio ad Turcas, promiſſum tributum annuum. Conſultatum in Divano. Petitæ a Vezirio Rakotianæ arces: promittunt. Sed cum illæ Germano defenderentur præſidio, ſicque promiſſis ſtare non poſſent, Vezirius rem totam Caſanovæ, Cæſareo legato aperuit, qui illico Viennam nuntiavit.

Nec tamen omiſſa a Cæſare leniora remedia, oblata ad obſequium redituris præteritorum venia. At incaſſum omnia. Conjuratio-

jurationis capitibus & Miniſtellis faces ſubdentibus, in omne nefas laxata audacia. Jamque 8000 equitum, & 4000 peditum, e Valachia, Moldavia, Tranſylvania, & Ragozii fundis collecta convenerant, pluresque in dies prædandi licentia aggregabat, cum Proceres propria authoritate Caſſoviæ comitia agunt, de belli ratione conſulturi. Miſſus Rothaldus ad disjiciendum hoc comitium: fas non eſſe absque Regis conſenſu comitia cogere. Quid eæ copiæ ſibi vellent? Reſponſum ferociter, patriæ cauſa ſe conveniſſe: nec pro pecudibus haberi ſe paſſuros. Copias ad limitum cuſtodiam ductum iri. (1668.)

Cum rebellio jam undique in apertum prorumperet, Divini factum providentia Numinis, Auſtriacam Familiam in Leopoldo Cæſare (præter bimum infirmumque in Hiſpania infantem) unico ſuperſtite conſervantis, ut periculoſiſſima conjuratio in tempore detegeretur.

Primus Tattenbachius, qui ultimus acceſſerat, in caſſes incidit. Habebat domi hominem rei conſcium. Hunc furti inſimulatum carceri dedit. Is aut vindictæ aut pœnæ vitandæ cauſa, ſeriem conjurationis aperit, productis binis commentariis, Tattenbachii manu ſcriptis. Willius, Urbanus Græcii Judex, re Viennam delata, & accepto inde mandato, conſilium ingreſſuro, ut gladium ponat, & cuſtodiam ſubeat, Cæſaris nomine mandat. Captivus in arcem ductus: excuſſa domus, arma pro 6000 hominum inventa. Rogatus, cui fini ſint deſtinata, ſine ambagibus cum gemitu execranda conſilia fatetur. Detecta.

Non minus liquida in Zrinium indicia in ſcriniis Tattenbachii exſtabant. Præterquam, quod palam in armis eſſet: frequens ejus palatium Turcis. Frangipanium quoque propriæ litteræ prodiderunt, ad Cſolnitium centurionem ſcriptæ, quas iſte, ſceleris immanitate cohorreſcens, protulit. Inter alia hæc verba erant inſerta: *multis Zrinius me evocat, ſtatuendo tempori, quo auſpicemur expeditionem. Ego ſane milite accinctus, jam nunc pileum Cydari Turcica mutare exſpecto impatiens. Volitabunt Germanorum capita, pœnasque diuturnæ tyrannidis dabunt. Hodie jaciendæ aleæ dies conſtituetur. Si vacaverit, Bosniæ Baſſam coram inviſam, digeſturus, quæ adhucdum ambigua.* (1669)

Cæſar iterum iterumque, litteris toto regno ſparſis, veniam offert omnibus, qui uti velint. At ſuperbe reſponſum, ab armis neminem diſceſſurum, niſi Germani tota Hungaria æternum arceantur: Calviniſtis cederentur templa: Huſſaris ſolvantur ſtipendia. Cæſar veniam offert.

 Deſpe-

Deſperata igitur ſaniore mente Spankavius cum ſex Germanorum millibus veteranæ militiæ adverſus octo Zriniana millia in Croatiam progreditur. Sed non opus erat multo certamine. Zriniani viribus diffiſi, ad Herberſteinium, Carloſtadii Gubernatorem plerique tranſeunt. Turcarum nemo comparuit, neque Croatarum, qui ſemper Auſtriacis Regibus fidi manſerant. Rakotianis ſatis negotii Sporckius cum altera exercitus parte faciebat.

Sed bellum reponunt.

Vincuntur.

Profligatus igitur, pene antequam in acie conſiſteret, Zrinius, arci invalidæ ſe incluſit cum Frangipane: ſed Spankavio arcem acriter verberante, deſperata defenſione noctu per averſam portam in fugam erumpunt, atque rerum omnium nudi per ſylvas errantes, quo ſe verterent, ignorabant. Viennam tandem recta petere, & rogata ſuppliciter venia ſe totos gratiæ clementiſſimi Cæſaris permittere decernunt. Sed male providi ad Kerium comitem ex via declinant, qui eos captos inter armatos Viennam deducit, ſuperum hominumque fidem nequidquam inclamantes.

Ragozio datur venia.

Eadem velocitate in ſuperiore Hungaria debellatum eſt a Sporckio, veteri ac multarum palmarum Duce contra Ragozium, qui, matre bene merita apud Cæſarem intercedente, in gratiam fuit receptus, traditis tamen omnibus ſuis arcibus, Mongatſino quoque ipſo, Cæſari, veniam vitamque ſolam precatus. Capitibus rebellionis fractis ſequebatur vulgus. Recepta paſſim in urbes & munimenta Germanorum præſidia: iis, quos male conſcius animus in deſperationem egerat, primo in Tranſylvaniam ad Abaffium, non obſcurum rebellium Patronum, dein vero, prohibente Turca, ne rebellibus aſylum præberet, in Moldaviam & Poloniam exulatum euntibus.

Muranum ſupererat, arx Veſſeleniæ gentis, ſitu inexpugnabilis, totius conjurationis officina, in qua & conſilia cudebantur, & litteraria monumenta aſſervabantur. Datum ejus expugnandæ negotium Carolo Lotharingo, rudimento hoc grandibus heroum facinoribus præluſuro. Inerat Veſſelenia, Palatini vidua, omnium mariti ſcelerum complex. Territa illa arcem, re omni bellica multo inſtructiſſimam Lotharingo tradit, ſeque Cæſaris clementiæ permittit. Reliquos rebellium nidos Heiſterus excuſſit.

58.
4. Comites capti.

Inventæ in arce Murana litteræ, totius conſpirationis indices, quibus maxime convictus *Nadaſtius:* exaratæ ejus manu epiſtolæ ad Ragozium, quibus Hungariæ coronam pollicebatur: ad Vezirium item, quibus auxilia urgebat. Cum Pottendorffii ſecurus ſui dormiret, ab Urſembeccio ſubito cum militibus irrumpente captus,

captus, Viennam in custodiam abductus est: Zrinius vero & Frangipanes Neostadium, proditi iisdem litteris alii quoque rebellionis complices, Töckelius, Petrocius, &c.

Indicta componendæ Hungariæ alia rursus comitia: sed agi pacate nil poterat. Audiebantur effusæ Protestantium voces: Religionis & regionis libertatem everti: judicium captorum comitum ad Ordines regni pertinere, bona eorundem arbitrio distribuenda. Quietam non fore Hungarium, dum Germanica præsidia superessent. In id videlicet Acatholici collaborabant, ut, subtracto fræno, pro libidine grassari, omniaque miscere queant. (1670) Comitia turbida.

Causam interea suam agebant capti comites. Sed difficilis erat defensio criminum, quæ propriis eorum litteris, confessione sociorum, & moto aperte bello erant manifesta. Annus tamen pene integer concessus. Consultæ Academiæ, Ingolstadiensis, Tubingensis, Lipsiensis, Spirense tribunal. Concessi reis Jureconsulti, quos vellent, causæ suæ patronos, non quod res esset dubia, sed ut obstruantur obtrectantium voces, opes captivorum præcipuum eorum crimen esse. Consultatio Academiarum.

Zrinius, conjurationes ignorari ratus, prolixum commentarium Cæsari obtulit. Hungaros indigna multa perpessos. Occupata regni præsidia Germano milite. Tributis exhaustam plebem, conculcatam nobilitatem. Negatos ad regem accessus. A ministris Viennensibus, odio nationis flagrantibus, alto supercilio contemptos rejectosque. Sumpta tandem, consumpta patientia, arma, non adversus Majestatem Regiam, sed regni legumque necessariam defensionem. Præterquam quod lege publica, jam inde ab Andrea illo Hierosolymitano lata, Hungaris concessum sit, etiam adversus ipsum Regem arma capessere, si leges aut privilegia nationis violatum eat. Turcas a se accitos pluraque alia negavit. Actio in reos.

At ubi Frangipanis confessione, productisque ab eo litteris, aliisque instrumentis, ac testibus se convictum vidit, longe alios vultus induere, confiteri, quæ inficiatus fuerat, ad solam clementiam appellare, Ministros aulæ, quos acerbe antea perstrinxerat, in commiserationem afflictæ fortunæ vocare. Tattenbachius quoque, non unam se mortem commeritum dicere, a Deo, Cæsare, Græcensi urbe, quam prodere decrevisset, veniam precari.

Nadastius contra negare omnia, imo jus sibi dici postulare. Verum, postquam suas ad Turcas & Ragozium litteras in manibus Judicum vidit, in gemitus effusus, non jam justitiam, sed mise-

misericordiam imploravit: quæque in vitam Cæsaris & Imperium designasset, distincte fatetur. Nec desistebant captorum uxores precibus ac lachrymis Cæsareum thronum pulsare. Pontifex ipse intercessit, pro Zrinio maxime & Nadastio, de re Christiana in Turcas æque ac sectarios optime meritis.

Et certe vix a Clementia sua obtinere poterat mitissimus Cæsar, ut mori eos juberet, qui Imperium vitamque ipsi eripere attentaverant. Sed urgebant cunctantem Imperii Principes, legatus Hispaniæ, Ministrorum fidissimi. Præposteram hanc clementiam Austriacæ ac Christianæ rei exitialem fore, tam atrocium scelerum impunitate audaciam armatum iri: feras magnas nec claustris mitescere, nec concludendas, ut emittantur. Quem Principum securum fore, si Majestatis crimina non vindicentur. Hæsurum captivitatis sensum, in exulceratis pectoribus, perenne irarum molitionumque irritamentum.

Sententia mortis.

Lata tandem mortis sententia, ut capite manuque dextra truncarentur. Bona fisco addicta. Atrociores multo sententiæ ab Academiis conceptæ. Nadastius ferale nuntium fortiter excepit: ex Nobilium albo deletus, senatu & provinciæ curia motus: confracta gentis insignia, erasi tituli: filiis, quos undecim numerabat, Dominorum de Cruce nomen inditum. Tum vero in lachrymas effusus, eripite, inquit, honores, famam, vitam: at liberis innocuis parcite. Facta supremum filios alloquendi copia uti noluit, ne sibi illisque dolorem intenderet. Nocte dein tota tractandis cum Deo animæ rebus insumpta, ad ferale pegma deductus, summa pietatis in Deum ejusque matrem atque fortitudinis laude securim excepit.

Idem supplicium eadem die Neostadii Zrinius & Frangipanes subierunt. Tristior huic nuntius mortis accidit, quod veniam adhuc speraret: ætati quid & judicii infirmitati condonandum ratus. Quas ad Colnitium dedisset litteras, juvenilis potius levitatis quam perduellionis reas. Fortior Zrinius fatalem sententiam excepit, positaque rerum humanarum cogitatione, totum se expiandis confessione peccatis, Deoque placando dedit. Idem factum a Frangipanio. Facta pridie mortis mutuo salutandi copia, neque enim se hactenus viderant, in genua provoluti, veniam mutuo rogarunt, Zrinio se authorem tantæ calamitatis profitente. Remissa dein dextræ abscissione, tristibus ceremoniis nobilitate exuti, in urbis armamentario carnificis manu capite plexi sunt, magna animi, in Deum erecti, constantia. Corpora in principe templo condita.

Supe-

Supererat Tattenbachius, cujus ſupplicium per ſemeſtre adhuc fuit dilatum, donec lis de Reinſteinenſi comitatu Brandeburgum inter & Brunſvicenſem finiretur. Mortis nuntium adeo molliter accepit, ut incondita vociferatione & informi geſtu mente motus videretur: quare humi ſe volutans laniatus potius eſt, quam obtruncatus. (1671.)

Atque hunc tandem vitæ exitum ſortiti ſunt quatuor viri, nobilitate, & opibus ampliſſimis primos inter ſpectandi, turbulentis conſiliis in eam calamitatum abyſſum præcipitati. Paternas opes pleraſque Cæſaris liberalitas Zrinii & Nadaſtii liberis conceſſit. Hujus vero arx Pottendorffiana Montecuculo donata. Zrinii filius in parentis prope miſeriam poſtea ſucceſſit.

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

Antiquata Palatini Dignitas. Prædicantium calumniæ & rebellio incentore Witniedio. Convicti. Majeſtatis damnati. Cæſaris Clementia. Eorum furor. Principum Proteſtantium querelæ. Cæſarea reſponſio. In apertum bellum prorumpunt Calviniſtæ. Inſurgit Töckelius. Electus rurſus Palatinus. 59.

Refectis licet Principum capitibus, non tamen triſtis hæc ſcena ſeditionum tragœdiæ finem impoſuit, ſed, uti ex Egmontii quondam Horniique cæde auctum Hiſpani nominis odium, firmatumque fœdus Batavicum, ita per Hungariam diffuſa rebellio: haud paucis triſtem telam pertexere laborantibus, grandi Chriſtianæ rei detrimento, quod civiles Hungariæ turbines in Turcica bella deſinere conſuerint. **Necdum quies.**

Publicata a Cæſare condonatio omnium, quæ in eam diem fuerant patrata. Rediere ad obſequium multi: aliis, quibus in turbido piſcari volupe, veniam periculoſam dicentibus, quod a Palatino, Magiſtratu ordinario non eſſet ſubſcripta.

Viennæ deliberatum, qua tandem ratione Hungariæ firma reddi poſſet quies. Decretum, penitus antiquandum Palatini officium: quis enim eſſet, qui non abuteretur, juſtisque Regum decretis, tribunitiæ inſtar illius poteſtatis, non intercederet, ejus loco nominandum Regni Gubernatorem, cui adjungendum e viris primariis conſilium, absque tamen poteſtate quid gravius decernendi **Antiquatum Palatini munus.**

nendi absque Regia authoritate. Novo muneri delectus Ambringenius Teutonici ordinis Magister. Sancita Regni sumptibus stata ac perpetua militia, quæ hyemem in præsidiis, æstatem sub tentoriis ageret, in omnem partem, qua scintilla erumperet, occursura. Sapiens consilium & Austriæ salutare, si constanter fuisset servatum. Quoties enim amota hæc armorum repagula, in priorem ferociam rediisse experientia docuit.

Sic, ubi Cæsar anno 1672. bello Batavico fuit implicitus, copiasque ex Hungaria abduxit, tumultuari mox rursus indigenæ, conjurare, accire Turcas, cum Abaffio & Transylvanis societatem pangere, Cæsarem ac Germanos diris omnibus devovere.

Prædicantium Calvin. rebellio.

Ad sectarios potissimum continuata hæc rebellio pertinuit: fax & instrumentum furoris Ministelli, maxime Calviniani, inquies semper & turbulenta natio: quæ non cessabat populum, præsertim Tibiscanum, erroribus suis involutum, ad seditiones & arma concitare. Id quod tum palam seditiosis concionibus faciebant, tum ex geminis epistolis *Witniedii*, nobili loco nati, & Catholicorum osoris acerrimi, constat.

Duce Witniedio.

Multum ejus vafritie usus est Nadastius, quod authoritate apud sectarios valeret. Post illius necem totum Regnum oberravit: Pastoribus, jam alias currentibus, addit calcaria: consilia cum Gallis & Turcis miscet, rebellionem ubique accendit.

Scripserat, quod dixi, geminam epistolam, alteram ad Nicolaum Bethlemum in Transylvaniam, qua significat, certum esse Hungaris, communes cum Transylvanis rationes habere, Turcis tributum pendere: Franciam subsidiorum spem facere: admonendos Transylvaniæ Ministros, ut ad corripienda arma plebem excitent: Evangelicum statum rite esse dispositum, Sopronienses & Kösegienses Ministros Trans-Danubiam Hungariam in procinctu tenere: Eperiesinum, Leutsoviam, Trenschinum, Arvam, Liptoviam, Turoczium, a locorum Superintendentibus mire obsequentes haberi: Papistas canes facile ad officium redigendos.

Continuata Ministellorum rebellio.

Altera, ad Kezerum Eperiesinum consulem data, scribit, cum Pastoribus rem ad amussim esse ordinatam: a Superintendentibus Ecclesias secreto armatas: fratres in Moravia, Silesia, Bohemia, Austria, cum Zolnensi Pastore consilia communicare: a Turaluckiensi tractu, Ministri opera, egregium peditatum submitti: Posonium cum liberis civitatibus optime esse comparatum animis, armisque: Pappæ, Jaurini, Vesprinii, Sopronii, opus a Pastoribus strenue urgeri. Eadem ex superiori Hungaria ab Evangelicis perscribi:

ſcribi: a Paſtoribus, ut in obſequio retineant plebem, rem verbo egregie geri: animandum pro concione populum, ſed circumſpecte, idque Religionis & Reipublicæ ſpecie.

Ex his interceptis a Cæſareis litteris ſane videas, ſeditionum faces ubique a ſectariorum Miniſtellis fuiſſe prælatas, ut videlicet more Apoſtolico Religionem propagarent. Et conſentiebant facta verborum petulantiæ. Vocatus in ſubſidium harum machinationum Turca: Budenſi Baſſæ 50000 aureorum promiſſa, ut ſacerdotes Catholicos quam plurimos interciperet. Cum autem pecunia barbaro non repræſentaretur, litteras, ut erant Miniſtrorum nominibus ac ſigillis ſignatæ, ad Comonæ Gubernatorem miſit. **Detegitur.**

Cæſar, ſeditione tot indiciis manifeſtisque documentis comperta, ſectariorum Miniſtellos in quæſtionem vocari voluit. Illi inficiari omnia: nil de Witniedo, nil de Turcis ſcire. At ſuismet litteris, ſociorum faſſione, factique evidentia convicti, a Proteſtantibus etiam Judicibus variorum criminum ſunt condemnati, rebellioni fovendæ auxilia a Turcis petiiſſe: Levam, Jaurinum, Veſprinum prodere iisdem meditatos: traditis in perfidiæ pignus ſacroſanctis hoſtiis, e Catholicorum templis furto ſubductis. Juramento in Catholicorum & Germanorum cædem ſe mutuo obſtrinxiſſe: ad exteros Cæſaris hoſtes velut legatos commeaſſe: plebem fidei ſacramento ſolutam ſeditioſis concionibus ad perduellionem incitaſſe: clandeſtina conventicula cum rebellibus de cædendis toto regno Germanis habita: infames libellos in Cæſarem ſparſos: pluribus in locis Magiſtratus abrogatos: carceribus effractis captivos liberatos. Milites ac Præfectos Regios ex inſidiis trucidatos: novem Catholicos ſacerdotes interfectos, alios Turcis venditos. Templa plurima per vim Catholicis erepta: alia ſacris vaſis confractis, diſcerptis imaginibus fœde vaſtata. Atque his tot criminibus perduellionis ac læſæ Majeſtatis reos, mortemque commeritos videri. **Rebellionis convicti.** **Et horrendorum criminum.**

Æquiſſimam hanc Judicum ſententiam multum lenivit Cæſar: nempe, Miniſtrorum, Paſtorumque nomine ſe abdicarent, nec ſcholas publicas aperirent, neque de Religione clam aut palam verba facerent: manu propria delicta fateantur, quod conſpirationis in Cæſarem convicti, veniam ab eodem petierint, & impetrarint, ut in Hungaria tuto vivere ſibi liceat. Huic clementiſſimæ ſententiæ 236 Miniſtelli nomina ſua ſubſcripſerunt: uti in Poſonienſi Archivo hodiedum exſtant. **Majeſtatis damnati.** **Cæſaris in reos confeſſos clementia.**

Refractariorum furor.

Refractarii vero, alii proſcripti, alii in carcerem conjecti, alii triremibus addicti. Horum 29 Tergeſtum miſſi. Templa, Catholicis erepta reſtitui juſſa. Uſurpata hæc eſſe, non uſucapta, cum toties a Catholicis ſint in Judicio repetita, & per vim mala fide retenta. (1674.)

Poſonienſes ſectarii templum ac Gymnaſium ædificabant. Nuntiavit novum opus Epiſcopus: inhibita a Cæſare fabrica: illa nihilominus abſolvitur. Cæſar Catholicos in poſſeſſionem mittit. Sectarii, campanæ ſonitu conglomerati, arma corripiunt, mandata Cæſaris diſcerpunt, omnia tumultibus implent. Verum a ſuperveniente Cæſareo milite exarmatus furor. Templum ac Gymnaſium Jeſuitis datum, pietatis & bonarum artium futura ſedes. Habito Tyrnaviæ judicio 30 Authores turbarum Majeſtatis rei, capitis damnati. Quam pœnam Cæſar mitigavit, injuncta multa pecuniaria. Similem armatam ſeditionem ſectariorum Spankavius Caſſoviæ compeſcuit.

Principum Proteſtantium querelæ.

Tot ſcelerum rebellionumque ſectarii luce palam cum eſſent rei, mirum profecto, Principes Regesque Proteſtantes eorum ſuſcepiſſe patrocinium: quos inter Suecus Aulæ Viennenſis crudelitatem, illatasque injurias acerbo ſcripto accuſavit adverſus Osnabrugenſem pacem actum videri.

Cæſarea reſponſio.

Reſponſum Oxenſtirnæ Legato, Cæſarem neque, quid in Suecia fiat, ſollicitum, neque res Hungariæ ad alium pertinere, neque de illis in pace Osnabrugenſi quidquam actum, cum nihil commune habeant cum Germaniæ negotiis. Propter Religionem nemini vim illatam: in perduelles legibus actum: nemini tamen propterea rationem redditurum, quam parum Rex Sueciæ, Angliæ, aut Batavorum Reſpublica Cæſaris referre arbitrentur, quid in ditionibus ſuis cum Catholicis agant.

Paradoxum.

Et ſane mirum, quod Proteſtantes in Suecia, Anglia, aliisque ſuis terris Catholicos ſacerdotes graviſſime ſint perſecuti, nemine Catholicorum ſe contra movente: quamprimum vero Cæſar aut alius Catholicus Princeps in rebelles ſectarios Regni ſui agit, mox capita & conſilia conferant, precibusque, etiam armatis, intercedant.

Nova Cæſaris indulgentia.

Saxonis, Brandeburgi, Luneburgicorum interventioni datum, ut abducti nuper Tergeſtum ad Triremes Miniſtelli libertati ac patriæ redderentur. Ut autem Proteſtantium legatis locus eſſet, quo ſacrorum cauſa Vienna excurrerent, data eſt temporaria facul-

facultas, ut Sopronii ſeu Oedenburgi in ædibus privatis duo Miniſtri ritus ſuos obirent.

Edito ſubin de reſtituendis, quæ a Proteſtantibus ablata fuerant, templis decreto, 20000 eorum e Tibiſcano tractu coorta, Eperieſinum, Sendream, Caſtoam, civium Acatholicorum proditione ceperunt. Sed Coppus, collectis 14000 armatorum, cæſis 800, reliquos in fugam conjecit. Receptoque Eperieſino, iterata clade eos affligit ad Caſſoviam. Animadverſum in rebelles & proditores, alii adacto per medium corpus palo hamato ſublati, ferreo alii unco ſuſpenſi. Nec tamen poſuit ferocia. Conglobati rurſus ter mille, direptis pagis atque dirum in modum afflictis Catholicis, in Turcicam ditionem, cum multis Calvinianorum familiis ſe receperunt. Atque ex eo aſylo perpetuis latrociniis regionem infeſtam habuerunt. Oppreſſa 4000, cæſis 800. e Töckelii cohorte. Plura alia commiſſa a Cæſareis ſecunda prælia: ſed, velut Lernæa illa hydra, reſectis capitibus alia ſuccreſcebant. Sed rebellio Calviniſtarum non quievit.

Cæſar, bello Gallico abſtractus, impoſito munitis locis præſidio, paucos in campum poterat educere. Rebelles vero, Parthorum more pugnantes, atque equorum velocitati, inſidiis, ſubitis procurſionibus confiſi, cum vis ingrueret, in Turcicum agrum, aut Tranſylvaniæ latibula refugi, nullo loco conſiſtebant. Atque hac ratione bellum volatile ad decimum usque annum produxerunt. Sed in apertum bellum erumpunt.

Anno 1676. viribus aucta crevit rebellio, & ſopita alicubi flamma, erumpebat alibi. Straſoldus, qui Spankavio, forti ac felici duci, curarum mole oppreſſo, ſucceſſerat, cladem a rebellibus accepit. Reddita illis a Bargozio, & Coppo, Ducibus Cæſareis. Vidiſſes pernicibus equis undique ſtricto acinace circumvolitare rebelles, atque cædibus, populatione, incendiis omnia complere: *Labanzios* ubique immani rabie perſequentes. *Labanzii* autem vocabantur, qui in civilibus bellis Regias partes ſunt ſecuti, cum contra rebelles *Curuzii* dicerentur. Labanzii & Curuzii.

Anno 1677 ſex millia Polonorum, a Bethunio conducta, Bohamo comite ductore, cum Tartaris & Tranſylvanis, rebellibus Hungaris venerunt auxilio, ut adeo 20000 ſub ſignis haberent. Schmidius Tribunus octo homines, fide accepta, in eorum caſtra ablegat, veniam & præmia Cæſaris nomine oblaturos. Accepti humaniter convivio omnes obtruncantur. Immanitas.

Schmidius, temere cum Bohamo prælio congreſſus, ex modico, quem habebat exercitu, plus 1500 amiſit. Quibus ſane

 calami-

calamitatibus factum, ut promptius Cæſar Neomagenſem pacem iniret.

Töckelius inſurgit.

Töckelius interea, qui nova e Tranſylvania ſupplementa recens adduxerat, totius exercitus Dux & Imperator a rebellibus proclamatur. Fuit Emericus Töckelius, de quo plura nobis deinceps memoranda veniunt, Nobilis Hungarus, animo vivaci & prompto ingenio. Parens ejus Nadaſtianæ conjurationi adhæſerat, eique continuandæ reliquum poſtea ætatis exegit. Emericus filius fuga in Poloniam ſe ſubduxit; indeque in Tranſylvaniam delatus, atque in Abaffii amicitiam receptus, copias ab eo ad perdendam patriam accepit.

Dux totius exercitus creatus, viginti facile millium exercitum circumducebat, atque arces complures expugnavit, tentato nequidquam Mongatſio. Eperieſinum cum Neoſolio civium Acatholicorum conſpiratione traditum recepit: adjunctoque ſibi, quem Bohamus ducebat, Polono milite, mira celeritate Hungariam percurrit: incolis lapſum velut cælo genium, & patriæ liberatorem ſalutantibus.

Auxit fiduciam hominis, armorumque ſecundos progreſſus, Cæſarei militis paucitas, & imperii militaris a Coppo, experto ac forti Duce, in Würmium primum, dein Leſslæum, felices minus Ductores, translatio. Cum igitur, abducto necdum a Rheno milite, tantæ multitudini ſe objicere non auderent Cæſarei, legatione ad Töckelium miſſa inducias offerunt.

Arrogans ejus reſponſio.

Reſpondit ille, ſe ſuosque in Cæſaris fore poteſtate, ſed ferri non poſſe, ut novi Magiſtratus legesque, abrogatis antiquis, patriæ obtrudantur; niſi Palatinus crearetur, libertas religionis & templa reſtituantur Proteſtantibus; & certum ſacerdotum genus (Jeſuitæ) regno pellantur, Rempublicam conſtitui non poſſe. Simul tamen eodem tempore cum Budenſi Baſſa conſilia contulere. Victi autem mox prælio a Würmio, inducias admiſerunt. Quas tamen Leſslæus ſucceſſor reſcidit. (1678.)

Ambringenius Gubernator Hung. obit.

Anno ſequenti gravis peſtilentia Hungariam afflixit, quæ tacitas velut inducias imperabat, & *Ambringenium Gubernatorem*, (inviſum Hungaris nomen) diſcedere coegit. Is, translato in Ludovicum, Ducem Neoburgicum, ſupremo Ordinis Teutonici Magiſterio, rebus præclare geſtis, haud multo poſt obiit, vaticinari auditus, fore, ut Cæſar, domita rebellione, totam Hungariam, alioquin ſuam, novo belli jure ſibi aſſereret.

Cum

Cum Turcæ magnos belli apparatus facerent, & palam etiam Hungarorum rebellionem foverent, Cæſar Comitia Sopronium indixit, ibique ad Ordines latina lingua facundam orationem habuit; atque, ut gentem placaret, Eſterhaſium regni Palatinum eligi indulſit. Duo maxime capita movebantur, alterum de Religione a Proteſtantibus, alterum de educendis ex Hungaria Germanicis copiis, ab omnibus.

Palatinus rurſus electus.

Miniſtros ſuos indigne habitos proſcriptosque querebantur ſectarii. Reſpondebant Catholici: Judicum, quorum dimidia pars ex Proteſtantibus delecta, æquiſſima ſententia fuiſſe condemnatos, non propter Religionem, ſed flagitia. Conjurationem nullam fuiſſe, nullas domi forisque turbas, quarum non auctores aut participes fuiſſent. Nullum crudelitatis, ſacrilegii, perfidiæ genus nimium ipſis videri, modo Catholica ſacra everſum eant.

Furor Prædicantium.

Tandem Cæſar liberum A. C. exercitium permiſit, atque ut Poſonii, ſingulisque comitatibus fanum pro eo ædificetur. Reliqua vero templa ea conditione, qua anno 1670 fuiſſent, relinqui voluit.

Reprehendebant Catholici hanc inexſpectatam Cæſaris indulgentiam, velut ea in re a Majorum ſuorum, Religione nihil antiquius habentium, inſtituto receſſiſſet Leopoldus. Querebantur, hoc pacto plus 70 fana, publico ære conſtruenda, ſectariis concedi: ægreque adduci poterant, ut ſubſcriberent.

Wagn.

Reducta per Cæſaris clementiam, varia indulgentis, ad concordiam videbatur Hungaria, cum Töckelius, ad Regnum adſpirans, omnia rurſus turbavit. Miſit ad eum Cæſar Legatum, ut amplis promiſſis pertinaciam frangeret. Simulat obſequium. Sed imbibita penitus Turcia, cum Budenſi Baſſa in Cæſaris perniciem conſpirat: ductaque juniore Ragozia, Montgatſinum, ſedem ſuam veluti regiam, ingreditur, eamque multo belli apparatu implet. Auget exercitum, Hungaris ad eum, præſertim Calviniſtis, magno numero confluentibus.

Töckelii perfidia & ambitio.

(1681.)



ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

Töckelii graſſatio. Velut Rex comitia celebrat. Hungariam Turcis prodit. Bellum Turcicum. Viennam obſidet Turca. Vincitur. Vezirius ſtrangulatus. Turcæ ſæpius cæſi. Amneſtia in Hungaria. Buda fruſtra obſidetur. Töckelius a Turcis in carcerem. Seraskierus relegatus. Buda tandem expugnata. Victoria ad Mohazium. Expeditio in Tranſylvaniam, & Sclavoniam. Hungaria Regnum hæreditarium: quod præſtat Electivo.

60. Ejus progreſſus. Anno 1682. dum Caprara, legatus Cæſaris, Conſtantinopolim miſſus, de induciis, in vicennium producendis, tractat, Töckelius cum Turcis, Tranſylvanis, Valachis, Moldavis, & rebellibus Hungaris, Zattmarinum, Caſſoviam, Onodium, Tokainum, Scepuſium, Leutſoviam, Zendream, aliasque urbes & arces occupat, ut adeo Cæſari in Hungaria parum admodum maneret reliquum, Germanis induciarum ſpe ſuſpenſis, & Reunionum cauſa, captaque Argentina attonitis. Enituit tamen *Coharii* virtus excellens & fides infracta. Is quippe, defenſo fortiter Fillekino, Baſſæ traditus, & ab hoc Töckelio donatus, nullis promiſſis, minis, ærumnis, carcerumque ſqualoribus ad defectionem permoveri poterat. Quin Töckelium proditorem patriæ, & Mahometanorum mancipium in os compellavit. Duobus poſt annis, capto a Cæſareis Pattakino, e profunda turri effoſſus, ad novam veluti vitam eſt renatus.

Coharii virtus.

Töckelius velut Rex Comitia celebrat. Töckelius interea, velut Hungariæ Rex Caſſoviæ Comitia habuit, Tranſylvano & Turcico legato ad utrumque latus aſſidentibus. Orationem ad Proceres rebelles habuit, de Religionum, legum, privilegiorum, libertatis excidio, de Germanorum crudelitate, Turcici Imperii ſuavitate. Applauditur; Sultano ſe regnumque dedunt: & adduntur deditionis pacta. Töckelius, e Bethlemiorum ſtirpe oriundus, ſit Princeps Hungariæ, Sultani tamen tributarius: ejus legati more Regio habendi: mortuo ſine hæredibus Töckelio, integrum ſit Hungaris, alium Principem ſibi deligere, talem tamen, qui Turcis non diſpliceat. De cætero ex captis Hungariæ locis Turca nihil retineat: & Hungaros ſuis legibus & moribus vivere permittat. Pax San-Gothardiana ſuo loco relinquatur.

Turcis Hung. tradit.

Cum

Cum igitur bellum evitari non posset, & Turcæ immanem copiarum multitudinem ex toto Imperio Ottomannico cogerent, Cæsar quoque, conquisitis undique fœderibus atque auxiliis, ad bellum se comparavit. Elector Bavariæ cum 12000, & cum totidem Saxo se affuturum promisit. Suevicus, Franconicus & Rhenani circuli magnos delectus habuerunt. Pontifex, Hispanus, Italiæ Reguli haud parum contulere. Summi insuper momenti erat novum fœdus, cum Joanne Sobieskio Rege Poloniæ ictum, vi cujus Cæsar 80000, Rex 40000 educeret.

Cæsar ad bellum se parat.

Mahometes IV. Sultanus pacis equidem quam belli erat amantior, quia tamen, a Janitsaris maxime (selecto peditatu Prætoriano) & Effendiis (sic Jureconsultos & litteratos appellant) insimulabatur, quod voluptates inter obtorpesceret, & *Kara Mustapha*, qui in Vezirii dignitate Chiuperlio successerat, bellum vehementer suadebat, in Divano illud, licet finitæ necdum essent induciæ, fuit decretum, Mufftio licet, ob violatas juratas inducias, Divinas iras intentante.

Turcæ bellum decernunt.

Equi proin cauda ad palatii fores pro more appensa, ultra 230000 Belgradum, indeque per Hungariam Viennam usque moverunt, non aliud tanta populorum mole dignum præmium rati. 14 Julii 1683 universus hostium exercitus Viennæ se circumfudit. Ad 12 usque Septembris tenuit obsidio, cruenta sane ac vehemens. Sed *Rudigerus Starembergius* cum valido præsidio strenue ac fortiter urbem defendit: Cæsare cum familia jam ante digresso.

Viennam obsident.

Jamque haud procul ab expugnatione urbs aberat, cum opportune Rex Poloniæ, adductis 15000 armatorum cum Lotharingo & Electoribus, Bavaro & Saxone, se conjunxit, atque Turcas aggressus, celeberrimam victoriam reportavit. (1683.)

Vincuntur.

Turcarum tum in obsidione Viennæ, tum in pugna 70000 occubuisse feruntur. Castra, omni opulentia plena, direpta. Quod Turcarum reliquum erat, pleno impetu in Hungariam fuga elapsum est. Victores insequi veriti, in ipsis hostium castris noctem ovantes exegerunt.

Capta 30000 Papilionum: Vezirii tentorium Regi Poloniæ obtigit, cum grandi Mahometis vexillo, & aureorum nummorum duobus millionibus. Præterea victoribus cesserunt 3000 tormenta bellica, Camelorum 5000, boum 10000, equi innumeri, supellectilis & annonæ vis ingens.

Præda.

Sultanus Belgradi tristem cladis nuntium accepit: majori terrore perculsus, cum intelligeret, suos iterum 9 Octobr. *ad Bar*

Iterum ad Barcanum cæsi.

canum

canum ingenti cæde proſtratos, multosque Danubio hauſtos: ut adeo ex 14000 Spahiis, & 12000 peditibus, non niſi 3000 evaſerint. Et hac ratione affatim vindicata eſt clades, quam pridie Poloni ad idem Barcanum acceperant.

Præmium victoriæ fuit *Strigonium*, ab exercitu Cæſareo-Polonico expugnatum. Tum vero in hyberna conceſſum, quæ, variis locis interceptis, ampliora ſibi fecerunt Dünewaldus & Heiſterus. Rex Poloniæ vero, poſtquam irrito conatu perduelles Hungaros conciliare cum Cæſare ſatagebat, in Poloniam glorioſus cum ſuis rediit, relicto in Germania perenni fortitudinis & beneficii monumento.

Vezirius ſtrangulatus. Kara Muſtapha Vezirius autem, qui plurimos crudeliter occiderat, & totum Occidentem ſub jugum mittendum credebat, Belgradi zonam e ſerico, a Sultano ſibi miſſam, collo inſeruit, & ſervorum opera ſe ſuffocavit. (1683.)

Anno ſequenti Veneti ad fœdus acceſſerunt, ea lege, ne bello ante abſiſteretur, quam Cæſar Hungariam, Poloni Caminiecum, Veneti Moream recepiſſent: nec pax fiat, niſi communi conſilio.

Amneſtia Hung. Nec parum res noſtras adjuvabat perduellium Hungarorum ad obſequium reductio; quippe Cæſar, indictis Poſonium comitiis, univerſalem amneſtiam, fundos, honores addixit omnibus, qui veniam peterent. Amplexi ſunt gratiam plerique, licet Töckelius, Turcarum & Tartarorum turbam ſecum trahens, vehementer obſiſteret.

Turcæ bis cæſi. Turcæ, magnopere licet fracti, impigre tamen bellum reparabant. 50000 in Poloniam, 20000 in Peloponeſum, 70000 in Hungariam deſtinantes. Sed a Cæſareis gemino prælio, altero ad Strigonium, ad Vaciam altero cæduntur.

Tum vero, ut tot tantisque victoriis dignum præmium referrent, Budam oppugnare decreverunt. Verum, prout expeditio prioris anni triſtiſſimum initium, jucundiſſimum autem finem habuit, ita poſterioris principia ſecundiſſima in calamitatem magnam, pro variante belli fortuna, deſiere. Ad Viennam conquaſſata Ottomannica ferocia: ad Budam Chriſtiani exercitus gloria impegit, dum eandem incaſſum oppugnavit, amiſſis viginti ferme hominum millibus.

Ad Budam impegit fortuna.

Felicius bellum in Sclavonia adminiſtravit Leslæus contra Baſſam Bosniæ, & Schulzius in ſuperiori Hungaria adverſus Töckelium & perduelles. (1684.)

Anno

Anno 1685 prospera magis fortuna usus est Christianus miles. Nam reportata insigni ad Strigonium victoria, capta sunt 11000 Papilionum, majores machinæ 25, signa militaria 50, omnisque generis ingens præda. Cæsa Turcarum 12000, partim in obsidione Strigoniensi, quam tentaverant, partim in prælio. **Cæsi Turcæ.**

Fructus victoriæ fuerunt, liberatum Strigonium, expugnatum *Vivarinum*, in quo præter alium bellicum apparatum ingentem inventæ sunt 98 machinæ. Maximilianus II validissimum hoc munimentum anno 1573 intra ambientes paludes construxerat, adversus Turcarum incursiones, quibus superiori bello cum Varadino relinqui debuit.

Seraskierus (sic appellatur Turcici exercitus Imperator, qui in absentia Vezirii copias ducit) ad Budam sparsi exercitus reliquias collegit: multis, qui primi in fugam se dederant, pro more trucidatis: & sibi rebusque suis diffisus pacem petiit, Töckelium captum tradere pollicitus. At Cæsarei illam in medio victoriarum cursu denegandam existimabant.

Töckelius a Turcis captus. Turcæ vero Töckelium, ceu belli infelicis facem, in vincula conjectum, Adrianopolim abduxerunt. Qua re commoti plures ex rebellibus Hungaris, ad obsequium reduces, *Cassoviam* Capraræ dediderunt: expugnato jam antea per Schulzium *Eperiesino*: pluribus aliis munitis locis cum Onodino & Zolnokino aut vi aut deditione occupatis: adacto pariter *Abaffio*, Transylvaniæ Principe, qui cum Turcis hactenus colluserat, ad tributi servitutem. **Urbes receptæ.**

Nec hyberna quieta erant. Nam Heislerus, Varadinensi & Temesvariensi Bassis, qui Christianos imparatos opprimere tentaverant, certamine victis, *Aradinum*, grandi præda locuples, intercepit.

Nec minus felices erant Herbersteinius, qui cum Croatis, fida Cæsari gente, complura oppida cepit, & Leslæus, qui Essekino ponte exusto, Turcisque certamine victis, magna præda Essekini potitus est. Seraskierius vero ob rem male ad Strigonium gestam, capitis primum damnatus est; tum autem, quia biennio ante Budam strenue defenderat, vita donata, ad insulam deportatus. **Seraskierius relegatus.**

Anno 1686 Lotharingus Oeniponto, quo, tradito Capraræ imperio, excurrerat, redux, de futura expeditione cum Cæsare contulit. Visum, expugnationem Budæ, ante biennium frustra tentatam, esse suscipiendam. Conquisita igitur a Germaniæ Principibus auxilia. Venerunt cum lectissimo milite Elector Ba-

variæ, Brandeburgici ſub Schöningio, Luneburgici, Haſſi, Svevi, Francones. Luſtrato exercitu cenſa ſunt Cæſareorum & ſociorum octoginta ferme millia, non numeratis Hungarorum & Croatarum viginti millibus. Scherffembergio, Piccolomineo, & Veterano decreta 12000 ad redigendam in ordinem Tranſylvaniam: Caraffæ & Heislero 10000 ad præſidium ſuperioris Hungariæ: Schulzio 7000 ad rem agendam in Sclavonia. Reliquus exercitus ſub Lotharingo & Bavariæ Electore ad *Budam* ductus.

Buda expugnata.

Dictu incredibile, quantæ molis fuerit ſcopuli iſtius expugnatio: quanta fortitudine a 12000 Turcarum defenſus, atque a Cæſareis expugnatus: quanto utrinque ſanguine ſteterit: quot cuniculis, tormentis, eruptionibus actum: quoties aſſultum, quoties vis repreſſa.

Accurrebat cum 60000 exercitu Vezirius, ut urbem obſidione liberet. Ter caſtra Cæſarea invaſit, ter grandi cum ſuorum ſtrage rejectus eſt. Tandemque poſt bimeſtrem acerrimam oppugnationem cruento aſſultu capta eſt, præſidiariis prope omnibus cum Gubernatore conciſis.

Cum Segedino.

Appendix Budæ *Segedinum* fuit, a Valiſſio deditione acceptum, poſtquam Veteranus gemino certamine Turcas fregit; & Quinque Eccleſiæ, cum Sicloſio, & Capoſvarino, a Ludovico Badenſi occupatæ.

Fœcundior adhuc erat anni 1687 expeditio. Quippe, caſtigata per Caraffam Hungarorum nova conjuratione, quam Töckelius, a Turcis in hunc finem liber dimiſſus, denuo excitaverat, & proditione Finkiana Budenſis civitatis per Chriſtianum adoleſcentem, apud Turcas ſervientem, feliciter detecta, Lotharingus cum Maximiliano Bavariæ Electore præclaram de Turcis ad *Mohazium* victoriam retulit, geminis eorum caſtris expugnatis.

Victoria ad Mohazium.

Vezirius, qui nuper minabatur, ſe Chriſtianos canum inſtar abacturum, horum morſibus ita eſt laceratus, ut tum in pugna, tum fuga, tum rupto Dravi ponte, viginti ſuorum millia amiſſa doleret. A liberata Vienna nulla hac victoria clarior. Præda ingens relicta, tormenta variæ formæ 80, alia ſpolia ultra quinque milliones æſtimata. Vezirii papilio, cum tabulario, & ærario caſtrenſi, Electori, qui pars magna fuit victoriæ, obtigit. Id unum ad gloriæ faſtigium defuit, quod Turcæ nunquam aut ignavius aut imperitius pugnarint, dum Janitſari & Spahii ne primum quidem noſtrorum ferrent impetum.

Ut

Ut Lotharingus amplum victoriæ, Turcis timore & viribus fractis, fructum legeret, Sclavoniæ provincia Dünewaldo decreta, arduam expeditionem in Transylvaniam, Turcis hactenus vectigalem, magisque, quam Christianos decet, animo manibusque inhærentem, suscepit: ubi ad Tibiscum perventum, Protestantes progredi ultra recusabant, piaculum rati, si in fratres suos irent. Relicti igitur in Hungaria, Veteranii agmine Cæsareo exercitui adlecto. Expeditio in Transylvaniam,

Cum copiæ Transylvaniam fuerant ingressæ, veniunt obviam Abaffii & Ordinum legati, aurum quidem polliciti, sed urbium præsidia, & stativa suo in agro deprecantes. At ubi vim admoveri senserunt, conditionibus, quas supra recensuimus, se dediderunt, admisso præsidiario milite cum stativis, ingenti certe Hungariæ levamento; pars tamen exercitus Tockainum, Zattmariam, & Debrezinum, tunc temporis pagum, decem domorum millibus frequentem, in hyberna concessit. Lotharingus vero tot tantisque rebus gestis Oenipontum rediit.

Non minori felicitate in altero Danubii littore fines protulit *Dünewaldus*. Siquidem post Mohaziensem cladem tantus barbaros terror invaserat, ut *Essekium*, urbem ad Danubii & Dravi confluentes, munitam, Sclavoniæ principem, Belgradi & Sirmii clavem, 161 annis possessam, Turcæ desererent, absque ulla vi admota, imo ne quidem ullo præsente hoste. Reperta in ea 50 tormenta ænea, annona pro 10000 sufficiens. Et Sclavoniam felix.

Secutæ mox sunt *Petrovaradinum*, *Carlovicium*, *Illokia*, ac denique etiam *Possega*, cum tota Sclavonia (excepta Gradisca) unius mensis intervallo: ut adeo unius victoriæ fructus fuerint duæ amplæ provinciæ, longissimo inter se tractu distantes, Cæsari assertæ, una cum *Agria*, longæ obsidionis fame debellata. 4000 Turcarum Temesiam migrarunt. 600 Christiana Religione initiati. Nihilque ex Hungaria reliquum mansit barbaris, præter Varadinum & Temesvarinum. Hungaria hæreditaria.

Magna hæc erant Domus Austriacæ incrementa, sed stabiliorem multoque amplissimum ex tot victoriis fructum inde est consecuta, quod Hungariæ Regnum, per electionem ad Austriacos hactenus delatum, in hæreditarium stabili lege transierit, Josepho Archiduce, Leopoldi Cæsaris filio per solennem inaugurationem hæreditatem amplissimam adeunte: atque hoc pacto Regnum ad primævam suam naturam rediit. *Wagnerus.*

Quippe regnum iſtud a prima ſua inſtitutione per hæreditariam ſucceſſionem ad proximos ſemper decedentis conſanguineos fuit devolutum, donec Mathias Corvinus novo exemplo fuit electus, Ordinibus liberæ electionis jus deinceps ſibi arrogantibus.

Hæreditarium regnum præſtat electivo.

At vero anno 1687, cum Leopoldus Cæſar Hungariam victricibus armis e barbarorum manibus eripuiſſet, Poſonienſibus in Comitiis Strattemannus, Cæſaris Cancellarius, facundam ea de re ad Ordines orationem habuit, naſcique Regem, quam eligi ad ſalutem Reipublicæ præſtare perſuaſit.

Tum enim felicia eſſe regna, cum ſupremi eorum moderatores Rempublicam non vaga duntaxat & fluctuante poſſeſſione velut rem alienam, ſibi commodatam & creditam ad tempus, ſed certo & ſtabili patrimonio, tanquam rem ſuam ad poſteros transmittendam intuentur; inde etenim conſequi, quod ſtudio intentiore ſtabilem ejusdem felicitatem conſectentur, ſubditos tanquam filios ſincerius teneriusque ament, eorumque commoda, ceu propria, porrecta in omnem partem paterna ſollicitudine, contra adverſos incurſus tueantur protegantque.

Conſtantius etiam, procul habitis factionibus, ambitu, privatisque affectibus, quæ regna illa ambulantia non raro verſant, regnatricem diligi a civibus familiam; atque hoc pacto mutuo nexu colligatos Imperantem & populum certare officiis, illum beneficiis & mandati ſuavitate, iſtum obſequio: amore & publici boni ſtudio utrique.

Hoc & rei natura & experientia adeo perſuaſum gentibus, ut florentia magis per orbem terrarum regna nativos Reges, quorum Majeſtatem vel in cunis jam adorarunt, adſcititiis, & poſt noxia ſæpe atque turbulenta interregna per empta, aut extorta ſuffragia evectis, præferendos putarint.

Idem inclitæ Hungarorum nationi jam inde a condito per Divum Stephanum regno ſanctum fuiſſe: injuria dein temporum interruptum, barbaris gentibus aperuiſſe januam, & decumanis patriam calamitatibus oppleſſe.

Jam vero ſi bene de Hungaria, ſibi reſtituta, meritam, ſi potentem, ſi ſuavi imperio gubernantem familiam cupiant, quam aliam mallent hæreditariam præ Auſtriaca, præque Leopoldo, ejusque filio natu maximo Joſepho? Nullam prope munitam eſſe urbem, quam ille de barbarorum manibus non vindicarit; ut adeo, licet ex Annæ Reginæ ſanguine non eſſet prognatus, jure belli ſuum poſſet regnum dicere. Nolle autem hoc uti nomine, ſed hæredi-

reditarii regni declarationem liberis Ordinum voluntatibus deferre.

His dictis datum deliberationi ſpatium. Pauculi quidam ex Proteſtantibus, quibus Auſtriaca pietas ſudes in oculis, repugnare auſi, miro cæterorum omnium conſenſu obruti conticuerunt. Conditumque decretum hujus ſententiæ. *In perpetuam porro recolendorum beneficiorum tantorum memoriam Regni Status declarant, quod in poſterum neminem alium, quam S. Majeſtatis propriis ex lumbis deſcendentium maſculorum hæredum primogenitum in perpetuum, id ipſum etiam ſtatuentibus articulo V. anni 1547. aliisque ſuperinde extantibus, pro legitimo ſuo Rege & Domino ſint habituri.* Idque in caſum deficientis prolis maſculæ ad Hiſpani etiam Regis natu maximum extenderunt.

Statuum hac de re Decretum.

Wagn.

Poſtmodum anno 1723. cum extincta jam Hiſpanica propagine, Carolus VI. timeretur absque prole maſcula deceſſurus, in publicis Regni comitiis ſtatutum, ut Hungariæ regnum Domui Auſtriacæ abſolute eſſet hæreditarium, poſt emortuos maſculos ad fœminei ſexus Archiduces devolvendum.

Etiam ad fœminas devolvendum.

Abrogatum quoque in comitiis anni 1687. (in quibus hæreditariam regni ſucceſſionem ſtabilitam diximus) Andreæ II. Regis decretum, quo conceſſa fuerat Hungaris facultas, reſiſtendi & contradicendi Regi, ſi leges violaret. Facile enim advertebant Ordines, quam periculoſum telum turbulentis hominibus daretur in manus, regnumque cum Majeſtatis contemptu, pro libidine miſcendi occaſio, violatarum legum obtentu, ſi multitudini cenſoria & judiciaria in Regem ipſum detur poteſtas, nemo tamen unquam perduellionis poſtulari, aut puniri queat.

His rebus ita compoſitis, Joſephus Archidux anno ætatis nono ſolitis ritibus hæreditarius Hungariæ Rex eſt inauguratus.



ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

Constantinopolitanæ turbæ. Sultanus depositus. Captum Mongazinum, Belgradum, Sigethum. Bellum Gallicum. Badensis belli in Hungaria Imperator. Salankemensem victoriam & tres alias reportat. Dünewaldi fatum. Pax Turcis improvide negata. Res retrolapsæ. Belgradum ad Turcas. Languentium expeditio. Turcæ pacem respuunt. Badensi succedit Croyus, huic Caprara, huic Augustus Elector Saxoniæ, huic Eugenius. Veteranius in Transylvania cæsus. Eugenii victoria ad Zentham. Pacificatio. Fructus belli.

61. Turbæ Cpolitanæ. Triumphis Vienna exultante, cædibus ac seditionibus mistum est Byzantium. Strangulantur Vezirius & urbis Præfectus. Mahometes IV. Sultanus, postquam 46 annos Imperio præfuerat, a furenti milite depositus in carcerem mittitur; Solymannus ejus frater e carcere ad solium evehitur. Sed necdum posuit seditio. Janitsari Spahiique velut lymphati arma, rapinas, cædes per captam veluti urbem circumferunt. Immanem pecuniæ summam exigunt, quam ærarium, bellis exhaustum, sufficere non poterat. Novus Vezirius cum aliis Proceribus frustatim dissecatur. Hanc pœnam dedit proditor Sultani, qui seditionis auctor fuerat. Placari non poterat rabies, nisi producto Mahometis, quod Divinitus ipsi datum existimant, vexillo, atque ad palatii fores a Muftio suspenso. Duo tamen adhuc interempti Vezirii, quibus Mustapha successit. (anno 1688.)

Mongazinum captum. Quamvis autem turbæ istæ Byzantinæ opportunam rem bene gerendi occasionem suppeditarent, languidius tamen a Polonis & Moscis bellum administrabatur: Veneti autem in obsidione Corynthi militem & pecuniam frustra consumpserunt. At vero Cæsarei occasione utendum rati, rigente hyeme arcem *Mongatsinam* receperunt. Francisco, Ragozii filio, Cæsar factus tutor. Töckelii bona in fiscum redacta. Capta subin a Caprara *Alba Regali*; & a Caraffa *Lipa*; consultatum est, an Temesia, an vero Belgradum expeditionis fructus statueretur; posterius placuit, ut via in Turciam, Epirum & Macedoniam aperiretur. Certe in tanta Imperii Ottomannici perturbatione ex Europa submoveri potuisse

Turcas eſt creditum, niſi lentus copiarum adventus, annonæ & vecturarum defectus ulteriores progreſſus inhibuiſſent.

Lotharingus febri detinebatur. Igitur Maximilianus Emmanuel Bavariæ Elector ſupremus belli Imperator, trajecto ſumma arte & fortitudine Savo, *Belgradum* oppugnat, tantaque virtute & conſtantia operi inſtat, ut breve intra tempus celeberrimum hoc monumentum ac Turciæ clavem magnanima irruptione ceperit. Et Belgradum.

Acceſſit deditio *Sigethi*, aliorumque locorum munitorum, quæ fame potiſſimum expugnabantur. Ulteriusque progreſſura fuiſſet victoria, niſi & annonæ curruumque inopia, & ortus ad Rhenum bellicus turbo ſpes noſtras evertiſſent. Cum Sigetho.

Orto quippe bello Gallico, Lotharingum cum magna copiarum parte ex Hungaria Serviaque recedere oportuit, *Ludovico Badenſi* ad bellum Turcicum relicto. Is, licet in toto exercitu non plures quam viginti quinque millia haberet, hoſtem nihilominus, quamvis numero multum prævalentem, trino prælio fudit, ad *Moravam* primum equeſtri certamine, dein ad *Patoſſinum;* ad *Niſſam* denique, cum 40000 hoſti eſſent, noſtris vero tantum 16000, celeberrimam reportavit victoriam, *Niſſa* mox in præmium cedente, ſtrangulatus Vezirius, quod prælio abeſſet. Suffectus Cuproglius. Niſſæ deditionem ſecuta eſt *Orſovæ* & *Vidini* expugnatio, multa cum Turcarum cæde. Perfracta Boſsniæ clauſtra, Raſciani & Epirotæ, ob copiarum paucitatem, in legiones lecti; *Caniſa* tandem debellata. (anno 1689.) Bello Gallico exorto, Lud. Badenſis Dux ſupremus. Tres ejus victoriæ. Niſſa, Orſova, Vidinum captæ.

Turcæ, tot cladibus afflicti, altera jam vice, quod ab ortu Ottomannici Imperii inauditum, pacem flagitant, & quidem ex formula *uti poſſidetis:* id ſolum rogantes, ut Belgradum Temeſia permutetur. Sed prout anno 1630. continuata Ferdinandi II. felicitas pacis conſilia interrupit, ita hoc quoque tempore relatæ a modico exercitu victoriæ ſpes ampliores ſuggerebant. Turcæ iterum pacem petunt.

Sed fuit, quod pœniteret. Nam imprimis *Straſſeri* temeritate magna clades accepta, erectique Turcarum animi. Töckelius dein, cum viginti Turcarum & Tartarorum millibus in Tranſylvaniam irrumpens, Heislerum profligavit. Ejectus quidem inde a Badenſi, ſed interim, armis in Tranſylvaniam & ſuperiorem Hungariam, ære vero in bellum Gallicum & comitia Auguſtana averſis, Vidinum, Orſova, Niſſa, imo & Belgradum ad Turcas redierunt. Quippe, cum noſtræ copiæ morbis & ſecundis etiam præliis adeo eſſent acciſæ, ut princeps exercitus vix decem millia Male negatam. Nam res retro lapſæ.

Ingens Turcarum exercitus. millia expleret, Mustapha Cuproglius, novus Vezirius, vir sagax & industrius, negata a Cæsareis pace, ingentem ex Asia, Ægypto, & Turcia Europea exercitum collegit, eumque, contra morem Turcarum, in tres partes divisit, quarum primam ipse in Serviam ducebat: alteram Töckelius in Transylvaniam, & superiorem Hungariam, tertiam Seraskierius cum instructissima classe ducebat, ut hac ratione Christianus exercitus, quem ad manipulum quodammodo redactum noverant, in totidem partes divisus resistendo impar esset.

Belgradum perit. Ita enimvero evenit. Hinc tantæ acceptæ clades. Quamvis casus Belgradi maxima ex parte casui aut proditioni debebatur. Nam quo die Croyus Aspremontio Gubernator urbis successerat, pluribus locis in pulveraria conditoria ignis illapsus totam vix non urbem evertit, ædiumque ac murorum ruinis tot milites oppressit, ut ex quinque præsidiariorum millibus vix quingenti superessent, qui, qua cuique patebat via, diffugerunt: tantusque metus fuerat diffusus, ut etiam Viennæ trepidaretur. Leopoldo Cæsari non tam urbis, licet summi esset momenti, jactura doluit, quam *Veterani*, Turcarum hactenus toties victoris, & Hungariæ liberatoris militis. Aspremontius in suspicionem tractus, quod dolore amissi imperii ignes injecerit. Absolutus tamen Viennæ ab ea ignominia.

Hunc exitum habuit annus 1690. quam disparem a superiorum annorum fortuna! *Sed quid aliud exspectandum ab exercitu* Wagn. *tenui, suisque sine nervis flaccido*, interrogat Wagnerus, *ærario per voracissimas Augustæ solennitates in eam penuriam redacto, ut nec Strasserianus ille hiatus expleri, nec tempestivis supplementis refici legiones, neque Buda, Essekinum, Belgradum paulum communiri possent.*

Felicior Venetis fuit expeditio, nam navali prælio victores, *Naupliam*, Peloponesi civitatem principem, expugnarunt. Tartari vero Poloniam crudeliter sunt populati, & injectis Camenecio commeatibus obsidionem difficilem fecerunt.

62. Plus Christiano orbi lætitiæ attulit expeditio anni 1691; nam *Guidobaldus Starembergius*, præclaris in hoc bello gestis celebratus, Essekinum virtute non minus, quam astu strenue defendit, &

Salankemensis victoria. Badensis belli Imperator cum 100000 Turcarum ad *Salankemenum*, iniquissimum licet sibi locum, congressus, eximiam prorsus retulit victoriam: de tanto numero hostium non nisi 30000 Belgradum evasisse scribuntur. Cecidit ipse Vezirius *Cuproglius*, anima & spiri-

ſpiritus Ottomannici Imperii, ſuperioris anni calamitatum auctor. Sed neque noſtris incruenta fuit victoria, dextro cornu, dum ſiniſtrum tardius pugnam inchoat, jam pene fuſo. Magnum ad victoriam momentum attulit, quod Hoffkirchius comes, traductis clam in averſam partem duabus dimacharum legionibus cum Huſſaris & Raſcianis, Barbarorum caſtra, ea ex parte aperta, a tergo ſit adortus. Quæ res novi ſpeciem exercitus ingeſſit, & Turcas, duos inter ignes attonitos, in fugam compulit. Cadit Cuproglius.

Præerat ſiniſtro cornui *Dynewaldus*, Saxo genere, geſtis clarus, & ſummis belli Imperatoribus comparandus, ſed antiqua cum Badenſi æmulatione colliſus, accuſatus fuit, quod de induſtria tardius militem in pugnam duxerit: evocatus Viennam, in itinere obiit. Dunewaldus accuſatus obit.

Turcæ Chriſtianos a Mahomete excæcatos prædicabant, quod non illico levem equitatum cum caſtrenſibus machinis ad impediendum Savi trajectum miſerint: tum enim omnes Turcas deleri potuiſſe: quin tanta in perturbatione triginta millibus Germanorum Belgradum ipſum potuiſſe recuperari.

In Tranſylvaniam cum prædatore exercitu ſæpius irrupit Töckelius, captivum ſecum Heislerum trahens, ſed ſtrenue a Veteranio retuſus eſt. Croyus vero, quæ poſt Belgradi caſum amiſſa fuerant in Sclavonia, fortiter recuperavit. (anno 1691.)

Toto hoc bello nunquam minus ad rei ſummam actum eſt, quam anno 1692 propter morbos in utroque exercitu graſſantes. Unde *Languentium expeditio* appellabatur. Ab Heuſslero tamen liberato *Varadinum*, ſuperioris Hungariæ caput, & Tranſylvaniæ clavis, poſt lentam obſidionem expugnatione occupatum. Deditii Turcæ retenti ſunt, donec Chriſtiani, a Turcis contra pacta capti, libertati fuerint redditi. *Fleurius* quidam, homo Sabaudus, inquies, & inſignis pyrata, claſſiculam conſtruxit, qua Danubio potiretur, ad arcendos Turcas, ripas defendendas, atque ad militem, annonam, aliumque belli apparatum devehendum. Exploſum initio conſilium, poſtea ex parte executioni datum, non omni commodo caruit. Sed Fleurius, qui claſſiculam illam ſuprema cum poteſtate regere volebat, invidiæ tandem victima cecidit. Languentium expeditio. Fleurii claſſis.

Neque a Turcis aliquid majoris momenti actum. Cuproglio ad Salankemenum cæſo ſurrogatus Vezirius *Halyus*, Baſſa Meſſopotamiæ; qui cum Kara Muſtapha Viennam oppugnaverat. Sed brevi depoſito ſucceſſit *Caimacanus*. Turcæ pacem reſpuunt.

Anno 1693, cum per Angliæ & Hollandiæ legatos pax peteretur, Turcæ cum acerbo ſcomate illam negarunt. Victos Germanos nunc pacem petere, quam nuper tanto cum ſupercilio reſpuiſſent. Niſi Buda reddita nullam eſſe cogitationem pacis.

Crojus ſuccedit Badenſi.

Suſcipienda igitur nova expeditio, pro more tamen ſera, quia pecunia deerat ad emendum panem.

Ludovico Badenſi ad Rhenum translato, Dux *Croyus* Pannonicis copiis præficitur, e Mareſchallis vetuſtiſſimus. Is dignum ſe tanto munere monſtraturus, rem magnam ſuſcipit: trajecto quippe Savo Belgradum oppugnat. Sed magna cum clade rejicitur: rebus noſtris ad tantam urbem, a Turcis interea munitam, vindicandam non ſatis præparatis, id tamen fructus tulit hoc conſilium, ut Vezirius, in Tranſylvaniam magno cum exercitu irrupturus, retraheretur.

Belgradum fruſtra oppugnat.

Caprara ſuccedit Crojo.

Anno 1694. Hungaricum exercitum *Caprara* regebat, qui triginta quinque millia armatorum complectebatur. Septembri primum menſe in campum prodibant. Brandeburgici vero, Dani, & Luneburgici ineunte primum Octobri, ad hyberna nempe, veniebant.

Ad Petrovaradinum Vezirius caſtris caſtra oppoſuit, noſtraque adortus, tempeſtate tandem, inundatione, frigore, retractus eſt. Tota expeditione noſtra in defenſionem abeunte.

Giula capta.

Ad deditionem tamen fame compulſa eſt *Giula*, ultima civitas, quam Barbari in Hungaria occupatam tenebant, probe munita, ad Varadini & Tranſylvaniæ ſecuritatem, atque coercendas perduellium evagationes, opportuna. Præſidio Temeſiam abire permiſſum.

Diſplicuit Cæſari, tam exilem fructum expeditionis hauſtum eo tempore, quo Turcicum Imperium vehementer turbatum fuerat ſeditione Arabica. Quippe ex regionis *Emiris* ſeu regulis quidam eminentior finitimos Turcas aggreſſus prælio vicit, atque Baſſoram, Arabiæ deſertæ provinciam, ſubigit, Byzantio non levi terrore concuſſo; eoque magis aucto, quod Babyloniæ, Meſopotamiæ, ac Syriæ defectio timeretur.

Jamque Emirus poſt plures victorias Imperatorem ſe dixerat, cum Muftius cum ſacrificulorum choro legatus ad eum decernitur. Is argumento a religione ducto, rogabat, ut parceret Mahometis aſſeclis, quorum tot millia a Chriſtianis quot annis martyres mactarentur, ni arma poneret, certam exſpectaret a Mahomete vindictam. Mirum! ferocem victoriis barbarum tumentes

adeo depoſuiſſe ictum telo illo ſpiritus, ut velut faſcinatus lupum rapacem in agnum manſuetum mutaret; grandi certe Chriſtianis documento, ut Religionem ſuam ſanctam Divinamque ſanctius colant.

Singulis prope annis optima rei bene gerendæ occaſio fuit elapſa ob tardum nimis copiarum adventum; unde adulta primum æſtate, aut ineunte autumno, dum altero jam oculo hyberna reſpiceret miles, inchoanda fuit expeditio. Ut tanto malo obviam iretur, cogitatio de conſtruendis ad Savum caſtrenſibus tuguriis eſt ſuſcepta. Cum enim Raſciani, aliique ad Savum populi, nullas domus ædificent, ſed æſtate & hyeme in ſpecubus ſubterraneis habitent, copiæ in remotiores Hungariæ plagas erant reducendæ, non ſine finium periculo & expeditionis ſequentis retardatione. Sed cum materia deeſſet, ædificii forma induci non potuit.

Anno 1695 aula Turcica magnam mutationem ſubiit. Mortuo *Achmete* Sultano nepos ejusdem *Muſtapha*, Mahometis IV. depoſiti, & in carcerem detruſi filius, ad ſolium evectus, Martio vir ſpiritu, emiſſis quaqua verſum ad provinciales litteris, grandem exercitum evocavit, quem ipſe, depoſito Vezirio, in Tranſylvaniam duxit, raptaque Lipa cum aliis quibusdam munitis locis, ac dirutis, Veteranium, Tranſylvaniæ Gubernatorem, quinque duntaxat millibus ſtipatum, oppreſſit. Cæſi plerique, atque inter eos Veteranius, ſummis belli Imperatoribus ſuppar, magno cum Cæſaris & Chriſtiani orbis luctu. Sultanus, velut ingenti parta victoria, relicta in manibus Chriſtianorum Tranſylvania, nullaque re alia geſta, Byzantium triumphans regreſſus eſt.

Muſtapha Sultanus in Tranſylvaniam,

Veteránium cædit.

Chriſtiano exercitui præfuit hoc anno *Elector Saxoniæ*, cujus conſilia, de Temeſia aut Belgrado expugnando, varii dubiique hoſtium motus everterunt. Nam cum ambiguum eſſet, quo Ottomannicus turbo irrupturus eſſet, Cæſareus exercitus ad Petrovaradinum primo caſtra fixit, ut hoſtium motus, an in Sclavoniam, Hungariam, vel Tranſylvaniam tenderent, obſervaret. Magnis dein & incommodis itineribus ad Tibiſcum & Tranſylvaniæ fines movit; ſerius tamen advenit, quam ut Veteranio poſſet ſuccurrere.

Elector Saxoniæ belli Imperator.

Cum Sultanus Valachiam incendiis vaſtatam cerneret, & Töckelianos calamitatis auctores intelligeret, Töckelium Conſtantinopolim abduci juſſit, ubi in obſcuro Judæorum vico deinceps contabuit.

Töckelii fatum.

Anno 1696 consultatum rursus Viennæ, quæ demum ratio iniri posset, ut hyberna prope hosticum solum figi possent, ne immensis itineribus fessus miles autumnales duntaxat expeditiones susciperet. Typum Aurspergius exhibuit: sed in æris præsentis ac commeatuum penuria, superius remedio malum fuerat.

Augustus Saxoniæ Elector, supremus denuo belli Imperator, 14000 adduxerat; jamque Temesiam adortus, a Sultano in pugnam abstrahitur. Hæc promiscua adeo turbataque fuerat, ut velitationum potius congeries, quam justum prælium videretur. Cæsi utrinque multi, relicto dubio, quis vicisset, victusque fuerit. Cecidit alios inter *Heislerus* (quem Heidershemium quidam appellant) per omnes militiæ gradus ad summos honores eluctatus heros: militibus juxta ac provincialibus multo acceptissimus. In ejus locum *Vorsterus* suffectus. Elector, tradito Capraræ Imperio, Viennam abiit, Polonicæ coronæ felix Candidatus.

Eugenius belli Imperator.

Anno 1697 Hungaricæ militiæ Imperator a Cæsare dictus Princeps *Eugenius*, Dux Sabaudiæ, qui ad triumphos natus, jam antea ad Budam, Belgradum, Mohazium illustre documentum dedit, quantus Dux esset futurus. Et profecto sensit mox malo suo Ottomannica potentia præsentem Eugenium. Quamvis enim accisum, rerumque penuria laborantem accepisset Christianum exercitum, Sultanus vero ingenti, ex Europa, Asia, & Africa collecta multitudine, eaque rebus omnibus instructa, superbiret, ad *Zentam* nihilominus inaudita ab hominum memoria clade Turcæ sunt profligati, viginti minimum millibus eorum cæsis.

Vincit ad Zentam.

Quippe, dum imposito Tibisco ponte, in superiorem Hungariam & Transylvaniam irruere conantur, superveniens trajicere parantibus Eugenius, vallo, quem tumultuarie construxerant, superato, incomparabilem victoriam refert, ad noctem usque cædendo & mactando continuatam, multis quoque millibus in Tibiscum præcipitatis, ut adeo tellus & undæ cadaveribus tumerent.

Præda ingens. *Wagn.*

Capta præda ingens & penus bellica: centum tormenta, duo bubalorum millia, cameli, verveces, boves, equi, immani numero, caudæ equinæ, Prætoria nempe insignia, septem, signa majora 60, cum principe Janitsarorum vexillo: Sultani papilio, cum innumeris tentoriis. Cæsos inter Vezirius, & multi Bassæ inventi. E Christiano exercitu pedites 473 occubuerunt, equites 140, plures gloriosis vulneribus fuerunt ornati.

Sultanus, immanitate cladis amens, ejulansque, cum equitatu, qui jam ante Tibiscum trajecerat, citato cursu primum Temesiam, dein Belgradum fugit.

Pote-

Poterat tunc, concuſſo tam vehementer Ottomannico Imperio, peditatu ad internecionem conciſo, hærente in oſſibus terrore, Temeſia aut Belgradum victoribus præmium cedere, ſi argentum, vecturæ, machinæ, aliaque ad oppugnationem neceſſaria præſto fuiſſent. Horum autem inopia, ne nullus legeretur fructus, Eugenius in Bosniam irrupit, atque per illam, interceptis multis oppidis, populationem late circumtulit, pingui inde præda reportata.

Gemina hoc anno ſeditio orta eſt; altera Aſiana, brevi compoſita, quæ Turcas exercuit; altera Tibiſcana, quæ non modico Cæſareorum & Hungarorum ſanguine ſtetit, a Vaudemontio denique compreſſa, ultra millenos e rebellibus cæſis.

Vihaczium, Croatiæ Turcicæ caput, a Bathianio Croatiæ Banno & Aurſpergio nequidquam oppugnatum, Croatis & Cæſareis non levi accepta clade repreſſis.

Pötſii, Zenta diei itinere diſtante vico, Deiparæ Virginis, Divinum infantem geſtantis, rudi penicillo depicta effigies per duos menſes lachrymas viſa fundere. Ad miraculi novitatem infinita hominum multitudo confluxit: coactique ſectarii vel inviti fateri veritatem, quæ nonnullos ad Religionem noſtram convertit. Leopoldus Cæſar prodigioſam iconem, ſolenni cum veneratione Viennam translatam in S. Stephani Baſilica publico cultui expoſuit. **Imago Deiparæ lachrymans.**

Anno demum 1698 *Carlovizii*, ignobili ad id usque tempus Sirmii vico, pax iniri cœpta. Legati eo abs Cæſare Wolffgangus Comes Oetinganus, Aulici Conſilii Præſes, & Leopoldus Comes Schlikius. A Polonis quoque, Moſcis, & Venetis legati adfuere. Anglus & Batavus, volentibus etiam novo exemplo Turcis, pacis conciliatores ſunt delecti. Miſſi a Sultano *Reis-Effendius*, ſeu Imperii Turcici Cancellarius, atque Maurcordatus, Græcus genere. **Legati ad pacem Carlovicenſem.**

Polonum inter & Moſcum importunum de loci prærogativa diſſidium longiorem rebus gerendis moram injecit, non ſine Turcarum riſu, & reliquorum impatientia. Hoc utcunque compoſito, uterque conciliatores, & fundamentum pacis, quod formula *uti poſſidetis* definiebatur, admittere recuſavit. Quippe Polonus *Camenecum*, quod pluribus annis fruſtra oppugnaverant, repetebat, Moſcus *Kerczam*, munitam ad Boryſthenem arcem. **Variæ contentiones.**

Cum Cæſareis oratoribus dein contentio. Nam Turcæ Tranſylvaniam in eum, quo ante bellum fuerat, ſtatum reponi volebant, ut ſcilicet Princeps ſub utriusque Imperatoris clientela

 pro-

provinciam regeret. Verum cum hoc postulatum jam structum pacis fundamentum eversum iret (nam Cæsar totam Transylvaniam tunc possidebat) præcise negatum est, prout etiam tributum, quod Sultanus inde petebat.

Præsertim de Temesiæ finibus.

Acrior de Temesiensis Bannatus finibus fervebat disceptatio. Nam Cæsar Caransebia, Lugosio, Almasiensi agro, Lipa, Csanadia, Sablia, Bötsio, aliisque oppidis & arcibus Temesiensem provinciam undique circumseptam tenebat. Intolerabile hoc visum Turcis; quapropter loca ista, velut ad Temesiensem ditionem pertinentia, cedi sibi postulabant. Verum hoc pacto fundamentum pacis, possessione præsenti circumscriptum, subrui, opponebant nostri. At illi, sententiæ suæ inhærentes, dissolutionem totius negotii minitantur, atque e loco congressus se proripiunt. Vicit tandem pertinacia: atque Cæsarei memorata superius oppida arcesque diruenda concesserunt, nulla unquam ætate restauranda.

Cedunt Cæsarei.

Fundamento, *uti possidetis*, semel labefactato, audaciores Turcæ, plura contra jus fasque in Syrmio quoque, Croatia, & Bosniensibus limitibus exigebant, tandemque obtinebant. Siquidem Cæsar, ingravescente in dies Caroli II. Hispaniarum Regis afflicta valetudine, utroque oculo Monarchiam illam respiciens, pacem cum Turcis necessariam sibi existimabat, eaque propter nolebat, minoris momenti controversiis obicem eidem & moram poni. Factum inde, ut, cum de limitibus postea definiendis per Marsilium comitem, & Effendium quendam (ita Jurisconsultos suos Turcæ appellant) ageretur, varia indulgerentur.

Quia pax necessaria.

Verum minora hæc erant, quam ut negotium pacis, eo usque provectum, deberent evertere, & continuatum per viginti jam annos sumptuosum bellum protrahere. Si decem ante annos, dum Belgradum, Nissam, Vidinum, Orsovam &c. occupata tenebamus, pax Turcis petentibus data fuisset, pinguiorem haud dubie accepissemus, atque immensis sumptibus fuisset parsum. Sed reservata fuit Eugenio illa gloria, ut Temesiam & Belgradum in triumphum duceret.

Ingentes tamen relati fructus belli.

Licet autem minutiora quædam, quæ ad rei summam non multum adeo facerent, Turcarum pertinaciæ sint remissa, ingens tamen fuit hoc bello Leopoldi Cæsaris felicitas, qui tot gloriosis partis victoriis captisque provinciis Domum suam in immensum auxit. Nam cum ante e Viennæ mœnibus prope conspicerentur lunata vexilla, tota exactus Hungaria atque Transylvania, quibus occupandis ducendos annos impenderat, in Serviam atque Vala-

chiam bello uno retusus est Turca. Quæ sane gloria nulli ante Leopoldum Magnum Cæsari obtigit, secuturo exemplum Carolo filio, ditionemque in amplius multo spatium exporrecturo.

Liberata Hungaria, adjecta Transylvania.

Missus denique Byzantium legatus, qui pacem *Carlovizii* composuerat, Comes Oetinganus, cum donis amplissimis. Cautum captivis & Religioni, etiam in Palæstina. Ibrahimus, ortu Genuensis, a Sultano vicissim orator Viennam missus.

Dum tractatus pacis cum Cæsareis Legatis conficiebatur, vehementior adhuc Turcas inter, Moscos, Polonos, & Venetos fervebat disceptatio. Moscus relicto sibi, quod occupaverat, Asovio, Kerczam, in Crimæa, seu Taurica Chersoneso munitam urbem, ad Tartarorum Chamum, sub Sultani clientela constitutum, spectantem frustra repetiit. Unde relictis sociis biennes inducias pactus, rem omnem in statu, quo tunc erant, reliquit. Polonus restitutionem tandem Kameneci, munimentis suis vallati, obtinuit.

Moscus biennes inducias pangit.

Polonus Camenecum obtinet.

Difficultatem summam attulit res Veneta, adeo quidem, ut commotis vehementer animis semel iterumque conventus sit solutus. De *Peloponeso* maxime erat contentio, Venetis ad fundamentum pacis, fixamque in præliminaribus normam provocantibus, Effendio oppida quædam reposcente, itaque obfirmato, ut cedere oportuerit Venetum, ne totum negotium obrumpatur.

De Morea contentio.

Superatis tandem innumeris difficultatibus, 26 Januarii 1699. pax ab omnibus legatis fuit subscripta, in 25 annos porrecta: atque 14 Martii a Principibus ratihabita: universo simul operi manus suprema imposita. Juvat, ejusdem summam hic breviter in synopsin colligere.

ARTICULUS VI.

Pax Carlovicensis.

1. Transylvania Austriaci juris esto, cum veteri Valachiam versus & Podoliam limite. 63.
2. Temeswariensis vero civitas Sultano maneat: circumsita vero munimenta diruuntor. Usus fluminum communis esto.
3. Regio Danubium inter & Tibiscum Cæsaris esto. Novæ tamen Tituli urbe munitiones ne eriguntor.
4. Trans Tibiscum Titulo ad Istrum, indeque ad Savum linea ducatur, quæ utramque ditionem definiat.

5. Savus

5. Savus utrique genti ſit communis.
6. Commiſſarii terminos figant; qui nunquam moveantur.
7. Urbes ſuas munire utrique parti fas eſto: iis exceptis, quæ expreſſim ſunt nominatæ.
8. Omnes direptiones ſevere prohibentor.
9. Neutra pars alterius rebelles foveat.
10. Moderni tamen Cæſaris rebelles, qui veniam non conſequentur, habitare poterunt in Turcia, remotius tamen ab Hungaria: a qua perpetuo proſcripti ſunto.
11. Si controverſiæ inter ſubditos ratione limitum oriantur, per Deputatos deciduntor.
12. Captivi vel lytro ſoluto, vel commutatione reſtituuntor.
13. Hominibus ſacris in templis & monaſteriis Jeroſolymæ & per totam Turciam priſtina libertas ſalva eſto.
14. Commercia utriusque Imperii ad priſtinum ſtatum, qui fuit ante bellum, reducuntor.
15. Omnes antiquæ pactiones, niſi quid hic ſit immutatum, ratæ habentor.
16. Utraque pars, in amicitiæ teſtimonium, legatos mittat.
17. Quibus more priſtino honor deferatur. Nec ad certum veſtimenti genus ſint adſtricti.
18. Commiſſarii 22 Martii conveniant, & intra bimeſtre fines determinent.
19. Pacis hujus articuli 30 intra dies ab utroque Imperatore ſubſcripti, ratihabentor.
20. Hæ induciæ ad 25 annos extenduntor, & Tartaros pariter obligantor.



CAPUT IX.

DE STATU BOHEMIÆ SÆCULO XVII.

ARTICULUS I.

Status ſub Rudolpho II.

SUMMARIUM.

Ultimis vitæ annis magnas faciunt moleſtias Rudolpho II Frater Mathias, & Proteſtantes, turbarum auctores. Litteras Majeſtatis extorquent. Eorum furor. Leopold. Archid. in Bohemiam. Fabula de armatis Paſſav. in Clementino. Obitus Rud. II. ejusque Elogium.

Quam læta erant atque auguſta prima mediaque Rudolphi II Cæſaris tempora, tam triſtia & acerba ultima. Gemino ex fonte malum profluxit: ex Huſſitarum & Proteſtantium tumultibus, atque ex Mathiæ fratris inquieta indole, & regnandi cupiditate. 64.

Illi, prout alias per Europam provincias ſeditione & rebellionibus miſcebant, ita etiam Bohemiam; acſi idem eſſet, a Catholica Religione deficere, & patriæ ac Reipublicæ quieti bellum denuntiare. Et quidem immanem Huſſitarum furorem ex iis, quæ ad ſæculum XV. retulimus, abunde licet perſpicere. Cum autem illi ad pacem aliquam & obſequium ſe viderentur componere, Lutherani & Calviniſtæ, ad tumultuandum ſemper accinctum hominum genus, incendium excitarunt, quod per omnem deinceps Europam eſt propagatum. **Proteſtantes turbarum auctores.**

Atque imprimis ægerrime illos habuit, quod Archiepiſcopus anno 1605 in Synodo Pragenſi Canones & Decreta Conciilii Tridentini promulgarit. Cumque hoc ad negotium Rudolphus Cæſar operam ſuam & authoritatem attuliſſet, & alias novis ſectis,

quantum poterat, obſtitiſſet, ab eo averſi Proteſtantes, ad Archiducem Mathiam, Rudolphi fratrem, quem indulgentiorem ſibi fore credebant, reſpexerunt.

Mathias in fratrem. Quamvis autem Mathias optimo eſſet in avitam Religionem animo, quia tamen ægre ſecundo loco conſiſtebat, & dominari quam parere mallet, Proteſtantium favore utendum ratus, iniquius, quam pro fratre, cum Rudolpho egit. Nam, licet ab eo adminiſtrationem Hungariæ, Auſtriæ, & Moraviæ, cum ſuprema belli Hungarici Præfectura, accepiſſet, quia tamen alieno nomine atque auſpiciis fratris omnia poſſideri gerique non ferebat, ac inſuper ea imbutus erat ſuſpicione, id agi, ut in Ferdinandum patruelem, Styriæ Ducem, Hæreditariæ Domus Auſtriacæ provinciæ transferantur, non deſiit inertiam Rudolphi, abjectis ferme Imperii curis, intra Pragenſe palatium otioſe deliteſcentis, apud fratres, Maximilianum & Albertum, atque alios traducere.

Quapropter, inita licet anno 1606 cum Turcis pace, copias tamen armatas retinuit, permiſſaque in Comitiis Poſonienſibus Religionis libertate, anno 1608 cum Proteſtantibus Hungaris, Auſtriacis, & Moravis fœdus percuſſit, rectaque cum hoſtili exercitu adverſus fratrem inermem ad Pragam movit, eique Hungariam, Styriam, Caryntiam, & Moraviam extorſit. Nec multo poſt Rudolphus Hungarici Regni inſignia eidem in caſtra miſit, Bohemicæ quoque ſucceſſionis ſponſione facta.

Proteſt. inſolentia. Proteſtantes vero in Bohemia, cum deſertum prope Regem ſuum viderent, ferocius elati, præter autonomicam Religionis libertatem, ne Eccleſiaſtici ad regni negotia adhiberentur, poſtularunt, ne matrimoniales cauſæ eorum judicio definirentur, ne bonis immobilibus fruantur: ne in conferendis regni & provinciarum Præfecturis Religionis ratio habeatur, atque, ut, ſi Regni Burggravius ſit Catholicus, Judex Regni ſit Acatholicus: Neque enim ſubſidia ſe collaturos, niſi hiſce poſtulatis annueretur.

Conſtantia Rud. Sed ea erat Rudolphi conſtantia, ut neque precibus neque minis adduci ſe paſſus ſit, quo in eorum vota concederet, per integrum adhuc annum, cum Majeſtatis, & vitæ etiam periculo, cum illis colluctatus, absque exercitu, ſenio fractus, ſolo Deo, & Religionis ſanctæ zelo munitus. Preces publicas junxerunt Præſules cum ordine Eccleſiaſtico, inſtituta quoque Pragæ ſacra ad conſultandum rebus in arctis Synodo. Decretum voto unanimi, concedendum nihil Acatholicis; quo plura indulgeantur, hoc plura poſtulantibus, ad Religionis & Majeſtatis detrimentum. Privilegia,

gia, ſi quæ per Concilium Baſileenſe & compactata Huſſitis ſint conceſſa, ad Lutheranos & Calviniſtas nihil pertinere, utpote alterius multo ſectæ homines.

Verum ſequenti anno 1609 majori longe furore tumultus recruduit. Plura armatorum millia per urbem diſcurrebant, ſupremum Catholicis exitium minitantium, Societatis Jeſu præſertim Patribus, per quos Regem a Proteſtantium poſtulatis averſum putabant.

Rudolphus itaque ab Acatholicis undique circumſeptus, ac neceſſitati parendum ratus, Religionem ſecundum Bohemicam Calixtinorum ſeu Huſſitarum confeſſionem, Diplomate, quod *Litteras Majeſtatis* appellant, permiſit, cum facultate, ſuo in fundo erigendi templa, utendi Conſiſtorio, & Academia Carolina, *Directores* item & *Defenſores* ex tribus Regni Ordinibus ſibi conſtituendi. Nullis tamen minis adduci potuit Lobkovicius Regni Cancellarius, ut ſubſcriberet, ſalva id fide ſe facere non poſſe, palam teſtatus. Literæ Majeſtatis.

Proſpectabat nempe vir ſapientiſſimus, quod ſecuta mox tempora atroci ſcena exhibuerunt, rictum hæreſis non ſatiari, ſed in Religionis Regisque perniciem irritari. Quippe mox, licet ſevere cautum eſſet, ut religio *ſub utraque*, & Religio *ſub una*, prout in litteris Majeſtatis appellantur, quiete inter ſe viverent, nec altera alterius homines turbaret, Acatholici tamen omni ope collaborarunt, ut Regis latus fidiſſimis Miniſtris, quos Catholicæ fidei addictiores credebant, nudarent, proſcripto etiam Heidelio veteris urbis Primate, & Jeſuitas, quos rebus ſuis minime opportunos exiſtimabant, bonis ſpoliatos toto regno ejicerent. Mirum, quot direptiones, calumnias, atque calamitates ſint perpeſſi, præſertim a Calviniſtis, eorumque Symmyſtis Picarditis. Conſtantia Lobkovicii. Proteſt. furor.

Quantumvis enim ſola confeſſio Bohemica, quam Calixtini ſeu Huſſitæ ſequebantur, fuerit permiſſa, tamen, ſicut ſub nomine confeſſionis Auguſtanæ variæ ſectæ ſe occultaverant, ita etiam ſub eo nomine confeſſionis Bohemicæ. Appellati ſunt etiam *fratres Boleslavienſes* a Boleslavia Juniore, ubi Picardi principem ſuam Synagogam habebant: acſi fratres eſſent Huſſitarum, qui in Regno tolerabantur.

Anno 1610 celebratus Pragæ conventus Electorum, & quorundam Principum, ut ineatur ratio concordiæ Rudolphum inter Cæſarem & Mathiam fratrem: Concluſum inter Principes, ut hic per Legatum flexis genibus a Rudolpho fratre veniam actorum, du-

ctique per tumultum in Bohemiam exercitus, precaretur. Deprecatores a Mathia rogati ſunt, Maximilianus frater, & Ferdinandus patruelis, Archiduces.

Mathias deprecatur.

His in conſpectum Cæſaris venientibus, ſtabat ille ſub conopæo: cumque hi procidere in genua coram eo pararent, detracto galero obviam eis proceſſit, dixitque, nolle ſe, ut exſtet exemplum, quenquam de Auſtriaca Domo eo deveniſſe, ut coactus ſit flexis genibus a Cæſare veniam precari. Tum vero lætus ac hilaris, acſi nihil fuiſſet offenſus, perhumane & amice habitos, magna cum honoris ſignificatione dimiſit. Honoribus Principum ab Academicis producta in Theatrum pro genio illius ætatis Eliæ Prophetæ vita, & in cœlum raptus, tragœdia, ſumma omnium voluptate ſpectata.

Quies tantiſper videbatur reddita; cum anno ſequenti (1611) major ſubito procella incubuit, quæ rem Catholicam, ipſumque Rudolphum Regem ſupremo diſcrimini expoſuit. Et quidem, quod mireris, ab ipſis Catholicis, dum vel maxime & Regi & Religioni conſultum volebant, initium duxit, a *tumultu* videlicet, uti appellabatur, *Paſſavienſi.*

Leopold. Archid. in Bohemiam.

Quippe Leopoldus Archidux, Paſſavienſis & Argentinenſis tunc Epiſcopus, Ferdinandi (poſtea Cæſaris) frater, quem Rudolphus in Regno Bohemiæ ſucceſſorem ſibi optaverat, ut ſpes ſuas promoveret, atque provincias, a Mathia Archiduce abſtractas, ad Cæſarem reduceret, cum novem peditum, & quatuor equitum armatorum millibus per Auſtriam ſuperiorem, transmiſſo ad Lincium Danubio, in Bohemiam repente ſe infudit, occupatisque Crumlovio, Budovicio, Berauna, aliisque oppidis, militari præſidio munitis, ad Pragam ipſam exercitum admovit, atque effractis portis urbem Minorem cepit.

Sectariorum rabies.

Tum vero ſectarii, quaſi cœnobitæ cum Paſſavienſibus conſpirarent, iis direptionibus, cædibus, lanienis ſacrorum hominum per veterem novamque civitatem ſunt graſſati, ut Ziſcæ ac Taboritarum tempora revocaſſe viderentur. Nihil crudelitatis & contumeliæ omiſſum; perque obvias Religioſas domos ſparſus furor.

Commentum de armatis Paſſav. in Clementino.

Et imminebat Clementino Societatis Jeſu Collegio exitium: cum diffuſus eſſet rumor, trecentos Paſſavienſes milites in eo latere abſconditos, cum grandi bombardarum, pulveris igniarii, & bellici apparatus copia. Et irruiſſet plebs effera, niſi Wratislavius furori ſe opponens, noſtros ſervaſſet; hortatus tamen amice: ſinant inquiri, ſecus ſalvum eſſe collegium non poſſe: ſe quidem

dem alienæ esse Religionis, memorem tamen beneficiorum, quæ scholas nostras frequentando perceperit, vel capitis sui periculo cauturum, ne ea investigatio fraudi esset.

Bis excussum totum collegium, omnesque latebræ examinatæ. Sed cum armorum nihil esset inventum, frendens recessit plebeja rabies, quod sæviendi & prædandi spe fuisset dejecta. Cum autem illa de latentibus in collegio armis fabella per alias etiam late provincias fuisset disseminata, Regni ordines, quorum plerique erant Acatholici, publico Instrumento commenti vanitatem, Patrumque innocentiam sunt contestati.

Miles Passaviensis, qui Rudolpho Imperatori opitulatum venerat, majorem in eundem tempestatem concivit. Nam Bohemiæ Ordines Mathiam Archiducem, Leopoldo patrueli alioquin infensum, vocarunt in auxilium: qui collectis ex Hungaria, Austria, Moravia, Silesia, octodecim armatorum millibus, Ductore Herbersteinio, in Bohemiam movit. Subsecutus mox ipse, summa Ordinum gratulatione Pragæ fuit exceptus: cumque fratrem Rudolphum Imperatorem desertum passim ab omnibus cerneret, eo usque, quamvis renitentem, compulit, ut non modo consentiret, Mathiam Regem quoque Bohemiæ coronari, sed id ab Ordinibus etiam peteret. Mathiæ in fratrem Imp. sævitia.

Eo videlicet redacta fuerat summa per orbem Majestas, quam & Turcæ, & Tartari, & Mosci, & Persæ legationibus honoraverant, ut, relicto solo Imperatoris nomine, provinciis omnibus nudaretur, ac ipse sibi viventi & videnti velut funus maneret superstes. Rex autem Mathias, ordinatis Bohemiæ rebus, progressus primum in Lusatiam, Budissinæ, tum in Silesiam, Wratislaviæ juratam provincialium fidem recepit.

At Rudolphus Imperator fatis suis & calamitatibus non diu vixit superstes, anno sequenti (1612.) ineunte apoplexia tactus, animi tamen rationibus pridie rite initis, Pragæ occubuit anno ætatis sexagesimo. Natus quippe fuit Viennæ anno 1552. ad omnem vitæ probitatem educatus in Hispania; ubi eum Catholicæ Religionis fervorem imbibit, quem tota dein vita nunquam sibi est passus eripi, Austriacæ pietatis monumentum perpetuum. Obit Rud. Imp.

Septem & triginta annos Regnum Bohemiæ est moderatus, sede perpetua collocata Pragæ, quam ædificiis variis ita exornavit, ut dicerent Bohemi, Pragam, quam Libussa ligneam condiderat, Carolus IV. marmoream effecerat, a Rudolpho auream propemodum fuisse relictam.

Elogium. Gloriosissimus certe, si quis unquam, fuisset Imperator, dummodo ultima tempora respondissent primis. Quantus fuerit litterarum artiumque æstimator & amator, alias diximus. Propter sapientiam, aulæ splendorem, peregrinorum, doctorum præsertim hominum, ex tota Europa affluxum, auri gemmarumque copiam, Salomon Bohemicus dicebatur. Sed vergente in senium ætate, nihil quidem de studio virtutis & Religionis, cui omnia posthabuit, remisit, documento tamen fuit, nihil in mundo esse stabile, summamque etiam gloriam esse mortalem.

ARTICULUS II.

Status sub Mathia.

SUMMARIUM.

Mathias Rex. Sectarii templa construunt in alieno solo. Tres Ministros Regis ex arce præcipitant. Jesuitas proscribunt. Arma corripiunt Turriano ductore. Moravos, Lusatios, Silesios ad defectionem trahunt. Mors Mathiæ.

65. Sub Mathia Rege. Mathias, superiore jam anno coronatus Bohemiæ Rex, quietum tantisper auspicatus Imperium, magna sapientiæ laude gubernabat Rempublicam. Sed cum inquieta & turbulenta sit adeo Novatorum indoles, ut tranquilla diu non possit subsistere, jam anno 1614. in atras nubes coiit, eamque parturiit tempestatem, quæ non modo in Bohemiæ stragem, sed Germaniæ, quin Europæ omnis ruinam se se effudit.

Templum construunt Acath. in alieno solo. Cœperunt videlicet Acatholici eo, quem dixi, anno templum ædificare *Clostergrabii* in Archiepiscopi Pragensis solo. Nuntiavit is novum opus ceu loci Dominus, atque Præcones inauspicatos expulit. *Defensores* contra fabricam jubent prosequi: publica urbibus affigunt decreta, violatas *litteras Majestatis* proclamant: querelas ad regni Moderatores deferunt. Quasi vero litteræ illæ aliena invadere, atque insontes spoliare permittant.

Alterum templum collatitio ære moliuntur in oppido ad abbatem Brunoviensem spectante. Cum autem moniti non desisterent, defertur querela ad Mathiam Regem: sed neque hujus jussu Vetat Rex. cœptum opus intermisere. Quapropter cives aliqui Brunovienses in custodiam dati sunt, & templum Brunoviense vi injecta occlusum.

Commo-

Commoti ea re Proceres Acatholici, magno numero in Academia Carolina conveniunt. Deliberatum de conservatione privilegiorum, exstruendi ubique templa, ut dicebant, libertate, & dimittendis e custodia Brunoviensibus, quos injuste attineri querebantur. Reprehensi a Rege, quod se inscio invitoque seditiosos conventus agerent, jussique absistere, adeo non acquievere, ut anno 1618. cum turbulentis concionibus populum ad libertatem & effrænem licentiam vocassent, in ipsam arcem irruperint, in qua de publicis tum Regni negotiis consultabant Ministri Regii. Cumque hi iniquis eorum postulatis resisterent, tres ex illis, *Sclabatam*, *Martinizium*, & *Fabricium*, violente arreptos per fenestras arcis in subjectam aream dederunt præcipites. Ubi nihil lapsu præalto læsos animadvertunt, sclopis petiti, Divina rursus ope incolumes sunt servati, & amicorum dein opera furori hæretico subtracti. **Ejus Ministros ex arce præcipitant.**

Mox rebus novandis factum initium. Electi triginta *Directores*, qui Rege absente habenas capesserent. In horum verba civis & præsidiarius miles sacramento adactus. His arcis & portarum claves traditæ. Aperti carceres, & dimissi Brunovienses. Inclusi, qui his se opponebant. Conclamatum denique ad arma. Collecti undique milites, pecunia, bellique apparatus. **Directores.**

Edito interim in lucem scripto contestantur, nihil se adversus Regem suum moliri. Quod tres pacis publicæ turbatores ex arce dejecerint, more Majorum esse factum. Quæ mutassent, ad suam defensionem & regni quietem pertinere.

Addita proscriptio Patrum Societatis Jesu e regno Bohemiæ. Intra octiduum finibus jussi excedere. Sancita capitis pœna in regressos, eosque, qui pro illis auderent intercedere. Crimini datum, quod pacem turbent: impugnent privilegia Religioni data, immensas corradunt opes; Regum vitæ insidias struant: concionibus seducant plebem: odium ingerant Religionis Evangelicæ, omniaque sub jugum Pontificium mittere nitantur, consiliis & conatibus omnibus in perniciem Evangelicorum directis. **Jesuitæ expulsi.**

Hæc aliaque Patres, postquam violentiæ temporumque iniquitati cedentes, Regno excesserunt, modesta apologia confutarunt: nunquam se contra pacem & privilegia quidquam dixisse aut egisse: Religionis Catholicæ veritatem atque summi Pontificis in Ecclesiasticis authoritatem, publice privatimque asserere, ac contra heterodoxos defendere, sui muneris esse & Instituti: neque ulla Regni lege hoc esse vetitum. In concionibus suis damnasse Religio- **Apologia.**

ligiones contrarias ſine adhærentium contumelia. In toto Regno quinque eſſe Collegia, ære alieno omnia gravata, quorum annui proventus decem aureorum millia non excedant: has eſſe immenſas illas opes, quæ publicam invidiam mereantur. De cædibus Regum & Principum antiquam eſſe calumniam, multorum jam ſcriptis confutatam, atque adeo ipſorum etiam Principum, quorum vitæ inſidias ſtruxiſſe per ſummam contumeliam arguerentur, teſtimonio.

Cæſar intellectis, quæ Pragæ acciderant, Turrianum autem Comitem, rebellium caput, volitare per provincias cum militum turba, atque ad defectionem omnes ſollicitare, cum admonitiones & lenia remedia fruſtra conſumpſiſſet omnia, cœpit & ipſe ad arma reſpicere: ſcriptoque ad Ordines Imperii libello, mandat, rogatque, ne perduellibus milite aut ſubſidiis ullis opitulentur.

Arma corripiunt rebelles.

Mox Henricum, Comitem Tampierium, cum aliquot copiis mittit ad fines Bohemiæ, ac poſtea majori cum imperio Carolum Longuevallium Comitem Buquoyum: cui Albertus Belgarum Princeps, Mathiæ Cæſaris frater, duo equitum, ſex millia peditum addidit. Verum Bohemorum exercitus ad 30000 jam excreverat, tractis in armorum rebellionisque ſocietatem Sileſiis quoque, Moravis, & Luſatiis. Erneſtus inſuper Mansfeldius, a militia Sabaudica exauthoratus, ſuam ſecum legionem ad Bohemos traxit: primoque Pilſam expugnavit. In fidem Bohemiæ Directorum ſacramento adacti cives.

Sileſii, Moravi & Luſatii ad defectionem tracti.

Doluit Cæſari jactura fidæ urbis, atque poſt Pragam ferme præcipuæ: reſpexitque rurſus pacis conſilia: Polonum, Bavarum, Saxonem, conciliatores ejusdem adhibuit. Sed jam latius graſſatum fuerat incendium, quam ut facili opera reſtingui poſſet, hæreſi pro more ſuo ventilante ſanguineas faces, quibus omnia conflagrarent. In Auſtriam quoque, atque ad ipſam adeo Viennam, Cæſaris regiam, illata flamma: Proteſtantibus Auſtriacis, cum Bohemis non ſegniter illam ſpargentibus.

Num ſpiritum iſtum Evangelicum dicam? Num ita Apoſtoli prædicarunt Evangelium? An primi Chriſtiani ita in Imperatores Ethnicos inſurrexerunt? Num Thebæa illa Mauritii legio hac defenſione eſt uſa? Quinam unquam ex Catholicis adverſus Principes & Dominos ſuos propter Religionem arma corripuerunt? Eſt profecto, eſt hæc nota hæreſi omnino propria, prout univerſim ſæva eſt & turbulenta, ita in Dominos ſuos & ſummos etiam Magiſtratus ſolet inſurgere. Teſtis Germania, Gallia, Belgium, Pedemon-

Spiritus Proteſt. non eſt Evangelicus.

demontium, Anglia, Hungaria, Bohemia, Moravia, Sileſia, Luſatia. Animadverterunt pro officio omni ætate legitimi Magiſtratus Catholici in Novatores, qui hæreſin in Eccleſiæ agro diſſeminare nitebantur. Sed, quod Catholici armis adverſus legitimum ſuum Dominum ac Magiſtratum correptis Religionem ſuam aut propagarint, aut defenderint, exemplum nullum in orbe terrarum exſtat. Proprius omnino, quod dixi, hic ſpiritus eſt hæreſis: ſed quam diverſus a ſpiritu Evangelico!

Obitus Mathiæ Imp. Sicut autem Rudolpho Imperatori, ſic etiam Mathiæ hic ſpiritus vitam eliſit: dum ob eam Bohemorum rebellionem animo æger anno 1619. Viennæ deceſſit, ætatis 62. Devexa jam ætate matrimonio ſibi junxit Annam, Ferdinandi Archiducis Oenipontani filiam, patruelem ſuam: liberos tamen nullos ſuſcepit. Junior Belgicis ſe tumultibus immiſcuit, ſuſcepto contra Hiſpani & Cæſaris Rudolphi voluntatem Gubernatoris officio. Alenſonii artibus inde amotus, vitam privatam dominandi deſiderio ægre tolerabat, nec deſtitit fratrem perſequi, donec provinciis eundem exueret.

Has adeptus, creatusque Imperator, fortitudine, magnanimitate, pietate, Religionis ſtudio, cæterisque Regiis virtutibus, ſuperioris vitæ maculas prorſus delevit.

ARTICULUS III.

Status ſub Ferd. II.

SUMMARIUM.

Ferd. II. Rex agnitus & coronatus. Proteſt. per Boh. Moraviam, Auſtriam ad Viennæ usque mœnia armis graſſantes. Mansfeld. a Buquoio victus. Frid. Palatinus Rex intruditur. Maxim. Dux Bavariæ in Auſtriam & Boh. Pugna Pragenſis. Fructus Victoriæ. Exacti Miniſtelli. Reducta Religio. Mansfeld. & Jägerndorff. Rebellium Ductores. Recepta Bohemia.

Mathias Imperator, cum ſenium & corporis infirmitas haud longam amplius vitam promitterent, de ſucceſſore ſollicitus, jam anno 1617 Bohemiæ Ordines Pragam convocaverat, iisque Ferdinandum Archiducem, patruelem ſuum, quem in filium adoptaverat, ſucceſſorem propoſuit: cedentibus jure ſuo Maxi- 66.

Ferd. Rex renuntiatus.

Maximiliano & Alberto, Mathiæ fratribus. Paucis quibusdam primum refragantibus, poſtea vero ſilentio probantibus, majore haud dubie ſuffragiorum numero Rex dictus eſt Ferdinandus, atque coronā Regumque inſignibus magno plauſu & celebritate ornatus.

Ferdinandus II. igitur Regnum Bohemiæ atque Imperium poſt mortem Mathiæ Cæſaris undique turbatum adeptus, ut rebelles Bohemos placaret, privilegia ſua mox illis confirmavit. At illi multo vehementius bellum continuabant. Quippe *Turrianus*, multitudine & unione Proteſtantium fretus, in Moraviam irruens, plures in ea urbes cepit. In Auſtriam Inferiorem deinde irrumpens, ad Viennæ ſuburbia duxit exercitum.

Turriani furor.

Nunquam majori in diſcrimine fuit res Auſtriaca: Proceribus & civibus Lutheranis cum Turriano conſpirantibus. Sed opem promiſit e cruce Deus. Victus acie in Bohemia a Buquoio Mansfeldius. Revocatus a Regni Directoribus Turrianus. Tempeſtas ab Auſtria averſa.

Victus a Buquojo Mansfeld.

Verum eo gravius Bohemiæ incubuit, quæ, machinam totam verſantibus Acatholicis, Imperium Auſtriacum penitus evertere nitebatur. Diſceptatum, num Batavorum Helvetiorumque exemplo, Rempublicam liberam, an Regiam, cui hactenus conſueſſent, gubernationem mallent.

Vicit hæc ſententia: eligendum Regem, qui gratus ſit multitudini, propriis quoque viribus Regnum tueri poſſit. Propoſiti Danus, Sabaudus, Saxo, Bavarus, & maxime Palatinus: ſimulque Ferdinando abrogatum Imperium, quod a Mathia intruſus, litteris quidem confirmarit Religionis privilegia, re ipſa autem everterit. Jam vero inducto peregrino milite hoſtilem in modum Regnum perſequatur. Nec mora: Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, & Luſatiæ Proceres diem novæ electionis decernunt.

Friderici Palatini intruſio.

Electus Fridericus V. Elector Palatinus, magni Regis gener, & unionis Proteſtantium Princeps. Is, dehortantibus fruſtra variis Principibus, electionem acceptavit, atque cum conjuge & liberis abiit Pragam, ubi novo ritu inauguratus eſt Rex Bohemiæ, ſuisque infuſus, quibus deinceps oppreſſus eſt, calamitatibus.

Quippe ſequenti mox anno (1620) ſolio dejectus, exulatum abiit. Maximilianus etenim Dux Bavariæ, aſſerta Cæſari Auſtria, cum exercitu in Bohemiam movit, Saxo vero Cæſaris nomine in Luſatiam. Cœptum ab utroque bellum expugnatione urbium. Sed cum hæc ratio belli gerendi lentius procederet, ſimulque cum majori

Max. in Bohem.

jori provinciarum ſtrage eſſet conjuncta, nihil viſum expeditius Maximiliano, quam prælio de rei ſumma decernere. Una victoria multas urbes & arces capi, ad quas, diviſis acciſisque copiis, circumduci lente deberet bellum. Adhæc hyems inſtabat, commeatus autem procul ex Bavaria petendi: Auſtria aut exhauſta, aut in partes Bohemorum proclivis.

Statutum igitur Bavaro, Buquoio non nihil diſſentiente, ipſum Bohemiæ caput, Pragam petere; quo haud dubie colligendæ eſſent hoſtiles copiæ. Itum igitur ad illam, progredientibus ad latus Bohemis; qui dein montem ad Raconitium leniter acclivem, ſed foſſa operibusque munitum, occupaverant. Cum autem Cæſarei ad Pragam tenderent, Montem Album Bohemi ſtationi ſuæ delegerant. Conſtituerat autem Maximilianus eo ipſo in loco, quamvis arduo, hoſtes aggredi. Pugna Pragenſis.

Æquo primum Marte pugnatum: tum vero capto juniore Anhaltino, Hungarisque, qui Bohemis ſubſidio venerant, in fugam conjectis, nutare Bohemorum acies, & inſtantibus acriter Cæſareis, qua via patebat, in fugam effuſa eſt: unius horæ ſpatio exercitu admodum numeroſo plenam Cæſareis victoriam relinquente.

Patuit mox ingens fructus victoriæ. In Sileſiam profugus Palatinus: Praga victoribus dedita; reductæ ad obſequium Provinciæ: reſtitutus clerus, reſtaurata templa, cultusque ſacrorum poſtliminio reductus: Moravia, Sileſia, & Luſatia, a Saxone domita, exemplum Bohemiæ ſequente. Prolixiorem horum tractationem parte VIII. dedimus. Fructus victoriæ.

Interim vero, dum Palatinus etiam ex Sileſia profugeret, *Mansfeldius* res ejus prolapſas in Bohemia utcunque ſuſtentabat, aſtu maxime, dolisque, quibus valebat. Nam cæteris ferme urbibus ad Dominum ſuum redeuntibus, Pilſam adhuc & Taborem præſidio tenebat, multis e fuga eo dilapſis. Dumque Cæſareis ſpem facit, accepta pecuniæ ſumma, tradendi eas urbes, atque relinquendi Bohemiam, pactus eam in rem aliquot hebdomadum induciis, totum illud tempus reparando bello ſolerter impendit. Mansfeldii fraudes.

Tum vero, diſpoſitis per hyberna Cæſareis, repente provolans, Schlackenvaldam, Tachaviam, aliaque oppida invadit. Ejusque exemplo excitatus *Jägerndorffenſis*, Brandeburgicus Marchio, Sileſiam Moraviamque crebris incurſionibus infeſtam habuit, nihil territus edictis, quibus Cæſar utrumque proſcripſerat. Jägerndorfſii rebellio.

Interim autem Princeps Liechtenſteinius, Bohemiæ Gubernator a Cæſare dictus, in rebellionis auctores inquiſivit. Citati Rebelles puniti.

 edicto

edicto abſentes, & ubi præfixo die ſe non ſtiterant, contumaciæ damnati, omnibusque officiis & bonis privati ſunt. Ad Directores maxime judicium illud pertinebat: qui munere illo abuſi, rebellionis incentores, & promotores, in poteſtatem Cæſaris venerunt, atque habita quæſtione, morte ſcelus luerunt. Tres & quadraginta hac pœna Pragæ ſunt condemnati, quorum aliquos Cæſaris Clementia ſupremo ſupplicio exemit. Ex directoribus novem capite plexi. Idem ſupplicium Oeniponti ſubiit Tieffenbachius, Moravicæ rebellionis reus.

Miniſtelli exacti. Inſuper Præcones, qui multa indigna in Catholicos ipſumque Cæſarem ad populum dixerant, ac etiam ſcripſerant, Regno pulſi; Catholici vero ſacerdotes reducti, vineam illam horreſcentem cultu impigro fertilitati reddiderunt, inſtaurata, Joſiæ exemplo, a pientiſſimo Cæſare per omnes provincias re Divina, & animarum cultura. Nec ſanctum illum Religionis avitæ zelum ullæ, magnorum etiam Principum, interceſſiones ſufflaminare poterant.

Religio reſtituta.

Caraffæ opera. Inſignem in hanc rem operam præſtitit Carolus *Caraffa*, Epiſcopus Averſanus, ſummi Pontificis ad Cæſarem Legatus, qui non modo res Eccleſiaſticas præclare ordinavit, ſed erudite etiam ſcripſit, edito opere, quod *Germaniam ſacram reſtauratam* inſcripſit.

Thabor recipitur. Sub finem anni 1621. tota Bohemia ad fidem Cæſaris reducta eſt: expugnata ad extremum Tabore. Urbem hanc profundo vallo ac triplici muro Ziſca circumdedit, indito nomine a monte Tabor; unde & *Taboritæ* dicti, qui ejus factioni adhærebant. Mansfeldiani locum, ſpe liberationis, diu defenderant. At Mansfeldio in Palatinatum digreſſo, præſidiarii, bimeſtre ſtipendium pacti, munimentum tradiderunt. Cives pecunia multati, Nobiles judicio Cæſaris reſervati. Taboris deditionem reſidua caſtella ſecuta ſunt.

ARTICULUS IV.

Saxo invadit Bohemiam. Expellitur. Wallenſteinii cædes. Pax Pragenſis. Sueci Boh. Moraviam, Sileſiam vaſtant. Pragam Minorem capiunt. Major ſtrenue defenditur. Pax Weſt. Refloreſcit Religio. Elector Bohemiæ ad Comitia receptus.

Saxo Bohemiam invadit. Fruebatur poſthac Bohemia per decennium pace, quoad ſacra & politica a Cæſare ſapientiſſime ordinata, donec poſt pugnam Lipſienſem Saxo per *Arnhemium* eandem invaſit, capto Leutomeri-

tomericio, Praga, Egra, aliisque minoribus oppidis. Ad Budovicium hæſit victoria, a Marrodio ſtrenue defenſum. Superveniens, reſtituto militari Imperio, Wallenſteinius, Saxonibus pulſis, Bohemiam liberavit. At biennio poſt contigit Egræ Wallenſteinii cædes. Poſt victoriam vero Nordlinganam pacificatio Pragenſis cum Saxone. **Expellitur. Wallenſteinii cædes. Pax Pragenſis.**

Anno 1639. Bannerius, Suedicæ militiæ Imperator, arma per Bohemiam circumtulit, intercepto Leutomericio & Brandiſio. Ejectus inde a Leopoldo Archiduce, Ferdinandi III. Cæſaris fratre. **Sueci Bohemiam,**

Sed Torſtenſonus, Bannerii ſucceſſor, anno 1642. cum exercitu rediit, percurſaque Luſatia, in Sileſiam irrupit, atque Glogoviam majorem, in quam Cæſarei magnam frumenti bellicique apparatus vim comportaverant, expugnavit. Cæſi præſidiarii prope omnes, & magna civium pars. Urbs ipſa hoſtilem in modum direpta. Victo dein Lavenburgico, tota propemodum Sileſia a Torſtenſono eſt ſubjugata. **Sileſiam,**

Flexa mox in Moraviam expeditione, illam quoque provinciam cum Olomucio omnem ferme occupavit, grandi ubique præda potitus. Brinna ſtitit volantis victoriæ impetum, a Souchio ſtrenue defenſa. **Moraviam diripiunt.**

At anno ſequenti, cum Torſtenſohnus arma in Danum avertiſſet, Sileſiam atque Moraviam, Glogovia & Olomoucio exceptis, Cæſari recuperandi ſpatium dedit. Verum cum ille, Dano ad pacem compulſo, in Sileſiam rediiſſet, Jankovienſi victoria elatus, Sileſiam, Moraviam, Bohemiam, ipſamque Auſtriam cum victore exercitu percurrit. Iterum Brinna ſaluti fuit, a Suecis fruſtra oppugnata. **Brinna ſaluti fuit.**

Anno 1646. ut triſtibus læta inſerantur, Ferdinandus, Cæſaris Ferdinandi III. filius, ſolenni ritu Rex Bohemiæ eſt coronatus Pragæ, præſente ipſo Imperatore, & magno Procerum numero. Pridie Imperii Ordines in arce novo Regi juramentum fidelitatis præſtiterunt. Die ipſa Cæſar cum Rege inaugurando, omniumque Ordinum comitatu ad templum princeps progreſſus, ſacro Miſſæ officio, ab Harrachio Archiepiſcopo & Cardinale, aſſiſtentibus 16 Epiſcopis & Prælatis, celebrato, interfuit. Sub ipſo ſacro Rex ad pedem ſummæ aræ in genua procumbens, ab eodem Archiepiſcopo veteri more inunctus eſt, & coronatus. Tum vero ſupremus Regni Burggravius ad populum converſus Regem coronatum alta voce denuntiavit. Sacro peracto Rex in ſolio collocatus aliquot, **Ferd. IV. Rex. Coronatur.**

educto enſe leviter tactos, Nobiles creavit. Solennitatem finiit convivium, Legatis datum atque Nobilibus, inter applaudentem tormentorum fragorem, ignes artifices, aliaque publicæ lætitiæ ſigna.

Sueci Pragam minorem capiunt.

Sed brevi verſa iterum rerum ſcena, Pragæ gaudia excepit triſtis aſpectus; dum Königsmarckius, cæſo ad Auguſtam Melandro, Imperatore Cæſareo, in Bohemiam irrumpens, captis aliquot urbibus, aſſumptisque mille ac ducentis peditibus cum turma equitum, 26 Julii 1648. ſub diluculo repente Pragam minorem, arcemque Regiam, in ea ſitam, aggreditur, & priusquam pauci, qui aderant, præſidiarii concurrerent, in poteſtatem redigit. Capti præcipui e Nobilitate Bohemica: quibusdam, qui reſiſtere conabantur, interfectis. Urbs militi, præter paucas domos, in prædam data, opulentam omnino & præpinguem.

Major ſtrenue defenſa.

Coloredus præſidii præfectus ægre per pontem in urbem veterem ſe ſubtraxit, omniaque ad defenſionem comparavit; cives & Academici ad arma vocati; ſuæ quibusque ſtationes diſtributæ. Tantaque alacritate ab omnibus ſuſcepta propugnatio, ut, licet Wittenbergius, Dux Suecus, ex Sileſia propere cum auxiliis accurrerit, & Carolus etiam Guſtavus numeroſa ex Suecia ſubſidia adduxerit, magno tamen animo & memorabili virtute conatibus omnibus itum obviam; donec tandem ſub initium Novembris de pace inita nuntiatum eſt: relicto dubio, an ferocia oppugnantium, an virtus oppugnatorum viciſſet.

Usque ad pacem Weſt.

Quamvis autem Proteſtantes in pacificatione Osnabrugenſi vehementer inſtarent, ut Bohemis Religionis libertas permitteretur, nunquam tamen piiſſimus Imperator Ferdinandus III. adduci potuit, ut conſentiret. Leopoldi autem Magni induſtria ager hic latiſſimus ita cultus eſt, ut, ſuffocatis zizaniis, in lætiſſimos Orthodoxæ Religionis fructus effloreſceret, prout hodiedum cum omnium, recte ſentientium, ſolatio eſt cernere.


Religio refloreſcit.

Tempore Joſephi Imperatoris Bohemiæ Regnum aliquam mutationem ſubiit. Nam ab antiquiſſimis equidem temporibus Rex erat Elector Imperii, ſed diverſa a cæteris Electoribus ratione, arctisque poteſtatis finibus. Si quando duas in partes æquales ibant ſuffragia, cui is accedebat, hujus rata erat electio. Sed per Bullam auream Cap. 4 §. 3 votum abſolutum eidem in omnibus electionibus Cæſareis eſt datum, & quidem loco tertio, poſt Trevirenſem & Colonienſem, inter Electores ſæculares primo.

Elector Bohem.

De

De cætero a collegio Electorali habebatur exclusus. Neque ad conscribendas capitulationes aderat, neque in comitiis sessionis & suffragii jus, aut pro Camerali Judicio deputandi assessorem, dabatur. At vero anno 1708. omnia reliquorum Electorum jura, atque in omnibus conventibus, tam Electoralibus, quam Comitialibus Statuum Imperii, sententiam dicendi potestas est concessa, æquato per omnia cum reliquis Electoribus jure. Hæc res equidem jam anno 1699. cum de nono Hannoverani Electoratu tractaretur, a Leopoldo Cæsare est agitata, sed eo demum, quem dixi, anno perfecta. Suffragii absoluti jure gaudet.



CAPUT X.
DE
STATU LOTHARINGIÆ
SÆCULO XVII.

SUMMARIUM.

Lotharingia vetus. Media. Nova. Caroli III Ducis fata. A Gallis & Suecis invaditur. Plures cum Gallis tractatus init. Ducatum fratri Nicolao Francisco cedit. Interest prælio Nördlingano. Nicolæam repudiat. Sociat se Hispanis. A quibus in custodiam abducitur. Obit Coloniæ. Carolus Leopold. reservato jure suo relinquit Ducatum in Gallorum manibus. Jos. Leop. restituitur.

De Lotharingia in partibus præcedentibus sparsim dicta sunt aliqua; hic autem juvat pauca colligere. Divisa olim fuit in *superiorem*, quæ ad Mosellam sita hodiedum Lotharingiæ nomen obtinet, & *Inferiorem*, quæ in Brabantiam, Leodiensem, Mosæ & Scaldis tractum excurrebat. Utraque ex Alberone descendens Mærovingicis Franciæ Regibus parebat, donec Inferioris Lotharingiæ Duces, inter quos Ansegisus, Pipinus Heristallus, 67. Antiqua Lothar.

lus, Carolus Martellus, Pipinus Brevis, Majores Domus, tanta Auctoritate increscerent, ut deturbatis throno Mærovingicis Regibus, Carolingicam Regum stirpem fundarent.

Lotharius I. Ludovici Pii filius has ad Mosam & Mosellam provincias in partitione obtinuit, & post eum filius Lotharius II. a lite cum Theutberga conjuge, & Waldrada concubina satis notus. Ab ejus nomine *Lotharingia* est appellata. Carolus III. Lotharii Franciæ Regis frater ab Ottone M. Imperatore Inferiorem Lotharingiam in feudum accepit, exclusus propterea a corona Galliæ.

Post extinctam stirpem Carolingicam Lotharingia Inferior ad Bullionios pervenit, quos inter gestorum gloria eminuit Godofredus Bullionius Rex Jerosolymæ. Ad Lovanienses dein comites devoluta est Lotharingia Inferior, qui deinceps Brabantiæ Duces sunt appellati.

Lotharingia superior, cum Mærovingici Reges Franciæ Regnum inter se dividerent, ad *Austrasiæ* regnum pertinebat, sede Regia Metis locata. Sub Carolingicis spectabat ad Regnum *Lotharicum;* magna autem tunc contentione disputabatur, an Lotharingia ad Germaniam, an vero Galliam pertineat, donec Imperatores prævaluerunt, qui pluribus viris nobilibus illum tractum in feudum concesserunt, quibus Ducum *Mosellanorum* nomen adhæsit.

Denique Gerhardus, Landgravius Alsatiæ anno 1048. superiorem Lotharingiam obtinuit, in cujus familia ad nostra usque tempora permansit. Sæculo XV. Jolantha, Renati I. Ducis Andegavensis Regis Neapolitani filia, matrimonio juncta Friderico Valdemontio ejusdem familiæ nupsit; per quod matrimonium sublata

Media. est de successione contentio; nam Renatus II. ex eo matrimonio natus, Domus Lotharingicæ, Valdemontiæ, & Andegavensis in Gallia bona conjunxit, cum prætensione in Neapolim, Siciliam, Arragoniam, Jerosolimam.

Hic Renatus II. victo Helvetorum opera Carolo Audace, potente illo Burgundiæ Duce, duobus filiis suis *Antonio* & *Claudio* ineunte Sæculo XVI. ditiones suas ita distribuit, ut priori obveniret Lotharingia, Valdemontium, Barrum, Mussipontum, alteri ditiones Andegavenses in Gallia, videlicet Guisia in Picardia, Aumalia & Ellebovium in Normannia, Meduana (*Mayenne*) in Insula Franciæ. Unde Antonius deinceps lineam Lotharingicam, Claudius vero plures Gallicas, in Historia notas, propagavit, *Guisiam* videlicet, Meduanam sive *Mayennam*, *Aumaliam*, *Elboviam*, *Harcuriam*, *Lillebonam*, & *Harcuriam Armanach;* ex quibus, extinctis reliquis, sola Elbovia & Armacana supersunt. Porro

Porro Henricus Dux Lotharingiæ anno 1624 ſine prole maſcula mortuus, reliquit duas filias, *Nicolæam* & *Claudiam*. Cum autem haberet fratrem Franciſcum, comitem *Valdemontium*, orta eſt controverſia, an ultimi poſſeſſoris filia, an vero frater ſuccederet. Dirempta lis eſt per nuptias inter duas filias Henrici, & duos filios Franciſci, Carolum & Franciſcum. Quia igitur Nicolæa fuit primogenita Henrici Ducis Lotharingiæ, & Carolus primogenitus Comitis Valdemontii, ceſſavit quæſtio, an fœminæ in Lotharingia ſuccedant. **Nova.**

Si quis unquam Princeps fatis aſperis fuit jactatus, is certe fuit *Carolus III.* Dux Lotharingiæ. Et quidem anno 1631. Galli, irruptione in Lotharingiam facta, Moyenvicum expugnarunt, quod Dux aſylum præbuiſſet Matri Regis, Duci Aurelianenſi, & omnibus, qui Galliam deſeruiſſent, quodque arma ſua Cæſari adverſus Suecos ſociaſſet. Dux igitur, ad avertenda majora mala, tractatu inito promiſit abdicare omne commercium, quod Regi aut Suecis, Galliæ fœderatis, poſſet eſſe præjudicio, ſoliſque Gallis liberum per terras ſuas tranſitum concedere, atque iis copias ſuas conjungere, Marſaliæ munimentum in fidei pignus tradere. Rex vero Duci protectionem ſpondet, & intra triennium reſtitutionem Marſaliæ. **Caroli III. fata.** **A Gallis invaditur**

Cum autem anno 1632 Sueci fines Lotharingiæ urerent, Dux armatus adverſus illos proceſſit, ſed interdictum a Gallis accepit, ne quid moveret. Cum illi Barleducum occupaſſent, & Nancæjo jam imminerent, Dux novo tractatu promiſit, priorem ad amuſſim obſervare, & Claremontium cum arce & Stenæo Franciæ cedere, ratione Barrenſis Ducatus Regi homagium præſtare, nullaque in re rationes ſuas a Gallia disjungere. **& Suecis.**

Anno 1633. Dux Pariſios in jus vocatus eſt, quod homagium ratione Ducatus Barrenſis Regi non præſtitiſſet. Sunt, qui ſcribant, Ducem id non recuſaſſe, niſi, quod ſimul a Nicolæa conjuge eſſet petitum, cum tamen fœminæ in Lotharingia, vi teſtamenti Renati II. ſucceſſionis ſint incapaces. Parlamentum pronuntiavit, occupandum eſſe Ducatum. Dux Lunevillam ad Regem profectus, ubi vidit, libertatem ſuam periclitari, Nancæjum, urbem ſuam principem, Gallis tradidit, 4 annis depoſiti inſtar tenendam.

Anno 1634. Dux Carolus, turbarum pertæſus, Lotharingiam in fratrem ſuum Nicolaum Franciſcum Cardinalem tranſtulit, qui, depoſita purpura, Claudiam, Nicolææ ſororem, ſibi de- **Fratri Ducatum cedit.**

ſpondit, ut gemino jure ſe tueretur, & ſuo & Conjugis. At novi Conjuges Nancæi in cuſtodiam a Forcæo perducti, mutato habitu evaſerunt, primum in Burgundiam, tum Florentiam, denique Viennam. Carolus vero, relicta in manibus Gallorum Lotharingia, cum copiis in Germaniam abiit, ubi pars non parva fuit Nördlingenſis victoriæ, & aliarum expeditionum ſocius.

Nördlinganæ pars victoriæ.

Repudiat Nicolæam.

Anno 1637. prout erat verſatili in omnes partes ingenio, repudiata uxore ſua *Nicolæa* duxit Beatricem *Cuſſanciam* viduam, ſe a patre ſuo Valdemontio coactum Nicolæam, a venefico baptizatam, ſibi deſpondiſſe. Nicolæa ad Urbanum VIII. querelam detulit, qui ſeparationem imperavit, donec cauſa eſſet diſcuſſa; cum autem Dux non pareret, excommunicationis ſententia in eum fuit pronuntiata (anno 1642.) Tandem vero Innocentius X. matrimonium poſterius irritum declaravit.

Tractatus cum Gallis.

Anno 1641. Dux Carolus, inſtigante Cuſſantia, Pariſios abiit, cum Rege de reditu ſuo in Lotharingiam tractaturus. Præſcriptæque illi hæ leges: Dux homagium præſtet: Nancæjum, Clermontium, Stenæa, Jameicum, Dunum, cum omnibus eo pertinentibus in proprietatem & dominium Regis tranſeant. Marſaliæ munimenta diruantur: reliqua Duci reſtituantur, qui toties arma ſua cum Regiis conjunget, quoties requiſitus fuerit: donec cauſa matrimonii finita fuerit, ſolvet annuatim Dux Nicolææ 120000 librarum: juramento confirmet hunc tractatum in Capella Regia.

Redux in Lotharingiam ingenti ſubditorum gratulatione & acclamatione exceptus eſt; verum, cum videretur, fidem datam non ſatis liberare, vim rurſus inferente Gallia, iterum exulatum ivit, relictis tamen urbium Præfectis, qui, quantum poſſent, Gallis reſiſterent; quod maxime factum, dum turbæ domeſticæ Galliam miſcerent, miſſo etiam Lignevillio cum copiis, quæ Ducatum tueantur.

Ad Hiſpanos.

Poſt pacem Weſt. cum in ea Lotharingia non eſſet comprehenſa, Dux Hiſpanis ſe addixit, & cum prædatorum exercitu Imperii etiam Principibus gravis exſtitit, ut adeo vix non bellum decèrnerent. Tandem vero, cum Hiſpanis, ne ad Gallos ſe applicaret, & pro arbitrio copiis uteretur, non ſine variis contra eum querelis, Bruxellis detentus, primum Antverpiam, Toletum dein in Hiſpaniam fuit deportatus, ubi 6 annos velut captivus hæſit, ad pacem videlicet usque Pyrenæam.

Captus.

Franciſcus Dux fratris Caroli libertatem ab Hiſpanis petiit; ſed cum eam non obtineret, offenſus ad Gallos tranſiit. Secutus eſt

eſt poſt pacem Pyrenæam Carolus, novamque cum Mazzarino tractationem ſuſcepit. Conventum in ea, ut Nancæjum munimentis nudetur, nunquam amplius reparandis: Rex retineat Moyenvicum, Clermontium, Stenæum, Jamecium: Barrenſis Ducatus Carolo reddatur, exceptis 30 locis; ſalva etiam via, duabus leucis lata, per Lotharingiam. His conditionibus remiſſus eſt Dux in ſuas provincias.

Anno 1662. Carolus aliam cum Rege conventionem confecit, qua, nullo fratris Franciſci reſpectu habito, Franciæ Regem Lotharingiæ hæredem renuntiavit, promiſſa Marſalia in pignus fidei. Rex vero permiſit Duci libertatem, de 100000 thalerorum reditibus annuis diſponendi, in cujuscunque favorem fuerit lubitum; ſimulque omnes Principes Domus Lotharingicæ coronæ & ſanguinis Principes declarat, ſucceſſionis in regno Galliæ capaces in caſum, quo linea Borbonica eſſet exſpiratura. Hinc Carolus ad Condeum Principem jocando dixit, ſe uno calami ductu feciſſe 24 Principes ſanguinis, Condeum contra unicum facere potuiſſe. **Novus cum Gallia tractatus.**

Tractatus iſte vehementer diſplicuit Duci Vindocinenſi, Domui Curtenacenſi, Paribus & Ducibus Franciæ, atque ipſis etiam Principibus Regii ſanguinis; quippe omnes iſti exiſtimabant, per tantam Domus Lotharingicæ, quæ in multos ramos, per Galliam maxime, erat diffuſa, Dignitatis prærogativam obſcurari ſuam, Regem Franciæ non poſſe facere Principem ſanguinis, niſi cum Regina, legitima ſua conjuge.

Neminem autem magis hæc tractatio afflixit, ac Carolum Leopoldum, Nicolai Franciſci Valdemontii Ducis filium; ſive enim fœminæ ſuccedant, ſive non ſuccedant, tanquam proximus agnatus unicus & Caroli, & Nicoleæ jure proprio debebat ſuccedere, utpote utriusque nepos, illius ex fratre, hujus ex ſorore. Non poterat igitur Carolus III. Dux jure quæſito, & per pacta Familiæ, providentiam Majorum, ſanguinem, & perpetuam conſuetudinem roborato eum privare; prout etiam ex uſu, in omnibus Regnis & principatibus hæreditariis elucet. **Carolus Leopold. proteſtatur.**

Videtur hoc attendiſſe Parlamentum Pariſienſe, quod eum tractatum noluit habere ratum, niſi ſub conditione, ſi omnes, quorum intereſt, ſint conſenſuri, probe gnarum, Carolum Leopoldum nunquam aſſenſurum, ut hæreditate ſua avita privaretur. Quod facto ipſo mox oſtendit, dum, ne cogeretur aſſentire, ex Gallia clam profugit ad Leopoldum Imperatorem, apud quem ſummi belli Imperatoris officio functus, ductaque ejus ſorore, conſenuit,

ſenuit, nunquam viſo patrimonio ſuo, Lotharingia; quia pace Neomagenſi tales conditiones ei a Gallia ſunt propoſitæ, ut jus potius ſuum reſervandum ſibi cenſeret, quam ut eas ineundas ſibi putaret.

Cæterum nec Galli ipſi in eo, quem dixi, donationis contractu magnum ponendum eſſe momentum exiſtimarunt, nec Carolus Dux aliud, quam jocari viſus eſt; nam eo titulo, quod non omnes, quorum intereſt, conſentiant, in patriam redux, Marſaliam tradere recuſavit, atque contractum, a ſe leviter initum, complere.

Interea autem Carolus III. Dux, quamvis jam prope ſexagenarius, de novis nuptiis cogitare cœpit; ſiquidem Nicolæa prima legitima conjuge anno 1657 mortua, a Cuſſantia concubina, quam antea deperierat, abhorruit tantopere, ut nec ad conſpectum eam amplius admitteret. Suaſerunt illi quidam Galli, ut quandam Pajotam duceret, humili quidem loco natam, ſed dotibus præſtantem; nec abnuit Dux, ſed Rex ſe oppoſuit, timore forſan, ne liberos ex ea gigneret, & ſic tractatus initus in majores adhuc difficultates devolveretur.

Rex enim ejus implementum urgebat, & cum Dux tergiverſaretur, Marſaliæ Gallicum præſidium recipere, Rex Forcæum cum exercitu in Lotharingiam miſit. Dux ſerio rem agi cernens, anno 1663. novum rurſus contractum iniit, quo promiſit, Marſaliam intra triduum Regi tradere. Quod etiam factum.

Bello dein Belgico fervente Dux copias ſuas Regi tradere coactus, ab Electore Palatino impetitus eſt. Carolus autem novis delectibus habitis, Principem Lillebonum miſit, qui victoriam retulit, ſed Elector fructum, Gallo ſe miſcente.

Loth. ad Gallos. Anno denique 1670. Galli totam Lotharingiam occuparunt, perſcriptis ad comitia Imperii Ratisbonam his rationibus: inconſtantia Ducis, mala fide, prævaricatione, tractatuum pactorumque frequenti infractione, molitionibus contra Franciam, coactum Regem mittere cum copiis Crequium, qui ad tria capita eundem pro publica quiete obtinenda adſtringeret, 1. ut militiam dimittat. 2. Pro centum violationibus pactorum ſatisfaciat. 3. Idoneam cautionem pro futuro præſtet.

Accuſabatur præterea, quod ſociare ſe voluerit Triplici Fœderi: mercatores Gallos, per ejus terras transeuntes, vectigalibus oppreſſerit, aut eorum merces *arreſto* ſubjecerit: copias auxerit: in diverſis Germaniæ locis plures legiones habeat: propterea

Regem

Regem ipſi diffidere, ac provincias ipſius in tutelam recipere. Proxima cauſa videtur, quod Rex, præparans bellum adverſus Batavos, ad Moſellam poneret aggerem iis, qui Hollandis auxilium eſſent allaturi.

Crequius voluit ipſum etiam Ducem comprehendere; verum ille quatuor duntaxat perſonis ſtipatus evaſit in Germaniam, nusquam ſui ſatis ſecurus, Lotharingiam vero reliquit in Gallorum manibus. Bello Hollandico anno 1672 exorto, Cæſaris partes ſecutus, in Burgundia & ad Rhenum militavit.

Tandem vero, poſtquam varias urbes exul oberravit, mortuus eſt Coloniæ Agrippinæ, ubi publica pietatis vere Chriſtianæ exempla toti urbi complura dederat, frequens in Eccleſiis ſine comitatu; cum ſacra Euchariſtia ad ægros deportaretur, plebi ſe immiſcere ſolitus, & Corollam Marianam recitare, vanitatem mundi, ut nemo alius, expertus. Caroli III. obitus.

Obiit autem anno 1675, æt. 71. Ex Nicolæa, legitima conjuge, nullam prolem ſuſcepit, ex Cuſſantia vero Principe reliqui Carolum Henricum, Comitem Valdemontium, qui declaratus illegitimus, anno 1698 a Rege Hiſpaniæ deſignatus eſt Gubernator Mediolani; filius vero ejus Thomas, Cæſarem ſecutus, jam anno 1704. in pugna ad Oſtiliam in Italia occubuit, pater vero primum anno 1723.

Quidam Genealogiſtæ notant, Carolum III. Ducem poſt mortem Nicoleæ, & Cuſſantiæ duxiſſe Aſpremontiam, nullos tamen ex ea liberos ſuſcepiſſe.

Habuit autem, quod ſupra memini, Carolus fratrem Nicolaum Franciſcum, qui primum Epiſcopus Tullenſis, dein Cardinalis, denique Nicoleæ ſororem juniorem Claudiam ſibi deſpondit, atque ex ea genuit Carolum Leopoldum, inter præcipuos bellicos Heroes numerandum, cujus illuſtria contra Turcas & Galliam geſta alias recenſuimus.

Huic igitur (mortuo patre Nicolao jam anno 1670) poſt obitum Caroli III. debebatur Lotharingia, ſed tota vita ſua nunquam in poſſeſſionem venit. In pace Neomagenſi anno 1679. reſtituebatur, ſed iis conditionibus, quas, jure ſuo ſibi reſervato, non acceptandas putavit. Relicta quippe eidem optio, an juxta modulum pacis Pyrenææ vellet reſtitui, relictis videlicet Galliæ Barrenſi & Claremontano Ducatu, urbibusque munitis, Stenæa, Marſalia, Moyenvico, an vero Franciæ cedere velit Nancæjum cum ſuis confinibus, cum quatuor viis, Leuca dimidia latis, quarum una duceret Carolus Leopold.

ceret Nancæjum, altera Nancæjo in Alſatiam, tertia Nancæjo in Comitatum Burgundiæ, quarta Nancæjo Metas, ita, ut omne ſpatium, viis iſtis comprehenſum, ad Regem ſpectaret, prout etiam Longvicum.

Utramque, quod dictum, reſpuit conditionem Dux Carolus Leopoldus, quarum prima abſorberet dimidiam partem Lotharingiæ; altera præcipuam partem & communicationem Ducis cum ſuis terris, cum viæ illæ eſſent totidem aggeres, aut vincula, quibus eſſet ligatus.


Obit Carol. Leopold.

Obiit Dux Carolus Leopoldus anno 1690, Welſii in Auſtria, dum Oeniponto Viennam tenderet, ætatem, ſi annos ſpectes, non altam (47 agebat); ſi geſta, profundiſſimam implevit. Viennenſis, Barcana, Strigonienſis, Mohazenſis excellentes victoriæ, Buda expugnata, Tranſylvania & Hungaria Cæſari aſſertæ, perpetua ſunt trophæa Lotharingicæ gloriæ.

Ex Eleonora conjuge, Leopoldi Cæſaris ſorore, Regis Poloniæ vidua reliquit quinque præſtantes Principes, quibus omnibus Joſephi nomen impoſitum. Et quidem *Leopoldus Joſephus*, natu maximus, ſucceſſit in jura patris, reſtitutaque eſt ei Lotharingia per pacem Riſvicenſem in eo ſtatu, quo Carolus III. ejus propatruus ante annum 1670 eam poſſederat. Joſephus Ignatius Electoratum Trevirenſem eſt conſecutus. Reliqui tres Cæſari militabant.

Leopold. Joſeph.

Leopoldus Joſephus anno poſt reſtitutam Lotharingiam matrimonio ſibi junxit Eliſabetham Ducis Aurelianenſis filiam, ex qua 13 proles genuit. Reliquæ præmatura ætate ſunt defunctæ. *Franciſcum Stephanum* Auguſtiſſimum Imperatorem noſtrum veneramur: Eliſabetha Carolo Emmanueli, moderno Regi Sardiniæ fuit nupta. Carolus eſt Gubernator Belgii, & ſupremus Ordinis Teutonici Magiſter. Anna Carolina cœlibem vitam elegit.



CAPUT

CAPUT XI.

DE STATU POLONIÆ SÆCULO XVII.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

Suecos ad Rigam vincunt Poloni. Smolenſcum expugnant: brevi tamen ad Ruſſos rediit, & Cozimum ad Turcas. Obit Sigiſm. III. ſuccedit Ladisl. filius. Livonia ad Suecos. Caſimiri Regis fata. Coſacci deficiunt. Pax ſæpius illis data: ſæpius fracta. Sueci diſcerpunt Poloniam, & Ragozius. Hujus fata.

Sigismundum III. Poloniæ Regem, Joannis Sueciæ Regis filium, 68.
a Carolo Sudermanniæ Duce, patruo ſuo, throno Suecico dejectum anno 1600, indeque bellum diuturnum enatum eſſe, in Suecicis memoravimus.

Anno 1605 Poloni Sudermanniæ Principem, qui Carolum IX ſe dixit, a *Riga*, quam obſederat, depulere, cæſis ad novem Suecorum millibus; tantaque fuit fugientium confuſio, ut deleri ad internecionem potuiſſent, ſi Poloni alacrius acriusque ſuam eſſent perſecuti victoriam. Polonorum pauci, ſi cum Suecis comparentur, fuerunt deſiderati. Polonorum victoria de Suecis.

Involuta dein Polonia etiam cum Ruſſis bello, Demetrios, qui Joannis Baſilidis filios ſe dicebant, throno Ruſſico imponere conata eſt. Felix Sigismundo fluxit annus 1611, quo *Smolenskum*, munitiſſimam in Lithuania ad Boriſthenem urbem, poſt biennem oppugnationem expugnavit. Ultra centum Moſcorum millia eo biennio periiſſe dicuntur. Mirum videri poſſet, quod Sigismundus hoc tempore Moſcoviam ſit adortus, & non potius, conciliatis ſibi Ruſſis, toto pondere in Sudermannum uſurpatorem Suecosque incubuerit, ut Regnum avitum repeteret. At feliciores fuere Sueci, quod ipſi Ruſſos nacti ſint ſocios; quamvis Danus Polonis acceſſerit adverſus Suecos. Smolenskus ad Polonos.

Anno

Anno 1612, dum Sigismundus ceremoniis *Investituræ* Borussicæ, Brandeburgo impertiendæ otiose immoratur, Poloni victi ex Moscovia pulsi sunt; & quod dolendum maxime, Smolenskum, quod tanto sanguine sumptuque Polonis constiterat, milite & re armamentaria parum provisum, in Russorum manus fuit relapsum.

Rursus ad Russos.

Anno 1620 Poloni a Moldaviæ Principe, a Turcis deposito, implorati, 8000 miserunt, quæ tamen a Turcis & Tartaris partim concisa, partim in fugam sunt compulsa.

Turcæ cæsi.

Anno sequente Osmannus cum innumerabili exercitu Polonos & Cosaccos, castris munitis circumvallatos, est aggressus, sed tanta suorum strage repulsus est, ut pacem respiceret, hac lege concessam, ut Tartarorum & Cosaccorum procursiones & rapinæ severe cohibeantur. Vaivada Moldaviæ sit Christianus, sed a Sultano nominandus. *Chozimum* a Polonis eidem restituatur.

Chozim ad Turcas.

Dum autem Polonorum arma in Turcas erant abstracta, Gustavus Rex Sueciæ, fractis induciis, Livoniam invasit, Riga aliisque locis expugnatis. Tum vero novas cum Sigismundo inducias pepigit.

Obit Sigism.

Anno 1636 obit Sigismundus III, Poloniæ Rex, & jure paterno etiam Sueciæ; sed a patruo corona spoliatus. Unde bellum, quod diu, sed satis frigide gessit. Facta cum Suecis pace, occasionem Gustavo dedit, in Germaniam irruendi. Vixit annos 66, rexit Poloniam 44, Sueciam 7. Duas successive sorores habuit conjuges Annam & Constantiam, Caroli Archiducis filias, Ferdinandi II. Imperatoris sorores. Ex prima genuit Uladislaum IV, qui patri in Regno Poloniæ successit: ex secunda Joannem Casimirum, cui post fratris mortem sceptrum obtigit.

Uladislaus IV.

Uladislaus igitur, qui jam antea adversus Russos & Turcas præclara fortitudinis specimina ediderat, Regnum adeptus, remissius illud, ac spem præbuerat, administravit; nam deserto, cum maxime opus haberet, auxilio, Ferdinando Cæsare, avunculo suo, inducias, cum Suecis a patre initas, Sturasdorffii in 26 annos prorogavit, ea quidem lege, ut Sueci Borussiam Poloniæ restituerent, Livoniam autem retinerent ad tempus induciarum.

Livonia ad Suecos.

Anno 1648 mortuus est Ladislaus IV, æt. 53, Regni 16. Duas conjuges habuit, primam Renatam, Ferdinandi II. Cæsaris filiam, secundam Mariam Nivernensis & Mantuani Ducis natam. Ex neutra reliquit liberos: unde successit per electionem *Joannes Casimirus* frater, qui duxit Mariam Nivernensem, fratris Uladislai relictam viduam, dispensante in impedimento affinitatis Pontifice.

Casimiri fata.

Casi-

Caſimirus, optimæ quidem indolis Princeps, ſed inconſtantis, cum junior adhuc eſſet, a Rege Hiſpaniæ Prorex Luſitaniæ fuerat electus, ſed in itinere a Gallis captus eſt. Ad fratris Uladislai inſtantiam liber dimiſſus, ſocietati Jeſu animum adjecit, Novitiatum Romæ ingreſſus. Inde vero extractus Cardinalium Collegio a Pontifice eſt aggregatus, & poſt mortem fratris a Polonis Rex electus.

Summum ei negotium fecerunt Coſacci, genx ferox & ſcutum hactenus Poloniæ adverſus Tartaros Turcasque; nam, cum acerbius a Polonis, quorum erant ſubditi, ſe haberi crederent, *Kmielnicio* incentore defecerunt, vocatis in auxilium Tartaris, ſolitis ad hæc usque tempora ſuis hoſtibus. Ad Korſum Polonos, quos Potokius ducebat, profligant, rurſusque ad Conſtantinovum. Ecce initium belli diuturni, Polonis funeſti, & Caſimiro Regi calamitoſi. Coſacci deficiunt.

Anno 1649. bis cruento prælio victa a paucis Polonis innumerabili Coſaccorum & Tartarorum multitudine pax confecta eſt. Caſimirus ſolvet Chamo penſionem, quam Uladislaus negaverat: veniam dabit Coſaccis, privilegia confirmabit, augebit eorum millia ad 40000 capitum: permittet in Regno exercitium Religionis Græcanicæ: Palatinus Kioviæ ſemper ſit ejusdem ritus: Chamus defendet fines Poloniæ: Kmielnicius de genu rogabit a Rege rebellionis veniam. Hæc pax vix annum tulit; barbaris rurſus contra Polonos coeuntibus. Cæſi ſæpius.

Anno 1651. Caſimirus Rex cum centum millium exercitu in campum Martium progreſſus contra trecenta Coſaccorum & Tartarorum millia, pugna, ad Bereteskolium commiſſa, eos vicit, & 6000 in acie cæſis, in fugam egit. Sed hydræ Erimantheæ inſtar ſuccreſcebant: licet paulo poſt iterum ad decem barbarorum millia ſint cæſa, iterumque tria millia in Lithuania, in quam irruperant. Pax ſæpius data.

Conceſſa petentibus rurſus pax: rurſusque Kmielnicius veniam rogavit; ſed eo animo, quo antea, nempe, ut, inſtauratis copiis, in aciem iterum prodire poſſet, icto etiam cum Moſcis fœdere, qui una cum Coſaccis & Tartaris ſequenti anno in Lithuaniam irruperunt, omnemque propemodum Poloniam barbarum in morem devaſtarunt. Sæpius rupta.

Anno 1654. Moſci poſt trimeſtrem obſidionem Smolenſcum expugnarunt. Anno vero ſequenti, cum omnia in Polonia miſcerentur, etiam Carolus Guſtavus, Rex Sueciæ, ruptis absque cauſa

induciis, bello repentino eandem obruit, & jam alias laceram dilaniare non erubuit. (anno 1655.)

Sueci in Poloniam.

Jamque potiſſimam Poloniæ partem victoriis emenſus, Boruſſiam quoque, Lutheranis ſcatentem, in poteſtatem redegit. At vero inclita natione Polonica ſe reſpiciente, & peregrinæ dominationis pertæſa, Caſimirus Rex e Sileſia, quo confugerat, in Regnum ſuum rediit, accepto nuntio, a ſubditis in favorem ſuum arma fuiſſe correpta.

At vero Suecus, ubi vidit, Polonos in ſe armatos, Electorem Brandeburgicum ſocium aſcivit, conceſſa ei & confirmata Boruſſia Ducali, adjectis ex alieno tribus Poloniæ Palatinatibus. Portuum autem Balthicorum proventus voluerunt eſſe utrique communes.

Calamitas Poloniæ.

Sed Zarneſcus, Polonorum Ductor, Suecos ad Jaroslaviam adortus, aciei campo & impedimentis exuit. Verum Posnaniam inter & Gnesnam Polonis clades eſt reddita. Illi nihiloſecius Varſaviam receperunt. At mox cæſi rurſus amiſerunt. Sueci vero Brandenburgicis juncti, Maſſoviam devaſtarunt, obliquis oculis eos progreſſus aſpicientibus Danis, Moſcis, & ipſis adeo Hollandis, qui claſſem Balthico immiſerunt, pro libertate navigationum defendenda.

Ragozi cæſus.

Anno 1657 Ragozius quoque Tranſylvaniæ Princeps, Suecorum ſocius, cum 3000 in afflictam Poloniam irruit, injuriam ſe paſſum cauſſatus, quod Caſimirus in electione ſibi eſſet prælatus. At vero, cum Polonia undique diſcerperetur, Moſcus & Danus bellum Suecis denuntiarunt; Cæſar quoque copias auxiliares Polonis miſit. Quare Suecus, relicta Polonia, in Danum, hoſtem ſibi proxime imminentem movit, atque Ragozium Cæſareis atque Polonis cædendum permiſit. Et ſane cæſus eſt egregie, atque, Moldavis & Valachis, Sultani juſſu, eum deſerentibus, ad pacem petendam adactus.

Pax ei data.

Data eſt hæc illi, ea lege, ut fœderi Suecico renuntiet, a Caſimiro Rege offenſam deprecetur: quadringenta thalerorum millia Caſimiro & Regi Hungariæ ſolvat, & inſuper 150000 Tartarorum Chamo, qui & ipſe, quod mirum, ex hoſte amicus factus, Poloniæ fatiſcenti ſubſidio venerat: Eccleſiaſticis Tranſylvaniæ bona erepta reſtituat: Poloniæ, quoties requiſitus fuerit, ſuccurrat. Atque ſic Princeps iſte, ambitione turgens, coronam ſomniatam, & denique, ut alias dictum, & Principatum Tranſylvaniæ & vitam amiſit, irato Sultano, vel iram ſimulante, quod ſe non conſulto arma in Poloniam vertiſſet.

ARTI-

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

Polonia respirat. Pax Olivensis, victis Suecis fœcunda. Casimirus abdicat Regnum. Eligitur Coribut: post hunc Sobieski, qui rem restituit. Viennam liberat. Irruptio in Turciam minus felix: obitus & elogium Sobieski. Eligitur Augustus.

Inter hæc autem Sueco in Daniam averso, requiescere aliquantum Poloniæ licuit; ut adeo etiam in Daniam, cum reliquis fœderatis, Cæsare, Brandenburgo, & Batavis, copias auxiliares posset mittere, quibus ita contritus est Carolus Gustavus, ingens illud belli fulmen, ut pacem petere, quin & mortem, rerum conversarum tædio, oppetere coactus fuerit. 69. Rerum conversio.

Ad pacem dein serio respiciente Suecia, Gallia interveniente, eam obtinuit. Electus illi conficiendæ locus in Borussia Polonica, Monasterium videlicet Olivæ, haud procul Gedano remotum; unde & *Pax Olivensis* dicitur.

Conventum in hos articulos, devictæ Sueciæ nimium propitios.

1. Sit amnestia perpetua inter Polonos, Danos, Brandenburgum, Batavos ex una, & Sueciam ex altera parte. Pax Olivensis.
2. In civitatibus Borussiæ Regalis omnia sacra & profana in statu antiquo conserventur.
3. Casimirus Rex Poloniæ renuntiat omni juri, quod habet in Sueciam & Finniam.
4. Livoniam & Estoniam Poloni cedunt Suecis. Religio tamen maneat libera. Polonis noxia.
5. Sueci restituant Polonis loca, quæ in Borussia Regali præsidiis adhuc suis occupata tenent.
6. Curlandia Polonis maneat.
7. Spondent pro hac pace Principes contrahentes, & Gallus Mediator.
8. Si injuria inferatur, satisfiat; alias licebit armis prosequi.
9. Gallus præcipue est fidejussor, & obligat se ad defendendam hanc pacem. (*anno 1660.*)

Mosco non admodum placuit hæc pacificatio, quod Suecis addicta esset Livonia, cujus partem ipse jam occupasset; unde Polonos rursus est aggressus: sed a Zernicio & Sapieha, Polonis Ducibus,

cibus, gravi clade affectus recessit: alteram cladem anno 1661. accepit a Lubomirskio Principe, qui dein cum pluribus Magnatibus seditionem movit adversus Casimirum Regem, cum Moscis autem 30 annorum induciæ sunt contractæ, relictis illis interim Smolensko & Chiovia magno Poloniæ detrimento. Confecta etiam pax cum Tartaris.

Anno 1667. obiit Varsoviæ Ludovica Gonzaga seu Nivernensis, duorum fratrum, Uladislai & Casimiri successive uxor: quæ nativum suum affectum in Galliam nunquam deposuit.

Casimirus abdicat Regnum.

Anno 1668. Casimirus Poloniæ Rex, rerum adversarum tædio, Magnatibus ab eo aversis, corona in comitiis Varsoviensibus deposita, in Galliam abiit, ubi a Rege, ut sustentari possit, plures Abbatias accepit, felicior futurus, si primæ vocationi institisset, & extra rerum humanarum, sursum deorsum euntium, turbines, solum cælorum Regnum, nullis curis, nullique mutationi obnoxium, quæsiisset.

Factus stipendiarius.

Coribut.

Anno sequenti Poloniæ Rex electus est *Michaël Coribut*, Wisnoviskius, præteritis magnis competitoribus, Philippo Wilhelmo Duce Neoburgico, qui Annam Casimiri sororem habuerat conjugem: & Carolo Leopoldo Lotharingo, magno bellatore.

Novo Poloniæ Regi nullatenus quieto esse licuit; nam Tartari rebellibus Cosaccis sociati Poloniam rursus invaserunt. Missus in eos Joannes Sobieskius, qui pluribus inclarescens victoriis coronæ præludebat.

Camenecum ad Turcas.

Verum anno sequenti Turcæ quoque insurgentes, *Camenecum*, Principem Podoliæ urbem, & unicum prope adversus barbarorum incursus in iis partibus munimentum, Polonis extorserunt: qui cessa Sultano *Podolia*, certaque annua pensione promissa, pacem emerunt. Verum probrosus hic tractatus executioni non fuit mandatus: mox enim bellum cum Turca, Tartaro, & Cosacco recruduit.

Obit Casimirus & cum eo familia Jagellonica

Anno 1672. Niverni in Gallia turbis humanis exemptus est Joannes *Casimirus*, Rex olim Poloniæ, affabilis, ad omnium promptus obsequia, id velle solitus, quod alii, & præsertim uxor, eum volebant velle: extincta cum illo est Jagellonica Familia, per tria secula Poloniæ dominata.

Coribut.

Anno sequente Casimirum secutus est *Coributus* Rex Poloniæ, æt. 33, Regni 4. Ejus vidua Eleonora, Leopoldi Imperatoris soror, nupta postea est Carolo Leopoldo, Duci Lotharingiæ, præmium hoc decernente Cæsare Heroi invicto: qui non procul abfuit

abſuit a corona Polonica, Imperatore & Lithuanis faventibus, at obſiſtente Gallia.

Poloni vero inclinabant ad Joannem Wilhelmum, Ducis Neoburgici filium, crediturque, eligendum fuiſſe, ſi Eleonoram, Regis Coributi viduam, Polonis pergratam, nactus eſſet conjugem. At illa ad Lotharingum reſpexit. Inter reliquos Candidatos eminebant, frater Regis Daniæ, Princeps Electoralis Brandeburgicus, filius Zari, Abaffius Princeps Tranſylvaniæ, omnes pro corona Religionem Catholicam parati aſſumere. Mirum ſane, tot procos hanc coronam appetere tot ſpinis cinctam. Sed tamen corona eſt.

Tandem vero, cum in omnium recenti memoria eſſent *Joannis Sobieski* grandia geſta & in Rempublicam merita, maximeque relata nuper ad Cozimum inſignis a Turcis victoria, ipſaque urbs Cozimum permunita ad Poloniam reducta, perorante pro eo Palatino Ruſſiæ, conſentientibus ſuffragiis Rex electus eſt. (*anno 1674.*) **Sobieski Rex**

Nec pœnituit Polonos; quia novus Rex multas urbes & oppida Turcis extorſit, negato etiam tributo, quod Anteceſſores Sultano annuatim perſolverant. Coſaccos quoque ita attrivit, ut Ucraniam prope totam ad Poloniam reduceret. **Geſta.**

Verum Turcæ & Tartari, majori numero venientes, Sbaraſium obſederunt. Præſidio huic urbi erant impoſita 5000 Ruſticorum, qui, cum Præfectus nollet eandem dedere, de mœnibus eum præcipitarunt. Baſſa, urbe dedita, immane hoc facinus eis exprobravit, & occiſis ſenioribus, reliquos in ſervitutem abſtraxit.

Pax Regi erat neceſſaria; cum quinque duntaxat, dilapſis reliquis, ei ſupereſſent armatorum millia; ſed cum Turcæ Podoliam & annuum tributum peterent, Ucraniam Dorozensko, qui jam ante caput ſuſtulerat, tradi, tanquam feudum Portæ Ottomannicæ poſſidendam, omnes denique belli ſumptus ſibi refundi, experrecti Poloni indignatique, collectis viribus in hoſtem ducti ſunt, atque Turca & Tartarus gemina clade affecti, ferocia poſita, haud paulo mitiores conditiones pacis, Zurani ad Boriſthenem confectæ, admiſerunt. Abolitum probroſum pactum tributi annui. Retenta Podolia, & Ucrania cis Boriſthenem; relicta Turcis pars altera, quam Doroſencus detinuerat. Promiſit inſuper gens Muſulmanna protectionem Religionis Catholicæ in terris ſuis, reſtitutionem Ordini S. Franciſci, cui Schismatici ſacrum ſepulchrum in Palæſtina eripuerant, aſſiſtere Polonis contra omnes eorum hoſtes. Detrectavit Sultanus hæc pacta confirmare, niſi poſtquam **Generoſitas.** **Pax honeſta cum Turcis.**

quam Vizirius ei persuasit, nihil prosperum agi posse contra Polonos, donec Sobieskium fortuna secunda deserat.

Viennam liberat.

Sed laudem omnem Regis Joannis superat liberata a Turcarum jugo *Vienna*; quippe cum Sultanus Hungariam esset aggressus, cum Imperatore Leopoldo fœdus pepigit, Bethunia conjuge, ut scribitur, quamvis Francica, persuadente, quod speraret, Jacobo filio archiducem nupturam. Quum dein Cara Mustapha Viennam arcta obsidione cingeret, quindecim aut (prout alii scribunt) viginti Polonorum millia selecti militis adduxit, atque junctus Lotharingo Turcam, prælio cæsum, Vienna depulit. Varii scriptores hic nescio quantum, beneficium, Cæsari impensum, memorant: & fuit; sed quid Polonia fuisset futurum, si Turca Austriam, aut etiam Hungariam tantum suam in potestatem redegisset, non satis considerant. Licet ergo Polonus magnum Austriacæ Domui beneficium contulerit, una tamen securitati Regni sui consuluisse, nemo prudens est, qui ambigat. Poloniam bello Turcico non adjutam a Cæsare opponunt; sed qui poterat, bello gravissimo in Occidente districtus? Cur silent de missis auxiliis, cum Polonia a Suecis opprimeretur? Cæterum Papam Innocentium XI non parum contulisse, ut Polonus in hujus societatem belli veniret, apud omnes est omnino certum; nam pecuniam etiam non parca manu submisit, ut conscriberentur auxiliares copiæ.

Avrigny.

Iniit etiam Rex Joannes anno 1686. fœdus cum Zaro, non satis ex usu & honore Poloniæ; nam pro duobus thalerorum millionibus cessit ei Ducatum Kioviensem, Zernicoviensem, Severiensem, cum Smolensko, sed tanquam depositum pro eo solummodo tempore, quo bellum contra Turcas esset gesturus, quos si aggrederetur ad Boristhenem atque in Tartaria Crimæa, mutuo sibi essent auxilia; Zarus invitaret etiam Franciam, Angliam, Daniam, Hollandiam, ut junctis viribus adversus Infideles procederent.

Meditabatur nempe Rex in Moldaviam & Valachiam irruere, easque provincias Domui suæ hæreditarias reddere; quam in rem cum Cæsare pactum arcanum contraxerat. Displicuerunt Reipublicæ hæc pacta, prout etiam, quod in comitiis filium suum natu maximum proximo sibi loco collocaret, quæ res carebat exemplo, & cum libertate sua pugnare Magnatibus visa est, quasi Sobieskius eis vellet ostendere, quem post se Regem essent habituri. Quare Jacobo filio, ut animi pacarentur, Grodno recedendum omnino fuit.

Ut

Ut autem Rex consiliis suis effectum daret, anno 1686. mense Julio, quo solent Poloni ad bella procedere, expeditionem Moldavicam suscepit, Jassoque, principe civitate occupata, a provincialibus fidei juramentum recepit. Cumque hostem nullum inveniret, statuit, per Bessarabiam ad mare usque nigrum penetrare. Verum cum procederet, alimenta omnia a Tartaris combusta vidit; quare iter reflectere coactus, nec leve damnum a Tartaris passus, in Poloniam pervenit, expeditione plus splendoris quam utilitatis nanciscente. Id tamen commodi attulit Cæsari, ut, Tartaro in Polonos averso, suas in Hungaria facilius posset prosequi victorias. Irruptio in Turciam minus felix.

Nec annorum sequentium expeditio venit feracior, deficientibus, milite, re armamentaria, machinarum magistris; unde Camenecum frustra obsessum.

Anno tamen 1694. propitium Polonis sidus affulsit, dum ad Boristhenem 50000 Tartarorum Turcarumque exercitum fuderunt, 4000 in loco pugnæ occumbentibus, & 5000 curribus interceptis.

Sed annus 1696. grave vulnus inflixit Poloniæ, dum Joannem III Regem, meritis in Regnum, & totam Christianitatem plenum sustulit, ætatis 72, Regni 22, Principem vivacis spiritus, bonarum artium sapientumque amantem, facundum, belli gnarum, fortemque, qui gloriosis, a Turca Tartaroque relatis vitam signavit victoriis. Vivet nomen Sobieskii, quamdiu Vienna stabit. Obit Sobieski Rex.

Ex Bethunia, quam in Francia duxit, genuit Parisiis Jacobum Ludovicum, quem, ut successorem haberet, omni studio curaque frustra contendit, gratitudine beneficiis non respondente. Jacobus porro, cum Imperatricis filiam non obtineret, sororem duxit ejusdem Hedvigem, Philippi Wilhelmi, Ducis Neoburgici Electoris Palatini filiam, ex qua suscepit *Clementinam*, Jacobo III. Angliæ Regi, quem *Prætendentem* appellant, collocatam. Jacobus porro, spe regni dejectus, excessit patria, & Olavii in Silesia sedem fixit.

Reliquit etiam Rex Joannes, præter duos filios, Alexandrum & Constantinum, Theresiam Cunigundam, Maximiliano Emmanueli Electori Bavariæ nuptam anno 1695.

Anno 1697. Cardinalis Radsevicius Archiep. Gnesnensis, Primas Poloniæ, ad electionem novi Regis faciendam convocavit Nobiles. Ultra duo millia convenisse dicuntur in campo ad Varsoviam, oblatamque coronam Electori Bavariæ, qui eam recusasset,

ſet, ne Belgio ſubtraheretur. Duo autem erant magni competitores, Auguſtus Elector Saxoniæ, jam ante biennium ad ſacra Catholica transgreſſus, & Franciſcus Ludovicus Borbonius, Princeps Contius. Uterque ſe ſtitit, uterque Rex fuit proclamatus, favente Primate Contio; ſed prævaluit Auguſtus, ea tamen adjecta conditione, ut abdicet Miniſtros Lutheranos, munera publica Polonis conferat, Camenecum & Podoliam ad coronam reducat, libertates Regni *Electivi* conſervet, pecuniam diſtributam ne repetat, damna per militem ſuum illata farciat. Teſtimonium exhibeat, ſe coram Principe Saxo-Citico, Epiſcopo Javarino, profeſſionem fidei Catholicæ edidiſſe, eamque deinceps omni ſtudio conſervet, atque etiam conjugem ſuam ad eandem perducere allaboret.

Auguſtus Rex.



CAPUT XII.

DE STATU SUECIÆ SÆCULO XVII.

SUMMARIUM.

Sigismundus ob Religionem Regno Sueciæ privatus. Bellum diuturnum. Guſtavi Adolphi initia, progreſſus, finis. Chriſtina filia ſuccedit. Regnum abdicat, convertitur. Ejus elogium. Carolus X. Bipontinus in Polonos, Danos. Cæſus ubique pinguem tamen pacem Olivæ invenit. Ejus effigies. Carolus XI. Galliæ adhæret. Omnia in Germania amittit bello: omnia recuperat pace. Ejus liberi.

70. Sigismundus Regno privatus.

Joanni Sueciæ Regi, in Religionis negotio nutanti, anno 1592. mortuo, ſucceſſit filius *Sigismundus*, a Catharina, Sigismundi I. Poloniæ Regis filia, in Religione Catholica pie educatus. Sed

Sed quia is etiam Rex Poloniæ fuit electus, Carolus, Sudermanniæ Princeps, rebellione adversus nepotem mota, Sueciæ Regnum eidem rapuit; accedente eidem populo, cui Sigismundus, Princeps optimus, propter solam Religionem fuit exosus. Enatum inde bellum grave ac diuturnum patruum inter & nepotem, qui tandem Regno & hæreditate paterna per insignem injuriam omnino excidit.

Anno 1601. Radzivilius Princeps egregiam a Suecis victoriam retulit, cæsis duobus eorum millibus. Dux Sudermanniæ, ut se vindicaret, incendiis & rapinis in terras Polonorum est grassatus. Zamoscius autem expugnavit Volmerum, capto Carolo, Sudermanni notho, urbis Præfecto. **Bellum.**

Anno 1604 Ordines Sueciæ Nortköpingæ coronam detulerunt Carolo Duci Sudermanniæ contra jus manifestum Sigismundi nepotis, Regis legitimi, qui cum suis liberis in odium Religionis perpetuo fuit exclusus, statutumque, ut fœminæ potius Lutheranæ, deficientibus masculis, succedant, quæ tamen nubant aut Sueco aut Germano ejusdem Religionis, cum assensu Statuum. Mirum profecto, quod avita Religio de throno deturbet, novella vero viam ad eundem sternat.

Anno 1605. Sueci magna cum strage ab obsidione Rigæ a Polonis depulsi sunt. Anno vero 1611. etiam Dania bellum indixit Sueciæ, illudque contra Carolum IX. tam feliciter egit, ut ad desperationem eum prope adigeret. Certe brevi post tædio, quod creditur, obiit 30. Oct. anno ætatis 61. dejecti nepotis & administrati Regni 11.

Magnus fuit in filio *Gustapho Adolpho*, quem in Regno & bello Polonico successorem habuit. Is, ut Polonos acrius posset opprimere, anno 1613. cum Danis pacem iniit. Hi restituunt Colmarum & insulam Oelandiam. Suecus promittit abstinere titulis, qui in præjudicium Daniæ Regis cedunt.

Anno 1617. Gustavus cum Russis quoque pacem pepigit. Cesserunt eidem cum Kexholmia urbe provinciam Ingriæ: protestante contra hanc cessionem Sigismundo Rege Poloniæ, quod Mosci res alienas donarent. **Gustavi Adolphi initia.**

Anno 1621. Gustavus, fracta cum Polonis pace, Livoniam invasit, rapuitque, Sigismundo gravi cum Turcis bello involuto. Initæ tamen rursus induciæ.

Verum anno 1626. inito cum Dano & Saxoniæ Inferioris circulo fœdere, Borussiam Polonicam, trajecto exercitu est aggressus, direpta Elbinga, Marienburgo, aliisque locis.

Visus jam tunc est agitare consilia adversus Ferdinandum Imperatorem, & crescentem in dies potentiam Domus Austriacæ; hinc obtulisse Sigismundo pacem dicitur, & consensisse, ut Regis Sueciæ titulum præferat, illudque Regnum ad filios Sigismundi transeat, si nullum ipse masculum hæredem relinqueret: at renuisse Sigismundum, ea spe fretum, se a Ferdinando Imperatore post devictos hostes adjutum iri, ut Regnum Sueciæ, patrimonium suum, consequatur.

Verum parciori adversus Suecos fortuna usi sunt Poloni, anno 1627. ad Casamartham cæsi a Gustavo. Prælium vero ad Gedanum, eo non leviter vulnerato, nox diremit. Tertia pariter pugna fuit anceps, parte utraque canente victoriam.

Verum anno 1629. Gustavus Adolphus experiri debuit, neque heroes esse securos ab adversæ ictu fortunæ; nam prælio ad Maneverdam a Polonis, quibus Ferdinandus Imperator suppetias adjunxerat, profligatus, Marienburgum profugit in Borussiam. Dissensio inter Polonos & Germanos spatium victo dedit, ut ibidem exercitum suum contritum repararet.

Cæsus.

Birotus Baro, qui Regem Daniæ in summum vitæ discrimen adduxerat, prope etiam erat, ut Gustavum, quem non cognoverat, sclopi explosione interimeret, fallente ictu equum, cui insederat, prostravit. Quidam scriptores referunt, Biroti glandem non aberrasse, sed incidisse in pileum Gustavi, qui tamen singulari virtute fuerit munitus, ut globus in caput non penetraret.

Non mediocrem fuisse Suecorum cladem, ex eo quoque elucet, quod Gustavus, Conciliatoribus Francia & Anglia, ingentes Imperatoris progressus obliquis oculis aspicientibus, in sex annorum inducias cum Polonis consenserit, fatales omnino Cæsari, totique Germaniæ.

Inducias cum Polonis init.

Nam anno 1630. scripta ad Electores Imperii epistola conquestus adversus Imperatorem, quod Polonis hostibus suis misisset auxilia, postulavit, ut Cæsareæ copiæ ex Inferiori & Superiori Saxonia decedant, munimenta ad Balthicum constructa diruantur: Megapolitani Duces restituantur: Stralsunda liberetur &c.

Ejus postulata.

Verum, cum Cæsar, tot tantisque victoriis munitus, Suecos non admodum timendos putaret, negligi visa est ejus postulatio. Quapropter Gustavus suum militem, & genio soli nativi & diu-

In Germaniam irruit.

& diuturno bello Polonico probe duratum subactumque, pulsis Cæsareis in Rügiam Insulam exponit, indeque in Pomeraniam, icto cum Bogislao fœdere, irrumpit.

Percussum pariter fœdus cum Gallia, ad restituendos Imperii Principes. Illa offert pecuniam, Suecia milites. Religioni cavetur, & Ligæ Catholicæ, si quiescat. Pactum ad 6 annos porrigitur. **Fœdus Gallicum**

Anno 1631 Protestantes Germaniæ accedunt *Lipsiæ* Regi Sueciæ. Francofurtum ad Viadrum Cæsareis eripit. Cüstrino & Spandavio imponit præsidium cum Electoris consensu. Rex vero Galliæ secretum init fœdus cum Maxim. Electore Bavariæ ad mutuam possessionum defensionem, in 8 annos. Sequitur excidium Magdeburgi, Sueco non afferente promissa auxilia. Suecus Lipsiensem reportat victoriam. Oxenstirnius suadet Regi, ut recta Viennam tendat. At ille declinat in Franconiam, ubi pinguia sunt sacerdotia. Herbipolim expugnat, Saxo Pragam, & reliquam Bohemiam. Hailbronna Suecis ultro aperit portas. Moguntia vi capitur. **& Lipsiacum.** **Progressus.**

Anno 1632. Tillius ad Lycum vulneratus obit. Suecus Augustam intrat. Ingolstadium frustra oppugnat. Bavariam vastat. Monachium ingreditur. Ad Norimbergam, dum castra Bavari & Wallensteinii aggreditur, plura millia perdit. Prælio Luzensi occiditur, anno ætatis 37, Regni 21. Prædicatur ceu heros incomparabilis & Alexander sui sæculi. Verum adversus Polonos non adeo magnos progressus fecit, & Germaniæ ruinæ ab uno ferme prælio Lipsiensi dependebant. Quod autem magnorum fuerit spirituum Princeps, & immensæ ambitionis, nemo est, qui eat inficias. Ex Electoris Brandenburgici filia genuit *Christinam*, quæ, licet 6 duntaxat esset annorum, proclamata est Regina Sueciæ. Ex pellice autem Gustavo Adolpho natus est filius, qui *Gustavus Gustavi* dicebatur, propter Episcopatum Osnabrugensem, quem usurpavit, in Historia notus. **Occiditur.** **Christina succedit.**

Anno 1633. Sueci, sollicitante Oxenstirnio, Regni Cancellario, cum Gallia & Protestantibus Hailbrunnæ renovarunt fœdus. Gallia promisit in annos singulos millionem librarum, Catholicæ tamen Religioni in locis occupatis cautum voluit, licentiam quoque stipulata, Electori Bavariæ & reliquis Ligæ Catholicæ sociis, partes neutras amplectendi. Solus Saxo, *Joannes Georgius*, licet efflictim Lutheranus, quietæ tamen indolis, & Germani pectoris Princeps, qui Suecos, & Domum Vinariensem oderat, subscribere noluit, **Renovatur fœdus.** **Saxo dissentit.**

noluit, excipiens, hæc pacta videri cum constitutionibus Imperii pugnare.

Sueci autem, mortuo licet Rege, hoc fœdere confirmati, direpta per Hornium Alsatia, atque Heidelberga Cæsareis abstracta, per omnem prope Germaniam truculentam vim & grassationem porrexerunt. Wallensteinius tamen non ignobilem de Suecis victoriam reportavit ad *Steinaviam*, omnemque prope Silesiam ad Imperatorem reduxit. Constantiæ quoque urbis virtus enituit, dum *Hornium* Suecum, pertinaciter eam obsidentem, constantia sua fregit. Hornius iram suam effudit in Sueviam, & Bavariam, quam tamen cum Vinariensi deserere coactus est post amissam Ratisbonam.

Mutatio rerum post pugnam Nördlingensem.

Anno 1634. Suecis ad *Nördlingam* cæsis, alia rebus facies induta est. Et vix non debellatum credebatur, nisi Gallia succurrisset Suecis, novo cum illis tractatu inito, quo simul, cum hactenus in Lotharingia atque ad Rhenum copias detinuissent, bellum Cæsari intulerunt, præsertim post captos Treviros & Electorem. (*anno 1635.*) Induciæ Suecorum cum Polonis, cum horum auxilio summopere indigeret Germania, in 26 annos sunt prorogatæ.

Saxo conciliatus.

Anno 1636. Suecia novum cum Gallia fœdus iniit Wismariæ, conventumque, ut hæc ad Rhenum, illa in Bohemia & Silesia bellum gereret, eum in finem, ut Principes spoliati restituantur in integrum. Gallia quot annis Suecis numerabit millionem librarum Gallicarum. Fœdus tres annos vigeat. Saxo post pacem Pragensem in Suecos irruens, Magdeburgum illis eripuit; sed ad Wistochium a Baniero cladem accepit. Anno 1638. Suecia unionem cum Gallia iterum renovavit Hamburgi, de bello omnibus viribus prosequendo, ita, ut Galli in superiore Germania, Sueci vero in Saxonia & Marchia Brandenburgica illud circumferant.

Alia Suecorum gesta retulimus in relatione de Statu Germaniæ, prout etiam bellum, anno 1644. Daniæ illatum. Ragozium quoque Sueci adversus Domum Austriacam ad rebellionem concitarunt.

71. Carthesius.

1650. Obiit Holmiæ Renatus Cartesius, vocatus eo ex Gallia a Christina Regina, cui Philosophiam explicuit, sed ab ea, quæ in scholis hactenus erat usitata, plurimum diversam, per quam multo magis inclaruit, quam per militiam, quam antea secutus fuerat. Quippe vix nata erant ejus turbinum vorticumque systemata, cum tota Peripatus, quæ ad id usque tempus in scholis regna-

regnaverat, bellum eidem denuntiavit. At ille numeroſam brevi ſectatorum catervam in aciem eduxit, qui tamen pruritum novitatis ſecuti, Samſonicarum inſtar vulpium, diverſas rurſum ſectas fundarunt, in eo convenientes, ut antiquitati canos evellant.

Baillet aliique integra volumina laudibus Carteſii impleverunt, ampla adjecta panegyri de ejus Divino ingenio, meditationibus, diu noctuque continuatis, induſtria humanam tranſcendente, Syſtemate adorando de motibus rapidiſſimis in ſumma quiete, corporis extenſione eſſentiali, animæ eſſentia cogitante, globulorum raptu, turbine, & ſtupenda ſyntaxe, de primis mentis ideis, prorſus infallibilibus, de impoſſibilitate vacui, licet nihil ſit medium, anima in ſola glandula pineali hoſpitante, principio admirabili, de omnibus rebus & veritatibus, quantumvis evidentibus, dubitandum, nihil credendum, ſed ſenſuum experientia explorandum, & ingenii acie penetrandum. Quæ ſane omnia adeo rapiunt intellectum, bene diſpoſitum, ut illi etiam indignentur, tam Divino viro thus non adoleri, qui nihil unquam in ejus libris legerunt. Ejus Syſtemata.

Obiit hoc naturæ & gratiæ miraculum in Suecia, anno ætatis 54, magno, etiam mulierum, ejus Philoſophiam adorantium, luctu: atque, ut reliquias ſaltem ejus venerari præſentes poſſent, oſſa in patriam fuerunt deportanda.

Anno 1650. Ordines Sueciæ conſenſerunt, ut Joannes Caſimirus Comes Palatino-Cleburgenſis, ex linea Bipontina, qui ſororem Guſtavi Adolphi habebat conjugem, Chriſtinæ in Regno ſuccederet, ſi contingeret, illam absque prole maſcula decedere. Sed, Caſimiro paulo poſt mortuo, filius ejus, Carolus Guſtavus, hujus fructum conſenſus retulit.

Nam anno 1654 Chriſtina, raro in orbe exemplo, Regnum abdicavit, illudque in Carolum Guſtavum Bipontinum, patruelem ſuum, tranſtulit, reſervata ſibi penſione annua. Tanti operis machinam movebat Religio, quam a Patribus ſocietatis Jeſu, ſub habitu ſæculari latitantibus, fuerat edocta, non parum etiam ad id, ut pie credi poteſt, Pimentelio, legato Hiſpano, & Burdoloto, Medico Gallico, cum quibus frequentius converſabatur, contribuente. Chriſtina abdicat Regnum.

Carolus Guſtavus, acerrimæ indolis Princeps, quietis pertæſus, cum Poloniam a Tartaris, Coſaccis, Moſcis vaſtari cerneret, ut in partem ſpoliorum veniret, fractis induciis, irrupit in Poloniam (*anno 1655.*) ut Caſimirum non modo paterno Sueciæ Regno, ſed & Polonico, depelleret, fretus & ſuo ingenio & vete- Carolus X. in Polonos.

 rano

rano bellisque assueto milite, & Procerum quorundam averso a Casimiro animo, sibique addicto.

Et sane amplam ambitioni suæ messem invenit: occupata quippe Cracovia, magnam Poloniæ & Massoviæ partem, aut ultro deditam, aut vi expugnatam accepit; inde in Borussiam effusus, omnia, si Gedanum exceperis, sub jugum misit.

At evigilavit tandem Polonia, seque respiciens, vicinorum Principum auxilia imploravit. Cæsar 16000 armatos misit, Moscus Rigam in Livonia obsedit, Tartari Ragozii, Suecorum socii, copias attriverunt, Danus autem primus omnino Suecis bellum denuntiavit, quos propterea e Polonia adversum se excivit, magnasque ab iis clades est passus, ut ad pacem *Rotschildensem*, quamvis, ob cessionem plurium locorum, sibi perniciosam, fuerit compulsus.

In Danos.

Verum non stetit ea Suecus; sed, Regem Daniæ penitus oppressurus, *Haffniam*, sedem Regiam, oppugnavit. Periclitanti Daniæ & ad extremam prope ruinam redactæ, succurrerunt Cæsar, Brandenburgicus, Poloni, Mosci, Hollandique, qui, immissa in Balthicum classe, magnam Suecis cladem attulere, eoque, post Nyburgensem præsertim pugnam, atque direptam a Brandeburgo Pommeraniam Suecorum res sunt redactæ, ut magnus ille totius paulo ante Septentrionis Domitor, qui duos jam Reges potentes prope sub jugum miserat, pacem rogare ab iis fuerit coactus.

Haffniam expugnat.

Cæsus ubique.

Intercessit pro Sueco Gallus, veteris amicitiæ nexu adhucdum conjunctus, quadraginta armatorum millia comminatus, nisi honesta pace finis bello imponeretur, referturque Lionnæus ad Bernclovium Sueciæ oratorem dixisse, *se eidem sex paces* dare: cum Cæsare videlicet, Dano, Brandenburgo, Polono, Batavo, Mosco; cum quibus omnibus Sueco erat dimicandum.

Obitus & effigies.

Rebus Sueciæ, paulo ante tam florentibus, jam vero accisis & in summum discrimen adductis, Carolus Gustavus, volubilem fortunæ rotam expertus, anno 1660 ineunte, animi mœrore & tædio obiit, æt. 38, Regni 6, indole Martia, natus bello Princeps, positis sub Dorstensonio militiæ rudimentis, ad palmas & lauros adoleverat, magno populorum, quos oppressit, malo. Sueciæ Regnum, Christinæ cessione adeptus, bellum decrevit ante, quam hostem designavit, Danum, an Moscum, an Polonum invaderet, deliberans. Poloniam delegit, lento cum Cæsareis & Moscis bello jam attritam, Procerumque factionibus & Regis infirmitate fatiscentem. Quo rerum statu veterano bellisque durato mili-

ti

ti facile erat, vel unius anni expeditione Regnum amplissimum percurrere potius quam expugnare, cum, Rege in Silesiam profugo, vix esset, qui resisteret.

Carolo Gustavo successit filius, Carolus XI. ex Hedvige Gottorpensi natus, quinque tunc annorum puer. Suecia autem, tot hostibus impar, votis omnibus pacem respexit, quam, Conciliatore Gallo, opimam obtinuit, bello victa, *Olivensi* pace victrix. Nam Casimirus, abdicato jure paterno in Sueciam, Livoniam & Estoniam eidem cessit (*vid. Polon.*) Pax Olivensis.

Cum dein Gallia Hollandiam invasisset, Suecus primum conciliatoris munus assumpsit; cum autem pax non posset coalescere, in Galliæ gratiam Electoris Brandeburgici ditiones invasit; quare Batavi, Hispani, & Dani ei bellum denuntiarunt. Carol XI. accedit Galliæ.

Anno 1676. commissa in Balthico pugna navalis, qua a Danis & Batavis victi sunt Sueci. Complures Sueciæ urbes victoriæ præmium fuere. Sueci nempe non amplius erant Sueci: sive, quod deficeret veteranus duratusque miles, sive quod Duces deessent, sive quod otio in torporem deferbuerint. Hinc ne desperatio eos dejiceret, Francia Daniæ bellum indixit, prout etiam Brandeburgico, qui Pomeraniam Suecicam aggressus, Anclamum, Lokenicium, ac postea Stetinum, Stralsundam, Rügiam, Gripswaldam, totamque Pomeraniam Suecicam, incredibili celeritate expugnavit. Danus in Scaniam effusus non modicos armorum progressus fecit. Luneburgici aliique socii Ducatum Bremensem & Principatum Verdensem abstraxerunt, ut adeo Suecis in Germania nec palmus superesset. Sed profuit Galliæ fœderatæ favor; nam pacificatione Neomagensi aliisque omnia Sueciæ debebant restitui, Bremensis tamen & Verdensis ditio cum certa limitatione. Omnia in Germania amittit, & recuperat.

Anno 1689. Romæ pientissime obiit Christina, Regina olim Sueciæ, magni Gustavi Adolphi filia, nata anno 1626, Regina 1632, abdicat coronam 1654, eodemque anno profitetur fidem Catholicam Bruxellis. Obitus Christinæ & elogium.

Vix invenias in Historia fœminam Principem (Elisabetham Angliæ Reginam si excipias) tot laudibus super astra exaltatam, totque vituperiis ad inferos depressam. Doluit nempe Protestantibus tam illustre conversionis exemplum; hinc atro carbone eandem depingunt ceu levem, inconstantem, libertinam, vagam, fœminas omnes, quasi sexus puderet, exosam, cum solis viris conversantem, virili habitu indutam, ut varia regionum lustratione oculos & curiositatem pasceret, Regnum abdicantem, ac vagantem.

Alii vero meliori jure prædicant ejus virtutes, integritatem, pudicitiam, cœlibatum, ingenium, ſapientiam, in Religione Catholica, propter quam Regnum, patriamque deſeruit, immotam ad mortem usque conſtantiam. Certe fuit doctiſſima, & ſupra conditionem ſexus, omnibus artium ſcientiarumque diſciplinis multo ornatiſſima. Varias præter Græcam & Latinam linguas callebat, tamque apte & concinne loquebatur, acſi nativæ eſſent. Lectio illi perpetua & cum ſapientibus converſatio. Litteraturæ humanioris elegantia, oratorum eloquentia, Poetarum nitor, Philoſophorum, antiquiorum & recentiorum ſyſtemata, Hiſtoricorum multifaria eruditio, Chymiæ miracula, diu noctuque habebant occupatam; nec tamen Religionis officiis defuit, ut adeo alteram Reginam Saba, aut decimam, vel omnino primam Muſam quidam eandem deprædicent. Si quis hæc animi excelſi ornamenta curioſitatem, levitatem, aut omnino nugas appellet, neſcio ſane, cujus ſpiritus eſſe debeat, certe rudis, hebetis, humilis, & abjecti, qui indignus ſit, ut artium liberalium ſcientiarumque innocuam dulcedinem perſentiſcat.

Interea autem Sueci, vibicibus adhuc lividi, quieverunt ad mortem usque Caroli XI, quæ contigit anno 1697, æt. 42, Regni 37, poſtquam Regnum in ſummas calamitates præcipitaverat, non eruendum, niſi advolaſſet Genius ex machina.

Ex Ulrica, Friderici III. Daniæ Regis filia, reliquit tres liberos, memoria dignos. 1. Hedvigem Sophiam, Friderico V. Duci Holſato-Gottorpienſi nuptam, ex quo ſuſcepit Carolum Fridericum, Annæ Petrowinæ conjugatum, patrem Caroli Petri Ulrici, Moſcoviæ Imperatoris; qui nuperrime throno dejectus, ſubito ex hoc mundo diſparuit.

2. Carolum XII, 15 tunc annorum Principem, qui deſideriis & fama totum mundum implevit, fortuna utraque notiſſimum.

3. Ulricam Eleonoram, Reginam poſtea Sueciæ, deſponſam Friderico Haſſiæ Principi, cui Regnum ceſſit.

Carolus, quem dixi, ſpirituum exæſtuantium Princeps, patri ſucceſſit in throno Sueciæ, quem pene amiſit, dum alios ſuo deturbare voluit.



CAPUT

CAPUT XIII.
DE
STATU DANIÆ
SÆCULO XVII.

SUMMARIUM.

Dania vetus. Dania nova, ad Oldenburgicam Domum. Christianus IV tria bella gessit, duo cum Sueco, unum cum Ferd. II. Cæsare, pace Lubecensi finitum: Frid. III. duo cum Suecis, pace Rotschildensi & Olivensi terminata. Regnum facit hæreditarium. Christianus V varia fortuna cum Suecis confligit. Pace Risvicensi coactus, omnia Suecis restituere.

Dania, olim Cimbria appellata, a Dano, primo suo Rege nomen accepit, circa annum mundi 3000, dicunturque 26 Reges ante Christi nativitatem ibidem imperasse, Suibdagerum tria Borealia Regna conjunxisse, a Fronthone etiam Angliam & Hiberniam adjectas. 72. Antiqua Dania.

Seculo IX post Christum natum Haraldus & Ericus Danici Principes Moguntiæ sunt baptizati, & S. Anscharius Religionem Christianam in Septentrionem propagavit.

Cum Henricus auceps sec. X. Schlesvicensem Marchionatum ad fines Imperii defendendos erigeret, Gormo III bellum eidem intulit. Haraldo VIII Otto M. persuasit, ut Christianam Religionem susciperet, atque subditos quoque ad eandem adduceret.

Canutus M. Angliam & Norvegiam subegit, & singulis ex tribus filiis Regnum reliquit (*Sec. XI.*)

Ericus III Archiepiscopatum Lundensem ineunte Sec. XII fundavit; nam ad id usque tempus Episcopi Daniæ Bremensi Archiepiscopo fuerant subjecti. Waldemarus I Vandalis Insulam Rügiam aliaque eripuit.

Waldemarus II a Comite Suerinensi captus est ob violatam conjugem. Ericus VI a fratre suo Abele interfectus. Dania, a comitibus Holsatiæ & Anseaticis civitatibus vastata (*Sec. XIII.*)

Cum Waldemarus III prolem maſculam non haberet, ſucceſſit filia Margaretha, facta etiam Regina Sueciæ & Norvegiæ; lataque eſt lex, ut omnes tres coronæ in uno capite perpetuo maneant unitæ (*Sec. XIV.*)

Ericus X Pomeranus a Margaretha Regina agnata hæres declaratus, tria Regna obtinuit, ſed omnia tria rurſus amiſit, in Pomeraniam fugatus. Chriſtophorus Bavarus ab omnibus tribus Regnis aſſumptus in Regem propter matrem, Olai Regis filiam. At hoc anno 1448 ſine liberis mortuo, extinctum eſt ſtemma Dani, a Dano perpetua ſerie propagatum, ſic tamen, ut deficientibus maſculis etiam fœminæ, & fœminarum filii ad coronam vocarentur.

Ad Oldenburgicos. Throno itaque vacante translatum eſt ſceptrum ad Domum Oldenburgicam, in qua hodiedum floret. Et primo quidem electus eſt a Danis Chriſtianus I, Comes Oldenburgicus, a Norvegia quoque & Suecia in Regem poſtmodum aſſumptus, qui Holſatiæ Comitatum, materna hæreditate acceptum, in Ducatum mutavit, & Haffniæ Academiam fundavit. Succeſſit in trino Regno filius Joannes. (*Sec. XV.*)

Hujus filius Chriſtianus II, ſeu Chriſtiernus, peſſimæ vitæ Princeps concubinarius, patrata Holmiæ ſanguinaria Nobilium, Procerum, & Sacerdotum laniena, primus ad Lutherum defecit, atque accerſitis ex Saxonia Præconibus, populum pervertere ſatagebat. Throno dejectus 27 annos in carcere contabuit, ultimus, qui omnia tria Regna conjuncta poſſederat; nam Suecia non amplius uniri poterat. (*Sec. XVI.*)

73. Bellum cum Sueco primum. Chriſtianus IV Daniæ Rex Sudermanniæ Duci, quem Sueci poſt dejectum Sigismundum Carolum IX dixere, bellum anno 1611 denuntiavit, quod is Norvegiæ dimidium ſibi arrogaret, ſubditis ſuis toto Balthico piſcandi copiam faceret, atque varios ſibi titulos attribueret, qui in præjudicium Daniæ cedant, uti Regis Laponiæ &c. Spem felicis eventus haud dubie Chriſtiano fecerunt bellum Polonicum & domeſticæ Suecorum diſcordiæ, & bene ſe dabant initia; ſiquidem Danus Colmatum expugnavit, pluresque Sueco clades intulit. Irritatus animoque æger Carolus Chriſtianum ad duellum provocavit; at reſpondit is, deſperationis hoc argumentum eſſe: indigere Suecum, quo cerebrum purget, helleboro. Carolus brevi poſt tædio obiit.

Anno 1612. Hollandi cum civitatibus Hanſeaticis fœdus percuſſerunt, in id maxime intentum, ut Danus adigatur telonium Sundi-

Sundicum abolere, & navibus ex Oceano in Balthicum liberum ſine vectigali curſum permittere. Verum hoc erat Dano pupillam oculi tangere. Abolendum tamen tantiſper fuit.

Anno 1613 Rex Chriſtianus IV cum Guſtavo Adolpho pacem ſancit. Ille reſtituit ablata: hic abſtinebit titulis, Daniæ inviſis. Miſcuit ſe deinceps Danus turbis Germanicis & Bohemicis, Friderici V partes ſecutus; intra ſiparium tamen adhuc latuit, donec anno 1626 theatrum belli aperuit; quippe fœdere cum Hollandis, Suecis, & circulo Saxoniæ Inferioris percuſſo, a quibus eſt electus caput & Imperator belli, Ferdinando II Cæſari inferendi. **Alterum cum Cæſare.**

Scripſit etiam ad Moguntinum, Bavarum, aliosque Catholicos Electores litteras publicas, quibus ſignificavit, ſe arma corripuiſſe, neceſſitate compulſum, ut libertatem Germaniæ defendat, a Domo Auſtriaca oppreſſam. Sed neſcio, an minus fortunæ, an artis bellicæ attulerit. Nihil ex compoſito procedebat. Cæſus eſt ad Luteram a Tillio, & in Holſatiam repulſus: iterumque a Wallenſteinio ad Wolgaſtum.

Tandem anno 1629 *pacem Lubecenſem* iniit. Renuntiavit Rex fœderi Proteſtantico, & amiſſa recepit.

Quiete deinceps fruebatur Dania, bello Suecico in Germaniam detonante ad annum usque 1644. & quia inviſam habebat creſcentem vicinæ gentis potentiam, plura egit, unde Sueci cauſam belli eidem inferendi allegabant. Terra marique infelix fuit Dania, donec, pluribus locis in hoſtium manu relictis, obtinuit pacem. **Tertium cum Sueco.**

Anno 1648 deceſſit Chriſtianus IV Daniæ & Norvegiæ Rex, æt. 72, Regni 60. Bellum cum Imperatore Ferdinando primum, ſubin cum Suecis geſſit, ab utriſque cæſus. Ex Electoris Brandenburgici filia ſuſcepit Fridericum III, qui in Regno ei ſucceſſit.

Anno 1657, cum Suecus, jam alias per pacem Weſt. pluribus in Germania provinciis dilatatus, ambitioni ſuæ & creſcendi cupiditati terminum non poneret, ſed Poloniam quoque devorare viribus omnibus contenderet, vicini Principes, potentiam vaſtam, in omnem partem exporrectam, veriti, alia ſibi conſilia ineunda putarunt.

Quare Daniæ Rex, ruinæ vicinior, ut Regno ſuo provideat, Sueco bellum indixit, confiſus Cæſareis, Ruſſicis, & Hollandicis ſubſidiis. Et primo quidem mari tentata belli alea pugnatum acriter, pari ferme utrinque damno. Congreſſi rurſus Sueci, a Da- **Quartum.**

a Danis victi ſunt. Sed mox cladem Dani receperunt; tantaque deinceps Sueci fortuna uſi ſunt, ut per concreta glacie maria, auſu ſtupendo penetrantes, ad ipſam propemodum Hafniam pertingerent.

Quare Dano, ni perire vellet, nihil erat reliquum, niſi ut *Rotſchildenſem* pacem iniret, quantumvis ſibi perniciofam: per eam etenim Sueco permiſit Scaniam, Bleckingiam, Hallandiam, Bornhelmiam, vectigal Oreſundicum, Nidroſiam, Bahuſiam.

Quintum. Haffnia obſeſſa.

Verum hac pace mox fracta, Carolus Guſtavus in Zeelandiam penetravit, & *Haffniam* oppugnavit. Accurrerunt igitur ad liberandam ſedem Regiam copiæ Cæſareæ ſub Montecuculo & Suſa, Polonicæ ſub Zernicio, cum claſſe Hollandica, quam Obdamus ducebat, atque in Balthico cum Suecica feliciter conflixit. Cæſo dein a fœderatis Suecorum exercitu, Carolus Guſtavus non modo obſidionem Haffniæ compulſus eſt ſolvere, ſed etiam pacem rogare: quæ *Olivæ*, Boruſſiæ Regalis Monaſterio, anno 1660 concluſa eſt. Reſtituta Dano, quæ a Suecis fuerant ablata, de cætero ad pacem Rotſchildenſem fuit remiſſa.

Pax Olivæ.

Annus 1660 felix videri poterat gemina pace, quæ arctoas plagas pace Olivenſi, & meridianas occiduasque Pyrenæa pacavit. Sed Daniæ propterea etiam exoptatus venit, quod Ordines, Haffniæ collecti, Regnum ex electivo fecerint *hæreditarium*, cum ſuprema & independente poteſtate Friderico III. Regi delata, quamvis jam ante ſanguini potius, quam electioni, fuerit debitum, jam inde a Dano primo Rege derivata profundiſſima origine, perpetuaque ſucceſſione continuata in regnatrice Domo, &, ſi maſculi defuiſſent, a colo etiam deducto ſtamine, donec jam ante 300 annos ad Oldenburgicam Germaniæ Familiam ſceptrum translatum, atque in hanc usque diem continua ſerie fuit protenſum.

Regnum fit hæreditarium.

Actum ſane ex uſu Daniæ, ut ex hac Domo non eligantur, ſed naſcantur Reges, quæ Oldenburgum, Delmenhorſtum, magnam Holſatiæ partem, Slesvicenſem Ducatum adjecit Daniæ. Fridericus autem Rex eo etiam gentis ſtudia ſibi adſtrinxit, quod Haffnia adverſus Suecos præſtanti virtute defenſa, magnis Regnum ſuum fœderibus communierit.

Bellum Sextum.

Fatis tandem conceſſit Fridericus III anno 1670, æt. 61, Regni 22, ſucceſſorem, jam hæreditarium, nactus eſt Chriſtianum V, filium, ex Sophia Lüneburgenſi ſuſceptum. Bello is Hollandico magno fœderi acceſſit, & anno 1676 juncta claſſe ſua cum Hollandica, prælio navali Suecos profligavit. Uſus victoriæ fructibus,

bus, Coronam, Elſenburgum, Chriſtianopolim expugnavit, Suecis leviter reſiſtentibus.

Verum anno 1676 Lundenſe prælium Suecis reſtituit, quidquid in Scania Danis acceſſerat. At anno ſequenti pugna maritima Dani Suecos vicerunt haud procul Roſtochio, navibus horum aliis captis, aliis laceratis. Sed paulo poſt Suecus vices reddidit: & multo magis anno 1678, quo Königsmarchius in Inſula Rügia 7000 Danorum clade internecina delevit. At Dani, viribus inſtauratis, in Scaniam trajecti, Helſenburgum denuo expugnarunt: Bahuſium autem incaſſum oppugnarunt, amiſſis ad hoc munimentum aliquot millibus. Mox Dani juncti Brandeburgicis in Inſulam Rügiam exſcenderunt, propulſo inde Königsmarchio. Sed pace Risvicenſi tam Danus quam Brandeburgus omnia, quæ Suecis eripuerant, reſtituere coacti ſunt.

Anno 1699 obiit Chriſtianus V æt. 54, Regni 29, ſucceſſit filius Fridericus IV.

CAPUT XIV.

DE BORUSSIA SÆCULO XVII.

SUMMARIUM.

Inveſtitura Boruſſiæ a Polono collata. Lutherus cum Calvino commutatus. Dominium directum Boruſſiæ cum utili conſolidatum. Elbinga ad Boruſſum jure hypothecario. Fridericus Wilhelmus magnus actor ſui ſæculi Suecos in Balthicum propellit: ſed omnia cogitur reſtituere. Succedit Frid. III.

Anno 1611 Sigismundus Rex Poloniæ Electori Brandeburgico *Inveſtituram* Boruſſiæ contulit. Anno 1619 obiit Joannes Sigismundus Elector Brandeburgicus, Dux Boruſſiæ, qui 74.

 primus

Lutherus cum Calvino permutatus.

primus Lutherum cum Calvino permutavit, hujusque sectam, quantum poterat, introduxit, reclamantibus Lutheranis. Successit *Georgius Wilhelmus* filius, qui anno 1622 cum Hollandis fœdus iniit. Alet pro illis militum 3000, ut in plenam Juliacensis Ducatus possessionem mittatur.

1640 obiit Georgius Wilhelmus, eique successit *Fridericus Wilhelmus*, qui percusso cum Suecis fœdere, Poloniam, sub Casimiro Rege jam alias misere afflictam, invasit, licet ratione Ducalis Borussiæ illius esset vasallus.

Borussia a Polonis manumissa.

Verum, cum magnum adversus Suecos fœdus coalesceret, plus spei in hoc collocans, socius accessit, stabilito cum Polonia pacto, quo hæc ei *Elbingam* tradit cum aliis quibusdam locis, ita tamen, ut Poloniæ integrum sit, eam ducentis thalerorum millibus redimere: simulque Rex & Respublica, abdicato directo in Borussiam Ducalem dominio, supremam & independentem potestatem de ea disponendi eidem concessit. Suecos dein Borussus in Pommerania, quam divisam ægerrime tulerat, Cæsaris auxilio armis aggressus, totam propemodum occupavit, Stettino tamen frustra oppugnato. Secuta anno 1660 *Olivensi pace* restitui quidem Sueco debuit sua Pomeraniæ portio, soluta tamen Borussia Poloniæ clientela, & directo dominio a Casimiro abdicato.

Cum anno 1672 Rex Franciæ Lud. XIV Batavis bellum illaturus, per Clivienses terras transiret, pluresque urbes intercepisset, Fridericus Wilhelmus, Elector Brandeburgicus, ut Hollandis succurreret, Cliviamque reciperet, cum Imperatore & Batavis fœdere inito, ad Rhenum movit, atque agrum Monasteriensem & Coloniensem devastavit; sed imminente Turenio trans Visurgin se recepit, relicto Gallis etiam Marchiæ comitatu.

Verum, ut provincias suas reciperet, anno 1673 cum Gallis pactum iniit, quo promisit, neutrius se partis fore, donec Imperium maneret illæsum. Sed cum Franci procul abessent, arma resumpsit, magnumque pro potentia sua pondus addidit magno adversus Gallos fœderi, grandi Batavorum, jam ferme consumptorum, commodo.

Electoris gesta in Pomerania.

Verum anno 1675 Suecus, a Gallis persuasus, in provincias Electoris irrupit, sed tam lento gradu, ut Electori sufficiens spatium concederetur, copias suas traducendi. Mox autem, postquam traduxit, in Pomeraniam Suecicam illapsus, Anclanum aliasque in ea urbes eis eripuit. Impegit tamen ad Stettinum, quo vota ejus potissimum ferebantur; nam postquam 5000 ollas igniarias

rias eidem injecit, & ultra 2000 hominum amisit, obsidionem solvit.

Felicior Electori fuit annus 1677, quo Stettinum post quinque mensium obsidionem Suecis eripuit, fame ad deditionem compellente. Sueci cor suum e corpore evulsum, & Elector novam sibi animam inspiratam putabant.

Sed longe felicissimus Electori venit annus 1678, quo magna sane fortitudine Stralsundam, scopulum illum Wallensteinii, ad quem ejus olim virtus & fortuna impegit, brevi temporis spatio expugnavit, cedente in gloriæ partem Gripsvalda, ultimo, quem Sueci in Pomerania habuerant, loco.

Mira profecto rerum humanarum vicissitudo! Marchio Brandeburgicus, mediocris haud ita pridem potentiæ Princeps, quam Suecia vix attentione dignam judicaret, per ipsam potissimum Sueciam in pace Westph. tot accessionibus auctus est, ut de universa jam, dominatrice illa Germaniæ, Sueciæ Majestate triumpharet, nec pugillo terræ relicto in Germania, quo pedem figeret. Sic eunt humana: revolvuntur terrarum Imperia, & quod haud ita pridem toti Europæ erat formidandum, paulo post vel ab uno obscuri antea nominis Principe vincitur. Exempla & causas afferre invidiosum fuerit. Satis oberrant oculis. Vicissitudo.

Sed ecce novas rerum vices! Fridericus Wilhelmus, Elector Brandenburgicus, tam gloriosus Suecorum victor, redhibere mox debuit omnia, quæ tanta fortitudine tantoque impendio occupaverat; quippe artibus Galliæ dissoluto magno fœdere, anno 1679 pax Neomagi confecta est, qua jubebatur Suecus restitui. Cogitur omnia restituere.


Noluit subscribere Elector. Sed desertus a sociis, Crequio jam Cliviam ingresso, suo milite ab eo cæso, quum videret, totas Galliæ & Sueciæ vires in se unum convertendas, cumque alia promissa nihil proficerent, tractatu ad S. Germanum inito, dilectum sibi Stettinum, Stralsundam, totamque Pomeraniam citeriorem Suecis reddere debuit, ira in Cæsarem innocuum versa, qui tali paci restitit, quantum poterat, sed desertus a sociis, maris potentibus, ab Hispania, a Sabaudia, pacisci necesse habuit.

Anno 1688 obiit celebratus hic Heros *Fridericus Wilhelmus* æt. 68, Regiminis 48, Marchiæ suæ Brandeburgicæ adjecit Ducatum Pomeraniæ trans Viadrum, Magdeburgensem Principatum, Mindensem, Halberstadiensem. Borussiam Ducalem a Poloniæ jure directo abstraxit, per conjugem Auriacam semina jecit ad novas accessiones. Successit filius *Fridericus III*, ex Auriaca susceptus.

Hic

Elbinga. Hic anno 1698 Elbingam petiit a Polonis, jure pignoris sibi debitam, donec creditum restituatur, prout stipulatum esset anno 1657, moxque urbem occupavit, Augusto Rege graviter conquerente; cumque res bellum spectare videretur, Cæsare, Suecia, & Dania interveniente, conventum est, ut Elector urbem redderet, sed, si intra tres menses hypotheca pecunia soluta (ducenta thalerorum millia prætendebat) non relueretur, sibi fas esset, Elbingam cum dominio adjacente rursus occupare.

Quæ porro gesserit Elector Brandenburgicus in bello tricennali; quomodo accesserit fœderi Lipsiaco, ac dein transactioni Dresdensi; quantum auctus sit per pacem Westphalicam, quomodo divisa Pomerania; quæ ab eo acta in causa Juliacensi, pluraque alia in Germanicis sunt relata.



CAPUT XV.

DE
RUSSIA
SÆCULO XVII.

SUMMARIUM.

Russia vetus: nova. Comœdia cum quatuor Demetriis. Ad Domum Romanoviam. Alexius Michaelovicius tres reliquit liberos, qui omnes imperarunt. Frequens bellum cum Turcis, Tartaris, Suecis & Polonis. Conjuratio in Petrum Zarum detecta. Sophiæ sororis, & Gallicini tutoris pœna.

75. Antiqua Russia. Sæculo VI, gens Sclavonica in eas regiones, quas Moscoviam hodie dicimus, migrasse memoratur, ductore *Russo*, fratre Zechi & Lechi; unde & nomen *Russiæ* derivatur. Tres autem Russiæ designantur, *Alba*, *Rubra*, & *Nigra*. Prima ad Lithuaniam, altera ad Poloniam spectat, tertia Moscoviam complectitur. Sæculo X. Wolodomirus Christianam Religionem suscepit.

Sæculo

Sæculo XIII. Tartari Russiam subegerunt, primusque Danilovus, *Magni Ducis* nomine assumpto, sedem in urbe Moscua fixit; unde Russi *Moscovitæ* appellari cœperunt. Joannes Basilides I sæculo XV jugum Tartarorum excussit; Lithuani autem Russiam rubram, & Poloni albam ad se traxerunt.

Sæculo XVI. Basilius *Czari* nomen, quod magnum Principem denotat, assumpsisse dicitur. Ejus vero filius *Joannes Basilides II*, immanis tyrannus, Regnum Astracanum ad mare Caspium, & Casanum Tartaris eripuit, & Russiæ adjecit. Hujus filius Theodorus anno 1598, cum absque liberis decessisset, seriem antiqui stemmatis clausit. **Nova.**

Habuerat autem Theodorus fratrem *Demetrium*, quem *Boris* interfecerat, seque ipsum throno intrusit. Quindecim deinceps annis omnia in Moscovia sursum deorsum voluta sunt. Quippe quatuor successive erant deceptores, qui Demetrium *Theodori* fratrem mentiebantur, atque Joannis Basilidis filios. **Comœdia cum 4. Demetriis.**

Et primus quidem fingebat, se esse Demetrium Theodori fratrem, Boridis crudelitati subtractum, aliumque adolescentem clam fuisse substitutum in suum locum. Palatinus Sendomiriæ, conciliata illi Regis & Polonorum gratia, propriam filiam ei despondit. Conducta decem Polonorum, & totidem Cosaccorum millia, quibus Boris cum centum millibus occurrit. Victus quidem est prælio Demetrius; plures tamen urbes illius partes sunt secutæ. Mors Boridis faciliorem ei ad solium gradum substravit.

Nam anno 1605 Moscuæ fuit coronatus, postquam eum Joannis Basilidis vidua, per lepidam sane comœdiam pro filio suo agnovit. Verum non diu tenuit Demetrii hujus Regnum, nam anno sequenti (1606) cum grande sympoſium Proceribus instruxisset, a conjuratis Moscis trucidatus fuit, & cum illo 1700 Poloni. Ferunt amorem Demetrii in Polonos fuisse conjurationis causam. Basilidis vidua noluit amplius esse mater: necessitate cogente salutatum a se filium asserens. Cæterum vero nomine Grisca appellatus dicitur, humili loco natus.

Suiskius, conjuratorum princeps, cui Demetrius vitam donaverat, renunciatus est Zarus. Sed haud multo post tempore comparuit alius, qui verum Demetrium se ferebat, cui pariter favit Sigismundus, haud dubie, ut Russis hostibus suis domi negotium faceret. Sueci vero Suiskio venere suppetias.

Tandem vero, postquam cum quatuor Demetriis, instruentibus comœdiam quibusdam Polonis, satis lusum est, & corona

Russia ad Domum Romanow. Russica aliquot capita levi saltu pertransiit, Mosci anno 1613 Zarum sibi elegerunt *Michaëlem Fœderovicium* ex *Romanowia* Familia, qui Smolenskum recepit, & Polonos ex Russia ejecit, postquam illi, expugnata Novogrodo, in viscera Moscoviæ penetrantes, ipsam urbem Moscuam, Ducum sedem, suæ potestati subjecerant. Cladem subin gravem passus Moscus, cum Polonis & Suecis pacem composuit, & ad mortem usque servavit. Obiit autem anno 1645, æt. 49, Regiminis 33.

Successit filius *Alexius Michaelovicius*, qui vindicaturus clades, a Polonis illatas, cum Cosacco & Tartaro, id est, cum Megæra & Tisiphone, juncta opera in Lithuaniam & Poloniam irruens, Regnum nobilissimum misere discerpsit.

Cum autem Suecus quoque superveniret in partem spolii, Moscus in Livoniam, quam Sueci Polonis eripuerant, arma convertit, sed pro gentis illius tunc adhuc temporis imperitia, modico progressu, donec post pacem Olivensem Sueci ab aliis hostibus expediti, atque in Russos conversi, Livoniam liberarent, & pacificatione anno 1661 subsecuta sibi firmarent. Alio videlicet Alcide opus erat, qui Herculi hanc clavam extorqueret.

Alexii 3. filii. Anno 1676 decessit *Alexius Michelovicius*, æt. 55, Regim. 31. tres ille filios reliquit, qui omnes imperarunt, videlicet Theodorum, Joannem, & Petrum, qui proin *Alexiovicii* dicti sunt, id est, Alexii filii.

Theodoro anno 1681 mortuo successit *Ivan* seu Joannes Alexievicius frater natu proximus. At mox graves tumultus Moscoviam concussere. Nam corporis custodes, *Strelizios* appellant, Theodorum veneno enecatum suspicati, Magnatum cædibus omnia complebant, Regia quoque ipsa & ærario expilatis. Postquam dein Joannes, mente & corpore debilis ac propemodum cæcus, fratrem juniorem *Petrum Alexievicium* (cui nihil ad regendum nisi ætas deerat) in consortem Imperii adlegisset, duobus annis satis tranquille Russia conquiescebat, sub *Gallicinio*, utriusque fratris tutore.

Conjuratio in Petrum. Tum vero quietem turbavit *Sophia* soror, tracto etiam in conjurationis societatem ipso Gallicino tutore. In Petrum præcipue cudebatur faba, acris ingenii & vivacis Principem, sub quo, si ætas maturesceret, auctoritatem suam defluxuram facile prævidebant. Indignum igitur esse murmurabant, juniorem fratrem habenas capessere; majoris natu solius hanc esse prærogativam. Sperasse dicuntur, Petro amoto a gubernaculo, ob Joannis infirmitatem,

mitatem, totam penes se permansuram regendi potestatem, atque, ut nexus firmior esset, conventum, ut Sophia Gallicini filio nuberet, quo pacto pronior esset marito throni ascensus.

At Petrus, conjuratione detecta, Sophiam sororem in Monasterium, Gallicinos in exilium misit, Joanni tenacius adhærentes capite plexi. Retinuit ille quidem nomen Zari, sed nomen duntaxat, auctoritate penes Petrum residente: hanc liberius adhuc exeruit, postquam Joannes frater anno 1696 obiit. Quanta autem rerum gestarum gloria Petrus Alexievicius toto orbe inclaruerit, parte sequenti referetur. Detecta.

CAPUT XVI.

DE STATU TURCIÆ

SÆCULO XVII.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

De Mahometanorum & Turcarum origine, variisque nominibus barbarorum gentium, ad Alcoranum confluentium. Epitome de Imperatoribus Turcicis. Comœdia de Jacaja.

De Turcarum Imperio sparsim quidem in hoc apparatu facta est mentio, hic tamen aliqua in unum cumulum conjiciemus de origine & progressu barbaræ hujus gentis. Sæculo VII ineunte *Mahomet* Arabs, homo impius, prophetam mentitus, novam Religionem cudit, ex Christiana, Judaica, & Gentili conflatam, quam ab auctore suo *Mahometanam* dicimus. 76. Mahometanorum.

Propter novam hanc sectam Mahomet ex Mecca, Arabiæ urbe, pulsus est; eamque fugam Turcæ *Hegyram* appellant, atque ab ea epocham suam ducunt. Dicti etiam Mahometis sectatores sunt *Saraceni*; quia a Sara se oriundum ferebat. Alii ab Agar *Agarenos* nominant.

Et Turcarum origo. Sæculo VIII *Turcæ*, ab extrema Aſia profecti, cum Saracenis ſe conjunxerunt, atque promiſcuo deinceps nomine Turcæ, Saraceni, Agareni, & poſtea ab Ottomanno primo ſuo Imperatore etiam *Ottomanni* ſunt dicti, & *Mahometani* a Mahomete.

Graſſatorum initio & prædonum erat manipulus, per Arabiam & Syriam vagans; ſed quia illis Mahomet rapinas, carnis illecebras, omnemque vitæ licentiam indulgebat, globi inſtar nivei, e monte devoluti, in immenſum ſunt aucti, totumque prope Orientem in Aſia & meridiem in Africa implebant. Denique, cum omne ſuum jus in armis circumferrent, etiam in Europam effuſi hinc Thraciam, Macedoniam, Græciam, nobiliſſimas Romani Imperii provincias, occuparunt, inde Hiſpania rapta, atque Italia & Gallia devaſtata.

Negligi initio à Chriſtianis videbatur prædator hic populus, donec una poſt alteram abſtracta provincia, impares viribus Orientis Imperatores, expugnata Conſtantinopoli, totum Imperium amiſerunt, Chriſtianis Principibus, quod deplorandum, inter ſe colliſis, & de pugillo terræ dimicantibus.

Viſus quidem ſæculo XII, & XIII, expergiſci Occidens, dum hortatu Pontificum cruciatas in Palæſtinam expeditiones ſuſcepit; ſed tandem Chriſtianorum diſcordia fortiter geſta ac ſtrenue parta rurſus evertit, plaudente & in immenſum ſe exporrigente barbaro, Chriſtiani nominis hoſte immaniſſimo.

In primordiis equidem gentis, dum Arabiæ & Syriæ finibus continebatur, ab uno omnes Principe, quem *Calypham* compellarunt, regebantur, poſtea vero ſingulis, quas Chriſtianis rapuerant, provinciis ſuus erat Calypha, donec anno 1303 *Ottomannus* novum in Natolia Principatum conſtituit, qui denique omnes Calyphas ſubegit. Ottomannus autem noluit appellari Calypha, ſed *Sultanus*, & Imperium ſuum a ſuo nomine *Portam Ottomannicam*, aut etiam *Portam Fulgidam*, ſedem autem ſuam fixit in urbe Burſia.

Calyphæ. Ottomannus. Sultanus.

Orchanes ejus filius, ut titulum in Orientis Imperium unde unde conquireret, Joannis Cantacuzerri Imperatoris Græci filiam duxit conjugem. Conceſſit illam Imperator, ut, quem timebat, amicum habeat, præſentium magis ſollicitus quam futurorum.

Turcarum Imperatores. Amurathes I certum genus pedeſtris militiæ (*Janizaros* vocant) introduxit, ex Chriſtianorum, ut fertur, liberis, conflatum.

Bajazethes I a Tamerlane Tartarico Tyranno caveæ ferreæ incluſus, capite cratibus impacto, miſere periit, ingens ambitionis trophæum.

Maho-

Mahomet I tres fratres ſuos, natu majores, trucidavit.

Amurathes II memoriam meretur propter inſignem victoriam, quam ad Varnam anno 1444 retulit ab Uladislao, Hungariæ & Poloniæ Rege, qui cum multis Chriſtianorum millibus in acie cecidit. Dicitur Amurathes invocaſſe Chriſtianorum Deum, dum nutante pugna fugam jam circumſpiceret, ut vindicaret injuriam, pace fracta ſibi illatam.

Mahometes II anno 1353 Conſtantinopoli expugnata, finem impoſuit Græcorum Imperio.

Selimus I eo tempore, quo Lutherus Septentrionem Europæum vaſtare cœpit, Ægyptum ſubjugavit, quam Caliphæ hactenus gubernaverant.

Solymannus II Turcarum Imperator, omnium potentiſſimus, Rhodum, Belgradum, Budam, (quanta munimenta!) expugnavit; ſed ab obſidione Viennæ anno 1529 depulſus eſt. Imperavit 46 annis.

Selimus II anno 1570 Venetis Regnum Cypri eripuit.

Achmetes I legatum Viennam miſit, qui pacem ad viginti annos extenderet, oblatis conditionibus, quæ a nullo unquam Turcarum Imperatore Cæſares obtinere potuerant; quippe conceſſit Sacerdotibus & Religioſis, ut in provinciis Turcicis Eccleſias conſtruere, & officia Divina in iis peragere poſſint.

Ut autem pacem peteret, & indulgentem adeo Rei Catholicæ ſe præberet, impulere Achmetem turbæ domeſticæ. Nam *Jacaja* ſe filium Mahometis III fratremque Achmetis ſeniorem venditabat. Jacaja. Matrem ſuam fuiſſe Chriſtianam, & rumorem ſparſiſſe, Jacajam filium ſuum eſſe mortuum, ne vitam amitteret: translatum fuiſſe in Peloponeſum, ac dein in Macedoniam, ubi baptizatus eſſet, &, ut ſecurius lateret, habitu Monachi indutum.

Cum autem Jacaja non haberet in Turcia, qui ſibi aſſiſteret, percurrit Poloniam, Germaniam, Italiam, Galliam, obteſtans Chriſtianos Principes, ut datis ſubſidiis ad Majorum ſuorum thronum ſe, Chriſtianum Principem, promoveant; ſe memorem tanti beneficii toti Chriſtianitati, quantum poſſet, gratiam relaturum. (*d'Avrigni Memoires Chronologiques pour ſervir a l'Hiſtoire prophane de l'Europe*) ſed non legitur, Chriſtianos Principes quidquam pro eo moviſſe; fortaſſis, quia fabulam credebant, & Jacajam talem eſſe Imperatoris Turcarum filium, quales Demetrii Magni Ruſſiæ Ducis.

Hæc perfunctorio opere attingere breviſſime placuit, ut rudis idea tyronibus eruditionis exhibeatur. Ad ſæculum jam XVII procedimus, & ea, quæ memorabilia magis videntur, uberiore aliquantulum calamo adumbrabimus, in quantum in tanta rerum vaſtitate breve compendium patietur.

ARTICULUS II.
De recentiore Turcia.

SUMMARIUM.

In Moldaviam & Valachiam ſibi jus Sultanus arrogat. Frequens tranſitus a throno ad carcerem, & e carcere ad thronum. Irruptio in Italiam. Cæſi a Polonis. Osmannus ſtrangulatus, & Muſtapha, ac Ibrahim. Venetorum de Turcis victoriæ. Candiam tamen amittunt. Bellum cum Polonis, a quibus adiguntur ad pacem petendam. Poſt Viennam tentatam ubique conciſi Turcæ a Cæſare & Polonis. Pax Carlovicia.

77. Res Turcarum geſtas, quæ Hungariam & Tranſilvaniam ſpectant, ſuo loco recenſui; reliqua, quæ magis videntur digna, hic perſtringam. Et quidem anno 1612 *Moldavia & Valachia* a gente illa fuit turbata. Siquidem Sultanus Conſtantinum provinciarum illarum Principem depoſuit, eique Thomam ſurrogavit. Conſtantinus a Polonis petiit auxilia, & obtinuit 15000 Armatorum; ſed gravem ab Ottomannis cladem paſſus eſt, quæ Turcam in poſſeſſione conſtituit, nominandi Moldaviæ & Valachiæ Principem, quem *Hoſpodar* aut *Woywodam* appellant.

Sultanus in Valachiam & Moldaviam jus ſibi arrogat.

Anno 1617 obiit Achmetes I, ætatis 30, Imperii 14, præterito ejus filio Osmanno, a Janizaris e carcere ad thronum ductus eſt Muſtapha I, Achmetis frater. Sed anno 1618 hoc dejecto, & in Monaſterium intruſo, Osmannus ab iisdem Janizaris Imperator fuit proclamatus. Miſit is Legatum in Franciam, deprecaturum injuriam, quam Muſtapha Legato Gallico intuliſſet.

Anno 1620 Turcæ in Apuliam irruperunt, in qua Manfredoniam occuparunt, & expilarunt. Verum novo Vizirio in bellum Polonicum abrepto, Italia ab ulterioribus invaſionibus conquievit, quamvis Triremes Gallicæ, Florentinæ, & Meliteníes magnum navium numerum Turcis eripuerint.

Anno

Anno 1621 Osmannus II, cum ducentis, aut trecentis, ut alii ſcribunt, millibus, Polonos invaſit; ſed amiſſis ſexaginta millibus, ultro in pacem conſenſit, recepto tamen Chozimo, & jure nominandi Principem Moldaviæ & Valachiæ eidem aſſerto, Chriſtianum tamen.

Mutata mox rerum ſcena, Osmannus, qui nuper trecentis ſatellitum millibus ſtipatus inceſſerat, a Janizaris ſtrangulatus eſt, Muſtapha vero ejus patruus e carcere deductus ad thronum, qui mox Viennam, in Poloniam, Venetias Oratores miſit, ut pacem confirment. Dicuntur Janizari ad rebellionem & enorme parricidium concitati, quod Osmannus hoc militiæ genus, tam ſeditioſum, atque Imperatorum & Viziriorum capitibus tam periculoſum, abrogare, ſedemque Imperialem Conſtantinopoli Cairum in Ægyptum transferre conatus ſit. Sultanorum miſeria.

Sed neque Muſtaphæ diuturnum fuit Imperium, quippe anno vertente Amurathes IV, Achmetis I filius, frater Osmanni II, Cydarim Turcicam induit, Muſtapha in carcerem abducto, ac poſtea laqueo ſuffocato. Ex quibus ſane videas, quantam Turcia ſpiret barbariem, quantumque ſit paradoxum, ſupremum, independentem, & quaſi omnipotentem eſſe tot populorum Dominum, & tamen in perpetuo vivere periculo capitis, aut ſaltem, ne a ſummo rerum apice in extremam miſeriam præcipitetur. (*anno* 1623.)

Has inter turbas Cpolitanas *Tartari*, gens prorſus barbara & indomita, pacem, cum Polonis concluſam, impune violare ſe poſſe rata, cum triginta graſſatorum & latronum millibus in Poloniam irrupit, ſed a generoſa Natione tot cladibus fuit conciſa, ut dimidia ne quidem pars ad gurguſtia ſua poſſet aufugere. Tartari.

Coſacci, Poloniæ ſubjecti, uno tantum gradu minus barbari, quam Tartari, ut injuriam, ab his illatam vindicarent, in Tartariam Turcicam irrumpentes, populationem & incendia late ſpargebant, urſo urſum devorante. (1624.) Coſacci.

Anno 1640 periit Amurathes IV, æt. 32, Imp. 17, ſucceſſit Ibrahim frater, brevi a Janizaris ſtrangulandus. Amurathes, contra morem Turcarum, ei vitam reliquit, quia amentem credidit, & ineptum ad imperandum.

Anno 1645 Vizirius Candiam ſeu Cretam, nobiliſſimam Venetorum inſulam invaſit. Occaſionem dederunt Meliteuſes Equites, qui direptas Turcarum naves, Cairum tendentes, intercceperunt, atque in portum Venetum invexerunt. Turcæ, cum in Melitenſes

litenses vindictam non possent exerere, in Venetos illam verterunt.

Anno sequente Veneti prælio ad Rettimum a Turcis cæsi sunt. At anno 1648 munimentum Clissæ expugnarunt. Cum autem Turcis bellum minus prospero cursu procederet, & Ibrahim Sultanus sceptro gestando minus idoneus videretur, anno 1648 a Janitsaris depositus & laqueo suffocatus est. Successit ei nepos ex fratre Solimanno II, *Mahometes IV.*

Bellum cum Venetis.

Nec hujus initia fuere magis prospera; nam Veneti classem ejus partim merserunt, partim sparso incendio delerunt. Anno sequenti Turcæ obsidionem Candiæ solverunt, postquam 10000 ad eandem amiserant.

Anno 1654 Veneta classis in Hellesponto Turcicam aggressa insignem eidem cladem intulit, & multo majorem anno sequenti, commisso intra ipsas Dardanellas prælio. *

Bella Turcarum cum Cæsare in Hungaricis descripsi. Celebre est illud, quod propter Transylvaniam cœptum, per Victoriam Gothardensem, & subsequam pacem Temesiensem anno 1664 finitum est. Dicitur Divanum hanc pacem petiisse, ut eo fortius Persis, rebellibus in Ægypto, & Venetis possit resistere.

Anno 1666 Venetis ad Cameam damnum passis, Vizirius cum numeroso exercitu in Candiam movit, eamque infestare cœpit. Anno 1668 in aquis Cretensibus conserta navali pugna, quinque triremes Venetæ a Turcis captæ, & una demersa.

Candia ad Turcas.

Tandem anno 1669 Turcæ (dimicantibus inter se Christianis Principibus) expugnarunt *Candiam*, postquam ultra biennium eandem oppugnaverant, amissis centum millibus hominum. Venetis relictæ in illa duæ solummodo urbes, Suda & Spinalonga, una cum Clissa & pluribus aliis in Dalmatia locis. Remissum tributum, quod ratione quorundam locorum Sultano pendere oportuit. Permissus egressus Christianis cum magna machinarum bellicarum copia, suspensio armorum in 13 annos decreta. Atque sic finiit

* Dardanellæ appellantur duæ munitæ arces in Hellesponto, Sestus & Abydus, quarum illa in Europa, hæc in Asia, angusto freto Gallipolitano sejunctæ, Propontidem inter & Archipelagum; atque hæ veteres *Dardanellæ* vocantur. Mahomet IV autem anno 1658 duo alia castella construxit, ad initium freti, ex quibus ingressus navium in fretum & Propontidem tormentis arceri potest. Et hæc appellantur *Dardanellæ novæ*.

finiit bellum, per multos annos inter Venetam Rempublicam & Turcas, immanibus impensis gestum.

In Polonos deinceps versa sunt Turcarum arma, fortuna varia. Cozimum amissum, receptumque. Persis in Oriente bellum moventibus, mitius in Christianos sævitum.

A Persis reditum in Polonos, nimis prospero successu sub Ladislao & Coributo, qui etiam vectigalem Turcis fecit Sarmatiam. Verum Sobieskius, Rex electus, quas jam ante retulerat, strenue prosecutus victorias, tanta fortitudine barbaros, Turcas, Tartarosque profligavit, ut in pacem, Polonis gloriosam utilemque, consentire sint coacti. Deletum tributi dedecus. Retenta Podolia cum Ucrania cis Boristenem. Consultum Religioni in Turcia. Promissa Poloniæ defensio. Dicitur Sultanus hanc pacem noluisse approbare, donec ei ostensum fuisset, Sobieskio faventem magis fortunam assistere, quam ex usu sit gentis Ottomannicæ, bellum contra eundem gerere.

Vertit postea arma in Cæsarem, atque Cara Mustapha Duce ultra ducenta Turcarum millia ad obsidendam Viennam misit. Sed prælio cæsi, non modo ex Austria, sed ex Hungaria quoque & Transylvania sunt propulsi. Vizirius laqueo suffocatus, Mahometes IV, anno 1687 throno dejectus, in carcerem detruditur, Solimannus III, ejus frater, e carcere ad solium evehitur. **Bella varia.**

Hic bella, contra Cæsarem, Venetos, Polonos, Moscos, cladesque, a fratre relictas, prosecutus, pacem post amissum Belgradum, Nissam, Widdinum, petiit. Et utinam fuisset tunc concessa, antequam gravis procella ab Occidente ingrueret; qua confisus deinceps barbarus, quamvis attritus, ferociorem se exhibuit.

Nec diu tamen ei tumultuari licuit; nam anno 1691 decedens, thronum vacuum reliquit fratri juniori Achmeti II, quem frater in carcerem ante detruserat.


Anno 1694 Comes Jablonoski Polonorum, & Sapieha Lithuanorum Dux, 50000 Turcarum & Tartarorum ad Boristhenem aggressi, plenam de iis victoriam reportarunt, cæsis in acei campo 4000, captis 5000 curribus, munitionibus, annona, mercibus, & argento, Camenecum destinato, onustis. Dicuntur, eo prælio 12 solummodo cæsi, & 40 sauciati. Quod si verum est, victoriam non multum fuisse disputatam necesse est. **Mira victoria.**

Veneti quoque bellum in Mediterraneo, Archipelago, & ipso Hellesponto adversus Musulmannos fortiter sunt prosecuti, cæsis

cæsis non raro nauticis eorum copiis, captis urbibus, ipsaque etiam Peloponeso Peninsula in potestatem redacta.

Anno 1695 obiit Achmetes II, Imperii 4, a Cæsare, Polono, Venetis, Mosco, contusus egregie. Successit nepos, Mustapha II, Mahometis IV filius, non magis felix, facileque tota Europa exturbandus, si Christiani Principes consensissent; imo, si aliqui non impedissent.

Tandem anno 1699 Carolovicum pacem reduxit, cum Polonis perpetuam, cum Cæsare ad 25 annos protensam, illis Camenecum cessum, huic Hungaria & Transylvania, Venetis Morea. Töckelio Turcæ Widdinum & Caransebes tradiderunt, in præmium navatæ operæ. Angli Hollandique interpositorum officio functi sunt; qui dein etiam inter Moscos & Portam pacem conciliarunt, ad 30 annos extensam.



CAPUT XVII.

CONCILIA ORIENTALIA contra PROTESTANTES CELEBRATA.

ARTICULUS I.

Vani Lutheranorum conatus apud Jeremiam Patriarcham.

78. Lutheranorum vani conatus.

Lutherani, ut ecclesiam suam arctis ad Septentrionem limitibus inclusam dilatarent, grandi mendacio, emissis, quibus fœcundi sunt, libellis, in vulgus sparserunt, Orientalem seu Græcam Ecclesiam, in dogmatibus fidei secum sentire, atque ne manifeste mendaces deprehenderentur, omnem moverunt lapidem, ut Augustanæ Confessionis suæ approbationem a Græcis extorquerent.

Martinus Crusius, linguæ Græcæ Professor Tubingæ, primus aleam sibi tentandam ratus, contribules suos famosi nominis eo permovit, ut Stephanum Gerlachium, Cæsarei oratoris Constantinopoli ministrum, rogarent, Confessionem, quam diximus, offerret *Jeremiæ* Græcorum Patriarchæ Constantinopolitano, in Græcum jam ante traductam. Provinciam sibi demandatam lubens suscepit Gerlachius, nihilque non egit, ut Patriarchæ persuaderet, eam doctrinæ orientali esse conformem.

At Patriarcha aperte contestatus, Confessionem Augustanam Catholicæ fidei Deique verbo e diametro opponi, tribus doctissimis libellis, ad eos missis, errores confutavit, tandemque, cum missis epistolis patientiam Præsulis fatigarent, ne sibi amplius molesti essent, monuit, cum pervicacibus in errore nihil sibi deinceps fore negotii.

Quamvis autem Lutherani machinationibus suis caput vehementer impegerint, Calvinistæ tamen sæculo sequenti nequaquam absterriti, ut auctoritatem sectæ conciliarent, omni ope sibi connitendum putabant, ut Europæ eam persuasionem ingererent, Græcam Orientalium Ecclesiam eandem secum religionem profiteri, quo & amplitudinem, & antiquitatem, & visibilitatem novellæ suæ Ecclesiæ extenderent. Calvinistarum fraudes.

Sed cum veritas manifesta obnixo desiderio obstaret, ad malas artes ventum & fraudes. *Cyrillum Lucar* Hollandi pecuniæ largitione in Patriarchatum Constantinopolitanum intruserunt, hominem venalem ac nefarium, qui, ut gratiam patronis redderet, confessionem Calvinianam secreto consarcinasse dicitur, in Hollandia dein typis datam, ac pro sincera Græcorum fide per Europam vulgatam. Pulchra enim vero stropha, & Calviniano digna ingenio! Sed mendax vafrities se ipsam in casses induit, & coram orbe palam prostituit. Cyrillus Lucar.

Nam Lucar pseudo-patriarcha, princeps in hac fabula persona, propter scelera a Selimo deturbatus, atque Euxino mersus misere periit, & Græci, doctrinam suam Calvinianæ conformem haberi indigne ferentes, pluribus habitis synodis, eam injuriam a se sunt amoliti, proposita sua, & damnata Calvinistarum doctrina. Quæ res cum ad noscendam utriusque partis doctrinam plurimum valeat, eruditionis interesse existimo, prolixius aliquantum, quid in Orientalibus istis actum synodis, repræsentare.

ARTICULUS II.

Concilium Constantinopolitanum I. contra Calvinistas. *Anno 1638.*

79. Cum Orientales Græcique Præsules accepissent, quid Cyrillus Lucar attentasset, quidque de sua fidei doctrina per Occidentem spargeretur, Synodum congregarunt, atque præsentibus Alexandrino & Hierosolymitano Patriarchis, 23 Episcopis, & universo Clero Byzantino, Cyrillo Lucari ejusque Confessioni Calvinianæ anathema una voce dixerunt, hominemque exauctoratum, sede, quam inique per Simoniacam pravitatem invaserat, deturbarunt; suffecto in illius locum Cyrillo, Beroensi ante Episcopo.

Synodus Constantinopolitana II. contra Calvinistas, *anno 1642.*

Cyrillo Beroensi Patriarcha Constantinopolitanus subrogatus est *Parthenius*, qui alteram ex Orientalibus convocavit synodum, ut Cyrilli Lucaris & Calvinistarum confessio iterato condemnetur. Prolata Calviniani erroris multa capita, & tanquam hæretica anathemate profligata. Juvat ex iis aliqua seligere, cum synodi censura.

1. Dicunt, Calvinistas abuti sacra scriptura, contra interpretationem SS. Patrum & Conciliorum Generalium.

Calvinistarum errores.

2. Rejici ab eis Traditiones, quibus per totum mundum sit pretium, & sine quibus, secundum doctrinam S. Basilii, fides sit imperfecta.
3. Deum iniquissimum fieri a Calvinistis, tyrannica potestate utentem, cum dicunt, eum sola sua voluntate alios prædestinare ad gloriam, alios in pœnam mittere, nulla operum habita ratione. *Quo quid magis impium proferri possit?*
4. De Divina providentia blaspheme eos loqui, dum mala, quæ permittit, eidem ceu auctori attribuant.
5. Nullum hominem esse sine peccato mortali, ne quidem B. V. Mariam. *Hoc alienum a fide nostra judicatum est*, inquiunt.
6. Negant intercessionem sanctorum & custodiam angelorum, precesque, quæ a sacerdotibus per totum mundum fiunt. *Quibus Ecclesiam conservari credimus.*

7. Docent,

7. Docent, fidem salvare sine operibus: cœlestem & terrestrem Ecclesiam confundi. Tolli potestatem Episcopalem, & cum ea totam perfectionem Ecclesiæ. *Quo quid perturbatius esse possit?*
8. Ajunt, solos prædestinatos esse membra Ecclesiæ: hanc errare posse. *Quod, ut impium est damnatum a synodo.*
9. Asserere, quod bona opera nullam partem habeant in negotio salutis, esse contra S. Scripturam. Libertatem arbitrii tollere, esse naturam humanam evertere.
10. Quinque sacramenta ab illis negari. Reliqua vero duo non recte explicari. Divinam Eucharistiam ita convelli, ut nihil nisi nudam figuram ipsi relinquant, quasi adhuc in umbra veteris legis serviremus. *Hoc autem omni impietate plenum esse.* Neque enim dixisse Jesum: *hoc est figura corporis mei:* sed: *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus.*
11. Repudiant solennes nobis ac legitimas pro defunctis commemorationes, per quas speramus requiem illis, & respirationem ab acerbitatibus, quæ illos premunt, a Deo esse concedendam.
12. Ad hæc omnia venerabilium & sanctarum imaginum cultum relativum respuunt, quem sancta oecumenica Synodus VII confirmavit.

Post errores istos recensitos Synodus, graviter questa, quod orientali Ecclesiæ per incredibilem proterviam impingantur, omnes solenni dicto anathemate tanquam hæreses condemnat, publice contestata, eos a sua Græca Ecclesia quam longissime abesse; nunquam se ista credidisse, nec unquam credituros.

Subscripserunt huic condemnationi cum Patriarcha omnes Episcopi, inter quos Petrus Mogilas, Primas Russiæ; omniaque Synodi acta cum litteris Synodalibus Parthenii Patriarchæ Jassi in Moldavia typis sunt publicata.

ARTICULUS III.

Synodus Constantinopolitana III, contra Calvinistas anno 1672.

Dionysius Patriarcha hanc indixit. In ea Orientalis Ecclesia profitetur septem sacramenta, videlicet *Baptismum*, per quem homo a peccatorum sordibus purgatus, spiritualiter regeneratur. Sacramentum *Chrismatis*, quo Christianam fortitudinem accipimus, profitendi etiam externe fidem, quam in baptismo acceperimus. 80.

cepimus. Sacramentum *Eucharistiæ*, qua nutrimur ad virtutem, & unionem cum Deo. *Pœnitentiæ*, per quam remittuntur peccata hominis, post baptismum lapsi. *Matrimonii*, quod ipse etiam Apostolus sacramentum appellat. *Ordinis*, per quem formantur pastores animarum, conferturque gratia ad vitam clericalem. *Extremæ unctionis*, pro salute corporis & animæ.

Verbis clarissimis confitetur *Transubstantiationem*, seu conversionem veram & realem panis in corpus, & vini in sanguinem Christi in sanctissimo altaris sacramento, in quo offerens & oblatus est Christus, qui integer a Fidelibus recipitur. Baptismum omnibus, etiam infantibus, absolute esse necessarium &c.

Ecclesiæ, ordinatione Divina, Episcopis opus esse, quorum, tanquam vicariorum suorum, officio Christus, summus sacerdos, utatur. A nemine, nisi Episcopo sacerdotem aut Episcopum consecrari posse. Necessariam esse Hierarchiam & subordinationem in Ecclesia.

Cœlibem vitam, teste apostolo, matrimoniali præstare. Catholicam Ecclesiam esse infallibilem, perpetuo visibilem. Sanctos venerandos, & tanquum Intercessores apud Deum, invocandos; hoc pluribus locis S. scripturæ doceri. Falso asseri, per cultum sanctorum honorem Dei minui. Se cultum sanctarum imaginum, ceu ritum ab Apostolorum temporibus transmissum, juxta Ecclesiastica monumenta, prorsus amplecti.

Penes Ecclesiam esse potestatem instituendi jejunia, & abstinentiam a carne præcipiendi. Hanc Ecclesiæ orientalis confessionem fidei subscripsit Patriarcha cum multis Episcopis.

ARTICULUS IV.

Synodus Hierosolymitana contra Calvinistas anno 1672.

81. Prolixa, sed lectu dignissima est hæc Synodus, a Dositheo Patriarcha Hierosolymitano celebrata, qua Calviniana hæresis profligatur, & Orientalis Ecclesiæ doctrina fidei, toto cœlo opposita, asseritur, adjunctis omnibus, quæ in hac causa contra Cyrillum Lucarem & Calvinistas a Cyrillo Beroensi, Parthenio, & Dionysio Patriarchis Constantinopolitanis acta sunt.

Et imprimis acerbe conqueritur Synodus, Calviniſtas frontem tantopere atque pudorem omnem exuiſſe, ut non ſint veriti, ſuas hæreſes Orientali Eccleſiæ mendacio execrabili affingere, necdumque ceſſent, impoſturas ſuas defendere.

Cum enim, inquit Synodus, homines iſti vaniloqui, novatores, mendaciorum architecti, ab occidentalibus jam receſſerint, ſeque ab omni Eccleſia Catholica longe fecerint, manifeſtiſſime ſe probant Hæreticos, imo & Hæreticorum coriphæos; nam falſa non modo dogmata, ſui ſupra modum amantes, induxere; ſi tamen dogmata fabellas licet appellare, &, formidantes, ne miſere deceptæ mentes ad veritatem redeant, ut nihil ad impudentiam deeſſet, ad fraudes & mendacia confugere, Orientalium Chriſtianorum fidem hæreſibus ſuis obtendentes.

Verum quemadmodum lucis ad tenebras, aut Chriſti ad Belial, ſocietas eſſe non poteſt, ita nec una adverſariorum noſtrorum cum Eccleſia Orientali ſententia, quamdiu hæreſiarcham Calvinum voluerint habere Magiſtrum.

Receſet dein Concilium grandem numerum articulorum fidei, in quibus Calviniſtæ ab Orientalibus diſſentiant; ex quibus manifeſte elucet, Græcos (etiam ſchismaticos) retinere doctrinam Romano-Catholicam de Divina providentia, prædeſtinatione & reprobatione, voluntate ſalvandi omnes, libero arbitrio, poſſibilitate ſervandi præcepta: de merito & remuneratione bonorum operum, ſeptem ſacramentis, invocatione ſanctorum, cultu ſacrarum imaginum, verbo Dei tradito, auctoritate conciliorum &c. In omnibus his articulis Orientalis cum Occidentali Romana conſentit Eccleſia, & penitus contradicit Calviniſtis, quos blaſphemos, deceptores, hæreticos appellat.

Diſſenſio Orientalis Eccleſiæ.

Non poteſt Proteſtantibus incognita eſſe Orientalis Eccleſiæ doctrina fidei (pergit ſynodus) poſtquam Martinus Cruſius aliique Lutherani ſuam confeſſionem ad Jeremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum miſit, qui tribus doctiſſimis reſponſis omnem eorum hæreſim Theologice ac Catholice confutavit, hæc Jeremiæ ſcripta latine & Græce in Germania fuiſſe edita, anno 1584, quanquam hæc illi non attendiſſent, qui nuntium pietati penitus remiſiſſent.

Jam ante Jeremiam Joannem Nathanaëlem, Presbyterum Conſtantinopolitanum in Tractatu de Miſſa, Gabrielem Moteanum, Archiepiſcopum Cretenſem in libro de ſeptem ſacramentis, uti

& Petrum Archiepiſcopum Kiöbenſem, cum multis aliis, totam Eccleſiæ Orientalis doctrinam expoſuiſſe, ut adeo ignorare non potuerint Proteſtantes illius fidem, ſed ex ſumma impudentia ad ſimplicium ruinam eidem affinxerint prorſus alienam. Neque enim in 18 capitibus, ſub nomine Lucaris editis, contineri ſuam fidem, ſed eſſe ſuppoſititium Calviniſtarum partum, cum ipſe Cyrillus negaverit eſſe ſuum, & in Homiliis ſuis contrariam prorſus doctrinam populo propoſuerit: damnatum autem fuiſſe eundem Lucarem, quod articulos illos, ſibi affictos, confutare nollet, eaque re ſuſpectum ſe reddiderit, & pro hæretico ſit habitus, prout tot Anathematismi a Conciliis in eum jacti ſatis declarant.

Anathema Lucari. Nam ſæpius a Patribus exclamatum: Cyrillo Lucari, calumnianti, Orientalem Chriſti Eccleſiam cum Calviniſtis conſentire, Anathema! Cyrillo dogmatizanti, ſanctam Eccleſiam errare poſſe, anathema! Cyrillo dogmatizanti, non eſſe ſeptem ſacramenta, anathema! Cyrillo dogmatizanti, panem & vinum non converti in corpus & ſanguinem Chriſti, anathema! Cyrillo, neganti liberum voluntatis arbitrium, anathema! Cyrillo, neganti meritum bonorum operum, ſanctos eſſe invocandos, anathema! Cyrillo dicenti, Deum aliquos æternæ morti devovere, absque ullo reſpectu ad eorum mala opera, anathema! Cyrillo, venerandarum imaginum cultum ac relativam adorationem improbanti, anathema! Cyrillo, novo Iconomacho, anathema!

His anathematismis jam pridem ſubſcripſerant Cyrillus Beroënſis Patriarcha Conſtantinopolitanus, Metrophanes Patriarcha Alexandrinus, Theophanes Patriarcha Hieroſolymitanus, cum univerſali Orientis ſynodo.

Poſtquam Concilium Hieroſolymitanum, ſub Doſitheo Patriarcha congregatum, hæc omnia enarravit, adjunxit acta Concilii Conſtantinopolitani, ſub Parthenio Patriarcha habiti, contra Lucarem, & Calvinianam ejus doctrinam, quod ſupra memoravimus.

Addit denique Synodus Hieroſolymitana ſymbolum ſuæ fidei, Calviniano prorſus contrarium, Romano-Catholico prorſus conforme, ſolo articulo de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre *Filioque* excepto.

1. Itaque capite profitentur Myſterium SS. Trinitatis.

2. Credimus, inquiunt, ſacras ſcripturas a Deo fuiſſe revelatas, eisque

eisque propterea, non quidem, ut libuerit, sed secundum Ecclesiæ Catholicæ traditionem & interpretationem adhibendam esse fidem, omni dubitatione majorem: adduntque, idem esse, sacram scripturam & Ecclesiam Catholicam audire; quia Spiritus sanctus utriusque est auctor, & etiam Ecclesiæ columna & fundamentum veritatis. Contra vero Ecclesiam Calvinistarum esse communitatem Hæreticorum.

3. Profitentur libertatem humani arbitrii cum Divina gratia, hominem videlicet libere Divinæ gratiæ cooperari. Impiam esse hæresin, si dicatur, Deum prædestinare & condemnare absque omni respectu ad bona vel mala hominum opera. Blasphemiam esse & apertam insaniam, si dicatur, Deum, absque alia causa, esse auctorem æternæ damnationis, cum Deus omnes homines velit salvos fieri. **Fides Orientalium.**

4 & 5. Profitentur, Deum nunquam esse auctorem mali, sed omnia, quæ a Deo sunt, bona esse. Solum autem peccatum esse malum.

6. Peccatum originale, & 7. Incarnationem Filii Dei, & alia, quæ in symbolo Apostolorum habentur, Catholico prorsus modo.

8. Sanctos esse nostros intercessores apud Deum, & ante omnes Immaculatam ejus Matrem, uti etiam Angelos, ad nostram custodiam destinatos, Apostolos, Prophetas, Martyres, Episcopos, omnesque sanctos, quos Deus tanquam fideles servos gloriosos fecit; qui, sicut Prophetæ, ea, quæ in terris geruntur, per Divinum lumen & revelationem cognoscunt.

9. Per fidem, quæ operatur per charitatem, id est, per Divinorum præceptorum observationem, nos justificari.

10. Credunt sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quæ ordinatione Divina per Episcopos a Spiritu sancto regatur. Quod autem Calvinistæ dicant, nullum esse discrimen inter Episcopos & simplices sacerdotes, absque Episcopis posse Ecclesiam subsistere, non ab Episcopo duntaxat, sed etiam a sacerdote sacerdotem posse ordinari, & a pluribus sacerdotibus Episcopum &c. hoc enimvero longissime, ut credat, ab Ecclesia Orientali abesse, quæ semper certum habuerit, Episcopos ordinatione Divina Ecclesiæ esse necessarios, magnumque, non tantum quoad potestatem Jurisdictionis sed etiam ordinis, inter Episcopum & alios sacerdotes intercedere discrimen. Nunquam

a ſacerdote, qui non ſit conſecratus Epiſcopus, poſſe Epiſcopum conſecrari, imo neque alium ſacerdotem &c.

Sacerdotem, ab Epiſcopo ordinatum, conferre baptismum, extremam unctionem, offerre SS. ſacrificium, præbere populo corpus & ſanguinem Domini, aſſiſtere matrimoniis, prædicare populo; ſed chrisma a ſolo Epiſcopo conſecrari, ſacrosque ordines conferri, ligari, ſolvique ab eo altiori poteſtate, excommunicari hæreticos, mitti ab eo prædicatores, ſine cujus ordinatione non poſſent eſſe legitimi animarum paſtores.

11. Omnes & ſolos fideles profitentur eſſe membra Eccleſiæ, etiamſi ſint peccatores, quia in iſtos etiam Jurisdictionem exercet.

12. Eccleſiam, a Spiritu S. illuſtratam, atque per Præpoſitos ſecundum ſacra concilia edoctam, errare non poſſe.

13. Hominem non per ſolam fidem juſtificari, ſed per fidem vivam & efficacem, quæ per charitatem operatur, id eſt, per fidem atque opera. Quod autem fides juſtitiam Chriſti veluti manu apprehendat, ac ſola ad ſalutem ſufficiat, longiſſime a veritate abeſſe credunt, alias enim quemlibet, modo credat, ſalvatum iri: ſed recepturum quemque, prout geſſerit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum.

14. Per peccatum originale ſublata quidem fuiſſe homini dona ſupernaturalia atque indebita, non autem quæ ſunt ipſius naturæ, relictumque liberum voluntatis arbitrium, ut opus aliquod moraliter bonum viribus naturæ facere poſſit, ſecundum illud Apoſtoli: *gentes naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* At vero ad actum ſalutarem, ad vitam æternam conducentem, requiri gratiam ſupernaturalem, cui tamen homo per liberum ſuum arbitrium poſſit reſiſtere, aut conſentire, prout voluerit.

15. Credunt ſeptem ſacramenta; hæreticæ autem dementiæ fœtum, ajunt, alium ſacramentorum numerum, nec enim minus, quam cætera fidei Catholicæ dogmata, ſeptenarius ille in Evangelio ſtatuitur numerus, & ex ipſo colligitur. Poſtquam dein ſingula in ſpecie enumeravit, ſingulaque, adductis ex S. ſcriptura textibus, probavit, addit, ea non eſſe vacua ſigna Divinarum promiſſionum, alioquin nullam a circumciſione differentiam habitura, quod ſcandaloſum foret dicere, ſed eſſe inſtrumenta gratiæ, quam digne ſuſcipientibus conferunt. Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtere in ipſo actuali uſu duntaxat,

taxat, ſed jam ante uſum & ſumptionem per verba conſecrationis fuiſſe perfectum.

16. Credunt, baptismum, a Chriſto inſtitutum, & in nomine SS. Trinitatis collatum, abſolute eſſe neceſſarium, etiam parvulis, quia peccato originali ſunt infecti; cum Chriſtus univerſaliter de omnibus dixerit, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intraturum in Regnum cœlorum.* Quamvis autem ordinarius Miniſter hujus ſacramenti ſit ſacerdos, in caſu tamen neceſſitatis a quolibet homine, rationis compote, conferri poſſe, modo rectam intentionem habeat. Effectum baptismi eſſe extinctionem peccati originalis & actualium. Infantes, poſt baptismum mortuos ſalvari, per baptismum, ſicut per ordinem imprimi characterem, unde reiterari non poſſint; peccata vero, poſt baptismum commiſſa, remitti per ſacramentum pœnitentiæ.

17. Credunt ſacramentum Euchariſtiæ, veramque tranſubſtantiationem his verbis: In hujus itaque celebratione ſacramenti Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum credimus eſſe præſentem, non quidem ſecundum figuram aut imaginem --- neque penes conjunctionem, qua propoſito Euchariſtiæ pani verbi Divinitas ſubſtantialiter uniatur, quemadmodum inſcite juxta ac miſere Lutherani arbitrantur, ſed vere realiterque, quatenus panis & vinum facta conſecratione transmutentur, tranſubſtantientur, convertantur, tranſeant, panis quidem in ipſum corpus Domini verum, quod natum eſt in Bethlehem ex ſemper virgine &c. vinum vero in ipſum Domini ſanguinem verum converti & tranſubſtantiari. Item facta panis & vini conſecratione, nec panis nec vini manere amplius ſubſtantiam credimus, ſed ipſum corpus & ſanguinem Domini ſub panis & vini ſpeciebus, id eſt, ſub panis accidentibus. Tranſubſtantiatio.

Item & ipſum diſtribui Domini corpus & ſanguinem puriſſimum, inque communicantium, ſive piorum ſive impiorum, os ac ſtomachum introduci, illis ad vitam, his ad mortem; Chriſtum ut Deum ac hominem ſub minimis etiam ſpecierum particulis integrum & indiviſum contineri. Cum multæ ſimul Miſſæ leguntur, Chriſtum modo ſupernaturali in multis ſimul locis realiter eſſe præſentem, absque ulla ſui diviſione. Comprehendi hoc quidem a nobis non poſſe, credi tamen poſſe tanquam veritatem nobis revelatam, ſicut plura alia Myſteria (uti ſummæ

 Trini-

Trinitatis & Incarnationis) credimus, licet illa non comprehendamus.

Corpus & ſanguinem Chriſti ſummo cum honore adorandum; cum Chriſtus, Deus & homo, uno ſupremo latriæ cultu ſimul ſit adorandus. Credunt, verum ac propitiatorium eſſe ſacrificium, quod pro fidelibus omnibus, tum vivis tum defunctis, nec non & pro utilitate omnium offertur. Credunt, verum Corpus Chriſti in tabernaculo & ſacris vaſis aſſervari; atque ad ægrotos deportari. Neminem autem hoc ſacramentum poſſe conficere, niſi ſacerdotem, ab Epiſcopo conſecratum.

Hanc eſſe epitomen doctrinæ orientalis Eccleſiæ de hoc ſacroſancto ſacramento, hanc confeſſionem & antiquiſſimam traditionem, de qua nihil detrahi patiantur, qui recte credunt, & ab impiis hæreticorum erroribus abhorrent. Et, qui Traditionem contemnunt, eos damnari & anathematizari a ſancta Chriſti Eccleſia.

Purgatorium. In 18 denique Capite confitentur Purgatorium, ſeu locum tertium, in quo illi, quibus culpa quidem & æternæ pœnæ reatus per contritionem aut confeſſionis ſacramentum remiſſus eſt, ſed tamen, quia per orationem, lacrymas, eleemoſynam, caſtigationem corporis, aliaque bona opera, juſtitiæ Divinæ necdum ex integro ſatisfecerunt, ob reſiduum reatum pœnæ, temporali ſupplicio puniuntur, a quo per eleemoſinas, preces Fidelium, & præcipue incruentum Miſſæ ſacrificium, quod ab Eccleſia quotidie pro vivis atque defunctis offertur, ex ſumma Dei bonitate & miſericordia liberantur.

Solvit objectiones. Poſtquam Concilium Orientalis Eccleſiæ hæc 18 capita Calvinianis Cyrilli Lucaris 18 articulis oppoſuit, reſpondit etiam ad quatuor illius quæſtiones; atque ad 1. quidem, non eſſe conſultum, ut quilibet ſacram ſcripturam vulgari idiomate legat, quia indocti illam non intelligant, & eadem abutantur, ut adeo Eccleſia provide ac prudenter ejusmodi lectionem promiſcuam & illimitatam prohibuerit.

Ad 2. an S. ſcriptura omnibus ſit clara, reſpondet: ſi omnibus adeo clara foret, Paulum non fuiſſe ſcripturum de gratia ac dono interpretandi: non fuiſſe dicturum Petrum, in epiſtolis Pauli eſſe quædam difficilia intellectu. Senſum Scripturæ ſæpe eſſe ſublimem; interpretationem ad viros, a Deo illuminatos, pertinere.

Ad 3.

Ad 3. quinam libri ad S. ſcripturam pertineant, reſpondet Synodus, eos quoque, quos Calviniſtæ tanquam apocryphos rejiciunt, uti librum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Judith, Tobiæ, Macchabæorum, quod a Conciliis & antiquiſſimis Patribus tanquam authentici ac Divini agnoſcantur, quos Cyrillus Lucar inſipienter, inſcite aut magis malitioſe apocryphos vocaſſet.

Ad 4. quid de ſacris Imaginibus earumque veneratione ſentiendum, reſpondet Orientalis Eccleſia, cum Sancti ſint amici Dei noſtrique Interceſſores, merito eos a ſe coli, & quidem ſanctiſſimam Dei Matrem ac Virginem Mariam cultu *Hyperduliæ*, quia omnibus Angelis, Prophetis, Apoſtolis & Martyribus eſt ſanctior & excellentior: alios vero Sanctos cultu *Duliæ*. Inſuper ſe venerari lignum crucis, in quo pro ſalute mundi Salvator noſter paſſus eſt, quin & ejusdem crucis ſignum venerari ſe & adorare. **Sanctorum invocatio.**

Præterea coli a ſe Imagines Chriſti & Sanctorum, ſecundum eam, qua quibusdam Patriarchis & Prophetis apparuiſſent, formam; denique & Spiritum ſanctum ſub ea, qua viſus eſt, columbæ ſpecie, oculis pingendo ſubjici. Eam porro, quam Sanctis & eorum Imaginibus cæterisque prædictis venerationem adhibeant, idololatriam eſſe, ſi qui dicant, id ceu ineptiſſimam & inanem calumniam, nihili omnino a ſe fieri. **Cultus Imaginum.**

Confutant denique Calviniſtarum objectamenta, dicuntque, in S. Scriptura vetitum eſſe idola ſculpere, aut creaturæ Divinos honores deferre. Sanctorum autem Imagines non eſſe idola, cum nullum falſum Numen repræſentent, nec Divino honore eos coli, ſed longe inferiori, eoque relativo, cum reſpectu ad ſanctum, quem repræſentant; qui uſus jam ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia perpetuo viguerit, ut ex actis Synodi VII conſtet, quæ contra Iconomachos eſt habita.

De Calviniſtis autem dicit hæc in Synodo congregata Orientalis Eccleſia: *quas vero novitates induxere Calviniſtæ, tum circa Deum, resque Divinas blaſphemando, cum ſacram ſcripturam perperam interpretando, decurtando, & injurioſe tractando, diaboli ſophiſmata eſſe dicimus & inventa.* Neque minus inepte garriunt, non poſſe Eccleſiam a quibusdam cibis abſtinentiam & jejunia conſtituere: enimvero recte admodum, ad carnis & omnium mortificationem paſſionum &c. &c. **Effigies Calviniſtarum.**

Tandem vero ita concludit Synodus: Taceant igitur inepti narratores, & novitatum artifices hæretici, & mutilas tum e

Zz Scriptura

Scriptura, tum ex Patribus adverſum nos ſententiolas, quibus mendacium exſtruant, furari ne moliantur, atque hoc loquantur unum, ſeſe nimium excuſantes excuſationes in peccatis, injurias in Deum, & in ſanctos evomere blasphemias inſtituiſſe.

Atque hæc ex multis dixiſſe ſufficiat ad plenam calumniæ, Eccleſiæ noſtræ Orientali illatæ, confutationem. - - - Ea porro, quæ diximus, non ſolam noſtram adverſus Hæreticos, nobis obtrectantes, apologiam eſſe volumus, verum etiam fidei regulæ inſtar obtinere: ex qua nova eorum emendentur dogmata, & ad Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam ipſi reducantur, quandoquidem Majores illorum olim in illa meruerunt.

Synodo huic ſubſcripſerunt anno 1672 16 Martii in urbe Jeroſolyma 70 Patres Orientalis Eccleſiæ, & quidem Doſitheus Patriarcha Orientalis Eccleſiæ his verbis: *Doſitheus miſeratione Divina Patriarcha ſanctæ Jeruſalem totiusque Palæſtinæ: aſſero & confiteor, hanc eſſe fidem Orientalis Eccleſiæ*, & ita alii.

Quid jam vobis videtur, Domini Calviniſtæ? An adhuc ad nuditatem veſtram tegendam gloriamini, Græcam Orientalium Chriſtianam Eccleſiam, eandem vobiſcum profiteri doctrinam fidei? Certe inſignis fuit impudentia, ita palam in orbem mentiri. Quid in tota hac confeſſione non eſt apprime Catholicum? Romanæ Eccleſiæ Theologum loqui crederes. Agnoſcant Græci Proceſſionem Spiritus ſancti a Patre *Filioque*, & Primatum Romani Pontificis; & paries, inter Orientem & Occidentem medius, brevi facileque erit ſublatus. Eandem autem, quam Græci, tota profitetur Moſcovia.

Concilium Farfenſe in Italia anno 1685.

82. Complura ſæculo XVII in Italia celebrata ſunt Concilia, Provincialia & Diœceſana. Solus Cardinalis, Maria Vincentius Urſinus, Archiepiſcopus Beneventanus, ad ſummum poſtea Pontificatum admotus, 34 Provincialia Beneventana celebravit, ut Cleri potiſſimum mores ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam componerentur. Imitati illuſtre hoc exemplum alii Italiæ Præſules, zelo Domus Dei flagrantes, Synodos egerunt, puta, Federicus Borromæus, Nepos S. Caroli digniſſimus, Mediolanenſem, Card. Tauruſius Senenſem, Card. Patricius Æſinenſem, Amerinam

nam Gratianus Episc. Assisiensem Nerlius Card. Bononiensem Boncampagnus Card. Cæsenatensem Card. Denost. Lunensem & Sarzanensem Card. Lomellinus &c. &c.

Quia tamen harum aliarumque Synodorum idem ferme est argumentum, omnium instar juvat recensere summatim canones Concilii *Farfensis*, clarissime disciplinam Italiæ seculi XVII explicantis, in celebri Abbatia B. V. Farfensi Ord. S. Benedicti, in Ducatu Spoletano habiti a Carolo Barberino Card. præsente etiam Francisco Albano, summo postea sacrorum Antistite.

Capite 3. præcipit *Concionatoribus*, ut JEsum Christum verbum veritatis, non se ipsos, prædicent, bono exemplo præeant, seque animarum saluti, non gloriolæ aut lucro temporali inhiare ostendant. Parentibus gravem obligationem inculcent, liberos suos pie & Christiane educandi, ad Christianam doctrinam mittendi, vitia generatim reprehendant &c.

Cap. 9. Tractat de *Eucharistia*, monetque parochos, ne quosvis indiscriminatim ad S. Communionem admittant, uti publice excommunicatos, concubinarios, meretrices, blasphemos, maleficos, usurarios publicos, ac publice criminosos, itemque eos, qui in inimicitia cum scandalo proximi perseverant, ac conjuges, sine causa legitima cohabitare nolentes, nisi hi omnes certum prius pœnitentiæ & vitæ emendandæ signum dederint.

Cap. 11. Agit de *sacramento pœnitentiæ*, mandatque Confessariis, ut restitutioni famæ aut rerum obnoxios de sua obligatione exacte commoneant, nolentibus absolutionem negent, nec vanis pollicitationibus, semper effectu carentibus credant. Idem de illis, qui pravas consuetudines deserere nolunt, nisi confessarii spem moraliter certam habeant, eos firmum easdem deserendi propositum concepisse: nec pro peccatis gravissimis levissimas pœnitentias injungant, seque alienorum criminum per hoc participes efficiant. Inserit etiam S. Synodus actis suis Decreta Alexandri VII & Innocentii XI, quibus laxas Casuistarum aliquorum sententias damnarunt, morumque doctrinæ puritatem omni modo commendat.

Cap. 18. de Festorum observantia præcipit parochis invigilare, ut dies festi rite observentur, in applicatione ad Divina, & operis servilis cessatione, omissione compotationum, saltationum, spectaculorum ludicrorum, comœdiarum profanarum, lusuum.

Cap. 19. De Jejunio præcipit exactam ejus obſervantiam, prohibetque, ne tempore quadrageſimæ fiant ſpectacula, choreæ, comœdiæ, cripudia, compotationes, convivia.

Cap. 21. de vita & honeſtate Clericorum, præcipit eisdem, ut libros pios crebro legant, ſcurriles & impuros ne nominari quidem permittant: ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, ipſo facto incurrendæ vetat, ne aleis, aut foliis luſoriis ludant, aut domum ad ludendum commodent: ne clamoroſis venationibus interſint, aut conviviis ſecularium, choreis, ſpectaculis. Fœminarum ædibus aut familiaritate abſtineant: negotiationem non exerceant nec per ſe nec per alios: aliena prædia non conducant: nullis perſonis ſæcularibus, præſertim fœminis, in procurandis negotiis, vel domus gubernatione famulentur: raro per publicum & modeſte oculis demiſſis incedant, totoque corporis habitu gravitatem clericalem præſeferant.

Cap. 40. de uſuris & illicitis contractibus præcipit parochis, ut contractuum naturam, juſtitiam, æquitatem, tum ipſi legendo probatos auctores addiſcant, & parochianos doceant, atque confeſſarii in hoc negotio, quo vertitur præjudicium tertii, ſeveri ſint officii exactores.

O. A. M. D. G.

APPARATUS ERUDITIONIS

PRÆSERTIM AD

JURISPRUDENTIAM,

In quo
Præter Juris Univerſalis Principia
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS
SYNODALE OECUMENICUM, NATIONALE
AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico
Statu, Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua ſæculorum ſerie ad præſens uſque tempus deductum, inſertisque pro re nata multis obſervationibus criticis, ac controverſiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis,
METHODO HISTORICO - DOGMATICA
colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,
In utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum, Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.

PARS X.

Complectens
STATUM ECCLESIASTICUM ET POLITICUM
SÆCULI XVIII.

CUM APPROBATIONE.

Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ
Sumptibus Fratrum Ignatii, & Antonii Wagner, Bibliop. MDCCLXV.

PRÆFATIO.

Pervenimus tandem ad ſæculum ultimum, cujus vel dimidium res tam varias, multas, grandesque protulit, ut geſta plurium ſæculorum complecti videatur. Turbulenti Janſeniſtarum & Appellantium motus, Queſnelli præſertim centum & una Propoſitiones erroneæ, Bulla *Vineam Domini*, Conſtitutio *Unigenitus*, Noallii aliorumque Epiſcoporum quorundam diuturna tergiverſatio, Lutheranorum, Calviniſtarum & Waldenſium machinationes in Gallia, Pedemontio, Helvetia, Sileſia, Hungaria, Tranſylvania, Superiore Auſtria, Salisburgenſi in Archidiœceſi, Curlandia, cauſa Religionis Palatina, Bipontina, Thorunenſis, Hohenlöenſis, Bärenthalenſis, Toggenburgenſis, Clauſula Riſvicenſis &c., quantas in Eccleſia procellas excitarunt!

Quid memorem cauſam Coddæanam, Alberoniam, Coſcianam, Bichianam, Aquilejenſem, Comaclenſem, aliasque, quæ Romanas curas intenderunt? quantum diſciplinæ Eccleſiaſticæ per Concilium Romanum aliaque plura reſtaurandæ ſtudium? quot ſaluberrimæ conſtitutiones Pontificiæ in rem hanc ſunt editæ? Erecti novi Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Patriarchatus. Geniti Sanctæ Matri Eccleſiæ filii, præter totam Domum Electoralem Saxonicam, ex Domo Saxo - Citica Mauritius Wilhelmus, Chriſtianus Auguſtus,

ſtus, Mauritius Adolphus: Ex Brandeburgica, Sophia Chriſtiana, & Wilhelmus Erneſtus: Ex Domo Brunſvico-Welferbytana Antonius Ulricus, ejusque filiæ Auguſta Dorothea, & Henrica, cum nepte Eliſabetha Chriſtina Imperatrice, & Maximiliano Wilhelmo, fratre Georgii I, Duce Hannoverano: Ex Domo Bipontina Guſtavus Samuel cum ſorore Maria: Ex Domo Birckenfeldenſi, nunc Bipontina, Chriſtianus & Fridericus. Domus Wirtembergica Stuttgardienſis cum Duce Alexandro Friderico fratre, & Ulrico Duce Oelſenſi: Ex Domo *Haſſo-Caſſellana* Fridericus, modernus Landgravius regnans: Ex *Darmſtadiana* 4 fratres cum tota Linea Philippina. Ex Domo *Holſata* Fridericus Wilhelmus, Carolus Ludovicus, Dorothea Hedwigis, Leopoldus cum ſuis liberis: Ex Domo *Naſſovia*, Wilhelmus Hyacinthus Siegenſis Princeps, cum fratribus & liberis, totaque Familia Naſſovio-Hadamarenſi, quæ Religionem orthodoxam priore ſæculo receptam, in hoc quoque continuavit.

Jam vero ſi Statum Politicum dimidii hujus ſæculi ſpectemus, quam varius ille, quam implexus, quot aſpectibus horridus! quantæ, quam aſſiduæ, quamque cruentæ populorum, provinciarum, regnorumque colliſiones, revolutiones, atque de gente in gentem translationes! Hiſpaniam, Angliam, Neapolim, Siciliam, Sardiniam, Mantuam, Parmam, Florentiam, Lotharingiam, Novocomum, Bremam, Friſiam, Sileſiam, Poloniam, Sleſvicum, Sueciam, Livoniam, Ingriam, Curlandiam, Ruſſiam, Serviam, Moream, Perſiam, Acadiam, Canadam &c. cogitate, ad alias manus ſunt delapſæ.

Quam ſanguinariam autem imaginem nobis exhibent tot bella, totius Europæ viribus geſta, atque ab extremis Gadibus hinc ad Tanain, ad Oceanum inde Hyperboreum uſque exporrecta! Aut quis Rex eſt in Europa, quod regnum, quæ natio, quæ bellum non fuerit paſſa, aut amaros ejus fructus non ſenſerit, atque

que pertulerit? ſed quid Europam nomino? quænam in orbe univerſo major Provincia, in quam turbo bellicus non incubuerit? quantis motibus impetita vel ſola ſucceſſio Auſtriaca in Hiſpania & Germania?

Quot conſerta ineunte jam ſæculo prælia ſanguinolenta, ad Fridlingam, Montem Nolanum, Höchſtadium in *Germania*: ad Clarium, Croſtollum, Luzzaram, Caſſanum, Taurinum, Bitontum, Parmam, Guaſtallam, Campum Sanctum, Placentiam, Rottofredum &c. in *Italia*: ad Exeram, Ramilliacum, Aldenardam, Malplaquetum, Denainum, Tornacum, Recoux, Laffeldam, in *Belgio*: ad Alamancam, Almenaram, Cæſarauguſtam, Villamvitioſam in *Hiſpania*: ad Molvicium, Zaslaviam, Strigoviam, Soram, Keſſeldorffium in *Sileſia* & *Saxonia*: ad Dettingam prope Mœnum: ad Cliftonum & Callodum in *Scotia*: ad Petrovaradinum, Belgradum, Kroskam in *Servia*. Quantas res geſſit *Eugenius* Princeps in Italia, Germania, Belgio, Hungaria? quantas *Marleburgus* in Germania & Belgio! quantas *Stahrenbergius* in Italia & Hiſpania, *Vendomius* in Italia, Belgio, Hiſpania! quantas *Bervicus*, *Mauritius* Saxo, *Löwendalius*!

Septentrio quoque quantis bellis concuſſus, quoties ſuis emotus cardinibus! *Carolum XII*, turbinem illum Borealem conſiderate; quanto impetu in Livoniam, Poloniam, Saxoniam incubuit! quantus bellator ad Narvam, Dunam, Cliſſonum, Mohiloam! ſed palmas incidit & lauros decuſſit Pultava. *Petrus* ille Magnus Victoris Victor heroem proſtravit.

De bello noviſſimo quid memorem? quodnam majori æſtu, majori virtute, majoribus artibus geſtum fuit unquam? quis enumeret victorias Magni Friderici? Magni Daunii, Magni Laudonis? Loquantur prælia ad Loboſicium, Pragam, Planian, Rosbacum,

Wratislaviam, Liſſam, Hochkirchium, Lignicium, Torgaviam, Strehlam, Freybergam. Quam locuples Maxena præda! quanto ardore cum Ruſſis concurſum ad Jägersdorffium, Zorndorff, Kunnersdorff. Quoties ſub armorum pondere Bohemia, Sileſia, Luſatia, Saxonia, Thuringia, Marchia, Pomerania, Boruſſia, altum ingemuit!

Nec minor procella Rhenum & Viſurgim preſſit. Quantis viribus congreſſæ adverſæ acies ad Haſtenbecum, Crevelt, Sangershuſium, Lutterbergam, Fillingshuſium, Grebenſteinium, Grümbergam, hinc ſub Eſtræo, Subiſio, Richelio, Claremontano, Contado, Broglio, inde ſub Duce Cumbrio, & Ferdinando Duce Brunſvicenſi, fortuna alternante, atque Haſſia, Weſtphalia, Saxonia Inferiore, & Epiſcopatibus præſertim Catholicis belli molem ſentientibus.

Prætereo minores velitares pugnas, quia ſunt innumeræ, tranata flumina, ſulcata maria, nautica certamina, expugnatas urbes. Vix in Europa celebre munimentum eſt, quod dimidio hoc ſæculo ignibus, virtuti, aut aſtutiæ non ceſſerit. Landavia, Briſacum, Friburgum, Ulma, Kuffſteinium, Ehrenberga, Scharnicium, Taurinum, Caſale, Verva, Mediolanum, Mirandola, Cajeta, Meſſina, Barcellona, Sarragoſſa, Valentia, Gibraltaria, Portus Magonis, Praga, Egra, Stetinum, Colberga, Stralſunda, Neuſſa, Schweidnicium, Gloggovia, Zittavia, Budiſſa, Dreſda, Torgavia, Sonnenſteinium, Wittenberga, Lipſia, Ingolſtadium, Stada, Hammelia, Welferbytum, Montes, Namurcum, Inſulæ, Athum, Tornacum, Menina, Oſtenda, Bruxellæ, Antverpia, Berga ad Zomam, Trajectum ad Moſam, Temeſvaria, Belgradum, Orſova &c. quanta nomina!

Bella finita ſunt per Tractatus pacis. Exhibebitur igitur Pax Ultrajectenſis, Badenſis, Viennenſis I cum Hiſpania, Viennen-

ſis

ſis II cum Anglia, Præliminaria Pariſienſia, Viennenſis III cum Gallia, Wratislavienſis cum Boruſſo, Füſſenſis cum Bavaro, Aquisgranenſis univerſalis, Dreſdenſis cum Boruſſo, Aravienſis, Paſſarovicenſis, Belgradenſis, Ranſtadienſis, Lublinenſis, Holmienſis, Finnica, Aboenſis, Travendalenſis, Stargardienſis, Pariſienſis, Hubertsburgenſis: Tractatus Hannoveranus, Hiſpalenſis, Gertrudenbergenſis, Hagenſis, Wormatienſis, Tractatus Repagulorum, Fœdus Triplum & Quadruplum, Sanctio Pragmatica.

Accedunt cauſæ controverſæ, Juliacenſis, Matrimoniales, de proxima agnatorum tutela, de ſubſtitutionibus, de ſubfeudis, de retrovenditione, de teſtamentis, de Judicio Aulico & Camerali, de Vicariatu Imperii, de Reverſalibus, de voto Bohemico, de navigatione Oſtendana, de Langharum Feudis. Cauſæ item, Mantuana, Montferratenſis, Novocomenſis, Bullionica, Sleſvicenſis, Meinungenſis, Vinarienſis, Pleinſteinia, Camachienſis, de Caſtro & Ronciglione &c.

Denique novum in Europa Regnum, novus in Imperio Electoratus, complures novi Imperii Principes, illuſtres Miniſtrorum aliorumque ruinæ, Ordinationes Provinciarum, Regnorum competitores, Reſervata Imperatoris, Poſtarum Imperialium Regale, autitores, Reſervata Imperatoris, Poſtarum Imperialium Regale, aularum ad invicem aſpectus, res Monetaria, Divortia Matrimoniorum, turbæ Corſicanæ, Fœdera, Commercia, Transactiones, Decreta commiſſoria, Comitiorum deliberationes, Concluſa, Receſſus, Capitulationes Cæſareæ, Jura Principum, Proceſſus Judiciales, ſententiæ, executiones, proh quanta materiarum ſeges!

Hæc ego non pro rerum dignitate extendam (ad hoc enim plura volumina non ſufficerent) ſed pro inſtituto meo breviter attingam, nihil tamen omiſſurus eorum, quæ ad ſubſtantiam pertinere arbitrabor.

Scio

Scio equidem, quam delicatum ſit de viventibus ſcribere; ne adulationis aut offenſionis notam ſcriptor incurrat. Ego autem, qui me civem totius mundi exiſtimo, ſingulari in id ſtudio incubui, ut neminem uſquam offenderem; hinc etiam a criſibus, quæ alias ſal eſſe ſolent Hiſtoriæ, pennam coercui, veritatem tamen aſſequi conatus ſum, quam ſi alicubi, prout in defectu ſcriptorum de rebus adeo recentibus, contingere potuit, non inveni, Lector benevolus condonabit.

Diu apud me deliberabam, an ad ultima hæc tempora deſcendendum eſſet; ſed cum apparatum eruditionis profitear, turpe exiſtimavi, de Homeri Patria, aut de Baptiſmo & Donatione Conſtantini multum diſputare, & temporis ſui Hiſtoriam ſilentio præterire. Compilator ſum, excerptor ſum, relata refero, ut eruditioni qualicunque ſerviam; quod genus ſtudii litteralis innoxium eſſe confido, revocaturus publice, ſi quid falſum inſertum, aut vel minimam offenſionem datam intellexero.





PARS X.

CAPUT I.

De Statu Germaniæ SÆCULO XVIII.

Art. I.

Cæsaris Fœdus cum Anglo - Batavis. Neapolitana controversia. Germaniæ Dissidia.

Postquam anno 1700 Carolus II Rex Hispaniarum obierat, *Philippus* Andium Dux relictam testamento hæreditatem, post homines natos maximam, adiit, confisus armis atque potentia magni Avi, Ludovici XIV, Galliarum Regis, qui id effecit, ut omnes passim Hispanicæ Monarchiæ provinciæ nepotem reciperent. At vero *Leopoldus* Cæsar, tam pingue Domus Austriacæ patrimonium, in alienas, quas minime vellet, manus delabi non passus, cum inferiorem tanto competitori se cerneret, fœdera undique, necessarium adversus potentiorem præsidium, per omnem Europam circumspicit.

1. Philippus occupat provincias Hisp.

Fœdus.

Et imprimis quidem ad Anglos & Batavos, qui partitionis ſuæ conſilio ſe deluſos ingemiſcebant, oculos convertit. Nec difficile erat, in fœdus eos pertrahere, quibus perſpicuum ſatis, quantum ſalutis ſuæ totiusque Europæ intereſſet, ne Borboniorum potentia, jam per ſe ipſam tanta, tam immenſis acceſſionibus augeatur.

Quapropter Cæſar, Angli, Batavique, quod Ludovicus Rex Hiſpaniarum Monarchiam univerſam, nominatim Inſubriam, beneficiariam Romani Imperii provinciam, Belgiumque, Batavicæ Reipublicæ aggerem, occuparit, Gadibus magnam claſſem habeat, aliam in Americam miſerit, atque adeo Anglorum Batavorumque commerciis Mediterraneum Indiasque intercludere paret, neque obſcure duobus e regnis unum, unumque in Europa Imperium fundare meditetur, in hæc capita fœdus ineunt.

Ejus Conditiones.

1. Apud Chriſtianiſſimum Regem mutuis officiis agunto, ut Cæſari de ſucceſſionis juribus, Anglis vero Batavisque de navigationum & commerciorum ſecuritate idoneo pignore caveatur.

2. Si poſt bimeſtre caſſa fuerint officia, Italicæ Belgicæque provinciæ armis Cæſari vindicantor.

3. Anglo-Batavis fas eſto, quot valuerint, Americæ regiones urbesque, ſed intacta religione, capere.

4. Pax ne ante fiat, quam & Cæſari ſatisfactum, cautumque ſit, nunquam eundem Franciæ & Hiſpaniæ Regem, vel Americam Gallicæ ditionis fore.

Pars utraque petit inveſtituram Neapol.

Uti autem Batavorum conſilia in Belgii recuperationem, ita Cæſaris in Italiam ferebantur: atque ut bellum graviſſimum evitaretur, Clemens XI Pontifex Maximus arbitrium obtulit. Non reſpuit Leopoldus, ea conditione, ut Mediolanum, & Neapolis ſequeſtro tradantur; non acceptavit conditionem Ludovicus, totam Monarchiam nepoti ſe aſſerturum, conteſtatus, ſimul clientelare Regni Neapolitani beneficium pro eodem petiit, Cæſar vero per Lambergium pro Archiduce. Negavit Pontifex, fas ſibi eſſe in alterutram partem decernere, donec cauſa graviſſima diligenti juris cognitione fuerit diſcuſſa.

Ne

Ne ad universum Patrum senatum referretur, intercessit Lambergius. Dedit igitur Pontifex causæ cognitores e Cardinalibus quatuordecim, ex aliis Prælatis sex, Divini humanique Juris peritissimos, qui a partium studio maxime alieni censebantur.

Cæsarei Jureconsulti hoc præcipue argumento utebantur; hanc esse feudorum rationem, gentium usu constitutam, ut præ fœminis mares, alterius etiam lineæ, succedant, nec aliud unquam circa Regnum Neapolitanum observatum. Argumenta.

Gallicani vero Advocati ea maxime ratione usi sunt, quod, licet Regnum Neapolitanum clientelæ jure Romanæ Ecclesiæ sit adstrictum, eaque sit feudorum indoles, ut extincta seniore linea mascula, ad juniorem, ex primo acquirente descendentem, devolvatur, alia tamen sit Neapolis conditio, quæ Regno Arragoniæ sit innexa, ac proin ad legitimum istius hæredem pertineat.

Has aliasque rationes, ultro citroque ab Advocatis propositas, cognitores a Pontifice dati, accurato examine discusserunt: tenuitque cognitio ad belli usque initium. Ægre autem Pontifex tulit, cum in fœderis tabulis legeret, Anglos Batavosque, nisi Neapoli restituta Cæsari, bello non excessuros, velut si nationes istæ de Pontificio patrimonio arbitrandi jus sibi arrogarent: neutram tamen in partem, quamvis molestissime prensatus, se pertrahi est passus, paterno utramque amore complexus, idque vehementer dolens, christianum orbem gravissimo bello discissum iri. Discutiuntur a Cardd.

Omnia namque bellum spectabant, per Italiam, Hispaniam, Belgium, Germaniamque diffundendum. Habebat Cæsar sub signis octoginta millia veterani militis. Horum triginta millia in Italiam, viginti ad Rhenum, cæteri ad provinciarum præsidia, destinabantur. Ad levandam ærarii penuriam centesima omnium proventuum provinciis & ordinibus omnibus imperata, ludorum & pomparum sumptus constricti. Armantur exercitus.

Imperii ordines, quamvis alias haud multum sua interesse putaverant, quid fieret Hispania, alias Austriæ, alias Germaniæ esse rationes existimantes; nemo tamen erat, qui non perspiceret, quid futurum esset, si Borbonia gens, quæ occupaverat, retineret, duoque Imperia a duobus quidem capitibus, uno tamen spiritu 2.

ritu regerentur: rerum arbitrio & Europæ Monopolio in unam Domum abeunte. Ad hæc acerbe ferebant, Risvicensem pacem necdum a Ludovico Rege executioni datam: retineri adhuc Brisacum, Palatinum, & Mümpelgardensem necdum in integrum restitutos, captivos adhuc teneri, novum institutum ad Hunningam vectigal.

Germaniæ facies.

Sed dissidiis adeo horrebant omnia, ut facile Cæsar sentiret, difficulter ordines ad commune decernendum bellum permotum iri. Bavarus & Coloniensis neutras partes præseferebant, Guelferbyti Dux aperte alienum se ostendebat. Hasso-Cassellanus ob Rhenofelsam ægro erat animo: Danus cum Holsato bello collisus: Mechlenburgici de jure successionis litigabant. Palatinus, Wormatiensis, Campidunensis, Religionis & quarti articuli causa cum Protestantibus in Comitiis luctabantur. Nec parum negotii injecit novum Brandenburgi Regnum, novusque Hannoverani Electoratus.

Art. 2.

Novum Borussiæ Regnum. Novus Hannoveræ Electoratus.

3. Quippe *Fridericus*, Elector Brandenburgicus, excelsi Princeps animi, uti hactenus pro tuendis ampliandisque Electorum prærogativis omnium acerrime depugnaverat, multaque moverat, quibus non modo Regibus æquarentur, sed imperatoriæ quoque Dignitati detraheretur, ita post exsolutam clientelari Poloniæ nexu Borussiam, ad coronam & sceptrum aspirabat: nec dubitabat, se omnibus Protestantibus rem gratam facturum.

Fridericus sibi ipsi coronam imponit.

Igitur *Regiomonte*, principe Ducalis Borussiæ urbe, sibi ipsi coronam imponit, ascito Regis nomine. Legatos ea de re per Europam circummittit, qui facti rationes edoceant. Borussiam olim Reges habuisse: nihil proin novi assumptum, sed postliminii jure reductam Dignitatem. Cuivis summo imperanti integrum eesse, ditionis formam nomenque pro arbitrio moderari. Rodulphum Burgundiæ comitem, Rogerium Neapolis & Siciliæ, Boleslaum Poloniæ Duces, a se ipsis Reges creatos: Henricum VIII. Angliæ Regem Hyberniæ Ducatum in regnum extulisse: & jam Aristobulum suamet auctoritate Regem appellatum. Provincias sibi esse opesque, tanto fastigio pares.

Causas affert.

Boru-

Borussiam omni ætate divisis a Germania finibus juribusque habitam. Nihil proin mutationis Imperium propterea subiturum: prout nihil accepit detrimenti, dum Oldenburgici Comites Daniæ, Bipontinus Sueciæ, Saxo Poloniæ regna sunt adepti: quin decus ingens accedere Germaniæ, tot Regibus fulgenti. Neque obscurari Regium splendorem pacto, cum Polonia inito, ut Electoris hac stirpe extincta, feudi nexu agnati hæredes rursus sint adstringendi: nam & Neapolis Regnum clientelari jure possideri. (1701.)

Visum nonnullis in Viennensis aulæ senatu, non committendum, ut Protestantium nomen tanto ornamento augeatur. Alii æmulationes, & orituras in Cæsarea electione turbas timebant: Cæsar tamen, ne potentem belli socium amitteret, misso Paario comite, Regem Borussiæ salutavit. Ille vero decem armatorum millia ad bellum obtulit. Cæsaris exemplo, si Gallum & Hispanum demas, Reges & Respublicæ pleræque novam dignitatem gratulabantur. Ordo vero Teutonicus, cujus alias Borussia erat, publica protestatione juribus suis cavit. Cæsar Regem salutat.

Plus difficultatis habuit novus Hannoverani Ducis Electoratus. Ita habet. Introducto per Pacem Westph. octavo Electoratu, eminentiores quædam Principum Domus, Würtembergica, Hassiaca, Luneburgica, eandem dignitatem ambiebant: & quidem Ernestus Augustus, Dux Hannoveranus, in Comitiis Augustanis 1690 palam, haud multum reclamantibus, qui tunc aderant, legatis. 4. Hannoveranus fit Elector.

Biennio post suscitat causam, & Cæsarem, gravissimis bellis implicitum, haud paulo magis faventem invenit. Exquiruntur clam Electorum sententiæ. Moguntinus, Bavarus, Saxo, Brandeburgicus assentiuntur, certis tamen pactis: primi duo eam conditionem adjecerunt, ut, extincta Wilhelmina Bavariæ stirpe, alius ex agnatis Catholicis Elector subrogetur, (contra ac Westph. tabulis fuerat sancitum) semperque numero vincant Catholici. Igitur 22 Martii 1693 subscribitur, atque Ernestus Augustus *Imperii Elector*, *&* *Archivexillifer* salutatur.

Pacta autem hæc erant.

1. Calembergæ (seu Hannoveræ) Cellæ, Grubenhagæ Principatus uniuntor, & indivisi patrimonium Electoris sunto. Quibus pactis.

 2. Quæ

2. Quæ ad ſuffragandi ordinem, locum in Comitiis pertinent, cum Imperii ſtatibus expediuntor.

3. His compoſitis novus Elector in Collegium Electorale introducitor.

4. Novus Elector, præter quingenta Imperialium millia, ſex armatorum millia, ſuis ſumptibus & ſupplementis conſervanda, Cæſari ad bellum Hungaricum per biennium ſubmittito, deinceps vero, dum bellum tenuerit, duo millia; ſuam nihilominus ratam trium millium ad Rhenum teneto.

5. Domus Auſtriaca, & Luneburgica perpetuæ unionis fœdere conjunctæ ſunto. Adverſa fœdera ne ineunto: ſed junctis conſiliis agunto.

6. Jus primogenituræ Luneburgicorum, aliaque Archidux defendito.

7. Bello petitos quatuor millibus auxiliorum adjuvato.

8. Luneburgici Electores in electione Cæſarea pro Archiduce nunquam non ſuffragium ferunto.

9. Cum in Hungaria, vel Hiſpaniæ cauſa bellum fuerit, duo millia præſtanto, vel æquam argenti æſtimationem.

10. Operam danto, ut Bohemiæ Rex eadem cum cæteris Electoribus poteſtate augeatur: Archiducum Legati pari cum Electoralibus Legatis honore tractentur.

11. Denique Hannoveræ ac Cellæ Catholicorum uſibus Eccleſiam, Scholam, Cœmeterium conſtrui patiuntor.

Oppoſitiones. Quamvis autem negotium hoc arcanum ſit habitum, brevi tamen, ubi erupit, cum multa complurium Principum indignatione fuit acceptum. Ratisbona querimoniis impletur. Privatam gratiam publicam omnium injuriam interpretati, proteſtationes opponunt, tria maxime queſti, novitatem iſtam Bullæ Aureæ, Paci Weſtph. Principum Collegio, repugnare.

Et primo quidem Bullam Auream de ſeptem duntaxat Electoribus ſtatuere: additum Oſnabrugis octavum, ſed, quod habent tabulæ, *ſumma neceſſitate urgente, & communi omnium Statuum conſenſu.* (Wagn.) In præſenti nec neceſſitatem fuiſſe, nec ordines conſenſiſſe. Violatum

tum illud solenne Pacis scitum : *gaudeant* (status Imperii) *jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii.* Quod autem negotium majus, quam quo ipsa Reipublicæ forma in re gravissima immutatur: imminui hoc pacto infirmarique magis magisque Principum senatum, alias ferme negligi solitum, Electoralem vero, ut inferioribus Collegiis dominetur, attolli augerique.

Responsum ad hæc: hanc esse Sacræ Cæsareæ Majestatis prærogativam, summamque potestatem, ut, quod Statibus pacto non fuit communicatum, id uni Imperatori competat. Imperatoria jura tot hactenus capitulationum vinculis fuisse constricta, nunquam tamen jus illud Regium, Dignitates erigendi, fuisse circumscriptum. Collatum Electoratum Hannoverano cum consensu Electorum, quorum res agebatur in assumendo novo Collega. Si vel hodie, extincta familia, vacaret Electoratus, solum Imperatorem Electorum consilio provisurum, nullius ex Principum Collegio rogata sententia. Si soli Electores Imperatorem designent, cur non Imperatori juncti Electorem possint eligere? **Responsum.**

Bullæ Aureæ vim nullam fieri. Septem Electores, qui tunc erant, recenseri, nusquam autem vetari plures adjungi. Suffragii jus haud dubie Principibus competere, quando de bello vel pace, ferendis, abrogandis, interpretandis Imperii legibus, aut similibus est consultatio: jura tamen plura Imperatori esse reservata, alia Electoribus propria, alia Imperatori & Electoribus communia, alia toti Imperio.

Osnabrugis adhibitum assensum Statuum, quia erant præsentes, compaciscentes, & alias ad pacem perveniri non poterat; reapse autem totum negotium de octavo Electoratu Cæsareos inter Legatos & Suecos jam antea convenisse, postea autem ordinum consensum accessisse. A solo etiam Cæsare Ferdinando II, re cum Electoribus communicata, Maximilianum Bavarum renuntiatum Electorem. Prout autem ibi, sic etiam hic rogari ordines, ut creatum recognoscant.

Neque inde, sive uno plures, sive pauciores in Republica sint senatores, illius formam mutari. Ne autem quid inde Collegium Principum detrimenti patiatur, Cæsarem provisurum. Votum ejus curia-

curiatum tanti ponderis fore, quanti antea. Cæterum, si hæc totius Imperii sit deliberatio, ad universa comitia fuisse referendum, quin extra illa quidam Principum se opponant.

Quinam *Opponentes*? Non acquierunt Principes (*Opponentium* nomine appellati) sed inita inter se unione, diu ac vehementer repugnarunt. Hos inter ex Præsulibus erant, Salisburgensis, Herbipolensis, Bambergensis, Monasteriensis, Paderbornensis, Eustadianus, quibus postea accesserunt, Constantiensis, Fuldensis, Ordinis Teutonici Magister: e Principibus sæcularibus, Saxo-Gothanus, Altenburgicus, Hasso-Cassellanus, Anhaltini, Badensis, Durlacensis, Gustrovio-Mechlenburgicus, Holsato-Glückstadianus, maxime vero Guelpherbytani fratres, Rudolphus Augustus, & Antonius Ulricus, id causati, ex ea provinciarum conjunctione in suum præjudicium pactiones familiæ vetustissimas convelli, erigi potentiam, metuendam cæteris. Contra eandem Hannoveræ Cellæque conjunctionem, introductumque jus Primogenituræ, ipsi etiam Georgii Ludovici Hannoverani fratres, Maximilianus & Christianus, solenniter sunt protestati.

Opponentes igitur Regem Sueciæ, Westphalicæ sponsorem alterum, vindicias pacis violatæ postulant, haud æquis auribus auditi. Catholicorum querelæ, Catholici insuper summum Pontificem appellarunt, rem Cæsare indignam rati, Protestantes tantæ dignitatis ac potestatis accessione augeri. Timendum, ne veniat ætas, qua consilii perniciem sentiant orthodoxi. Ferdinandum III, quamvis difficillimis Reipublicæ temporibus, adduci nunquam potuisse, ut Protestanti Electoralem Dignitatem redderet, nisi & Catholico eandem stabiliret.

Anno 1695 Opponentes Francofordiæ conventum celebrarunt, de mediis consulturi, quibus Hannoveranus in ordinem redigeretur. Verum, cum Suecus non faveret, & Galli opem, bello adhuc fervente, implorare nimis odiosum esset, ad finem usque belli quiescendum esse statuerunt. Nec in subsecuta Risvicensi pacificatione quidquam moverunt.

& communes Principum. Anno 1699, cum Cæsar, mortuo Ernesto, Georgium ejus filium Electoralibus insignibus investiisset, *Opponentes* magnopere questi sunt, nullo se loco haberi: atque ineunte anno 1700, novo Goslariæ conventu celebrato, renovarunt *unionem*, 1692 Ratisbonæ cœptam,

cœptam, Francofordiæ 1695 inſtauratam, ſarta tectaque ſervanda Principum jura, ſtatuunt: duoſque Viennam legatos mittendos, qui proponant, nonum Electoratum noxium, contra leges Imperii a ſolis Electoribus, ſpreta Principum interceſſione, decretum, non admittendum. Si cunctetur Cæſar, Legatis Principum a Comitiis Ratisbonenſibus abſiſtendum, proque irritis habenda, quæ nihilominus decernerentur. Si ne tum quidem ſatisfiat, implorandos Franciæ & Sueciæ Reges, Weſtphalicæ ſponſores.

Conventus inſtituunt, & unionem.

Ad univerſa Imperii comitia cauſam remittebat Cæſar, ubi ſuffragiorum numero facile vinceret. At illi negabant, in hac re, quæ Religionem formamque Imperii concernat, ſecundum majora pronuntiandum, aut ſaltem Electores, quibus multa in Collegio Principum ſuffragia, a Comitiis interim arcendos.

Nolunt cauſam ad Comitia referri.

Quartum dein congreſſum Norimbergam indicunt. In hoc mutua ſibi ſpondent auxilia, legatosque denuo ad Cæſarem mittunt; qui illo maxime argumento uſi ſunt: Electores non ſuo, ſed communi ſtatuum omnium nomine & auctoritate Cæſarem eligere, velut Legatos, Vicarios, & mandatarios totius Imperii: niſi igitur Principes & ſtatus mandent, non poſſe augeri numerum legatorum. Alia adjecta contra Electorum præpotentiam.

Cum nihil impetrarent, Galliæ Regem appellarunt: qui reſpondit, æquum videri, ut in tanto jurium ſuorum diſcrimine adjuventur, ut integra conſervetur Weſtphalica. Jam Riſvici eam labem ſe perſpexiſſe, ſed ipſis ſilentibus diſſimulaſſe. Officiis ſe primum acturum apud Cæſarem, quæ ſi caſſa fuerint, non defuturum vindicis muneri. Villario Legato reſponſum a Cæſare: pauculos interpretationem Weſtphalicæ ſibi vendicare. Hannoveranum ab Electoribus, quorum interſit, Electorem receptum; eumque non ante in Electorale Collegium introductum iri, quam Principibus excipientibus fuerit ſatisfactum.

Regem Galliæ interpellant.

Orto dein ob Hiſpaniam bello Opponentes quintum Francofordiæ conventum habuere; id tempus eſſe rati, quo Cæſarem, auxiliorum adverſus Borbonios indigum, in vota flectant. Id ut efficiant, inter ſe ſtatuunt, Comitiis abſtinere, nec tranſitum, nec delectum militum in ditionibus ſuis concedere, pro viro uno, conſiliis iisdem, fide ſumma ſtandum omnibus, donec major Principum ratio habeatur.

Guelpherbytani

Nulli autem acrius repugnabant, quam *Guelpherbytani* fratres, qui communi consilio atque potestate, mira concordia, provincias regebant, unionem illam Cellensis & Calenbergensis Principatus, sub titulo primogenituræ introductam, familiæ suisque rationibus juribusque pugnare, causati. Et quidem *Antonius Ulricus* defensivum fœdus icit cum Gallia, quo Domus suæ Sociorumque jura adversus Hannoveranum tueretur, quin tamen, si bellum commune decerneretur, ratam suam Imperio præstare prohiberentur Socii. Atque eo nomine Rex certa subsidia *gratificationis* nomine largiebatur.

Armantur.

Vincuntur.

Ad duodecim armatorum millia Ulricus sub signis habebat, nec cessabat delectus facere. Quæ res cum periculosa videretur Germaniæ, Hannoveranus, consentiente Cæsare, per hyberna dispersos, suique securos, noctu opprimit, plerosque in potestatem redigit, Guelpherbytum obsidet. Ad Brandeburgicum & Hasso-Cassellanum defertur arbitrium: qui in hæc capita pronuntiant: Rudolphus abdicato fœdere Gallico ad magnum fœdus transeat: 2200 pedites, 800 equites Cæsari submittat: domi ne plus 4000 peditum, 50 equitum habeat. Ulricus, viribus jam destitutus, easdem conditiones ratas habere coactus est (1702.) singulari dein amicitia junctus Cæsari Domuique Austriacæ; quin Imperatricis avus fieri meritus, &, quæ summa felicitas, Orthodoxæ Religioni redditus.

Ulricus Cæsari & Deo jungitur.

Ludovici Badensis sententia.

Quamvis autem deinde, fervente jam bello, & Coloniensi provincia a Gallis occupata, publicum Reipublicæ periculum plerosque ex Opponentibus a domesticis istis controversiis, ad communem causam Cæsaremque pertraherent, aliqui nihilominus, cum *Ludovico Badensi*, Domus Austriacæ alioquin studiosissimo, perstabant in sententia; cum Cæsar erecti Electoratus tabulas salva dignitate abolere nequeat, suspendendum tamen Electorale Hannoverani officium, & inter Electores sessionem, atque suffragium, donec Wilhelmina Bavariæ stirps deficiat, novoque Electori locum faciat.

Hannoverani introductio.

Denique vero potissima jam Germania ad Cæsarem traducta, & minitante Hannoverano, ni Gallos prensare Opponentes desinant, eodem se jure Anglos Batavosque in subsidium vocaturum, nihil ultra repugnandum rati, belli communis curis se dediderunt. Han-

Hannoveranus vero postea anno 1708 ad sessionem & votum Electorale publicis in Comitiis Ratisbonæ est introductus, mitigato paulatim per externas formidines resistendi studio.

Art. III.

Associationis Fœdus. Decretum ab Imperio bellum.

Adversus Borboniorum potentiam tota prope Europa, ad commune velut restinguendum incendium, in auxilium est vocata. Cum Anglis Batavisque fœdus jam erat ictum. Palatinus, Brandeburgus, & Hannoveranus accesserant, Danus 12000 Hollandis; Cæsari 8000 grandibus stipendiis locavit. Saxo 8000 addidit, præter non modica Saxo-Gothani auxilia, magno deinceps usui futura. 5. Collectæ copiæ.

Ad Imperii Circulos missus *Löwensteinius*; qui periculi magnitudinem, abreptum Austriacis avitum Hispaniæ patrimonium, abstractam ab Imperio Longobardiam cum Burgundiæ Circulo, Germaniæ discrimina, ob oculos posuit. Opus esse præsenti consilio, neque rem tardas Comitiorum moras ferre. Socii.

Pro belli denuntiatione id nequaquam accipiendum; quemadmodum Gallus se hostem neget, etsi Hispanicorum auxiliorum nomine universam regni sui potentiam Nepoti impendat, & nuper auxiliorum Burgundicorum obtentu Coloniensem provinciam occuparit.

Quamvis autem Suevicus & Franconicus Circulus fidem dederant Electori Bavariæ, neutras se partes secuturos, ipsum Electorem etiam communis exercitus, ad defendendum trinum illum Circulum, Imperatorem designarint, nihilominus cum utroque Rhenano, & demum etiam Westphalico, *fœdus associationis*, prout vocabant, inierunt, ac magno fœderi subscripserunt. His tot Sociis auctus Cæsar, 15 Maji 1702 Franciæ bellum indixit. Idem eadem die Angli & Batavi fecere: sequentibus post sequestre Imperii Comitiis. Fœdus. Bellum Galliæ indicitur.

Remoram his injecere, quas meminimus, Opponentium de Electoratu Hannoverano contentiones, aliæque dimicationes intempestivæ.

Præfuit Comitiis pro Cæſare Joſephus *Lambergius* S. R. E. Cardinalis, idemque Epiſcopus Paſſavienſis. Movebant ei, quam jam antea Thunio Archiepiſcopo Salisburgenſi, itidem Cardinali moverant, Proteſtantes litem de nomine: negabant religioſi homines, *Sanctæ* Romanæ Eccleſiæ Cardinalem a ſe appellari poſſe; ſicut enim in Lutherana Eccleſia nihil ſanctum agnoſcant Catholici, ita neque ſe in Romana: ac proin neque Eccleſiæ, neque Pontifici *Sanctitatis* elogium poſſe tribui.

Contentio de nomine *ſanctæ* Rom. Eccleſ.

Reſponſum a Cardinale, non paſſuros Catholicos ab vetuſtis formulis, & mille amplius annorum poſſeſſione ſe dejici a Novatoribus. Publicis in monumentis paſſim Eccleſiæ *Sanctæ* nomen exſtare, & in Capitulationibus ſummum Pontificem *Sanctiſſimum* appellari. Proteſtationibus denique utrinque interpoſitis, lis in medio relicta eſt, & ad deliberationes itum.

LegatiRatisb. amandantur.

Ante omnia autem *Noveforgius*, Burgundici Circuli pro Carolo II legatus, atque ab Andegavenſi confirmatus, Ratisbona faceſſere jubetur a Cæſare. *Chamæo* quoque *Oratori Gallico* denuntiatum, cum Rex Colonienſem in provinciam copias induxerit, alias vero occuparit, diſſidiis Germaniam miſceat, nec Legatus ea, qua par eſt, modeſtia agat, intra triduum Ratisbona, deinceps Imperii ſolo excedat.

Gallici legati oratio.

Negavit, Legatum, ad Imperii comitia miſſum, a ſolo Cæſare abigi poſſe. Quin prenſans Legatos ſingulos ingerit, ſuſpicionibus & timoribus Europæ motum Regem, teſtamentum partitioni, qua Francia non modice augeri potuiſſet, prætuliſſe. Nihil eum ex tota hæreditate ſibi aut regno ſuo vendicatum cupere. Ne duo regna coaleſcant, periculum nullum fore. Cautum ea de re in ipſo teſtamento, caverique adhuc magis poſſe. Hiſpanos, moribus, lingua, veſtitu, regnique ac dignitatis ſuæ rationibus, a Francis penitus diſſidentes, nunquam commiſſuros, ut iisdem conſiliis auſpiciisque regnum utrumque gubernetur. Velle Regem copias ſuas illico e Germaniæ ſolo deducere, Andegavenſem vero Mediolanum, aliasque provincias beneficiario jure ab Imperio recipere, quin illius juribus quidquam detractum cupiat. Abſiſterent proin bello graviſſimo, Germaniæ forſan exitiali. Conſiſtere in Belgio 70000, in Alſatia 80000, in Italia 40000, in Hiſpania 28000, præter Hiſpanam claſſem, bellicas 90, triremes 50. Favere paci Pontificem, Sa-

Vires Borb.

Sabaudum dedisse fidem, Venetos, oblata Mantua, facile conciliatum iri: Hispaniam totam pro Andegavensi armatam stare. At minitante Lambergio, ni ocius Ratisbona abscedat, in vinculis eductum iri, Monachium abiit.

Minus probata est *Opponentibus* hæc ratio, arguebantque, non rite actum a Cæsare, quod jam 15 Maji, re in Comitiis necdum definita, bellum denuntiarit, suaque unius sententia Chamæum Ratisbona ejecerit. Ad quæ Lambergius, Cæsarem non Imperii, sed Austriæ & Sociorum nomine pro defensione bellum denuntiasse. Nunc autem comitiorum suffragia rogari. Quin per capitulationes, si copiæ alienæ ditionem Imperii invaserint, etiam inconsultis Comitiis depellendi jus esse.

Protestantes detrectabant ire in suffragia, nisi controversia de *quarto Risvicensi articulo* ante componeretur. Sed Lambergii dexteritate res odiosissima in opportunius tempus rejecta est. 4tus Artic. Risvic.

His superatis, postquam Bavarus jam Ulmam cepisset, 6 Oct. 1702 comitiorum sententia bellum in Regem Franciæ, ac Philippum Andegavensem decernitur. Fœdus cum Anglo-Batavis publice sancitur. Centum ac viginti millium exercitus designatur. Ludovicus Badensis ad Rhenum superiorem exercitus Imperator deligitur: cui ea ex parte defensio placuit: ac proin Suevi, quibus Francones deinde accesserunt, vallis, per longum ad Rheni oram tractum ducendis, aggeribusque struendis, occupantur. Comitia bellum decernunt.

Art. IV.

Belli Germanici initia. Motus Colonienses & Leodienses. Landavia capta, & Ulma. Pugna ad Fridlingam. 1702.

Cum suspecta esset fœderatis mens Coloniensis, in ejus provinciam militem induxerunt. Irritatus ea re Elector, cui alias cum Canonicorum Collegio, ipsaque urbe Colonia, non bene conveniebat, Gallica præsidia in munitiores suas urbes, Bonnam, Novesium, Rhenobergam, Zohnium, Leodium recepit; hunc autem militem *Burgundicorum auxiliorum* nomine Elector compellavit, nec Gallos, ad mitigandam invidiam, dici voluit; quia Gallicarum partium studium tectum adhuc cupiebat. Sed nemo erat, qui non suspicaretur, quo hæc tenderent, præsertim, ubi *Meanius*, Ecclesiæ 6. Coloniensis Gallica præsidia recipit.

Ecclesiæ Leodiensis Decanus, Namurum in custodiam fuit abstractus.

Batavorum motus.

Graviter perculit Cæsarem, & Fœderatos hoc nuntium, maxime Batavos, qui Gallos Inferioris Rheni potentes, seque a Germaniæ auxiliis interclusos dolebant. Quapropter, missis quindecim cohortibus, cum Brandeburgicis junctis, Coloniensem agrum ingressi, Cæsaris Verdam expugnarunt, soloque æquarunt Accessere brevi Venlona, Ruremunda, ipsumque Leodium, Cohornii maxime, Batavos inter machinatores facile principis, artibus expugnatæ.

Objecta Coloniensi.

Elector Coloniensis Viennam fuit citatus, ut respondeat ad hæc accusationis capita. 1. Quod violaverit juramentum Cæsari & Imperio præstitum 2. Quod fœdus inierit cum hostibus Imperatoris. 3. Quod receperit Gallica præsidia. 4. Quod egerit contra leges Imperii. 5. Quod curaverit Decanum Leodiensem captivum abduci a Gallis. 6. Quod se opposuerit executioni Cæsareæ.

Ejus Responsio.

Respondit Elector, si neutrius partis esse sinatur, discessuras illico copias Circuli Burgundici. Publicavit etiam *Manifestum*, in quo jurasse se ait Imperatori, non vero Archiduci Austriæ. Distinctionem istam contineri in præfatione Bullæ Aureæ, & in Capitulatione ipsius Leopoldi Cæsaris *Art. X.* Bellum hoc esse Domus Austriacæ cum Gallia, non vero totius Corporis Germanici. Ludovicum proin non posse proprie appellari hostem Imperii post Tractatum Risvicensem. Sicut Archiducem Austriæ, sic etiam alios Imperii Principes inire posse cum exteris fœdera. Si quid actum videatur contra conventionem Episcopi Leodiensis cum Capitulo, sciendum, illam ante P. W. turbatis illis temporibus fuisse extortam, ab Innoc XII. tanquam abusum improbatam, & Episcopum juramento solutum. Captivitatem Decani Leodiensis nihil ad se pertinere. Cæsarem non posse Electorem proscribere, executionem militarem contra eum præcipere, subditos a juramento fidelitatis absolvere sine consensu Imperii. Crimen suum unice in eo consistere, quod noluerit provincias suas sacrificare rationibus privatis Domus Austriacæ. (*Davringy Hist. Prof. ad anno* 1707.)

Ad superum Rhenum Badensis citerius littus egregio vallo munierat; sed quia Anglo - Batavi pacti fuerant, ut Germania non solum-

ſolummodo ſe defenderet, ſed bellum etiam inferret, *Landaviam*, permunitam Alſatiæ urbem, ac præcipuum Vaubonii opus, oppugnare ſtatuit. *Melacus*, inviſum ab incendiis Germanis nomen, Landavia urbi præerat, inſtructus omnibus, ad repellendam aggreſſionem, expugnata. paratibus. Fœderatis multa deerant, quæ ex Suevia & Franconia lentius ſunt convecta, unde ipſam etiam oppugnationem lentam eſſe neceſſe fuit.

Ubi autem Joſephus, Romanorum Rex, in caſtra venit, tanta omnes alacritate, exemplo præeunte ipſo, operi incumbebant, ut ſeptima Septembris ad deditionem Landavia fuerit adacta.

Poſtridie ejus diei, octava videlicet Septembris, Elector 7.
Maximilianus Emmanuel inopinato *Ulmam* aſtu cepit. Quod ſic contigit. Bavariæ Ejus filius Joſephus Ferdinandus, ex Maria Antonia, Leopoldi Electoris Cæſaris & Margarethæ Hiſpanæ primogenita, ſuſceptus, Hiſpanæ conſilia. Monarchiæ hæres publice fuerat deſignatus; jamque iter in Hiſpaniam apparaverat Parens, cum filius fatali morbo ſublatus, ſpes grandes Patris repente deſtituit.

Privatus igitur & filio ſuaviſſimo & regno ampliſſimo, cujus Adminiſtrator ipſe erat futurus, ad proximum ſanguinem reſpexit, Cauſæ Philippi ad Philippum videlicet Andium Ducem, ſuum ex ſorore nepotem, Nepotis cui & teſtamentum favebat, & tota Franciæ potentia. Nec deerant accedit. magna hujus promiſſa; quibus allectus Belgium, quod pro Carolo II gubernaverat, Philippo Nepoti in manus conſignavit.

Adhæc urebat Magnanimi Principis animum, quod Leopoldus Quare. ſocer Saxonem, Brandeburgum, Luneburgicum, tot honorum ornamentis cumulaſſet, cognati vero ſanguinis, generique ſui, poſt tot merita, glorioſas expeditiones, exercitus, bello Hungarico pro Domo Auſtriaca impenſos ſumptus, nullam rationem habuerit.

Proximam ſeceſſionis cauſam allegabat, quod *Suevicus* & *Franconicus Circulus* ſecum conveniſſent, ut ex tribus circulis neutrarum partium exercitus collectus, pro defenſione ab ipſo duceretur. Jam vero duos hos populos fracto fœdere, ſe deſtitutum reliquiſſe. Providendum igitur de vicino munito loco, ut Bavariam ſuam ab irruptione tutam præſtaret.

Quam-

Quamvis autem neutrarum partium adhuc ſtudium præferret, Borboniorum tamen cauſam ſequi certus, ineunte Septembri, poſitis ad arcem Lichtenbergenſem caſtris, 20000 recenſuit. Ex iis cohortes aliquot, *Becmanno*, Prætorianæ legionis Protribuno, Ductore, ad intercipiendam Ulmam expedit. Vario habitu per avia Ulmæ imminent; ruſticos, puellas, anus induti, alii per urbem ſparguntur: alii foris præſtolari jubentur ad anſerinam portam, qua minus cuſtodita plebs ruſticas ſuas merces importare ſolebat.

8. Ulma intercepta. Hæc porta ubi aperta fuit, Bavari milites ruſticorum ſpecie, olera aliasque res capite, aut dorſo deferentes, aliis permiſti intrant. Extimum excubitorem Becmannus ipſe pugione interimit. Arreptis, quæ præ foribus pendebant, armis, vigilias cæteras intra ſtationariam caſam concludunt. Junguntur, qui jam ante ſparſi fuerant, Boii; occupatur porta, pyrobolarii cum dimachis irrumpunt.

Orto tumultu præſidiarii, ac cives, veteri more in 28 cohortes diſtributi, arma attoniti arripiunt: quosdam, eosque inter Becmannum (niſi errante pila a ſuis ſit ſtratus) interimunt. Sed jam magis invaluerant Boii, quam ut illis poſſent reſiſtere. Quare miſſo ad Ductores homine, quid ea vis ſibi velit, quærunt. Reſponſum, Electori ad ſecuritatem ſuam, & ne ad jungenda arma ab aſſociatis cogatur, hoc Danubii clauſtro opus fuiſſe. De cætero urbi ſua jura, leges, religionem, ditiones ſalvas fore. Poſt brevem inde conſultationem ſe dediderunt, octava Sept. 1702.

Et Memminga. Facti novitas Comitia, Germaniam, ipſamque Bavariam attonitam habuit. Würtembergicus cum Suevis & Franconibus a Landavia, pridie capta, ad ſuos penates trepide ſe refert. Cæſar adhortatur, cœptis abſiſteret: ſuam Ulmenſibus civitatem redderet, Avocatoriis, ut vocant, pareret. At Elector eam, quam diximus, Franconiæ & Sueviæ a ſe defectionem, impenſas, in Hungariam, Imperium, & Belgium cauſatus, a Sueviæ ordinibus pro copiis ſuſtentandis contribui petiit, & 1 Oct. *Memmingam* expugnavit.

Pugna Fridlingana. Etſi autem Badenſis interea Rheni littus diligenter communierit, invenit tamen *Villarius* locum, quo Rhenum tranſiret. Intrepide cum octo duntaxat millibus obviam Badenſis proceſſit. Medio Octobri conſeritur ad *Fridlingam* prælium. Anceps utrinque victoria. In fugam actus eques Germanus, pedes Gallicus. Signa cum machinis

chinis capta, amissaque. Parisiis tamen victoriæ lætitiæ celebratæ, ac Villarius Franciæ Mareschallus renuntiatus. Ex Germanis ceciderunt Carolus Fürstenbergius, Franciscus Hohenzolleranus, Staufenbergius, Gemmingius. Badensis post pugnam, collecto ex fuga equitatu, Friburgum inter & Neoburgum castra locavit. Villarius vero trans Rhenum se retulit, frustrato cum Bavaro se conjungendi consilio.

Art. V.

Bellum Bavaricum anni 1703.

Nunquam res Austriaca in majus discrimen adducta videbatur, quam sæculi hujus anno tertio. Exercitus duo cæsi: Brisacum, & Landavia amissa. Hungaria tota perduellis. In Italia res angusta: argenti magna egestas. Provinciæ tributis fessæ. Cæsaris consilium discordiis confusum. Inde Hungarus, hinc Bavarus Gallusque Austriæ imminens. Tyrolis ruinæ proxima. 9. Status Austriacæ Domus.

Hoc rerum statu non deerant, qui suaderent, Hussarorum legiones Bavariæ, regioni patenti, immittendas, quæ populatione, incendiis, deportatis incolis, bellum civile restinguerent. Sed hoc a pietate Leopoldi longe erat alienum. Badensis aliique deserendam omnino Italiam censebant, copiasque in Bavariam traducendas, ut extincto intestino patriæ bello, liberius dein exterum geratur. Sed & hoc rejectum. Consilia.

Dum Viennæ deliberatur, Elector 30 Januarii *Neoburgo* admovet exercitum, & 3 Febr. expugnat. *Isselbachio* Præfecto liber abitus concessus, præsidio (2000) more militari capto. Sed cladis aliquid, a *Styrumbio*, *Gronsfeldio* & *Palfyo* accepit ad *Altmylam*, Dietfurtum inter & Neoforum, captis 800, totidem ferme Bojorum cæsis. *Neoforum* præmio fuit. Neoburgum occupatum. Clades ad Altmylam. Amissum Neoforum.

Schlickius comes primus cum Saxonibus & Hannoveranis in Bavariam irrupit, atque *Riedam*, elegans oppidum, cepit, sed mox rursus deseruit. Elector vero, veterana prudentia miles, cum octo millibus Schardinga erumpens, eundem aggreditur, *pugnaque* ad *Isembiram* conserta, gravi clade profligat. Cæsi aut capti mille, relictis omnibus impedimentis, & 16 equestribus signis. Pugna ad Isembiram, cæsus Schlikius.

Dedito mox castro Neoburgensi ad Oenum sito, summa celeritate Elector in superum Palatinatum abiit, atque ad *Lengenfeldam Styrumbium* oppressit, cæsis 400, inter quos Marchio Onolsbacensis (28 Martii.)

Ad Lengenfeldam Styrumbius.

Mox Elector ad Danubium rursus flectit iter, pontique ac portæ Ratisbonensi occupatæ præsidium imponit, ocius illud deducere pollicitus, si civitati Cæsaris venia neutri esse liceat. Noluit Leopoldus, ne exemplum in alias civitates eat. Quapropter neque Elector Legatis abitum concedere voluit, nisi suis etiam Legatis locus, & suffragium in Comitiis relinquatur. Ejus rei mentionem cum Cæsar non ferret, ad finem usque belli *Comitiorum justitium* intercessit.

Justitium Comitiorum.

Elector ad Villingam se jungit Villario.

Villarius interea, misso ad distinendum Badensem *Tallardo*, occupata Kehla, per Hercyniam & Kizingensem vallem penetrans, *Villingam* & *Dutlingam* pervenit. Ubi cum Electore se conjunxit.

Hujus postulata. Cessa illi Ulma.

Petiit *Villarius*, ut Elector Ulmam, Ingolstadium, Brunovium, Gallicum præsidium recipiat; summumque copiarum imperium sibi, ceu Regis Legato, cedat. Conventum denique, ut Ulmam Galli præsidio tenerent, & absente Electore Villarius exercitum duceret.

Ingens ab hac conjunctione per Sueviam, Franconiam, Bohemiam, ipsamque adeo Austriam sparsus terror. Sed Elector, præteritis apertis istis campis, consilio minus felici Tyrolensem expeditionem suscepit, ut, cum *Vendomio* etiam Italiaque se conjungeret; prout sequenti §. exponetur.

Villarii & Badensis castra inter Dilingam & Lavingam.

Inter hæc vero, dum Elector in Tyroli aberat, *Villarius* in munitis, *Dilingam* inter & *Lavingam* castris se detinuit; trans rivulum ad Haunshemium ex adverso Badensis metatus est, per Junium Juliique dimidium re nulla tentata: nominis etiam famam lacerari passus, quod, decem licet millibus hoste superior, Bavaria intacta, otiosus aspiceret. At sapiens Princeps, permunitis in castris Villarium aggredi temerarium ducens, nolebat Rempublicam unius prælii ancipiti aleæ committere; cum, si pugna vinceretur, bello victam eo rerum statu Germaniam crederet.

Lathur ad Mundeikingam oppressus.

Ut autem pabulationes Gallorum impediat, *Laturium*, a Bavaricis signis ad Cæsarea nuper transgressum, cum tribus equitum millibus Ehingæ Danubium transire jubet. Ea re explorata, quinque Gal-

Gallorum millia Ulma emissa ad *Munderkingam* eundem oppressum in fugam [illegible] unt. Christianus, Hannoveranus Princeps, Electoris frater, Danubii vadum pertentans, in medio flumine glande ictus periit.

Mense Augusto Badensis 28 cohortes, 54 turmas *Styrumbio*, ex Mareschallis vetustissimo, attribuit. Is ex castris Haunshemiensibus egressus, imminente hinc Dilinga Ussonio, illinc Donaverda Electore & Villario, Höchstadium inter & Schwenningam in medio deprehensus, commissa pugna, quam alii Höchstadianam, *Schwenningensem* alii dixere, magna clade afficitur. Plus enim cædis quam pugnæ fuit; cum Styrumbiani, terrore perculsi, sub ipsum jam conflictus initium fugæ locum circumspicerent. Capta 4000, cum impedimentis & tormentis omnibus, prius, quam vel unam pilam in hostem evibrassent, dictitante Villario, ludibundo obvenisse victoriam, nec tam ad prælium se quam prædam venisse. Exercitus reliquiæ continenti fuga *Nördlingam* pervenere. Styrumb ad Schwenningam.

Badensis virium dimidio amisso, quamvis non amplius 16000 censeret, 6000, Bibra Gubernatore, Augustæ imposuit; *Fridbergam* deditione accepit; Mercyum vero cum Hussaris & levioris armaturæ equitibus, ad populandum Bavariæ agrum immittit. Castra vero haud procul Lyco figit, hoste prope eundem metante. Badensis Fridbergam capit.

Elector, misso ad Bavariæ tutelam *Arcoo*, ut Badensem ab Augusta detraheret, per Sueviam flectit iter, tanquam *Stolhofensem aggerem* invasurus, & hyberna in agro Würtembergico quæsiturus: captaque *Campidona*, Villarium in Galliam redeuntem comitatus, *Marsinium*, ejus loco præfuturum, cum pecunia excepit. Badensis vero, cum nihil ex sententia succederet, corpore & animo æger, suffecto sibi *Thingenio*, domum concessit. At Elector ea præclari Ducis absentia usurus, cum Cæsareos a Vindelicia abstraxisset, ineunte Decembri Augustam oppugnare cœpit. 13 Decembris Bibra sub conditione, salvum educendi præsidium, urbem dedidit. Elector Campidonam, Et ipsam Augustam.

Meliori Cæsareorum fortuna res gesta in Palatinatu Bavarico. Nam imprimis *Rottenberga*, arx ad Norimbergensium fines permunita, Franconibus dudum invisa, devicto *Maffeio*, qui subsidio venerat, ab Auffsessio fuit expugnata, ac penitus diruta, contra, ac loci Præfecto promissum fuerat. Ambergensi dein Consilio, de Rottenberga ab Austriacis diruta.

violata publica fide expostulanti, respondit Aufsessius: in tabulis exstare, *in quantum suæ potestatis sit.* Sed Franconum ordinibus aliter visum.

Chambium & Amberga capta. *Herbevillius*, qui ad fines Bohemiæ excubabat, & solus sine hoste & clade fuit, *Chambium*, haud immunitam urbem, deditione capit, cum 200 præsidiariis: inde vero ipsam *Ambergam* cum reliquo Palatinatu. Zolleranus Comes urbi, provinciæ *Auffsessius* Gubernator impositus.

Badensis criminationes diluit. Badensis, cum laboraret invidia, quod, absente per trimestre Electore, Villarium non fuerit aggressus, nec aliud egerit, Styrumbium, quid facto opus, non caute docuerit, pugnandi occasionem neglexerit, Campidonam & Augustam prope sub oculis capi permiserit, Cæsari per litteras se purgavit, difficilem Ducis esse conditionem, Provincialem maxime militem, e tyronum supplementis collectum, & quidem diversarum adeo Nationum, regentis. Temeritatis labem, cum summo Reipublicæ discrimine conjunctam, non fuisse se effugiturum, si hostem, veteranis stipatum, & munitissimis castris se tuentem, invasisset: id autem suo otio effecisse, ne Galli Sueviam diriperent. Quod per Ductores res male sit gesta, illis tribuendum, qui largitionibus, commendatione, & gratiis potius, quam propriis meritis, bellique experientia ad prima militiæ munia attolluntur. Illa vero tot Principum, Ductorumque, in diversa tendentium, fastidia, exceptiones, imperii detrectationes, quam vel optimis consiliis sint noxia, centies deploratum. Vix esse oppidulum, quod sibi non leges dictet. Hollandicos nullam belli disciplinam pati, a rapinis, ingluvie, stationum desertione, & quidquid lubet, agendi libidine, coerceri non posse. Coactum se adeo Goorium, aciei structorem, in vincula conjicere. Sibi quidem, quoad militiam faciat, nullam expeditionem plus difficultatis ac tædii attulisse. Amicissimis litteris solatus est eum Cæsar, actaque ejus probavit.

Art. VI.

Bellum Tyrolense 1703.

10. Elector in Tyrolim. Bavariæ Elector, postquam Provinciarum suarum tutelam Gallis commendaverat, in Tyrolim, quæ ad Bojariam olim spectabat, expeditionem suscepit, acceptis secum 9000 Boiorum, 2500 Gallorum,

lorum, ſelecto milite. Diverſis itineribus Waſſerburgo, Roſenhemio, Tegernſea *Kuffſteinium*, arcem monti impoſitam, ſituque & opere munitiſſimam, feruntur. 400 præſidiariis Wolkenſteinius Gubernator præerat: qui dum domibus hortisque, arci adſitis, ignem admovet, flamma, reflante vento, in arcem propulſa, penu bellica in auras evibrata, homines, arcem, oppidum, miſere combuſſit. Wolkenſteinius in arcem properans, cum ſcalas ligneas igne jam correptas videret, cum 200 militibus Ratenbergam ſe recipere coactus eſt. Kuffſteinium capit

Tutabatur tamen ſeipſam montis præcipitis natura, donec Boii alia via, minus cuſtodita, in arcem ſunt eniſi, atque munimento, quod invincibile videbatur, ſimulque Tyrolis ea ex parte clavi facili manu potiti, interfectis aut captis, qui ſupererant, præſidiariis, 19 Junii.

Kuffſteinii fortunam mox ſubiit alterum Tyrolis propugnaculum *Ratenberga*, cujus arci, rupi ad Oenum impoſitæ, Janus centurio præerat, fortiter initio reſiſtens, ſed ea brevi conditione ad deditionem compulſus, ne contra Electorem & fœderatos duos Reges eo anno militarent. Ratenbergam,

Pubes agreſtis, ignibus per montes pro more accenſis, convocata, dubitabat, an in Nobiles primum, Magiſtratus ſuos, a quibus diſcordiis diſſidebant, an vero in hoſtem bellum moveret. Sed ſacerdotis hortatu patriæ prius conſulendum rata, magno numero ex montibus & vallibus ſe conglomerat, atque Lodronium Comitem ductorem eligit. Adjungunt ſe Academici Oenipontani 400. Sed ubi, capta Ratenberga, imminentes armatos milites viderunt, via relecta ad ſua redierunt.

Abeuntium veſtigiis hærens Elector, Sebatum (*Schwazium*) oppidum argenti venis dives, *Halamque*, ſale ex montibus derivato, urbem inclitam, cum exercitu ingreſſus eſt. Oenipontani vero, obviam progreſſi, cum urbem apertam defendere non poſſent, claves tradiderunt. Recepit eos Elector in fidem, ea conditione, ut ſimul *Scharnizium*, permunitum in Bavariam tranſitum, eumque, coeuntibus montibus, anguſtum, dederent. Dediderunt (quid enim facerent) ut urbem ſervarent? Schwazium, Halam, Oeniponteum, Scharnizii fauces,

Elector 26 Junii Oenipontum ingressus, in æde principe solennes Deo grates persolvit, relictisque in pristino dignitatis gradu Proceribus, magna in omnes clementia est usus, severitate militari interdicens, nequa vis aut noxa fiat. Quamvis, Galli maxime, non ita potuerint coerceri, ut manus cohiberent. Invisit subinde arcem *Ambrasiam*, armis, signis militaribus, monetis, picturis, variisque thesauris & antiquitatis monumentis celebrem. Pretiosa magis jam ante in Carynthiam fuerant avecta: alia vero postea Monachium.

Cum autem agrestes pontem ad *Schönbergam* montem demoliri niterentur, missus eo Tauffkirchius illos dissipavit, intercepto Wolkensteinio. Lüzelburgius vero *Arcem Ehrenbergensem*, natura invictam, extorsit Rostio Præfecto, quem circumsistentes rustici populationis metu, de rupe præcipitaturos minitantur, ni munimentum dederet.

Cum Ehrenberga.

Stitit hic Electoris in Tyroli felicitas; nam, ut Vendomio cum 25000 Gallorum ex Italia Tridento jam imminenti, se jungeret, per *Fünsterminzam*, angustum inter Tyrolim & Grisoniam transitum, viam aperire tentavit: incolarum in se fide confisus. Sed Martinus quidam *Sterzingerus*, Landeggensis, populares suos adhortatus, fistulatores in adverso utroque, quem Oenus interfluit, monte, disposuit arbores inter, saxa, & vepreta quam occultissime se tenere jussos, donec signum aggressionis ederetur.

Bojorum clades ad Fünstermünzam.

Tauffkirchius & *Neuhausius* duo armatorum millia eo ducebant, qui Landeggio, Prutioque Gundlacum usque absque suspicione profecti, cum in insidiarum locum venissent, glandium repente imbre, devolutisque ex montibus saxis obruuntur. Nullus erat virtuti locus: sentiebant strata passim agmina, audiebantque cachinnantem hostem, sed non videbant. Neuhausius cum Tauffkirchio cum 40 equitibus fuga elapsi, ad *Stambsensem* pontem ab agricolis capti sunt. Portia Comes pecudis instar securi impacta mactatus: superstites vario tormentorum genere enecti. Multa præda ab immiti victore capta.

Plebis sævities.

Clades ad Prennerum.

Nec melius excepti Bavari, dum *Prennerum* montem, Steinachium inter & Sterzingam situm, superare contendunt. A latitan-

tantibus pariter inter arbuſta & cavernas agreſtibus magna clade affecti. Mille prope viri interfecti memorantur.

Perſtitit nihilominus *Luegii* ad pedem Prenneri Elector, donec de Hala, Scharnizio, & Ratenberga a ruſticis captis nunciaretur. *Halæ Veritas* Comes aſperius, quam tempora, & gentis indoles Verita Halæ ferebant, agreſtes ad muniendam civitatem adigebat. Numeroſus cæſus. igitur globus irrumpit, obvios quosque Bavaros milites, iſtosque inter etiam Præfectum urbis Comitem *Veritatis*, crudeliter contrucidat.

Elector a Prennero redux Oenipontum agreſtibus amneſtiam Reditus Eleoffert, & gratiam. At illi tot proſperis eventibus feroces, Leo ctoris Oenipoldum Dominum ſuum inclamant. Severitatem igitur expromit in pontum. eos, qui ad montem prope *Zirlam*, *Martini parietem* appellant, (Maximiliani I periculoſa venatione famoſum) velut obſeſſum tenebant propinquum Oenipontum.

Sub Heindlio 150 Legionarii cum 800 ruſticis montem, quem Victi agreſtes dixi, occupaverant: 400 alii in transœnana ripa ſe obvallaverant. ad Zirlam, Hos, fortiter licet reſiſtentes, Elector primum fudit.

Difficilior cum agmine altero, quod in monte inter fruteta ſtationem ceperat, erat conflictus. Peritiſſimi venaticæ ſunt ex Tyrolenſibus multi, atque ad ſcopum collimare apprime docti. Hos inter Schandlius Ferdinandum Arcoum, quem e veſtium ornatu Electorem exiſtimabat, ad latus Electoris obequitantem, pila proſtravit, lateque per Europam fama Electorem enectum circumtulit. Superata nihilominus tandem loci ardui natura, hominumque pertinacia. Capti 60 Legionarii, totidemque fere, qui tardius ſe Et c[illegible]igati receperant, ruſtici, atque ad vindictam, aliosque abſterrendos, Zirla accenvariis ſuppliciis enecti: Zirlenſe autem oppidum ſubjecta flamma in ſa, cineres redactum.

Accenderunt magis hi ignes agreſtium animos. Quinquaginta Bavaros, *ponti Mühlenſi* præſidio impoſitos, ex edito irruentes Magis acconcidunt Stubacenſes revecta de Prennero Electoris impedimenta, interfectis cuſtodibus, diripiunt. Tres cohortes, inde reduces, cenſi. ſiſtulatores abditi prope delent.

Im-

Elector redit in Bavariam.

Imminebat cum suis agminibus *Guttensteinius*, *Solarius*, & expeditionis Dux *Heisterus*: Tyrolenses ubique in armis erant. Crescebat in dies periculum, ne intra infidas cautes nullus amplius ad receptum pateret exitus. Quare Elector exarmatis civibus Oenipontanis, simulataque Oenana nova expeditione, cum exercitu suo & impedimentis per *Zirlensem* montem *Seefeldam* evadit, cæsis, qui obsistere nitebantur, Tyrolensibus. *Scharnizium*, nupero incendio lacerum, facile superatum est, soloque æquatum.

Haydon ob deditam Ehrenbergam capite plexus.

Tyrolenses fugato, ut interpretabantur, Bavaro, lætitia triumphantes conjurant, non acquieturos ante, quam Kuffsteinium & Ehrenbergam e Boiorum manibus vindicaverint. *Copenhagius* igitur, Würtembergicæ legionis centurio, cum ingenti rusticorum multitudine *Ehrenbergam* aggressus est. Tormenta, Lyco nuper demersa, extrahunt, atque humeris in montem, atque Ehrenbergam deportant, iisque arcem verberant. Territus loci Præfectus *Haydonius* properatæ deditionis culpam capite luit: reliquis Ductoribus ignominia notatis. Heisterus vero e Tyroli per Scharnizensem vallem in Bavariam irrumpens, Mediam Sylvam, Paterkirchium, Murnaviam expilavit.

Vendom. Tridentum oppugnat.

Inter hæc autem, dum Elector Oenanam vallem subigere conabatur, Vendomius, quamvis serius, ex Italia in Athesinam infusus, captis compluribus arcibus oppidisque, Tridento copias admovit, in propinquo colle metatus, unde 500 pilas ex igniariis ollis urbi injecit. Sed cum audisset, Electorem e Tyroli recessisse, variosque Cæsareos Duces cum Legionariis & rusticis appropinquare, iter in Italiam reflexit.

Receptum tandem etiam Kuffsteinium.

Supererat Electori e Tyroli solum *Kuffsteinium*, hoc oppugnare aggressi, mixti cum Legionariis agrestes, cum tormenta metallina deficerent, e terebratis arboribus, vinculis ferreis firmatis, ignitas pilas evibrarunt, in oppidum maxime, arci subjectum. Tentatus in ipsum castrum assultus, sed *Seefeldii* Præfecti opera fortiter rejectus. *Heisterus* autem, supremus in Tyroli copiarum Ductor, in Hungariam accersitus, Guttensteinium oppugnationi præfecit, additis, qui Rattenbergæ, Scharnizii, & Ehrenbergæ munimenta reficerent, Zumjungenio, Wezelio, & *Heindlio*, qui ad ingenium agrestium se fingens, toto hoc bello Tyrolensi insignem operam contulit. Kuffsteinium vero primum anno 1704, postquam in Bavaria fuit debellatum, se dedidit.

Art.

Art. VII.

Bellum Rhenanum 1703.

Villario ad Dilingam metante, & Electore in Tyrolin digreſſo, Tallardus, Friburgi obſidione ſimulata, effecit, ut Briſaco haud modicæ copiæ cum bellico apparatu extraherentur, quo Friburgo ſuccurratur. *Tallardus* igitur, quod volebat, aſſecutus, reflectit iter, militemque expugnando Briſaco admovet. Vixdum ad vallorum ſepimentum promoverat, cum tanti operis munimentum, quod Vinarienſi annuo olim oppugnationis labore conſtiterat, deditur. 11. Tallard. Briſacum expugnat.

Badenſis cauſſam Thingenio commiſit. Comes Philippus *Arcous*, urbis Præfectus, & *Marſilius* in vincula conjecti, primum Philippoburgum, dein vero *Brigantium* abducti ſunt; ubi cauſa cognite Arcous, quod citra neceſſitatem opera extima deſeruerit, ac præpropera deditione, contra officii ac juramenti rationem egerit, e legum militarium formula ferali ſententia, ut capite plectatur, condemnatur. Arcous capite plexus.

Cauſam ſuam Chriſto, cujus imaginem manu geſtabat, commendans, mortem fortiter tulit. Marſilius, duo tribuni cum ſuis ſubtribunis, octo centuriones, procenturiones ſeptem, totidemque ſigniferi, quod ſuo ſuffragio deditionem comprobarint, aut ignominia notati, aut exauctorati ſunt. Alii præproperæ deditionis rei ignominia notati.

Hodiedum viget perſuaſio, cum tantæ dignitatis viro, præclare alias merito, durius actum, futurumque, ut mitius plecteretur, ſi Thingenius minus properaſſet, aut litteras, vitæ gratiam nuntiantes, reſignaſſet.

Capto Briſaco, *Tallardus* Landaviam, anno ſuperiore amiſſam, recuperatum ibat. Sed dum Haſſo-Caſſellanus, Naſſovius, Vehlenus, cum fœderatis copiis ſe opponunt, ad Spiram, ſeu potius ad *Spirbachium* fluvium, ad prælium devenitur. Tallardus illuſtrem reportavit victoriam 6000 Fœderatorum cæſa ſcribuntur: impedimenta ſignaque grandi numero erepta. Pugna ad Spirbachium.

Frieſenius nihilofecius Landaviam fortiter defendit, donec pulveris igniarii defectus ad deditionem coegit. Liberi, qui ſupererant, præſidiarii dimiſſi ſunt. Landavia præmium.

Meliori fortuna uſi ſunt fœderati ad Rhenum Inferiorem; nam *Boruſſici* diuturna obſidione *Rhenobergam*, Batavi vero, Cohornio Sed fœderati Rhenobergam & Trar-

bachium capiunt. nio machinatore, vi ignium *Trarbacum* cepere. Sed ad *Eckeram*
Conflictus ad Eckeram. cladis aliquid acceptum. Obdamus, Batavorum Ductor, fuga e conflictu elapsus, Hagam terrore complevit. Sed inferiores Duces, restituta acie, dubiam Boufflerio Gallisque victoriam fecere.

Art. VIII.

Bellum Bavaricum 1704.

12. Elector Passavium occupat. Ineunte Januario Elector *Passavio* exercitum admovit. Urbs est perampla, ad Danubii, Oeni & Ilzæ confluentes, arce prævalida munita. Sed quia Gronsfeldius duo tantum habebat præsidiariorum millia, & Cardinalis Lambergius S. R. I. Princeps & loci Episcopus urbem, ædificiis & præstanti Basilica illustrem, nolebat in cineres redigi, Bavaris fuit dedita: terrore non levi Viennam, Pragam, Salisburgum diffuso.

Cum Tallardo & Marsinio se conjungit. Mense Majo Elector ad *Hercyniam* profectus, cum *Tallardo & Marsinio* se junxit, atque Gallicis suppetiis auctus, ad fines Bavariæ iter remensus est.

Nec minus Angli Batavique Badensi venerunt auxilio, adductis ex Belgio in Germaniam, quadraginta armatorum millibus.

Neque diu quietus hæsit, qui eos adduxerat, *Marlebourgus.*
Marlebourg in Germaniam. Nam decimo, postquam ad Danubium venerat, die, (2 Julii) pertracto in sententiam Badensi, duodecim Bavarorum millia, quæ in monte *Schellenbergensi* ad Donawerdam se communire occeperant,
Pugna in Monte Nolano. altera ante solis occasum hora aggressus est. Incredibili ardore mortisque contemptu, pilarum inter procellas, Angli in jugum enituntur, alterumque in aggerem impressionem faciunt. Superveniens *Badensis*, cum suis pariter eluctatus, ea parte irrupit, qua
Badensis supervenientis victoria. agger necdum erat perfectus. Cum Boji prælium huc maxime verterent, Angli occasionem nacti sunt, qua novo impetu irruerent, aggeremque superarent. Tum vero strages immanis edita: fugientium multi ad Donawerdæ portas a Mercyo & Cusano interfecti, alii Danubio hausti. Septem millium jactura fuisse fertur, fœdera-
Styrumb. occumbit. torum vero 5000. Hos inter *Styrumbius* Mareschallus, Beveranus Princeps, Goorius & Beinhemius, primi Batavorum Ductores. Altera die Donawerdam ingressus victor exercitus, incendium, a Gallis sparsum, extinxit.

Elector,

Elector, intellecta ea suorum clade, desertis Dilinganis castris, ad *Augustam* novis operibus se communiit, nova a Tallardo auxilia præstolaturus. Is, tentata frustra in transitu Villinga, 5 Aug. cum novis copiis in castra Augustana venit.

Eugenius Princeps, qui ex Italia accitus, ad Rhenum curabat, atque *Stolhofiensem aggerem*, Sueviæ & Franconiæ scutum, tutabatur, eodem ferme tempore cum Tallardo ad Danubium venit, atque cum Badensi & Marlebourgo se conjunxit. Eugenius in Germaniam.

Deliberatum hos magnos inter Duces, quæ belli ineunda ratio. Eugenio & Marlebourgo prælium quærendum placuit, non item Badensi, qui nunquam in eam adduci potuit sententiam, ut Rempublicam unius prælii decretorii fortunæ exponendam censeret. Decernitur pugna.

Prævalentibus reliquis statutum, omni ope & arte providendum, ut hostis ex munitis suis, quæ ad Augustam habebat, castris proliciatur. Decreta proin Ingolstadii oppugnatio, quam lubens Badensis suscepit, ut nullam partem habeat, si infelici pugna in exitium detur Germania. Badensis Ingolstad. obsidere jussus.

Cum necdum hostis se moveret, Eugenius cum parte exercitus a Marlebourgo recessit, atque ad Apershoffium prope Donawerdam castra fixit, Marlebourgo ad Rhainam, ubi Lycus cum Danubio confluit, metante: ut Elector, divisos aggrediendi cupiditate, prælii occasionem daret.

Obtentum, quod sperabatur; Elector, ut Eugenium opprimeret, relicta Augusta, præsidio firmata, ad castra Dilingam inter & Lauingam rediit (11 Aug.) re cognita Marlebourgus, Donawerdano ponte mox Danubium transgressus, ad Apershofium Eugenio se jungit (12 Aug.)

Cum autem exploratores referrent, Gallo-Bojos, Dilingam & Höchstadium transgressos, a Danubio & adsito *Plinthemio*, *Luzingam* proximamque sylvam usque, duarum ferme horarum intervallo aciem explicasse, certi Duces fœderati prælio decernere, milite corpora curare jusso, primo diluculo (13 Aug.) cum universo exercitu *Schweningam* profecti in hostium conspectum venerunt.

Structa confestim acies. Dextrum Eugenii cornu, Cæsareis, Danis, Borussis constans lævo Electoris & Marsinii opponebatur. Lævum vero Marleburgii, ad Danubium protensum, atque ex Anglis, Batavis, Luneburgicis, Hassis, Würtembergicis conflatum, dextero Tallardi cornui adversum stabat. Acies.

Ingens sollicitaque exspectatio spe ac timore Europam suspensam tenuit, in quam partem dies illa decretorium certamen verteret. Duces erant ea ætate summi, populi potentissimi, lectissimi exercitus: ut adeo totius Europæ hoc prælium, victoria, aut clades foret.

13. Pugna ad Höchstadium.

Eugenius ad sylvam deflexus, indeque eluctatus, prima a meridie hora Bavaros invadit, non admodum auspicato; nam tres cataphractæ Cæsaris legiones, Bojorum vim non ferentes, in sylvam, unde prodierant, fuga se recipiunt. Cohortes, equestri auxilio nudatæ, eadem fortitudine labefactantur, & in eandem sylvam dispelluntur.

Equitatus Cæsar. ter fugatus.

Eugenii Ducumque solertia retractus & in ordinem redactus miles, conflictum resumit: sed non majori constantia. Equitatus Cæsareus vehementi Bavarorum incursione, & tormentorum e Luzingensi colle detonantium vi adactus, fuga præcipiti rursus terga vertit. Idemque post dimidiæ horæ dimicationem tertio facit.

Bojus collem deserit.

Bojus, situ & pugna superior, ut perculsis insistat, *e colle tam opportuno se demittit.* Quo comperto Eugenius omni vi in eum collem enititur, atque capta tormenta in Bavaros obvertit, redeuntibus ad certamen, qui fugerant, Cæsareis.

Et tandem receptui canit,

Perstiterunt nihilominus Bavari, incredibili fortitudine in hostem invecti, donec Elector, qui summi Ducis partes omnes impleverat, & victoriam jam ferme partam habuerat, de dextri Gallorum cornu fuga & Tallardi captivitate edoctus, ne universus hostium exercitus adversus se unum colligeretur, lento & ordinato gradu se retraxit.

Postquam Gallus fugam ceperat.

Citius in dextro Tallardi cornu fuerat debellatum. Nam licet Anglici ægre amniculum, gemino exercitui interjectum, pontonibus & vimineis fascibus trajecerint, & secundo a Gallis fortiter repressi sint, adeo quidem, ut equitatus trans amniculum se fuga receperit, tertia tamen impressione, perrupto Gallorum equitatu, decem cohortes interclusæ, a Cassellensi Principe magna clade funduntur. Jamque ita laxati tenuatique erant ordines, ut Anglorum vim non ultra ferrent, sed, qua cuique via patebat, diffugerent; ponte Plinthemiensi ab Anglis victoribus intercepto, 26 cohortes primum in ipso pago se obvallare sunt connisæ, sed brevi, defen-

Tallard. cum 12000 captus.

sione desperata, se dediderunt captivos. *Tallardus*, locorum ignarus, dubioque Danubii flexu deceptus, dum fugit, in angustias se induit, e quibus, obsistente a fronte & lateribus Danubio, a tergo

tergo vero premente hoſte, eluctari nequiit. Captus proin cum 12000. Multi Danubio hauſti; ut adeo ingens, & poſt Croſſiacam ſtragem maxima, Gallis ſit illata.

25000 aut cæſa feruntur aut capta: 127 machinæ, 4000 papilionum, ſigna militaria 135, currus annonarii 1500 in prædam venerunt. Ingens clades.

Sed multo major tantæ victoriæ fructus erat liberata ab hoſte graviſſimo Germania. Galli quippe Bojique continuo curſu ad Rhenum ſe receperunt. Auguſta, Memminga, Paſſavium, Straubinga confeſtim deditæ. Ratisbona, Ulma &c. expugnatæ, ac demum etiam Landavia a Joſepho Romanorum Rege, & Ludovico Badenſi, Eugenio & Marlebourgo caſtra ſua ad Weiſſenburgum Villaregii caſtris, ne urbi auxilio veniret, opponentibus. Tentatum etiam a Winckelhofio, Friburgi Gubernatore, Briſacum, ſtratagemate, quod Bojis Ulmam pepererat. Jamque in ipſam urbem penetratum fuerat, cum, ingeminante quodam retrocedendum, timore Panico afflati Cæſarei præcipiti fuga ſe proripiunt. Fructus victoriæ.

Bavaria interea, Electore digreſſo, magnam mutationem incurrit. Nam Electrix cum Joſepho Rege Landavienſibus in caſtris his pactis per Mörmannum Baronem tranſegit. Pacta Bavarica.

1. Bavari ex omnibus locis munitis, præſertim Ingolſtadio, Kueffſteina, Neoburgo ad Oenum, præſidia educunto, eaque Cæſari cum penu bellica tradunto.

2. Milites ſe non amplius contra Cæſarem arma geſturos juranto.

3. Avecta ex Tyroli reſtituuntor.

4. Captivi dimittuntor.

5. Monachium cum tota Camera Monacenſi & omnibus proventibus Electrici & Principibus liberis reſervatum eſto.

6. Armamentarium tamen Monacenſe Cæſari traditor.

7. Electrici pro corporis cuſtodia 400 Prætorianos habere fas eſto.

8. Tributorum autem exactio per Bavariam reliquam penes Cæſarem eſto.

9. Si Electrix conjugem ſequi velit, ſecure deducitor.

10. Statibus Provincialibus, Nobilibus, & populis Bavariæ ſua jura, privilegia, & ſtatus, quem ſub Electore obtinebant, ſalvus & integer conſervator.

Bavaria in fidem adacta. Quia autem Bavari, Principi suo Maximiliano singulari amore ac fide erant addicti, adduci ægre poterant, ut alteri Domino se subjicerent, Princeps Eugenius, ab Landavia cum milite redux, provinciam in Cæsaris fidem adegit, Ingolstadio, Brunovio, Schardingæ &c. imposito præsidio.

Marlebourg creatus Imp. Princeps Mindelhemio donatur. Cæsar porro *Marlebourgum*, postquam Gallos Treviris ejecerat, & per Hasso Cassellanum Principem Trarbacensem arcem medio Decembri tandem expugnasset, Imperii Principem creatum, *Mindelhemiensi Dynastia* donavit.

Art. IX.

Obitus Leopoldi Imperatoris. Initia Josephi. 1705.

14. Parta grandi illa ad Höchstadium victoria, hosteque potentissimo ad Rhenum submoto, Leopoldus Magnus Imperator, postquam vitam omnem gravissima inter bella, summasque virtutes exegerat, pientissimo tandem fine eandem coronavit 5 Maji 1705, ætatis 65, Imperii 47, Regni Hungarici 50, Bohemici 49, natus 1640, ex Ferdinando III & Maria Anna, Philippi III Hisp. Regis filia.

Conjuges & liberi. Conjuges habuit tres, *Margaretham*, Philippi IV Hispaniarum Regis filiam, ex qua genuit duos filios & duas filias, omnes in primo ætatis flore demortuos, dempta *Maria Antonia*, Maximiliano Emanueli Bavariæ Electori conjugata.

Altera fuit *Claudia Felicitas*, Ferdinandi Caroli Archiducis Oenipontani filia: ex qua duas fœmellas suscepit, eodem, quo natæ sunt, anno mortuas.

Tertiam duxit *Eleonoram Magdalenam*, Philippi Wilhelmi, Neoburgici Ducis, ac postea Electoris Palatini, primogenitam; decem liberorum subin matrem: inter quos Josephus & Carolus, postea Cæsares, Maria Elisabetha Gubernatrix Belgii, & Maria Anna Lusitaniæ Regina.

Elogium. Sicut dignitate Leopoldus summus fuit in orbe terrarum Princeps, ita omnigenæ virtutis ornamentis multo clarissimus: pietate, religione, fide, integritate, magnanimitate, æquabili in utraque fortuna vitæ tenore toti Europæ admirandus. Quapropter plerique Principes ceu patrem amabant, colebantque. Ludovicus vero XIV, quocum gravissima tria bella gessit, dixisse fertur, non timere se arma Cæsaris, sed miracula. Certe DEUS multas illi prodigio

digio ſimiles contulit victorias, atque ex præſenti non raro vitæ diſcrimine inſidiiſque confidentem eripuit.

A juniori ætate aris deſtinatus, omni diſciplinarum genere ingenium excoluit, amator eruditorum hominum, ſi quis alius, & æſtimator, quin & cenſor æquiſſimus. Stupendum illud Bibliothecæ opus, quod filius Carolus abſolvit, ipſe inchoavit, plures non raro horas erudito in muſæo cum *Lambecio* converſari ſolitus. Linguas, Latinam, Italicam, Hiſpanam, Gallicam apprime callebat. Præter alias per Germaniam academias, Olomucenſis, Oenipontana, Wratislavienſis, ejus auſpiciis ſunt erectæ.

Statura corporis fuit potius infra mediocrem, labiis more Auſtriaco extantibus, barba ſupra labium retorta, cum barbula in menti medio: fronte majeſtate plena: habitu Burgundico, manicis diverſo ſæpius colore a tunica: priſci ſane adhuc moris Princeps, non aſcititio ſplendore, ſed regiis virtutibus animique ornamentis ſe ipſum metiens. Corporis habitus.

Quamvis autem res magnas geſſerit Leopoldus, Turcis ex Hungaria & Tranſylvania, Suecis ex Polonia & Dania, Gallis e Germania ſubmotis, omnique prope Europa in magnum adverſus formidandam Borboniorum potentiam fœdus aſcita; maximam nihilominus graviſſimi belli partem filio Joſepho, Romanorum jam ante Regi, reliquit. Geſta.

Conflagrabat bello civili Hungaria, renaſcente identidem vel ex 15.
ipſis cladibus ſuis ſeditionis malo. Reducenda Inſubria, Neapolis, Sicilia, Sardinia, Hiſpania, America: perfringenda concatenata Flandriæ, Brabantiæ, Hannoniæ clauſtra: decertandum ad utrumque Rhenum, atque ut hoſtile etiam ſolum belli moles premat, penetrandum, ſiqua via aperiri queat, in ipſa Franciæ viſcera. Status rerum.

Incumbebant toto pondere in hæc conſilia, præter Cæſarem & Imperium, Dania, Pruſſia, Anglia, Batavia, Luſitania, Sabaudia. Spes grandes inflammabant veterani ad bella durati, & vincere aſſueti exercitus, rebus geſtis, fama, nominiſque magnitudine clariſſimi Duces, Eugenius, Badenſis, Marlebourgus, Stahrenbergius, Heiſterus: vires hoſtium, cladibus jam attritæ.

Et ſane, quam breve, tam glorioſum fuit Joſephi Imperium. Sex quippe vitæ annos, quibus ad rerum clavum ſedit, grandibus victoriis & triumphis implevit, plus ultra porrecturus illuſtres palmas, ni præmatura falx, uti corporis compagem, ita fœderis nexum reſcidiſſet.

Art.

Art. X.

Bellum ad Rhenum 1705, 1706, 1707. *Bavariæ tumultus. Mors Badensis.*

16. Capta Hagenoa. Marlebourg in Belgium.

Anno 1705 præter captum a Villario *Homburgum*, a Badensi *Hagenoam*, circumductosque mutua arte exercitus, haud multum ad rei summam est actum. *Marlebourgus* equidem, ut in Franciam bellum transferretur, expeditionem Mosellanam evincere nitebatur, sed cum paratus ad eandem deficeret, & Badensis id consilium non probaret, non sine tædio cum Anglo-Batavis in Belgium recessit. Badensis vero, timidi velut cunctatoris, fama per Europam lacerabatur: nec deerant, qui eum Fabio, adversus consilium Scipionis, bellum in Africam vertendi, in senatu peroranti, compararent.

Electrix Venetias.

Bavariam hoc anno graviter concussit agrestium tumultus. Electrix Theresia Cunigunda, ut ad matrem, Poloniæ Reginam, inviseret, *Venetias* iter inierat, cumque ad limites pervenisset, qui Tyrolin a Veneta ditione separant, interdictum, ne in Bavariam rediret, a Cæsare accepit; simulque Monacensis Præfectura, ipsius & liberorum sustentationi pactis anni superioris addicta, velut commissa eripitur.

Wagn.

Pactiones illas minus ex fide servatas arguebant Austriaci: ex spoliis Tyrolensibus complura fuisse retenta; Monachii ac Wasserburgi defossa arma ac bellicas machinas; oblatam Hungaris seditionis societatem; sollicitatos per litteras Bohemos.

17. Bavariæ mutatio

Doluit ea Monachii ditionisque cohærentis jactura Genti Boicæ, quæ alioquin, fide & amore in veterem suum Principem necdum exuta, novi Domini imperium impatientius ferebat. Cæsarem Protestantibus nimis innexum credebant. Videbant apud se Danos, Brandenburgicos, Würtembergicos, aliosque Lutheranos, quos nulla satis disciplina cohibere poterat, quo minus ludibria, uti in Bavaram Nationem universim, ita & in Catholica sacra, ritusque spargerent.

Ob tumultum.

Gens itaque, non minus Religionis Orthodoxæ, quam fidei in nativos suos Principes, tenacissima, conferre clam capita, agitare consilia liberandæ patriæ & liberorum Principum, designare urbes, ope civium intercipiendas.

Erupit conspiratio, quando Herbevillius, armorum per Bavariam Præfectus, præsidium Monachio imponere nitebatur. Tum enim cives ad arma conclamare, portas venienti occludere, tormenta

menta stationesque per mœnia disponere, omniaque ad defensionem instruere.

Monentur, ne perire velint. Ni portis apertis præsidium recipiant, urbem in cineres redigendam. Minis territi parent. Jubentur arma publicum in forum comportare. Authores tumultus dantur in vincula, illosque inter duo Consiliarii, quorum inter chartas tota conspirationis series deprehensa fertur. Præsertim Monachii

Nec tamen propterea destitum a cœptis alibi: sed partitis agminibus *Kehlhemium*, *Wasserburgum*, *Burghusium*, *Brunovium*, *Schardingam* occuparunt. Tum vero junctis viribus Monachium ipsa *Natali Domini* nocte aggredi decernunt. Sed re per Stahrenbergium, e vinculis elapsum, ad *Löwensteinium*, *Bavariæ Administratorem*, delata, a præsidiariis cum gravi clade repulsi, a *Dewendio* & *Kriechbaumio*, quamvis in genua supplices procumberent, immitius, quam moderatio postularet, sunt habiti. Deditæ, quas ceperant, urbes. Brunoviæ munimenta, quæ Ferdinandus Maria Elector erexerat, diruta. Armis omnes exuti. Authores quadrifariam secti, variis locis ad terrorem suspensi sunt. Natali Domini.

Anno 1706, dum bellum maxime in Italia & Belgio ferveret, frigidum prope ad Rhenum erat, copiis maximam partem alio traductis. Badensis, qui reliquiis militis Imperialis ibidem præerat, quamvis ob exiguas vires defensioni intendere fuerit coactus, impedire tamen non potuit, quin Villarius *Hagenoam* recuperaret. Villar. Hagenoam recuperat.

Ab hac expeditione *Ludovicus Wilhelmus Marchio Badensis* aliam majoris multo momenti suscepit in orbem alterum. Natus fuit Parisiis 1655, successit Ferdinando patri 1669, ex Francisca Sibylla juniore Julii Francisci, ultimi Ducis Saxo Lauenburgici, genuit 1702 Ludovicum Georgium Sympertum, & 1706 Augustum Georgium. In quorum fœcundo thoro serenissima Domus Catholica spes suas habet repositas. 18. Obitus Ludov. Badensis.

Fuit Ludovicus magnus militiæ Princeps, per præcipuos gradus ad summi belli Imperatoris apicem elatus. Nam posito 1676 ad Philippoburgum illustris militiæ tyrocinio, mox Cæsareæ legionis Tribunus renuntiatus, a Viennensi obsidione Promareschallus, sub Lotharingo imperatorias artes condidicit. A capto Belgrado, trium millium agmine fusis ad Bosniæ fines quindecim Turcarum millibus, Mareschallus & exercitus Imperator dictus, egregias de Turcis, numero multo potioribus, retulit victorias, atque subacta cum *Vidino* & *Nissa*, Servia, fines ad Epirum propemodum protulit. Parta subin præclara ad *Salankemenem* victoria, ad Rhenum tra- Gesta.

ductus, summis Gallorum Ducibus fuit oppositus, quorum artes viresque non raro fregit. *Landaviam* bis expugnavit; *Schellenbergensis victoriæ* pars magna fuit. Ultimis denique annis Imperii copiis ad Rhenum præfectus, mirum, quæ tædia molestiasque pertulerit, quantasque eam ob rem querimonias Princeps blandiri nescius ad Cæsarem perscripserit: jam parce seroque ab ordinibus Imperii submissum militem, jam decerptas alioque traductas copias, iterum neglectam suam sententiam, & detrectatum a Ductoribus tot diversorum statuum obsequium, iterumque defectum stipendii, penusque militaris, discerptam denique famam suam, acerbe questus. Quapropter animo & corpore æger, tradito *Thüngenio* imperio, ad aquas Schwalbacenses semel iterumque discessit, ac denique 4 Maji 1707 obiit, ætatis 52, Princeps Cæsarum ac Reipublicæ studiosissimus, ideoque meliori tempore ac sorte dignissimus.

Ceu cunctator traductus.

Sensit mox Germania anno 1707 malo suo, quantum in Badensi virum amiserit, quem velut otiosum cunctatorem dicax fama denigraverat. Nam Christiano Ernesto *Marchione Baruthano*, Mareschallorum Imperii antiquissimo, pro more regendis ad Rhenum copiis præfecto *Villarius* tecta de industria suorum paucitate, simulatoque majori longe numero, Rhenum & Stolhoffensem aggerem transgressus, sparso terrore Imperiales copias in præcipitem fugam avertit, atque Gamundiam & Elvacum usque propulit, Würtembergiam interea omnemque propemodum Sueviam immani contributionum exactione emungens, intercepto etiam Schorrendorffio & Biberaco, Durlaco vero, ob incendiarii lytri moram, militum direptioni permisso. Mox in Palatinatum irrumpens, grandem pecuniæ vim extorsit.

Reliquit imperium March. Baruthano.

Villarius in Sueviam.

Accessit ad calamitatum cumulum Ducum inter se contentio. Quippe Cæsar Baruthano legatum dedit *Thüngenium*, quo munere jam apud Badensem perfunctus fuerat: quia autem strenuum hunc bellatorem ingravescentes cum ætate morbi non raro a castris abstrahebant, Sibertum Comitem *Heisterum*, Pannonicis trophæis clarum præstantemque bello Ducem adjunxit; voluitque, quo major esset auctoritas, ut, qui belli Hungarici summus jam fuisset imperator, absente per morbum Thüngenio, primus a Baruthano haberetur.

Dissensiones Ducum.

Ad suam id injuriam pertinere interpretati antiquiores Imperii Mareschalli, *Nassovius*, *Zolleranus*, *Gronsfeldius*, negabant, a prisco more & antiquitatis ordine fas esse recedere. Quapropter, ne

æstus

æstus ille rei communi esset noxius, Heisterus morbi obtentu e castris abiit.

Marchio autem Baruthanus, expertus belli miserias, missionem petiit, atque impetravit. Septembri subrogatus Georgius Ludovicus, Elector *Hannoveranus*, magnæ postea Britanniæ Rex, *Etlingæ* permunita castra invenit, & egregium militem. Mox novum tutandæ Sueviæ aggerem orsus, reliquis item ad Rhenum locis, Friburgo maxime, provisum ibat, sed excipiente Würtembergico, & rerum penuria premente, brevi sensit, quam difficilem provinciam suscepisset; præfectoque exercitui *Thüngenio*, domum rediit. Baruthano succedit Hannoveranus Elector.

Art. XI.

Bellum ad Rhenum 1708, 1709, 1710. *Acta Comitialia. Variæ conversiones, & obitus.*

Sequenti anno 1708 Francofordiæ convenerunt summi belli Imperatores, Hannoveranus, Eugenius (bello Italico jam prope confecto) Marlebourgus, de expeditionis ratione consulturi. In promptu erant optima consilia, non modo defensionem opponendi, sed in hostile quoque solum irruendi, non autem media, eadem exequendi. 19. Consultatio

Solis ferme *quatuor associatis circulis* belli Rhenani moles erat sustentanda, reliquorum copiis in Belgium, Hispaniam, aut Hungariam majori lucro dimissis. Visum nihilominus, duos instruendos exercitus, quorum primum ad Rhenum superum Hannoveranus, alterum ad Inferum aut Mosellam Eugenius in hostem duceret. 4 Circulis moles incumbit.

Verum, cum Marlebourgus in Belgio res fœderatorum non ita comparatas offenderet, ut solus sufficeret, invitavit Eugenium; qui alioquin sterile Rheni solum pertæsus præliique cupiditate flagrans, copias sibi commissas in Belgium trajecit, indignante haud leviter Hannoverano, seque delusum desertumque amare questo. Cum igitur minores haberet vires, quam ut bellum inferret, defensione expeditionem finiit, ægerque animi, quod non tam Imperatoris, quam speculatoris & stationarii excubitoris munus obire coactus sit, domum concessit, Thüngenio, Nassovio, Gronsfeldio hybernis præesse jussis. Eugenius in Belgium, Indignante Hannoverano,

Qui in collegium Elect. introducitur.

Id tamen solatii tulit, ut tandem hoc anno, post acrem viginti prope annorum disceptationem, Ratisbonæ in *Collegium Electorum* solenni ritu sit introductus. Limbachio legato vices ejus subeunte.

Uti etiam Rex Bohemiæ in Comitia.

Eadem die (7 Sept.) Josephus Imperator, ceu *Elector Bohemiæ*, per *Kinskium* possessionem in Imperii Comitiis cœpit. Licet enim Bohemiæ Reges semper fuerint Electores Imperii, a Comitiis tamen abstinebant, neque oneribus Imperii erant obnoxii: hoc vero anno in omnia Electorum jura & onera sunt assumpti.

Palatinatus superior ad Joan. Wilh.

Joannes Wilhelmus autem Elector Palatinus (proscripto jam anno 1706 per Josephum Imperatorem Electore Bavariæ) S. R. I. Archidapifer hoc anno 1708 est renuntiatus, collato in feudum superiore Palatinatu, ac quinto inter Electores loco assignato. Addidit Cæsar, quæ pro commissis habuit, duodecim ejusdem Palatinatus oppida, tanquam feuda Bohemica clientelari jure possidenda.

Leuchtenberga ad Lambergium.

Leuchtenbergensem vero Landgraviatum Leopoldo Mathiæ *Lambergio*, novo Imperii Principi Cæsar donavit: translata jam ante in Marlebourgum Mindelhemiensi Dynastia, sub nomine Principatus.

Palatinæ copiæ.

Cæterum Elector Palatinus, superiori Palatinatu auctus, S. Huberti ordinem Equestrem, a Gerardo Juliæ & Cliviæ Duce anno 1444 fundatum, instauravit; & prout partes Austriacas toto hoc bello omni ope adjuvit, ita hoc anno septem suorum millia ex Italia in Cataloniam Carolo Archiduci submisit. Reliquæ vero ejusdem copiæ sub Principe Eugenio in Belgio militarunt.

20. Christianus Dux Sulzbac. obit, Post P. W. conversus,

Obiit hoc anno *Christianus Augustus*, Dux *Solisbacensis*, ætatis 86, regiminis 63, omnium Imperii Principum vetustissimus. Dum Augustanam confessionem adhuc sectabatur, cum agnato suo Duce Neoburgico variis ob sacra litibus collisus est, quæ in executione pacis Norimbergensi vehementer sunt agitatæ. Verum anno 1655 ad Majorum sacra reversus, orthodoxam Religionem in provinciam postlimino reduxit: quæ hodiedum sub serenissimo ejusdem Pronepote, Electore Palatino, ad solatium floret. Paulo

Et Ludovica, ob fidem throno Anglico exclusa.

post ex eadem familia in Gallia decessit *Ludovica*, 86 pariter ætatis anno, omnium fœminarum Principum antiquissima: quæ cum fratre *Eduardo* itidem ad avitam fidem rediit; præterita propterea & ipsa, soror ejus junior Sophia Angliæ hæres est declarata.

Obiit denique hoc anno *Fridericus Hasso-Darmstadiensis* Princeps, qui cum tribus fratribus, Georgio, Philippo, & Henrico, Catholicam Religionem amplexus, Leznensi in prælio lethale vulnus accepit.

accepit. In ejus favorem Petrus Magnus Moscoviæ Dux Catholicum templum construxit.

Anno 1709 pacis quædam scintilla promicabat. Quapropter associati quatuor Circuli, Suevicus videlicet, Franconicus, & uterque Rhenanus, Hailbronnæ congressi, Viennam scripsere, Neomagensi & Risvicensi pace se expertos, modicam sui curam haberi, quique belli molem præ reliquis portarint, postremo loco haberi. Postulare proin ex æquo, ut interposita Alsatia, securus sibi a Gallis limes statuatur. Fœdere ipso cum Anglo-Batavis Nördlingæ inito, conventum, ne arma ponantur ante quam omnes urbes & regiones ad Mosellam & Mosam ab Imperio avulsæ, cum omni transrhenana Germania Corpori suo fuerint unitæ. Postulata 4. Circulorum.

Sed pacis consiliis in belli studia versis, Hannoveranus Elector, cum hostem numero vinceret, acie etiam victurus, irruptionem in Alsatiam decrevit. Præmisso itaque cum 7000 Mercyo Promareschallo, veterano & acri Ductore, cum reliquo exercitu insequi constitutum habebat.

Sed *Mercyus* per Basileensium fines in Alsatiam progressus, a Burgo, per Harcurium, Alsatiæ Gubernatorem, immisso, ita exceptus est, ut relictis 3000 aut cæsis aut captis, celeri fuga se reciperet. Hannoveranus autem, fastidio plenus e castris abiit, relicto *Gronsfeldio Legato.* Quippe Joannes Carolus Thyngenius, strenuus in paucis bellator, ac Mareschallus, idemque accerrimus disciplinæ militaris vindex, senio & morbis confectus diem supremum obiit. Mercius cæsus. Obit Thingen.

In *Comitiis* Ratisbonensibus a Collegio Principum hoc iterum anno vehementer agitatum est negotium de conficienda capitulatione stabili & perpetua, de creatione & introductione novorum Principum: de abolitione quarti Risvicensis articuli, quam Protestantium Ordines importune urgebant. Complures, quæ præsenti bello passi sint, damna recensebant, ut vel partem aliquam ex Bavaricis aut Coloniensibus provinciis obtinerent, vel a contributionis præstatione se excusarent. Elector Palatinus ultra tredecim milliones florenorum jacturam suam æstimabat: Dux Würtembergicus autem ultra quindecim milliones: Durlacensis Marchio ultra novem milliones. Saxoniæ Elector ob Thüringiam, Marchionatum Misniæ, & Magdeburgensem Burgraviatum, ac Misnensem, quatuor in Comitiis suffragiorum jus expetiit, contradicentibus aliis. Hasso-Rhenofelsensis vero Landgravius questus est, quod in Præliminaribus munimentum Rhenofelsense Cassellano sit attributum. Varia in Comitiis postulata.

 Quia

Quia theatrum belli post pugnam Höchstadianam in Belgio maxime erat apertum, & plerique Germaniæ Principes, Borussus, Saxo, Luneburgici, Hassi eo copias suas dimiserant, Anglorum & Batavorum stipendiis militaturas, torpebat ad Rhenum, ubi Germaniæ defensio solis ferme associatis quatuor circulis, relinquebatur, alioquin jam exhaustis: multaque ad expeditionem deficiebant; quare Elector Hannoveranus nulla amplius ratione adduci potuit, ut anno 1710 belli Præfecturam denuo susciperet. Quapropter ad *Gronsfeldium*, Mareschallorum vetustissimum, est delata.

Gronsfeldius ad Rhenum præficitur.

Invitus eandem acceptavit, probe gnarus, quam ardua & gloriæ vacua provincia sibi imponeretur, ubi miles paucus, omnes imperarent, & ne quidem Electoris authoritas extorquere poterat obsequium. Cum igitur minus esset paratuum, quam ut bellum inferre posset, defensione annum finiit. Sed neque Harcurio aggrediendi animus, submissis, cum Picardiæ bellum jam immineret, validioribus in Belgium copiis, ad tyronum paucitatem redacto.

Protestantium motus.

His annis Lutherani Palatini (qui ad 50000 excreverant) Hildesienses, Nassovio - Siegenses, varias querelas Ratisbonam ad Comitia detulerant, adversus Principes & Dominos suos Catholicos, quod jure reformandi (per Westphalicas tabulas, diserte adeo art. V. §. 30 sibi asserto) sint usi. *Elector Hannoveranus* Protestantium more ad vim conversus, Peinam munimentum, urbemque ipsam *Hildesiam* armis invasit, & occupavit. Wilhelmus Hyacinthus vero *Nassovio - Siegensis* Princeps Catholicus exulare coactus est, donec anno sequenti ab Electore Palatino, Imperii Vicario, fuit restitutus.

Siegensis exul.

Conversio Antonii Ulrici.

Hoc anno (1710) Catholicam Religionem publice professus est *Antonius Ulricus*, *Dux Brunsvico - Guelpherbytanus*, 77 ætatis anno, cum mortem imminere sentiret: secutus exemplum Neptis suæ, jam anno 1707 conversæ; postquam ab ipsis Lutheranis Ministris intellexerat, in Catholica Religione salutem æternam se posse consequi.

Seditiosus Præco Hamburgi ad carceres.

Hamburgi Krumholzius, Lutheranus Præco, quod cives adversus senatum in seditionem concitasset, discordias turbulentis concionibus in plures annos fovisset, atque eo spiritu Lutherico magnas urbi calamitates usque eo induxisset, ut, ne intestinis turbis periret tanta civitas, committente Cæsare Suecicas, Borussicas, & Brunsvicenses, Inferioris Saxoniæ copias præsidio recipere necessum

fuerit

fuerit, ex Academiæ Tubingensis sententia ad perpetuos carceres fuit condemnatus.

Art. XII.

Obitus Josephi Cæsaris. Electio Caroli VI. 1711.

Quod annus 1711 memorandum maxime habuit, fuit obitus Josephi Imperatoris, & electio Caroli. Profecto, si quæ unquam tempora gloriosa Cæsaribus illuxerunt, fuerunt ea, quibus Josephus habenas Imperii est moderatus; quippe spatium id omne grandibus victoriis, regnis & provinciis partis signavit. 21. Obit Josephus Imp.

Sed hæc, quantumvis magna, aliena a se putasset, atque Ducum militumque dextris fortiter gesta, nisi auspiciis suis, sapientibusque consiliis fuissent animata. Licet enim Princeps in aciem non prodeat, ceu primus tamen motor omnia ciet, ordinatque.

Nec excelsæ mentis Principi deerant grandes virtutes propriæ, in quarum partem nemo alius venit, magnanimitas, constantia, fides, religio, & in Superos pietas. Nemo illo in pauperes afflictosque liberalior: &, præcipitis licet iræ esset, domitor sui fortior, in vulgus etiam popularis magis. Quamvis etiam ab elegantiore sexu non abhorreret, sollicite tamen cavit, ne quid offensionis præbeat. Adjunxit virtutum ornamentis scientiarum decora, quinque linguarum peritiam, Philosophicas, Mathematicas, Historicas, Juridicas disciplinas, quarum omnium positiones per plures horas scitissime propugnaverat. Musica excelluit & delectabatur, prout etiam ludis equestribus, theatralibus, venatu, aliisque innocuis Nobilitatis exercitiis. Virtutes. *Wagn.* Decora.

At vero, cum vigeret ætatis flore, nona Aprilis subita eum febris invasit; accesserunt postridie variolæ, fatale adultioribus malum. Quod ubi sensit, *Vale*, inquiebat, *Imperator*: accersitoque, quo e Societate Jesu utebatur, conscientiæ arbitro, totius vitæ nævos sincera confessione expiavit. Noluit deinceps, ut longiorem vitam, sed felicem, ad quem omnia comparabat, exitum precarentur. Hunc consecutus est, sacris omnibus munitus, 17 Aprilis, 34 ætatis anno, Imperii 6, Regni Rom. 21, Hung. 24. Pia mors.

Natus ex Leopoldo Cæsare & Eleonora Neoburgensi 1678 conjugem duxit 1699 *Wilhelminam Amaliam*, Joannis Friderici Ducis Hannoverani, jam dudum antea ad Catholicam Religionem reversi, filiam. Ex ea 1699 suscepit Mariam Josepham, Friderico Augusto Conjux & liberi.

Augusto, Saxoniæ Electori & Poloniæ Regi, 1719 desponsam: Leopoldum Josephum, brevi demortuum; & Mariam Amaliam 1701, Carolo Alberto, Electorali Bavariæ Principi ac postea Imperatori, 1722 connubio junctam.

Mater Regens. Josephus Imperator paulo ante mortem Augustam *Matrem* Austriacarum provinciarum pro absente in Hispania Fratre Carolo *Regentem* renuntiavit, adjunctis pro consilio *Eugenio*, *Trautsonio*, *Schönbornio* Imperii Procancellario, *Wratislao* Bohemiæ, & *Seilero* Austriæ Cancellariis.

Horum cura tum princeps fuit, Carolum Archiducem ad culmen Imperii per Electores evehere. Quamvis autem tunc multa agitaretur quæstio, an expediret, *eundem & Imperatorem & Regem esse Hispaniæ*, Heinsio in ea conjunctione libertatem Europæ verti affirmante, Petroburgo vero Mulordo in contrariam sententiam non sine minis abeunte: non magnæ tamen molis opus erat, Electores permovere, ut Carolum eligerent.

Eugenius electionem protegit. Villarius complures equidem copias ex Flandria ad Rhenum, (ubi Imperialibus copiis Würtembergicus hoc anno præerat) ad infestanda Comitia adduxit; sed Eugenius cum Cæsareis insecutus, positis juxta castris quietem electioni præstitit. Capitulatio disceptationis aliquid habuit, electio vero concordanti omnium voto peracta est (12 Oct.) missusque ab Electoribus Carolus, Imperatricis Germanus, qui in Italiam jam appulso nuntium perferret.

Eligitur Carolus.

Quippe Carolus Archidux, relicta in Catalonia conjuge cum Stahrenbergio, Anglo-Batava classe Genuam vectus, indeque, ab Italiæ Principibus salutatus, Tortonam, Mediolanum, atque per Tyrolin recta Francofurtum ad capessenda Imperatoria insignia profectus est. Coloniensis autem & Bavarus Electores, datis ad Moguntinum aliosque Electores litteris, graviter conquesti sunt, quod ad electionem non fuerint invitati, interposita etiam contra eundem protestatione.

Protestante Coloniensi & Bavaro.

Mox post Imperatoris mortem claudebatur Judicium Imperiale Aulicum; Vicarii vero Imperii ex Aureæ Bullæ sententia, tribunalia sua aperiebant, & quidem Elector Palatinus pro Rhenanis, Suevicis, & Franconici Juris provinciis, Saxo vero pro Saxonici Juris regionibus. Comitiales Legati substiterant equidem sede vacante Ratisbonæ collecti; sed Recessus seu lex Imperii formari non poterat.

Art.

Art. XIII.

Modus Electionis & Coronationis. De Capitulatione.

Quod porro actum electionis, & coronationis spectat, more veteri solenniter est peractus. Moguntinus Imperii Cancellarius, nuntiato Electoribus Cæsaris obitu, diem 20 Augusti edixit. Is cum Trevirensi & Palatino Francofurti præsens aderat; Bohemus, Saxo, Brandeburgicus, & Hannoveranus per Legatos. 10 Oct. peregrini ex urbe sunt amandati, clavesque Moguntino traditæ. 12 Oct. Electores, ad templum S. Bartholomæi equis vecti, solenni sacro interfuerunt; at Saxo, Brandeburgicus, & Hannoveranus, contra præscriptum Aureæ Bullæ, post Evangelium secesserunt, nec nisi post communionem redierunt. 12. Præparatoria. Missa.

Sacro finito Electores ad aram juramentum emiserunt, Ecclesiastici manu pectori admota, reliqui tactis Evangeliis. Jurarunt autem, se idoneum caput Christiano populo electuros, nullo pretio aut promisso inductos.

Processum dein in adsitum conclave; ubi facta in manus Moguntini jurata sponsione, more pristino vota majora valitura, electio intra horæ quadrantem fuit absoluta, suffragiis omnibus in Carolum collatis. Bohemicus autem Legatus, potestatem sibi factam exhibuit, Capitulationem, antea conscriptam, ejusdem nomine acceptandi; juravitque in animam electi, eandem observatum iri. Electio.

Publicata in templo per Decanum Moguntinæ Ecclesiæ electione, laudatoque per Hymnum Ambrosianum Imperantium Domino, Carolus Dux Neoburgicus, Electoris Palatini frater, in Italiam ad nuntiandam Carolo electionem fuit ablegatus, eundemque Francofurtum (quia Aquisgranum ob belli tumultus minus erat tutum) ad coronam accipiendam est comitatus, quo 17. Dec. pervenit. Adventus Caroli.

Dimidio ab urbe milliari ab Electorali Collegio exceptus, solutis ex mœnibus centum machinis, recta in templum S. Bartholomæi fuit deductus: ubi solenni officio & Hymno interfuit, indeque in palatium suum concessit.

Attulerant interea Aquisgranenses & Norimbergenses Imperialia ornamenta: illi videlicet ensem Caroli M. librum Evangeliorum latina lingua aureis characteribus conscriptum, & cistulam cum terra, S. Stephani sanguine conspersa: isti vero coronam Caroli Insignia.

M. ensem S. Mauritii, sceptrum & Pomum Imperiale, cum Alba, Cingulo, Stola, Dalmatica, Pluviali, Chyrothecis, Sandaliis, Imperialis habitus insignibus.

Antecedentia Coronationem. 22 Dec. peracta est coronationis solennitas. Cæsar cum Electoralibus a Palatio suo ad S. Bartholomæi princeps Catholicorum templum equo vectus, a Moguntino, & Trevirensi, totoque clero ad portam fuit exceptus, atque ad aram deductus, ubi cantatis lytaniis Moguntinus, qui consecratoris munere fungebatur, pontificali habitu indutus, ex electo Cæsare quærebant:

Puncta juranda, 1. An Catholicam Apostolicam fidem servare & custodire velit?

2. An fidelis Advocatus & Protector esse sanctæ Ecclesiæ, ejusque Ministrorum?

3. An Imperium, a Deo concessum, secundum Majorum suorum justitiam regere, & fortiter defendere?

4. An jura regni, & bona Imperii, injuste avulsa, reducere, atque ad utilitatem Regni & Imperii fideliter administrare?

5. An justum Judicem divitum & pauperum, atque defensorem viduarum & pupillorum se præbere?

6. An sanctissimo Patri in Christo ac Domino, Romano Pontifici, & sanctæ Ecclesiæ decenter obedire, & reverenter obsequi?

Ad quæ interrogata singula Cæsar respondit: *Volo*: ac postea ad altare juramento confirmavit, hæc omnia se impleturum.

A Protestantico Imperatore aliena. Ex quibus sane perspicuum est, quam hæc promissa & juramenta, quæ ab Imperatoribus a tempore antiquissimo fieri debent, a Protestantico Imperatore essent aliena & abhorrentia. Profecto non Aurea modo Bulla, sed etiam vetustissimæ consecrationis formulæ ac solennes ceremoniæ, manifeste supponunt, non nisi Catholicum eligi & ungi posse Imperatorem.

Unctio. Jurejurando, quod diximus, edito, Imperator a Moguntino consecratore inunctus est sacro oleo, in vertice, intra scapulas, in cervice, pectore, brachio dextro, manibus, & carpo: pronuntiatis ad singulas inunctiones verbis: *ungo te in Regem oleo sacro in Nomine Patris &c.* Unctus Imperator habitu Imperiali, quem Norimbergenses attulerant, fuit indutus; Trevirensis vero porrexit gladium Caroli M. quo Palatinus, Electorali vestitu ornatus, eundem cinxit. Insertus digito annulus, sceptrum in dexteram, pomum Imperiale in sinistram traditum. Moguntinus vero & Trevirensis juncta opera coronam capiti imposuerunt. Coronatus ea ratione Imperator ad aram in genua procumbens tactis sanctis

Coronatio.

Evan-

Evangeliis denuo juravit, latina primum lingua, tum germanica, ſe leges, juſtitiam, pacemque ſanctæ Eccleſiæ Dei conſervaturum, ac defenſurum, ſubdito populo juſtitiam adminiſtraturum, jura Imperii, prout de conſilio Principum & Imperii ſibi viſum fuerit, protecturum, ſanctiſſimo Romano Epiſcopo, Romanæ Eccleſiæ, cæteriſque Epiſcopis & ſervis Dei competentem honorem exhibiturum, quæque a Regibus & Imperatoribus Eccleſiæ aut Eccleſiaſticis perſonis conceſſa aut collata ſunt, integre conſervaturum, nec commiſſurum, ut violentur: Prælatos, Status, & Vaſallos Imperii congruo honore proſecuturum. Iterum jurat.

Atque hæc omnia ſub initium Miſſæ ſolennis a conſecratore Moguntino ſunt peracta, inter varias precum formulas, quæ plane non niſi in Catholicum, Romanæ Eccleſiæ addictum, Imperatorem cadunt.

Poſt Evangelium Proteſtantes legati iterum receſſerunt: Imperator vero ad altare proceſſit, & donum obtulit. Dum ſacrificium Miſſæ deinde perageretur, ſuo in oratorio devotiſſime ad ſacram communionem ſe præparavit, eamque, corona depoſita, e manibus conſecrantis Moguntini ſumma cum reverentia accepit, ſubmoto etiam pulvillo, quod genibus ſubſtraverant. Sacra communio.

Finito ſacro Imperator in throno collocatus, gratulationes recepit. Dum autem ſolenni Hymno Laudes Deo canerentur, enſe Caroli M. a Saxone porrecto, 31 Equites creavit. Aquisgranenſes vero Legati Canonicatum in Eccleſia ſua Cathedrali eidem more veteri offerebant, quem acceptavit, fidemque ac protectionem juravit. Canonicatus Aquisgranenſis.

Peracta ſolennitate Imperator habitu Imperiali indutus e templo ad curiam pedes ſub conopeo, a decem ſenatoribus Francofurtenſibus deportato, procedebat. Palatinus Pomum Imperiale prætulit, Saxo enſem, Brandenburgicus ſceptrum; coronam Cæſar capite geſtabat. Moguntinus & Trevirenſis ad utrumque Cæſaris latus extremitatem chlamidis ſuſtentabant. In curia Imperator menſæ aſſedit, & officiales muneribus ſuis ad Aureæ Bullæ præſcriptum fungebantur.

De Capitulatione.

Promittit Imperator protegere Chriſtianam Romanam Sedem, Papam, & Chriſtianam Eccleſiam, tanquam ejus Advocatus, Electores item eorumque primogenituram, ac reliquos Status, cum im-

immediata Imperii Nobilitate. Nullumque Statum ſeſſione & voto privare ſine conſenſu Statuum: nullum aſſumere in Statum Imperii, niſi dominio ſufficiente ſit proviſus, & taxam communem poſſit ſolvere, atque alicui Circulo adſcribatur, cum conſenſu illius Collegii, ad quod admittitur: omnia Statuum jura defendere. Auguſtanæ autem Confeſſionis Electores nolunt Cæſarem obligare ad Advocatiam Romanæ Eccleſiæ.

Spondet augere Imperium, neque illud unquam hæreditarium facere; ſervare Pacem Profanam, Religioſam, Weſtphalicam, Auream Bullam, cum extenſione Electoratus ad Domum Brunsvico-Luneburgicam, & quod de reditu Electoratus ad Palatinatum in Pace Weſt. ſtatutum: defendere & ſervare Receſſus Imperii: nullas leges novas facere ſine conſenſu Imperii, imo neque illas interpretari ſine conſenſu Statuum; neque committere, ut contra alterutram Religionem ſcribatur.

Licet Electores non facile Romanum Regem debeant eligere, ſi tamen velint, Imperator turbare non debet, neque Electores, convenire volentes. Vicariatus Imperii in ſuis juribus defendet, & acta Vicariorum confirmabit. Electorum Legati omnibus aliis præcedant, exceptis Regiis, cum quibus æqualis honor ipſis deferatur.

Nullum bellum geret, nec fœdera inibit ſine conſenſu Statuum aut ſaltem Electorum. Nec taxam ordinabit, niſi cum conſenſu Statuum in Comitiis, nullumque Statum eximet a communi taxa. Quilibet Status poſſit cum externis inire fœdera, non tamen contra Imperatorem aut Imperium.

Commercia promovebit. Nulla monopolia concedet, nec nova vectigalia ſine conſenſu Electorum, neque jus cudendi monetam ſine conſenſu eorundem Electorum, & Circuli illius, in quo conceditur. De Imperio non tantum nihil alienabit, ſed alienata reducet: unde diſquiret de feudis Italiæ: &, ſi ipſe Cæſar de Imperio quid poſſideret, reſtituet.

Feuda vacantia non niſi cum conſenſu de novo conferantur, & quidem Electoralia cum conſenſu Electorum, Principatus cum conſenſu Electorum & Principum, urbes cum conſenſu Electorum & urbium: ſed a Cæſare retineantur pro ſuſtentatione ſua & Imperii, tanquam Imperio incorporata. Neque deinceps dentur exſpectantiæ ſine conſenſu. Circulos redintegrabit. Si Comitia ceſſarent, ſingulis decenniis Diæta habenda; aut ſæpius, ſi Electoribus videatur.

Faciet

Faciet, ut obſerventur Concordata Germaniæ: nec permittet, ut cauſæ civiles ad Nuntios Apoſtolicos aut Romam trahantur. Statibus nullum ſubditum per privilegium eximet: neque facile audiet querelas ſubditorum contra Principem ſuum. Defendet econtra Principes contra rebelles ſuos ſubditos.

Juſtitiam omnibus adminiſtret. Lite pendente nulla repreſſalia concedat. Judicium Cameræ defendat; neque admittatur appellatio ab ea ad Judicium Aulicum. Miniſtri Cæſarei ſe non immiſceant in res, ad Judicium Aulicum pertinentes. Sententiam Judicii Aulici ac Cameræ ocius exequatur: ſalvo tamen beneficio Reviſionis & Supplicationis. Faciat tamen, ut Reviſores brevi abſolvant. Res judicatas contra omnes exteros defendat.

Nullum eximet a Jurisdictione Imperii. Exemptos vero defendet. A Judicio Rottwilano & Weingartenſi detur appellatio ad Aulicum & Wezlarienſe. Abuſus horum tollet. Ad nudam inſtantiam ſubditorum nulla dabit mandata, ſed prius audiet Principes ac Dominos.

Nullum banno feriet, niſi cum conſenſu Statuum, & prius auditum. Bona Banniti non Domui ſuæ ſed Imperio incorporabit. Inſontes tamen agnati ſuccedant in feudo.

Si Vaſalli Statuum feuda amittant, non trahet ad fiſcum Cæſareum, ſed relinquet ea Dominis Territorialibus. In numerum Principum, Comitum &c. non referet, niſi dignos, & qui cum dignitate talem titulum ſuſtinere poſſint &c.

Art. XIV.

Proſecutio Belli Germanici.

Quamvis Carolus VI Imperator per Pacem Ultrajectenſem eſſet a fœderatis exteris deſertus, ſtatuit nihilominus vel ſolus, adjuvantibus Imperii Ordinibus, uti ſperabat, bellum adverſus Franciam proſequi. Imperiales ducebat Eugenius, Gallos Villarius. Iſti *Landavia*, quam Alexander Würtembergius ſtrenue propugnata, expugnata, Rhenum transgreſſi, *Friburgum*, ab Harſchio defenſum, cum geminis arcibus, ceperunt, præſidiis libero abitu permiſſo. **Capta Landavia & Friburgo.**

Tum vero, ne Galli, perfractis jam clauſtris, in Sueviam ſe rurſus effunderent, duo ſupremi belli Præfecti, *Eugenius* & *Villarius*, negotium pacis confecturi, ad *arcem Raſtadienſem* ſe contulerunt, anno 1713, ibique *Præliminaria* (ut vocant) Pacis formarunt, nemine **Eugenius & Villarius pacis præliminaria**

Rastadii conficiunt. mine in negotii conficiendi ſocietatem admiſſo. Quamvis autem moris Germani ſit, ut Tractatus pacis lingua Latina aut Teutonica concipiantur, quia tamen Villarius eas minus callebat, Gallico idiomate uſi ſunt, quin tamen id trahi poſſit in exemplum.

Altero dein anno (1714) 6 Martii tractatus ibidem fuit concluſus. Sequebatur 17 Martii Cæſarea, 6 Aprilis Gallica confirmatio. 37 Articulis conſtabat, quos hic peculiariter non enumero, quia in pace Badenſi ſunt repetiti.

Badena pro pace decernitur. Ut enim pax eſſet publica, ſolenniorem congreſſum decernere placuit. Igitur Cæſar pro eo celebrando tres Helvetiæ civitates propoſuit, Schaffhuſium, Frauenfeldam, & Badenam. Rex iſtam elegit. Quinta Junii 1714 primus fuit congreſſus habitus, 7 Sept. ultimus, & Pax omnibus neceſſaria tandem concluſa. En ejus epitomen.

Art. XV.

Pax Badenſis in compendium contracta. 1714.

24. 1. Pax Raſtadienſis ſit univerſalis, & perpetua, qua teneantur etiam ſucceſſores. Prohibentur omnia damna, quocunque prætextu inferenda. Neutra pars alterius rebelles foveat; ſed contra mutuo ſe defendant.

2. Æterna ſit omnium in bello actorum amneſtia; nec quisquam propterea ullo modo prematur.

Reſtitutio 3. Baſis & fundamentum hujus pacis ſit pax Weſtph. Neomagenſis & Riſvicenſis; *omniaque reſtituantur ſecundum Riſvicenſem*, niſi hic aliquid expreſſe aliter ſtatuatur.

Briſaci, 4. Rex reſtituit Domui Auſtriacæ *Vetus Briſacum* cum juribus appertinentibus.

Friburgi, 5. Item *Friburgum* cum tota *Brisgoia* & *Sylva Nigra*, ſalvo tamen jure Diœceſis Conſtantienſis.

Kehlæ, 6. Cæſari & Imperio reddit munimentum *Kehlenſe*, cis Rhenum a Gallis exſtructum. Reliqua ad Argentinam, & in Rheni inſulis *propugnacula* conſtructa *diruantur*. *Navigatio* per Rhenum ſit libera, nec augeantur vectigalia.

7. Prædictæ urbes reddantur Cæſari *cum armamentariis*.

8. Gallia demoliatur omnia propugnacula, e regione Hünningæ in Imperii ſolo conſtructa, regio vero Domui *Badenſi* reddatur. Diru-

Diruantur pariter omnia munimenta, in pace Risvicensi nominata, excepto munimento *Ludoviciano*, quod Regi salvum manet.

9. Nominantur alia loca, ad Rhenum diruenda, nec amplius ædificanda.

10. Intra 30 dies post ratificationem dictæ urbes tradantur plene cum Instrumentis, &c. & alia in pace Risvicensi sancita executioni dentur.

11. Intra duos menses omnia sint diruta, quæ sunt diruenda.

12. Rex omnibus Imperii membris, statibus, vasallis, clientibus, nominatim Trevirensi, Palatino, Ordinis Teutonici Magistro, Episcopo Wormatiensi, Spirensi, Domui Würtembergicæ, ac præcipue Duci Mompelgardensi, utrique Domui Badensi, Duci Lotharingiæ, *omnibusque aliis*, ex pace Risvicensi restituendis, restituet omnia, hoc bello ablata, aut alias restituenda. Statuum Imperii.

13. Collatam a Cæsare Domui *Hannoveranæ Electoralem* Dignitatem Francia agnoscit.

14. Contra vero Cæsar & Imperium cedunt Galliæ *Landaviam* eo modo, quo jam in Risvicensi eidem fuerat cessa, cum omnibus appertinentiis.

15. Electores *Coloniensis & Bavarus* plene restituuntur in omnibus, cum plena omnium actorum amnestia. Renovationem tamen feudorum petant a Cæsare; & Bonnæ pacis tempore præsidium militare nullum imponatur; sed cives vigilias agant. Belli vero tempore imponantur, quot Imperio videbitur. Coloniensis & Bavarus restituantur.

16. Hac amnestia fruantur omnes officiales, aliique cujuscunque status, & in dignitates pristinas, bona & jura restituantur.

17. Intra mensem fiat hæc restitutio. Intra quod tempus etiam Elector Bavariæ Cæsari restituet ea, quæ *in Belgio* possedit.

18. Si Elector regiones suas velit permutare cum aliis, Rex non obstabit.

19. *Belgium*, Batavis datum in depositum, Rex Domui Austriacæ addicit eo modo, quo Hispani, præsertim Carolus II, post pacem Risvicensem illud possederunt, cum omni jure successionis: salvo tamen tractatu limitaneo, cum Batavis ineundo. *Geldria* civitas vero cum annexis Borusso obveniat, salva tamen *Religione Catholica*, ibidem conservanda. Belgium Austriacis, Geldria Borusso.

20. *Renuntiat Ludovicus* omnibus Belgii urbibus, quas Carolus II usque ad mortem possedit, consentitque, ut a Batavis post pacem conclusam Cæsari extradantur.

21. Si-

21. Similiter Ludovicus eidem tradit *Tornacum*, *Meninam*, *Ipras*, *Düxmüdam*, *Furnas*, *Lucke*, *Ruſſelaes*, *Poppering*, *Warneton*, *Commines*, *Warwick &c.* conceditque, ut hæc omnia a Batavis, quorum fidei ſunt credita, Cæſari extradantur.

Urbes reſtit.

22. Navigatio Lyſæ in Flandria à teloniis ſit libera.

23. Belgæ omnes plena fruantur amneſtia.

24. Belgis conſuetudines ſuæ maneant, & in locis, a Rege ceſſis, jus illis eſto, intra annum alio commigrandi.

25. Dignitatibus, bonis, juribus exuti belli tempore, reſtituantur, prout etiam exules, caſſatis ſententiis, in contrarium latis.

26. Ut autem omnis diſcordia ratione finium in Belgio tollatur, commiſſarii utrinque conveniant, & eosdem amice determinent.

27. Conſtituti a Ludovico in locis ceſſis Eccleſiaſtici permaneant; ſemperque *Religio Catholica* ibidem conſervetur: nec Magiſtratus alii ac Catholici tolerentur. *Bona* autem *Eccleſiaſtica* reſtituantur.

Religio.

28. Urbes Belgii ceſſæ relinquantur in eo jure, quo apud Gallos utebantur.

29. Eccleſiaſtica Beneficia iis maneant, qui durante bello eadem canonice obtinuerunt.

30. Cæſar in Italia quiete poſſideat Regnum *Neapolitanum*, Ducatum *Mediolanenſem*, Regnum *Sardiniæ*, *Portus Hetruſcos*, prout Reges Hiſpaniæ poſſederant: ſic tamen, ut neutralitas Italiæ Principum, in pace Ultrajectenſi ſtabilita, non turbetur.

Italia.

31. Cæſar Principibus Italiæ, qui ſunt Vaſalli Imperii, nominatim Duci *Guaſtallæ*, *Pico Mirandulano*, Principi de Caſtilione promptam juſtitiam adminiſtret.

32. Cum autem non omnia poſſent examinari, quæ *particulares perſonas* concernunt, *ad aulam Cæſaream & Gallicam remittuntur*, ut ibidem cauſas ſuas proponant, ſic tamen, ut eæ pacem iſtam non turbent.

Remiſſio particularium prætenſionum.

33. Omnes utrinque *captivi* dimittantur liberi, & *copiæ* ocius *abducantur* ex urbibus ceſſis; prout etiam Cæſar militem ſuum quamprimum ex ditionibus Bavaricis & Colonienſibus deducet.

34. Mox poſt ratificatam pacem prohibita tempore belli *commercia* libera ſunto utriusque nationis hominibus, Anſeaticis nominatim civitatibus, cum antiquis ubique privilegiis.

35. Omnia, quæ contra hanc pacem obtendi poſſe viderentur, nulla & irrita ſunto.

36. Huic

36. Huic paci omnes includuntur, qui poſt permutata pacificationis inſtrumenta utriusque partis conſenſu nominabuntur.

37. Utriusque partis Plenipotentiarii ſpondent, hoc pacis inſtrumentum a ſuis Principalibus intra ſex hebdomades ratificatum iri.

38. Utriusque partis legati ſubſcribent huic paci, nec ulla adverſus eandem proteſtatio admittenda.

Subſcripſerunt autem legati Plenipotentiari

Eugenius de Sabaudia.	*Duc de Villars.*
Petrus Comes de Goës.	*Comes de Luc.*
Joan. Frideric. Comes de Seilern.	*de S. Conteſt.*

Appoſitus fuit Articulus ſpecialis: cum Rex Chriſtianiſſimus aliquos, quibus Imperator utitur, *titulos*, ratihabere nequeat, ad nullum faciendum jus aut præjudicium eos apponi.

Hæc pax 10 Oct. ejusdem anni 1714 Ratisbonæ in Comitiis ratihabita fuit.

Plurimi ex Italia, Germania, Boruſſia, Suecia, Lotharingia &c. Regum, Electorum, Epiſcoporum, Ducum, Principum legati Badenam confluxerant: ſed juxta Articulum 32 omnium Prætenſiones ad Imperatorem aut ad Regem Galliæ remiſſæ ſunt.

Cernimus hic, in toto tractatu nullam *de Hiſpania* factam eſſe mentionem; implicite tamen prohibitum videtur, bellum propter eandem moveri. Omiſſa etiam fuit *Sicilia;* & hinc cum legatus Sabaudicus eandem Domino ſuo confirmari peteret, Vienna & Ratisbona abſcedere juſſus eſt, uti ſcribit Hübnerus ſupplemento 7, ad an. 1714. De Hiſp. & Sicilia nulla mentio.

Comitia Imperii, quæ ob peſtem graſſantem ſuperiore anno Auguſtam fuerant translata, hoc anno 1714 Ratisbonam reducta ſunt.

Confecta licet jam pace Cæſar *copias non dimiſit*, præſagus quodammodo belli inſtantis Turcici, diciturque Princeps Eugenius, id dediſſe eidem conſilii, ut conſtanter 100000 armatorum nutriat: videlicet 20000 in Hungaria, 8000 in Regno Neapolitano, 14000 in Ducatu Mediolanenſi, 23000 in Belgio, in reliquis provinciis hæreditariis 35000. Eugenii conſilium de copiis.

Art. XVI.

Gesta ab anno 1716 *ad annum* 1720.

25. Eug. Gub. Belgii. *ANNO* 1716 Princeps *Eugenius* renuntiatus est *Gubernator Belgii*; in Præfectura vero *Mediolanensi* eidem succeſſit *Löwensteinius*, qui Bavariam antea adminiſtraverat, & poſtea Comitiis Ratisbonenſibus Commiſſarius Principalis præfuit.

Eodem anno natus eſt Imperatori Carolo filius *Leopoldus Josephus*, ſed ingenti omnium luctu eodem adhuc anno obiit.

Princ. Elect. in Italiam. *Carolus Albertus*, Princeps Electoralis Bavariæ, qui Patre in Gallia & Belgio, Matre vero Venetiis abſentibus, tum Clagenfurti in Carinthia, tum Græcii in Styria cum fratribus ſtudiis vacaverat, hoc anno 1716 peregrinationem in Italiam ſuſcepit, ſub nomine Comitis de Trauſniz, Venetiis, Bononiæ, Romæ, Neapoli, Florentiæ, Genuæ, Mantuæ, magno cum honore exceptus, præſertim Romæ a ſummo Pontifice Clemente XI.

Mompelgardenſis divortium. *Leopoldus Eberhardus* Dux Würtembergicus lineæ *Mompelgardensis*, poſtquam a *Sabina*, Comitum de *Sponeck* dignitate cum fratribus a Cæſare ornata, & ex qua liberos jam genuerat, primum quoad menſam & thorum, dein auctoritate Conſiſtorii Mompelgardenſis, diſſoluto etiam vinculo, ſe ſeparaverat, duas ſorores de *Esperance* duxit, & ex utraque plures liberos reliquit. Quo jure Canonico Proteſtanticum Conſiſtorium iſta conceſſerit, ipſum viderit. Saxocitici converſio, Meliori exemplo Mauritius Adolphus Dux *Saxociticus* Romana ſacra ſuſcepit.

ANNO 1717, cum Dux *Saxociticus*, Principalis Imperatoris in Comitiis Ratisbonenſibus Commiſſarius, *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem* ſe merito ſcriberet, Proteſtantium legati conſcientiæ ſibi ducebant, hunc titulum ei tribuere, piaculi ſe reos exiſtimantes, ſi Romanam Eccleſiam dicerent *ſanctam*. Cæterum Imperator Cardinali *Concommiſſarium* addidit Baronem *de Kirchner*, qui Conſiliarii Aulici munere prius erat Viennæ functus.

Et Princ. Elect. Saxoniæ. Religionem Catholicam hoc anno Viennæ publice profeſſi ſunt *Fridericus Auguſtus Princeps Electoralis Saxoniæ*, (quam jam anno 1712 in Italia aſſumpſerat) & *Mauritius Wilhelmus Dux Saxociticus*, quamvis prævideret, ſe adminiſtratione Naumburgenſi ſpoliandum. Sed defecit conſtantia, uxore pervertente.

Hoc

Hoc eodem anno extincta est stirps masculina *Eggenbergica*, quam Ferdinandus II anno 1623 in Collegium Principum adoptaverat. Ad eam pertinebat *Gradisca* in Carniola. Contra vero 13 Maji felici sydere lucem aspexit *Maria Theresia*, in spes magnas Domus Austriacæ nata, Familiamque Augustissimam deficientibus masculis optata fœcunditate propagatura.

Eggenbergica stirps extincta.

Nata Maria Theresia.

ANNO 1718 orta est Ratisbonæ Protestantes inter legatos gravis contentio de *Directorio* Corporis Evangelici, ut ipsi appellant, quo functus hactenus erat Elector Saxoniæ. Cum autem tam ipse quam Princeps Electoralis ad sacra Catholica rediisset, conferre Protestantes capita, detrectare ejus præsidium, quamvis legatus esset Lutheranus, de alio Directore circumspicere. In Brandeburgicum maxime & Hannoveranum conjecti sunt oculi. At Saxo tantis rationum momentis jus suum, editis etiam publicis documentis, deducebat, ut pristino res statu fuerit relicta. Cæterum novimus Directorem Imperii, Directores trium Collegiorum, Directores Circulorum; at Corpus Evangelicum, aut ejus Directorem non norunt Pax Westphalica aut aliæ Imperii Constitutiones.

26.
Lis de Directorio Evangel.

Alia gravior controversia Comitia exercuit. Anno 1708 Officium *Archidapiferi* a Josepho Imperatore in Palatinum fuerat translatum, munus vero *Archithesaurarii*, ab hoc a tempore P. W. possessum in Hannoveranum. Cum autem vi pacis Badenæ Bavaro cum Electoratu etiam Archidapiferatus esset restituendus, Palatinus pariter Archithesaurarii Dignitatem repetebat. Laboratum igitur, ut Hannoverano novum Imperii Officium inveniretur, sed conveniri non poterat. Unde propter id genus lites Comitia ferme vacabant.

Et Officio Hannoverani.

Cum in Camera Imperiali lites adeo accrescerent, ut annuatim quingentis augerentur, & plura millia adhuc jacerent indecisa, augmentum assessorum, & salariorum petierunt.

Camera.

Ignatius *de Lowina*, Vallesianus, qui fuerat Informator Caroli Imperatoris, creatus est hoc anno Episcopus Neostadiensis.

Cæso in Norvegia Carolo XII Rege Sueciæ, *Gustavus Samuel* proximus agnatus possessionem Bipontini Ducatus & annexorum hæreditario jure adiit, atque abjecto Luthero *Catholicam Religionem* professus est. Ecce! quot Principes ad Majorum sacra redierunt; cum tamen a 150 annis ne unus quidem, a Catholicis parentibus natus, ad Protestantes desciverit.

Gustavi Samuel. conversio.

Gravis hoc tempore orta fuerat contentio inter Domum Hasso-Cassellanam & Rhenofelsensem. Illa tempore belli *Rhenofelsam* occupaverat, eique in pace Ultrajectensi fuerat adjudicata, in Badensi vero nulla fiebat mentio. Rhenofelsensis Rottenburgensis Landgravius in aula Cæsarea urbem repetit, & pronas aures invenit. Obsistente Cassellano, Circulo Rhenano Inferiori executio demandatur. Tandem, cum plures finitimi Circuli evocarentur, Hasso-Cassellanus munimentum cum annexis tradidit.

Rhenofelsa restituta.

In *Academia scientiarum* Borussica *Leibnizio* Præses successit *Gundlingius*. Legatus Suecicus in Comitiis Imperii prætendit triplex votum, ratione citerioris *Pomeraniæ*, *Bremæ* & *Verdæ*, neque enim moris esse in Imperio, ut quis ob ereptas per injustam vim provincias, voto privetur. At opposuit se Hannoveranus.

1719. Fridericus Augustus, *Princeps Electoralis Saxoniæ*, Viennæ duxit *Mariam Josepham*, primogenitam Josephi Imperatoris filiam, Flemmingio procurante, qui etiam Principis sui nomine renuntiavit juri in hæreditarias Domus Austriacæ provincias. Ducta inde a sponso Dresdam, solenni pompa fuit excepta.

Nuptiæ Sax.

14 Martii *Philippus Mauritius*, Electoris Bavariæ secundo genitus, electus fuit Episcopus *Monasteriensis*, postquam biduo ante Romæ fuerat mortuus. Frater ejus *Ferdinandus Maria* duxit Eleonoram, Philippi Palatini & Annæ Mariæ Lavenburgicæ (quæ secundo nupsit Joanni Gastoni Florentiæ Duci) filiam. Quartus Princeps *Clemens Augustus* loco fratris Philippi Romæ mortui electus est mox *Episcopus Monasteriensis*, & brevi post etiam *Paderbornensis*. Quintus vero frater *Joannes Theodorus Ratisbonensis*.

Bavaricæ.

Clemens Episc. loco fratris.

27. Hoc eodem anno Carolus Philippus Elector Palatinus prohibuit *Catechismum* Calvinianum, in quo dicebatur, Missam esse abominandam idololatriam. Dein *templum* S. Spiritus *Heidlbergense* pro se & aula sua a Calvinistis petiit, paratus, aliud eisdem exstruere: & cum obtinere nil posset, eisdem eripuit. At mox Anglia, Borussia, Hollandia, Hassia, vehementer se opposuit, querela ad thronum quoque Cæsareum delata. Ab hoc anno sequenti fluxit Rescriptum, quo Elector jubebatur templum Calvinistis subditis suis restituere. Catechismus etiam liber fuit eis permissus, ea tamen conditione, ut quæstio 80.ma, in qua Missa idololatria appellabatur, omitteretur. Hic procedendi modus Heidlbergensium tantopere displicuit Electori, ut sedem suam *Manhemium* transferret, ingenti Heidlbergæ detrimento. Displicuit etiam, quod Reckium ceu Commissarium Cæsareum in ditione sua tolerare debuerit.

Controversiæ Palatinæ ob Catechismum Heidlberg. & templum.

Electori Manhemium.

Plura

Plura alia Religionis gravamina Protestantes in Comitiis proponebant, quæ tamen re ipsa non erant gravamina, sed jura, virtute Clausulæ Articuli IV pacis Risvicensis, per pacem Badensem confirmatæ, exercita ad Rhenum, & præcipue in Palatinatu, ubi data a Catholicis opera, ut Religio in eo statu conservetur, quo tempore pacis Risvicensis a Gallis fuerat relicta. Gravamina prætensa.

Hinc illæ Protestantium lachrymæ, querelæ, coitiones, minæ; hinc expulsi a Brandeburgo *Hadmerslebio* Monachi, hinc alibi sævitum in Catholicos: hinc clamores seditiosi & arma jam circumsonabant; hinc tot scripta & Manifesta, ut appellantur, per orbem sparsa; hinc denique 50 illa gravamina, in Comitiis Ratisbonæ proposita, quæ sequentibus annis ad centum accreverunt. Motus. Protest.

Cæsar graviter querebatur, in suum supremi Judicis involari Officium: restituenda ante omnia spolia, quæ a Protestantibus *Repressalia* dicebantur, & *retorsiones juris iniqui*; simul tamen inquiri jussit, atque mandata dedit ad Moguntinum, Palatinum, aliosque Catholicos, ut, si quid actum foret contra Constitutiones Imperii, emendetur, quo motus Protestantium conquiescant.

Audiebantur insuper in Comitiis Protestantium querimoniæ contra Cameram Imperialem, quod sibi jus arrogaret judicandi causas matrimoniales, & alias Ecclesiasticas Protestantium. Causæ Matrimon.

Christophorus Matthæus *Pfaffius*, Professor Theologiæ & Cancellarius Academiæ Tubingensis, hoc tempore systema quoddam unionis in doctrina Protestantibus suis proposuit: sed nulli parti placuit. Quin imo multæ contra eum pennæ acuebantur, quæ eum ceu Adiaphoristam & Libertinum explodebant. Desperata nempe est unio, ubi nullus agnoscitur Judex Controversiarum. Pfaffii synthesis.

28. *ANNO* 1720 *causa Mechlenburgica* vehementer agitabatur Ducem inter Suerinum, *Carolum Leopoldum*, & *Statum Equestrem*, seu Nobilitatem. Sic habet: status Equestris Mechlenburgicus, prout etiam civitas Hanseatica Rostochium, eximia privilegia a Ducibus suis acceperant, præsertim circa tributa, quæ modica conferebant. Cum autem succedentibus temporibus rerum omnium pretia plurimum augerentur, plus etiam tributi exigere se posse Duces putabant. Anno 1701 inita quidem Hamburgi fuit transactio, a Cæsare etiam confirmata; sed cum Dux Frid. Wilh. anno 1708 novam ordinationem Ecclesiasticam vellet introducere, etiam Nobiles in partem authoritatis venire volebant. At Dux, inita cum Brandeburgo hæreditaria unione, legionem ab eo recepit, ut Nobiles compesceret. Causa Mechlenburgica.

Carolus Leopoldus Nobilitatem gravat.

Cum Friderico anno 1713 frater *Carolus Leopoldus* ſuccederet, bellumque toto Septentrione flagraret, Dux quoque ſe armavit, tributo non modico Nobilitati & Roſtochio impoſito. Id cum præſtare detrectarent, cauſa ad Imperatorem ejusque Judicium aulicum fuit delata.

Sed quia res in longum trahebatur, Dux, accepta in Conjugem *Catharina*, Joannis *Alexieviz* Moſcoviæ Ducis filia, Ruſſorum auxilio ſtatum Equeſtrem vi ad obſequium flectere aggrediebatur. At Nobilium præcipui, relictis bonis & patria ſub Hannoverani protectione cauſam in *Judicio Aulico* urgebant, unde varia Reſcripta Dehortatoria & mandata pœnalia ad Ducem ſunt miſſa.

Executio.

At ille his parum motus relictis Nobilium bonis fruebatur, conductoque duodecim millium exercitu, Roſtochio quoque & Dömitio munitis, ad omnem vim repellendam ſe parabat. Et ſane, cum Cæſar *Hannoverano* & *Welferbytano* executionem anno 1719 demandaſſet, Ducis copiæ ſtrenue reſiſtebant. Verum, cum plures circulares copias timeret, militem ſuum dimiſit, totamque provinciam, ſolo Dömitio retento. Quod ipſum etiam poſtea reliquit, dum anno 1720 Viennam profectus eſt, rebus ſuis conſulturus. At remiſſus ad mandata Cæſerea & Commiſſionem, Roſtochii inſtitutem, brevi iterum Viennam deſeruit, atque Dömitium rediit, quod ſolum præſidio ſuo adhuc obtinebat, reliquam provinciam milite Circulari occupante. Anno 1721 Dux abiit Dantiſcum, ubi mandatis Cæſareis & ſubdelegatæ Commiſſioni Roſtochienſi contumaciter obluctans, per plures annos eſt commoratus: uxor vero cum filia Petroburgum diſceſſit, Megalopoli militi extero permiſſa.

Dux Gedanum.

Philippoburgi & *Keblenſis* munimenti Præfecti ad Comitia retulerunt, quanta damna Rhenus attuliſſet; niſi reparentur, utrumque Germaniæ aggerem periturum. Remotiores circuli volebant hoc onus *Suevico* imponere. At ille reſpondit, ſe millionem ferme florenorum in hanc rem ſuppeditaſſe, petiitque, ut a reliquis compenſetur. Decreti tandem *duo menſes profectionis Romanæ*.

29. Sanctio Pragmatica.

Imperator hoc anno 1720 convocatis Statibus ſucceſſionis ordinem propoſuit, (quem *Sanctionem Pragmaticam* deinceps appellarunt) quemque obſervari vellet, ſi ſine hæredibus maſculis eſſet deceſſurus. *Primo* loco vocat Mariam Thereſiam filiam natu maximam, ejusque deſcendentes. *Secundo* Mariam Annam, ejusdem ſororem. *Tertio* duas Imperatoris Joſephi filias, Mariam Joſepham, & Mariam Amaliam. *Quarto* tres ſuas ſorores Imperatoris Leopoldi

di filias. *Quinto* reliquos conſanguineos Domus Auſtriacæ ſecundum prioritatem lineæ & gradus.

Art. XVII.

Geſta ab anno 1721 *ad* 1725.

ANNO 1721 *Frobenius Princeps Fürſtenbergius* munus *Judicis* ſeu Præſidis Cameræ Imperialis, quo pluribus annis laudatiſſime functus erat, abdicavit, illudque Cæſar Philippo Carolo *Hohenlöenſi* lineæ Bartenſteiniæ contulit. Fridericum vero Baronem *Seckendorffium*, Mareſchallum, ex Sicilia reducem, Comitis dignitate auxit. Eſt is frater Viti Seckendorffii, ab *Hiſtoria Lutheranismi* celebris. Judex Cameræ.

1722. Poſtquam Törringius comes Viennæ deſponſationis & renuntiationis negotium perfecerat, *Carolus Albertus* Princeps Electoralis Bavariæ nuptias celebravit cum *Maria Amalia*, Joſephi Imperatoris ſecundogenita. Nuptiæ Caroli Alberti.

Hoc anno, petente Cæſare, conſentiente Pontifice, qui & Pallium miſit, *Epiſcopatus Viennenſis in Archiepiſcopatum* eſt commutatus; fuitque primus Archi-Præſul Sigismundus Comes *Collonitſchius*, ſicut ultimus erat ſuæ familiæ. Suffraganeus ei aſſignatus Epiſcopus *Neoſtadienſis*. Paſſavienſis vero & Salisburgenſis Præſules jurisdictionem ſuam in reverentiam Cæſaris ſunt paſſi diminui. 30. Archiepic. Viennenſis.

In Holſatia Comes de *Ranzau* in venatione fuit occiſus. Frater ejus junior in authorem cædis inquiſivit, promiſſa illi pecunia, qui eundem proderet, quin preces publicas indici curavit, ut detegeretur. Dum autem a Danis fit inquiſitio, compertum eſt, eum ipſum fuiſſe aut authorem aut complicem. Quare, licet opponeret exceptionem, fori Danici declinatoriam, & ad Cæſarem appellaſſet, atque is illum, tanquam Comitem Imperii, immediate ſibi ſubjectum, repeteret, a Danis nihilominus comprehenſus, judicatus, & ad perpetuos in Norvegia carceres fuit condemnatus. Forum apud Danos ſortiri dicebatur ratione Ordinis equeſtris, cui eſſet adſcriptus, & Regi ſubjectus. Ranzavii caſus. Lis de foro.

ANNO 1723. *Liechtenſteinius* Princeps, poſtquam in Circulo Suevico immediata Imperii bona (*Vaduz & Schellenberg*) ſibi comparavit, in ſcamno ſæcularium Principum ad *ſeſſionem & votum* admiſſus eſt. *Epiſcopus* etiam *Argentinenſis*, Cardinalis de Rohan, ad Comitia rurſus admiſſus eſt tanquam Princeps Imperii. Tempore belli autem ſedes illa in Comitiis vacaverat. Marchio vero de Lichtenſtein ad Comitia: & Rohan.

Craon,

Craon Princ. Imp. *Craon*, primus Lotharingiæ Ducis Minister Princeps Imperii a Cæsare dictus est.

Coloniensis obit. Obiit hoc anno Bonnæ *Josephus Clemens*, Elector Coloniensis, 52 ætatis anno. Successit *Clemens Augustus*, ex fratre nepos, priore jam anno a Capitulo Coloniensi postulatus Coadjutor. Dispensavit Papa; quia jam alias duas possidebat sponsas, Succedit Clemens. Monasteriensem videlicet & Paderbornensem Ecclesiam; cui anno sequenti accessit *Hildesiensis*, Capitulo interim regnante, & postea etiam *Osnabrugensis*. Leodiensis vero alium sibi sponsum delegit, nempe Comitem de Berghes. Passavii mortuo Comite Rabata, Lamberg. Ep. Pass. Episcopus est postulatus Comes *Lambergius*, Episcopus ante Secoviensis, cui successit Baro Firmian.

ANNO 1724 Catholici secundum *Calendarium Gregorianum* 16 Aprilis *Pascha* celebrabant, Protestantes autem 9 Aprilis. Quæ res magnas confusiones, perturbationes, & in Camera Imperiali & Comitiis disputationes excitabat.

Cum Brandeburgus ferme dimidium *Citerioris Pomeraniæ* Suecis eripuisset, horum Legatus in Comitiis petiit, ut etiam in Matricula pars onerum eidem imponeretur. Æquum postulare visus est.

Recruduit inter *Abbatissam* & *Lindavium* vetus de juribus controversia. Condemnata a Camera Imperiali civitas.

Obiit hoc anno Norimbergæ Joannes Baptista *Hobmannus*, qui mappas Geographicas plurimum illustravit. Familia autem Comitum de *Tilly* omnino extincta est. Herbipoli in locum Schönbornii demortui suffectus est *Huttenus*.

31. Natus Elect. Palat. In spes magnas natus est *Carolus Philippus Theodorus* ex Joanne Christiano, Theodori Ducis Solisbacensis secundo genito, & Maria Anna, Francisci Egonis Marchionis Bergensis ad Zomam filia hærede.

Gustavus Samuel Dux Bipontinus superiore jam anno a *Dorothea* Divortium Bipontini. *Veldentina* se separaverat, matrimonio ob consanguinitatem in tertio gradu a Pontifice declarato irrito. Dein vero duxit Dorotheam Hoffmann, rei venatoriæ Præfecti filiam; postquam hæc Catholicam Religionem fuerat professa. Eam postea Imperator in Comitum Imperii numerum retulit.

Verum jam eo tempore de eventuali successione Bipontina litem in Aula Cæsarea movit Christianus III, Comes Palatinus *Birckenfeldensis*, seque futurum hæredem declarari petiit, allegans pacta familiæ, & testamentum Wolfgangi, a quo omnes posteriores Comites Palatini descendunt. Eidem Birckenfeldensi natus est hoc anno

anno filius *Fridericus*, cum jam anno 1722 *Christianum* suscepisset. Uterque floret hodiedum. Natus Frid. Birckenfeld.

Obiit anno superiore *Leop. Eberhardus* Dux Mompelgardensis. Filius ejus Georg. Leopoldus Comes de *Sponeck* pro hærede se gessit, totiusque provinciæ possessionem apprehendit, legitimatus a Regente Galliæ. Graviter id tulit Domus Würtembergica, præsertim *Studgardensis*, conquesta propterea apud Cæsarem, qui omnia Sponeckii acta irrita declaravit, & eum cum fratribus & sororibus alimentis contentum esse jussit. Mandata Cæsarea executus est Würtembergicus, missoque milite Sponeckium expulit, & *Investituram* ab Imperatore accepit, dissimulante Gallia, quantumvis Sponeckio faveret, qui *Catholicam Religionem* fuerat amplexus. 32. Obitus Mompelgard. Lis de successione. Sponeck pulsus a Studgardensi.

Litis quoque aliquid intercessit inter Domum Palatinam & Badensem ratione *Comitatus Sponheimensis*; quia defuncto jam anno 1437 Joanne ultimo Comite, hæreditas pervenit ad duas filias, quarum una Palatino, altera Badensi erat desponsa. Cum autem Badenses quererentur, a Birckenfeldensi, post extinctam lineam Veldentinam, loca plura, ad Badenses spectantia, fuisse occupata, faventem a Judicio Aulico sententiam retulerunt. Lis Sponheim.

Landgravius Hasso - Cassellanus *matrimonia clandestina* declaravit irrita. Mirum! Concilio Episcoporum Protestantes negant potestatem statuendi impedimenta matrimonii, quam tamen Principi laico facile concedunt.

Demum hoc anno Fridericus, Dux Holsato - Gottorpiensis, duxit Annam, Petri I, Moscoviæ Ducis filiam primogenitam. Gottorpiensis ducit Moscam.

Art. XVIII.

Pax Viennensis cum Hispania.

Cum per Pacem Badensem de Hispania nihil fuerit decretum, ac proin, cessante licet bello, dominium illius inter Carolum VI, & Philippum V, manserit controversum, quin imo Hispanus Siciliam fuisset & Sardiniam aggressus, atque successio etiam Florentina, Parmensis, & Placentina, timeretur bellum novum motura, Hispania insuper Gibraltariam, & Minorcam repeteret, indictus est ad lites istas componendas Congressus *Cameracum*, ubi Legati Cæsaris, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Sabaudiæ, Hollandiæ per plures annos moras trahentes convenire non poterant. 33. Cum Cameraci conveniri non posset,

Cum igitur Cameraci negotium pacis Univerſalis ſine fructu hæreret, Carolus & Philippus, morarum pertæſi, privatam Viennæ pacem inierunt *anno* 1725.

Pax Viennenſis eſt inita.

Factum initium ab Hiſpano, qui clam Legatis Cameracenſibus Baronem de *Riperda* Viennam miſit, Conditiones pacis oblaturum. Placuit propoſitio Legati Cæſari, & per Principem Eugenium, Comitem Sinzendorffium, Aulæ Cancellarium, & Gundacarum Stahrenbergium negotium cum Riperda confecit in hos articulos.

I. Pax ſit perpetua inter Imperatorem & Regem Hiſpaniæ.

II. Fundamentum ſit Tractatus, anno 1718 Londini initus.

Articuli.

III. Renuntiat Cæſar omnibus provinciis, Philippo per pacem Ultrajectenſem attributis, ea tamen lege, ut Regna Galliæ & Hiſpaniæ nunquam coaleſcant.

IV. Agnoſcit Cæſar Philippum *Hiſpaniarum* & *Indiarum Regem*, omnesque ejus deſcendentes, maſculos & fœminas ſinet iis pacifice frui.

V. Contra vero Philippus ſuo & ſucceſſorum nomine renuntiat omnibus ditionibus, quas Cæſar in *Italia & Belgio* poſſidet, & olim ad Monarchiam Hiſpanam pertinuerant. Inter quas etiam eſt Marchionatus *Finalenſis*, quem Cæſar anno 1713 Genuenſibus ceſſit. Renunciat item regno *Siciliæ*, ad quod ſibi regreſſum ante reſervaverat.

VI. Cæſar conſentit, ut primogenitus Reginæ Hiſpaniæ ſuccedat in Ducatus, *Florentinum*, *Parmenſem* & *Placentinum*, a Cæſare tanquam *feuda Imperii* recipiendos, poſtquam Imperio fuerint *aperti*. Si primogenitus (Carolus) cum ſuis deſcendentibus maſculis defecerit, recipiet illos ſub eodem nexu feudali ſecundogenitus, ejusque poſteri maſculi.

Portus Liburnus ſemper maneat liber. *Portum Longum* & partem Inſulæ Elvæ, quam Philippus poſſidet, filio ſuo tradet, quando is Hetruriæ Ducatum fuerit adeptus, renuntiatque omni juri & prætenſioni in hos Ducatus, ut ne quidem tutor Principis eſſe poſſit. Quamdiu autem moderni Ducatuum *poſſeſſores vivunt*, *nulli milites introducantur*.

VII. Renuntiat Philippus juri reverſionis Siciliæ ad Hiſpaniam; reſervato tamen jure reverſionis in Sardiniam.

VIII. Promittitur defenſio mutua.

IX. Sit univerſalis amneſtia, omnibusque reverti ad ſua bona & iis uti frui liceat, cuicunque parti adhæſerint. Dignitates hinc inde collatæ maneant, mutuoque agnoſcantur.

X.

X. Tituli utrinque retineantur, quamdiu Carolus & Philippus vivunt. Successores vero eorum regnorum duntaxat & provinciarum, quas possident, titulos gerant.

XI. Dux Parmæ defendatur in suis possessionibus. Discordiæ vero ortæ eum inter & vicinas Cæsareas provincias amice per arbitros componentur.

XII. Approbatur statutus utrinque modus succedendi, pro utriusque sexus hæredibus.

XIII. Circa dotes, Imperatricibus Mariæ & Margarethæ ex Hispania adhuc debitas, conventum est, ut loca propterea Cæsari oppignorata restituantur Philippo Regi, Cæsari vero certa pecuniæ summa eo titulo solvatur.

XIV. Debita contracta solvantur ab eo, qui illa contraxit.

XV. Palatium Hagense compensetur cum Viennensi, Romani vero dimidium pretium Rex solvat Cæsari.

XVI. Pace hac comprehensi sunto, qui intra annum utrinque nominabuntur.

XVII. Pacem sic conclusam ratihabitum iri promittunt contrahentes.

XVIII. Subjunguntur hic Instrumenta renuntiationum, de quibus Art. 3, & 5 actum.

Accessit Cæsarem inter & Regem Philippum peculiare *fœdus amicitiæ* & defensionis mutuæ, his sex articulis comprehensum. Fœdus amicitiæ.

I. Sit utrinque constans & sincera amicitia, ita ut alter alterius commodum promoveat, & damna avertere satagat.

II. Cæsar nequaquam obsistet, quo minus Anglia Gibraltariam, & Minorcam cum Portu Magonis Hispaniæ restituat; quin imo bona sua officia ad hoc impendet.

III. Rex omnibus navibus Imperatoris ejusque subditorum ingressum liberum in portus suos promittit, liberamque in omnibus Hispaniæ Regnis commercandi facultatem, cum omnibus privilegiis, quibus Galli aut Angli fruuntur.

IV. Si naves subditorum Cæsaris cis vel trans Æquatorem hostiliter invaderentur, Hispania causam cum Cæsare communem faciet, ut damnum reparetur. Idem vicissim promittit Cæsar.

V. Quamvis per Fœdus quadruplex utriusque terris cautum sit, ut tamen arctius adhuc sit vinculum, Rex Cæsari, si invaderetur, quindecim bellicis navibus, & viginti armatorum millibus assistet, vel pecuniam Genuæ pro iis repræsentabit, nempe pro mille peditibus quot mensibus octo florenorum millia, & pro mille equi-

equitibus viginti quatuor florenorum millia. Si autem 15 naves non mitteret, decem armatorum millia ſuperaddet.

Viciſſim Cæſar, ſi Rex in Europa invaderetur, 20000 peditum & 10000 equitum ſuccurret.

VI. Hoc ſpeciale amicitiæ fœdus intra tres menſes ratificandum.

Accessit Tractatus Commercialis. Poſtquam hæc pax Viennenſis & Fœdus Amicitiæ 30 Aprilis 1725 fuerat percuſſum, prima dein Maji acceſſit Fœdus Commerciale, 47 Articulis comprehenſum; quibus ſtatutum, ut utriusque ſubditis liceat adire commercii cauſa omnes alterius provincias, littora, portus, frui omnibus juribus & privilegiis, quibus amiciſſimæ nationes fruuntur.

Art. XIX.

Tractatus Hannoveranus.

34. Pax Viennenſis, ſine arbitro compoſita, neminem ægrius habuit, ac Regem Angliæ, qui illam ad injuriam ſuam & commercii Anglicani diſcrimen pertinere exiſtimabat. Conquirenda igitur contra eandem aliunde fœdera, evertenda Oſtendana commercia.

Faciles aures præbuerunt Gallia & Boruſſia, cum quibus Rex Georgius Hannoveræ, ubi præſens aderat, fœdus iniit, quod *Tractatus Hannoveranus* dici conſuevit, ſequentibus octo articulis conceptum.

I. Sit firma & conſtans pax inter tres coronas contrahentes, ad tuitionem propriæ ſalutis.

II. Cavent ſibi mutuo de omnibus poſſeſſionibus, intra vel extra Europam ſitis, promittuntque ſocialia auxilia.

III. Exigente neceſſitate Gallus parata habeat duodecim armatorum millia, totidem Anglus, Boruſſus quinque millia. Hæc auxilia ſi non ſufficerent, majoribus læſo aſſiſtent, imo etiam, ſi neceſſe, declarato bello adverſus lædentem, donec ſatisfactio præſtetur.

IV. Nullus ex fœderatis tractatum inibit huic contrarium, ſed omnia cum ſociis communicentur, ut ea decernantur, quæ ad conſervandum Europæ æquilibrium & pacem opportuna videbuntur.

V. Pax Weſtphalica communi opera præſtetur ſalva.

VI. Hoc fœdus 15 annos ſubſiſtat.

VII. Alii etiam Principes, præſertim Ordines Generales fœderati Belgii, ad illud invitentur.

VIII.

VIII. Ab omnibus tribus Regibus approbetur, & ratificetur, intra duos menſes.

Actum Hannoveræ 3 Sept. 1725.

Subſcripſerunt *Townsbend.*
Broglio.
Wallenrodt.

Additi ſunt tres ſeparati Articuli.

I. Tres Reges cavent pro pace Olivenſi, &, ſi quid per turbas nuperas contra illam actum eſſet, curabunt, ut reparetur.

Hic articulus ejusdem ſit efficaciæ ac reliqui.

II. Si propter hunc Tractatum Galliæ ab Imperio denuntiaretur bellum, Reges Angliæ & Boruſſiæ nihil ad illud contribuent, vel ſaltem non plus, quam debent; ſed tanquam membra Imperii pacem procurabunt.

III. Caſu, quo bellum eſſet in Germania, Galli ditionibus duorum Regum non nocebunt. Si autem contra duos Reges aliquid ab Imperio moveretur, Gallus eis aſſiſtet.

Per duos Tractatus, Viennenſem, & Hannoveranum, ſyſtema Europæ plurimum eſt immutatum. Pars utraque certabat, plures alteri ſocios præripere. *Viennenſe* fœdus præter Status Imperii plerosque attraxit Moſcoviam; *Hannoveranum*, Hollandos, Sueciam, Daniam.

Obiit hoc anno 1725 *Cardinalis Saxo-Citicus*, Archiepiſcopus Strigonienſis, Principalis Commiſſarius per novem annos in Comitiis Ratisbonæ. In ejus locum a Cæſare ſuffectus eſt *Frobenius Princeps Fürſtenbergius*, qui ante Dignitatem Judicis in Camera Imperiali geſſerat. Obiit Card Saxo. Frobenius Commiſſ. Princ.

Maria Eliſabetha ſoror Imperatoris hoc anno in Belgium profecta eſt, ut illud gubernaret. Princeps vero Eugenius, Gubernator ante Belgii, *Vicarius Generalis Italiæ*, id eſt, omnium, quas ibidem Cæſar poſſidebat, provinciarum, eſt renuntiatus. Eliſ. Gub. Belgii. Eugen. Vicar. Italiæ.

Art. XX.

Fœdus Cæsaris cum Suecia & Moscovia.
Pax universalis.

Anno 1726 Imperator accessit Holmiensi Tractatui, novumque fœdus defensivum cum Suecia iniit; prout etiam cum Moscovia in sequentes articulos.

35. Fœdus Cæs. cum Moscis.

I. Constans utrinque sit amicitia.

II. Catharina Moscoviæ Imperatrix accedit Paci Viennensi.

III. Cæsar vero Neostadiensi & Holmiensi.

IV. Legati in aulis consilia conferant.

V. Seditiosis subditis ne assistatur, sed potius eorum machinationes fideliter detegantur.

VI. Hostiliter invasæ parti pars altera 30000 armatorum subsidio mittat.

VII. Communibus consiliis bellum geratur.

VIII. Si classis sit necessaria, illi ingressus in portus Cæsareos patet, uti etiam in Hispanos, si Rex huic Tractatui sit accessurus.

IX. Polonia ad hoc fœdus invitetur.

X. Et si illa nollet, Rex tanquam Elector Saxoniæ invitetur.

XI. Utriusque opera pax inter Poloniam & Sueciam concilietur.

XII. Ratione Ducatus Schlesvicensis Cæsar iis consentit, quæ in pace Travendalensi continentur, & speciali transactione partium.

XIII. Qui voluerint, intra annum huic tractatui accedant.

XIV. Intra tres menses ratificationes Viennæ commutentur.

Obiit Elect. Bavariæ.

Obiit anno 1726 *Maximilianus Emanuel Elector Bavariæ*, utramque, si quis alius, fortunam expertus: in utraque heros magnanimus sibique constans.

Junioribus annis grandia bellicæ fortitudinis exempla dedit. In Hungaria adversus Turcas, cujus Buda & Belgradum expugnatæ sunt argumentum.

Ex prima conjuge Maria Antonia, Leopoldi Cæsaris Filia, genuit Josephum Ferdinandum, coronæ Hispanicæ destinatum: ex altera Joannis *Sobieski* Poloniæ Regis filia, Carolum Albertum, postea Cæsarem, Ferdinandum, Clementem, Theodorum, ad summas Dignitates evectos. Obiit magnus hic Princeps anno ætatis 64, æterna dignus memoria.

Obiit

Obiit hoc anno pariter *Sophia Dorothea*, mater Georgii II Regis Angliæ, quam Georgius I repudiavit. Vixitque adhuc 32 annos repudiata. *Max. Wilhelmus* frater ejusdem Georgii I Catholicam Religionem amplexus Viennæ decessit, testamento sua bona in pias causas convertit, fundata pro infirmis belli officialibus domo &c. Et Sophia Dorothea, repud. Georg. I. Et hujus frater Max. Wilh. Cath.

Tantum erat *Lutheranos inter & Calvinistas odium*, eaque in doctrina discordia, ut Rex Borussiæ severe prohiberet, ne quis suorum subditorum Wittenbergæ studiis operam daret. Odium inter Luth.&Calv.

Cum per duos jam annos omnis prope Europa abiisset in partes, vel Viennense vel Hannoveranum fœdus amplexa, ac proin universale bellum esset timendum, *Congressus Aquisgranum* fuerat indictus. Sed cum negotium parum procederet, anno 1727 a legatis Cæsareis, Gallicis, Anglicis, Hollandicis sequentibus 12 Præliminaribus articulis Parisiis subscriptum fuit.

I. Cum Cæsar videat, *Ostendanum Commercium* apud vicinas Nationes æmulationem & turbas excitare, quietis in Europa conservandæ gratia consentit, ut ad septem annos illud suspendatur. Præliminaria pacis universalis Parisiis inita.

II. Omnia, quæ contrahentes vi pacis Ultrajectensis, Badensis, & quadruplicis Fœderis, aut aliorum ante annum 1725 initorum contractuum (qui Cæsarem aut Hollandos non concernunt) tanquam propria possederunt, iis salva maneant. Si quæ autem mutata, aut necdum executioni fuissent data, in proximo generali congressu erunt ordinanda. Susp. Commerc. Ostend.

III. Galli, Angli, Batavi fruantur omnibus privilegiis & libertate commerciorum in Hispania & Indiis, quibus vigore Tractatuum ante annum 1725 sunt gavisæ.

IV. In Borealibus regnis & provinciis pax & quies a fœderatis eorum procuretur.

V. Cesset omnis hostilitas. *Naves Ostendanæ*, in Indias jam dimissæ, nulla molestia afficiantur, & abreptæ cum omnibus mercibus restituantur. Similiter classes Hispanæ secure eant & redeant. Angli ab obsidione Portus Belli, aliorumque portuum Hispanorum infestatione absistant, & Hosierus copias in Angliam reducat.

VI. Hæc cessatio hostilitatis duret, quamdiu suspensio navigationis Ostendanæ, ut interea jura possint examinari, & pax universalis constitui.

VII. Damna, quæ interea inferentur, sunt reparanda.

VIII. Intra

VIII. Intra 4 menses a subscriptione horum articulorum initium detur *Congressui Aquisgranensi*, in quo singulorum jura discutiantur, & pax universalis componatur.

IX. Singuli legati comitatum duobus Nobilibus, duobus ephebis, & sex famulis circumscribant.

X. Ut evitentur molestiæ, circa prioritatem loci oriri solitæ, nulla ceremonialia observentur. Protestari tamen licitum esto.

XI. Jubeantur legati negotium maturare.

XII. Intra duos menses articuli isti ratificentur.

Actum Parisiis 31 *Maji* 1727.

Obiit Rex Angliæ. Has inter curas, dum *Georgius I Rex Angliæ* ad Hannoveranas suas provincias proficisceretur, in via morbo correptus Osnabrugæ extinctus est: Princeps magno animo, & artibus politicis probe imbutus. 1708 Introductus in Collegium Electorum, Rex Angliæ 1714, ob Sophiam matrem. Duxit Sophiam Dorotheam, patruelem suam, quam post natum Georg. II repudiavit.

Obiit quoque Comes *Harrachius* Archiepiscopus *Salisburgensis*, cui successit *Firmianus*.

Metternichii conversio & obitus. Memorabilis comprimis est obitus Comitis *Metternichii*, Electoris Brandeburgici ad Comitia Ratisbonensia legati; qui, dum mortem imminere sentiret, *Catholicam Religionem* amplexus est Ratisbonæ, exemplo suo demonstrans, in qua fide sit tutius mori.

Art. XXI.

Gesta anni 1728.

36. Cæsar peragrat suas provincias. Anno 1728 Carolus VI Imperator, hæreditarias suas provincias, *homagium recepturus*, cum Imperatrice, & filia Maria Theresia, atque Francisco Stephano, Duce Lotharingiæ & præcipuo aulæ comitatu, invisit. Vienna Neostadium, Græcium, Clagenfurtum, Labacum, Tergestum abiit, ubique magno cum apparatu exceptus in Styria, Carinthia, Carniola, Istria. Placuerunt hic comprimis portus Tergesti, Fluminis, Buccari, a *Teichmanno*, natione Dano, ad omnem navium & commerciorum opportunitatem, adaptati. *Gradiscam* post extinctam Domum Eggenbergicam ad se devolutam Strasoldum misit, sacramentum fidei suo nomine suscepturum.

Ratisbonæ inter legatos ventilabatur adhuc lis de nomine & Officio Imperiali Electoris Hannoverani. Statuit quidem Cæsar, ut Elector Palatinus avitam Dignitatem Archithesaurarii reciperet: sed pro Hannoverano varii proponebantur tituli; sed de nullo conveniri poterat.

Quia etiam sæpius controversiæ inter Principes oriebantur de prioritate loci, decrevit Imperator, 1. Ut ii, qui sessione & voto in Comitiis fruuntur, omnes alios Principes, licet antiquiores sint, antecedant. 2. Ut inter illos non attendatur antiquitas Principalis tituli, sed obtenti voti & sessionis. 3. Ut Principes, qui non habent sessionem & votum, incedant secundum antiquitatem obtenti tituli Principalis, sive sint Principes regnantes, sive natu juniores, ita, ut hi præcedant etiam regnantibus Principibus, si familia eorum serius in numerum Principum fuit relata. 4. Idem ordo servetur inter Principes fœminas. 5. Principes viduæ cedant regnantibus. 6. Præcedant tamen non regnantibus.

Ordo prioritatis inter Principes.

Cum novo Archiepiscopatui Viennensi bene multæ parochiæ aliæque Ecclesiæ, quæ ad Episcopatum *Passaviensem* pertinuerant, adjicerentur, is *querelam ad Papam* & Comitia Ratisbonensia detulit; verum cum a Pontifice tota ipsius Diœcesis pronuntiaretur *exempta*, & *Pallium* ipsi mitteretur, Cæsaris voluntati adquievit.

Diœcesis Passav. exempta.

Cæsar varia aulæ & militiæ officia distribuit. Inter alia Bertholdum, Abbatem *Meliciensem*, *Pro - Episcopum* Viennensem, & Consiliarium suum Intimum esse voluit. Baroni *Kettlero* vigiliarum Præfecto legionem Arnani, & Præfecturam Brisacensem contulit; *Wurmbrandio* vero legionem Herbersteiniam.

Obiit Baro *Bentenriderus*, anno æt. 50, legatione ad congressum Londinensem & Cameracensem clarus.

Suspensa Ostendana navigatione Cæsar ad alia emporia sua traduxit commercia, *ad Istriam* nempe, *Neapolin & Siciliam*, ita quidem, ut Messinæ & Constantinopoli haberet curias mercatorias, atque in Adriatico & Mediterraneo 12 naves bellicas, 14 triremes, aliasque pro commerciis permultas, cura & industria Teichmanni fabricatas, obliquis licet limisque oculis id aspicientibus Venetis, Anglis, Hollandis, qui nolunt in Germaniam invehi rerum agendarum nervum.

Pro commerciis Italicis naves.

In Domo Palatino-Solisbacensi duo fratres suas conjuges amiserunt, videlicet Josephus Carolus Elisabetham Augustam, Caroli Philippi Electoris filiam; & Christianus Mariam Annam, Marchionis Bergensis ad Zomam filiam hæredem, postquam ex

Domus Sulzbac.

ea genuit Theodorum, quem avia Bergam ad Zomam educandum abduxit.

Dresda hospitem habuit Regem Borussiæ; amisit vero magnum Ministrum, Comitem *Flemingium*, Viennæ apoplexia tactum, cum legatione ibidem fungeretur. Dum Borussus palatium Wackerbarti, urbis Præfecti, incoleret, noctu totum cum omnibus pretiosis conflagravit.

Obiit Christianus Fridericus, ex Domo Lippensi Bückeburgica vir famosus & mirabilis. Repudiavit is uxorem suam Hohenloensem, quamvis ex ea jam liberos genuisset: atque ut posset ducere Gallam, puellam Tyrolensem, Romam profectus est, ut demonstraret, matrimonium suum cum Hohenloensi fuisse invalidum, eo quod illam non aliter, ac secundum suæ religionis (Calvinianæ) usum separabiliter duxisset, ita, ut intentio sua non fuerit alia, nisi ut illam rursus possit repudiare. Hoc cum jurasset, matrimonio irrito declarato, Gallam duxit, magnis promissis allectam. Sed eo defuncto Hildeshemium migrare coacta est a mariti filio Alberto, qui matrem suam Hohenloensem ex Anglia, ubi morabatur, revocavit.

37. De Matrimonio Comitis Lippensis.

Profecto si Fridericus habuit intentionem absolutam & prævalentem, Hohenloensem non aliter ducendi, nisi sub conditione dissolubilitatis quoad vinculum, matrimonium erat invalidum ex defectu consensus, quem alligavit conditioni impossibili; cum indissolubilitas quoad vinculum pertineat ad substantiam matrimonii, præsertim consummati; adeoque præfracte voluit contrahere eo præcise modo, quo contrahere non potuit. Et idem dicendum de aliis acatholicorum matrimoniis; quamvis non sit præsumendum, quod adeo præfracte alligent suum consensum conditioni dissolubilitatis quoad vinculum, ut absolute & per intentionem fortiorem nolint contrahere nisi sub conditione dissolubilitatis.

Observatio de matrim. hæret.

Cæterum habentur quidem conditiones impossibiles, matrimonio adjectæ, pro non adjectis, quia præsumuntur non esse serio & absolute ita adjectæ, ut consensus illis alligetur. Aliud tamen esset, si talis præsumptio elidatur per rei veritatem, & ejusmodi conditioni serio & absolute alligatus esset consensus; tunc enim matrimonium esset nullum, præsertim si conditio sit contra substantiam matrimonii, qualis est ista.

Clem. Osnab. Epis.

Obiit *Ernestus Augustus*, Georgii I superiore anno defuncti Angliæ Regis frater natu minimus, sub titulo Episcopi *Osnabrugæ Administrator*; cui nihil nisi Religio & consecratio Episcopalis defuit. In

In ejus locum ex Catholicis, secundum introductam ibidem alternationem, a Canonicis electus est *Clemens Augustus*, Elector Coloniensis, Plettenbergio negotium urgente.

Firmianus Archiepiscopus Salisburgensis querelam Ratisbonam detulit, quod Episcopus Passaviensis Jurisdictioni suæ Archiepiscopali se subtraxisset, totamque suam Diœcesin ab ea exemptam fecisset, cum magno suæ Ecclesiæ Archiepiscopalis præjudicio. Sed non legimus, aliquid propterea motum; cum hæc res ad summum Pontificem pertineat, & Romano Imperio nihil fuerit detractum. (*Videatur Bulla exemptionis in Italicis.*)

Obiit *Federspiblius* Episcopus *Curiensis*; cui per electionem Josephus Benedictus de *Rost*: & Ruperto *Bodmanno* in Abbatia Principali *Campidonensi* Anselmus *Reichlinus* Baro de Meldegg successit. Heidershemii vero Magnus Ordinis Melitensis Magister electus est *Nesselrodus*. Novæ Electiones.

Art. XXII.

Gesta anni 1729.

Anno 1729 *Hispalensi Tractatu*, inter Galliam, Hispaniam, & Angliam inito, sancitum erat, ut Carolus Hispaniæ Princeps quantocius *cum sex Hispanorum millibus* in Italiam trajiciat, munitis *Florentiæ* & Parmæ locis imponendis. Indigne tulit Cæsar, se clam de Imperii feudis, & quidem viventibus adhuc ducatuum illorum possessoribus, contra Art. V Quadruplicis Fœderis, & VI Pacis Viennensis, disponi. Quare, *missis in Italiam copiis*, ad impediendam trajectionem illam impigre se parabat: prout ad annum sequentem referetur. 38. Cæsar in Italiam mittit copias: Et quare.

Ad sanctius arcanum consilium asciti Eberhardus Comes Solmensis, Antonius Stahrenbergius, Rudolphus Sinzendorffius, Sigismundus de Turri & Valsassina, Michael Imperialis Princeps de Francavilla. Camerarii autem renuntiati sunt 59 ex Illustribus omnes Familiis.

Obierunt autem ex aula Cæsarea: Joannes Bapt. Colloredo supremus aulæ Mareschallus: cui successit Martinizius: & Richardus Daunius, Consiliarius Intimus, ac rei tormentariæ Præfectus: Carolus item Comes *Bartensteinius*, ex Domo Hohenloensi, Cameræ Imperialis per septem annos Judex integerrimus: cui successit Baro *Ingelheimius*.

Obit Moguntinus. Ex Ecclesiasticis vero defuncti sunt 1. *Lotharius* Franciscus Comes *Schönbornius*, *Elector Moguntinus* & Episcopus Bambergensis, ætatis anno 73, Electoratus 34. Successit illico *Franciscus Ludovicus Comes Palatinus*, jam anno 1710 electus Coadjutor Moguntinus. In Electoratu Trevirensi huic successit *Franciscus Georgius Schönbornius*, Præpositus Trevirensis, nepos defuncti Lotharii. Alter vero ejusdem nepos *Fridericus Carolus*, Vice-Cancellarius Imperii, jam ante electus Coadjutor Bambergensis, successit patruo in hoc Episcopatu.

Schönbornii.

2. Obiit Christophorus Franciscus *Huttenus*, *Episcopus Herbipolensis*, 5to. anno Episcopatus. In ejus locum electus est idem Fridericus Carolus Schönbornius. Qui tamen, quamvis esset Episcopus Bambergensis, & Herbipolensis, atque Dux Franconiæ, retinuit adhuc tribus annis munus Procancellarii Imperii, quod alias incompatibile videbatur.

39. Ordo Equestris S. Georg. in Bav.

Carolus Albertus Elector Bavariæ cum approbatione summi Pontificis instituit Monachii *Ordinem Equestrem S. Georgii*, ad defendendam *Immaculatam Conceptionem B. V. M.* in eumque non alios suscipi voluit, atque antiquæ & præcipuæ nobilitatis viros. Symbolum illius: *In Fide, Justitia, & Fortitudine.*

Magnus Ordinis *Magister* erat ipse serenissimus Elector. *Magni Priores* 1 Carolus Maximilianus Josephus, Princeps Electoralis. 2 Ejus frater Josephus Ludovicus. 3 Ferdinandus Electoris frater. *Magni Crucis Commendatores* 1 Maximilianus, Ferdinandi Ducis filius. 2 Clemens ejus frater. 3 Comes de Thierheim Consiliarius Intimus, supremus Cameræ Præfectus. 4 Maximilianus Comes de Preising, supremus stabuli Præfectus. 5 Comes de Rechberg, supremus rei venatoriæ Præfectus, Campi Mareschallus. 6 Comes Törring de Jettenbach, rei tormentariæ, & supremus vigiliarum Præfectus.

Equites.

Commendatores, Felix Preisingius. Königseckius in Aulendorff. Seinsheimius. Tauffkirchius Gubernator Ingolstadiensis. Freybergius. Baro de Closen. Fuggerus de Zünnenberg.

Equites, Piosasquius. Neuhausius. Josephus Preisingius. Maximilianus Törring de Falckenstein. Sazenhofius. Jos. Neuhausius. Hi omnes festo S. Georgii, Electore Coloniensi in æde B. V. solenniter sacris operante, creati sunt.

Festo dein Immaculatæ Conceptionis facta nova promotio, nominatique: Magnus Crucis Commendator Princeps Hohenzollerano-Sigmaringanus. Commendatores alii: Jos. Tauffkirchius. Gum-

Gumpenbergius. Seinsheimius. Guido Tauffkirchius. Comes Spretti. Hundius de Lauterbach. Törring de Seefeld. Seybolſtorffius. Haslangus. Thürheimius.

Eodem anno incendium incomparabili Monacenſi palatio graviſſimum damnum attulit.

Cauſa *Zwingenbergica* non parum moleſtiæ Aulæ Palatinæ fecit. Zwingenberga, urbs, caſtrum & 10 pagorum Præfectura, olim ad Hirſchhorniorum familiam, anno 1632 quoad maſculos extinctam, pertinuit. Ultra 100 annos dein Göhleri & Wiſeri de ſucceſſione litigabant, juri ſanguinis utrique innixi. Illos Cæſar, hos Elector Palatinus protexit. Wiſerus tandem per ſententiam poſſeſſione motus, & Göhlerus in eam eſt introductus. Sed Elector arcem præſidio ſuo occupatam tenuit, ſuperioritatem territorialem, & Jurisdictionem criminalem, quam *centenam* vocant (das Cent-Gericht) prætendit, atque ut Wiſero ſumptus, in litem facti, compenſarentur. Baro Göhlerus autem, actis typo impreſſis, querelam ad Comitia Ratisbonenſia, ipſamque adeo aulam Cæſaream propterea detulit. Elector præſidium ex arce quidem deduxit. Reliqua autem adhuc ſuſpenſa manebant. **Cauſa Zwingenbergica.**

Ex Domo Palatino-*Sulzbacenſi* magno cum dolore totius ſereniſſimæ Familiæ conjugem ſuam ad æternitatem ſecutus eſt *Joſephus Carolus Emmanuel*, 35 ætatis anno, vivo adhuc patre Theodoro, ex Eliſabetha Auguſta, Electoris Caroli filia ſuſcepit duos filios, præmatura morte abreptos; reliquit vero tres Filias, de quibus deinceps frequens occurret mentio. Solabatur mœſtam Domum Chriſtianus defuncti frater, hujusque filius Theodorus, in ſpes magnas quinque abhinc annis genitus. **Obit Jos. Dux Sulzbac.**

Cum Carolus Leopoldus, Dux *Mechlenburgicus*, cum ſubditis ſuis diuturna jam diſcordia colliſus, Executioni Cæſareæ ſe nollet ſubjicere, *Chriſtiano* ejus fratri commiſſa eſt *Adminiſtratio* Ducatus. Verum Leopoldi amici quæſtionem Ratisbonæ movebant, an poſſit Cæſar, non conſultis Statibus Imperii, Principem, provinciis ſuis privare? ſed reſponſum fuit, Mechlenburgicum nec fuiſſe privatum dominio, ſed adminiſtratione duntaxat, neque voce activa nec paſſiva in Comitiis Imperii. Cæſarem autem poſſe Statum inobedientem coercere, & ejus ditiones adminiſtrandas interim alteri, præſertim proximo Agnato, proviſionaliter committere. Sed executores petebant refuſionem ſumptuum, qui ſupra millionem Thalerorum aſcendebant, non exceſſuri provincia, donec hæc debita fuiſſent expuncta. Cæterum hoc anno *Suerini* totum Miniſterium extin- **Adminiſtratio Mechlenburgica.**

extinctum eſt; & quidem Schumannus Superintendens in ipſa cathedra, dum concionaretur, repente mortuus concidit.

In *Friſia Orientali* ſubditi adverſus Principem ſuum inſurrexerant, præſertim *Embdenæ*. Miſſa commiſſio Cæſarea. Sed nec iſti civitas parebat. Unde bona illius ſequeſtro ſunt commiſſa. Hollandi, qui non modicam pecuniæ vim provinciæ & comprimis Embdenæ mutuam dederant, præſidium militare jam in turbis prioris ſæculi eam in urbem introduxerant, atque Commiſſioni ſe opponentes, cauſam primum Sueſſionem ad Congreſſum deferebant, dein vero Tractatui Hiſpalenſi accedentes, a tribus coronis promiſſionem ſatisfactionis ſunt ſtipulati. Sed reſpondit Cæſar, ſe nihil aliud egiſſe, quam id, quod ratio ſupremi in Imperio Judicis exigeret. Embdenam, ſicut totam Friſiam Orientalem, ad Imperium pertinere: Hollandicum præſidium ſine Imperatoris & Imperii conſenſu fuiſſe introductum. Cæſaris eſſe, contumaces adverſus Dominos ſuos ſubditos ad officium adigere, & pacem conſervare.

Cauſa Friſiæ Orient. præſertim Emdenæ.

Art. XXIII.

De Tractatu Hiſpalenſi lis in Comitiis Imperii. Cauſa Senenſis, & Königsſteinenſis in puncto ſubſtitutionis.

40. Anno 1730 *Comitiis Imperii* Ratisbonenſibus non parum negotii injecit *Tractatus Hiſpalenſis*, quo Cæſar ſuam auctoritatem & Imperii jura læſa credidit, quod tres coronæ ſe præterito de feudis Imperii diſponerent; hinc per Frobenium Principem Fürſtenbergium, Principalem ſuum Commiſſarium, *Decretum Commiſſorium* Statibus propoſuit.

Memorat in hoc Princeps, quanta ſollicitudine ſtatim poſt pacem Badenſem in id curam Cæſar intenderit, ut etiam cum Hiſpania pax conficeretur; eum in finem acceſſiſſe Tractatui, anno 1718 Londini concepto, & a Gallia & Hiſpania acceptato (*Quadruplici* videlicet *Fœderi*) formatumque deſuper anno 1722 Receſſum Imperii, nihilque omiſſum, quo Europæ quies tandem redderetur, etiam cum propriæ Domus detrimento.

Comitiis proponitur querela contra Tract. Hiſp. quo 6000 Hiſp. inmittebantur.

Miſſos propterea magnis ſumptibus *Cameracum* Legatos. Traditas litteras exſpectativas, pro Carolo Principe Hiſpaniæ, eventualem ejus Inveſtituram in Florentiæ & Parmæ Ducatibus, continentes. Initam, cum Cameraci nihil concluderetur, anno 1725 cum

cum Hispania *pacem Viennensem*, in quadruplo fœdere fundatam. Expedita anno 1728 ad Commissarium Plenipotentiarium Italiæ Cæsareæ *executionis & immissionis Decreta* in casum mortis eorum, qui Ducatus illos possident, ut adeo post tot liberalis amicitiæ signa nemo suspicari potuisset ea in re novationem.

Nihilominus tamen contra omnem exspectationem prodiisse clancularium trium coronarum Tractatum Hispalensem, quo contra priores conventiones, de manifestis Imperii feudis tanquam re sua propria disposuissent, quin consensum Domini Directi, in quadruplo fœdere expressim reservatum, requirerent.

Adhæc eosdem Tractatus Hispalensis conditores in domestica Imperii se miscuisse, uti in causam Frisiæ Orientalis, & quidem se obligando; in causam subfeudi Senensis, cum despectu Imperatoris & Imperii; contra omnia jura.

Cum autem Majestas sua Cæsarea Romanum Imperium Nationis Germanicæ necdum in eum statum redactum existimet, ut talia decussatis veluti brachiis sufferre debeat, a Statibus Imperii exspectari resolutionem, vindicandis Imperii juribus, & authoritati Cæsareæ opportunam.

Præiisse Imperatorem exemplo, & aliquot Legiones misisse in Italiam, non, ut cuipiam vim inferant, sed ut jura Imperii & tractatus initos, cum modernis possessoribus, contra quemcunque aggressorem defendant. Exspectari proin ab Ordinibus Imperii, ut omnem in eam rem opem sint collaturi.

Adjunctæ fuerunt complurium Instrumentorum copiæ, puta, articulus V Tractatus Londinensis 1718, litteræ eventualis Investituræ de Florentia & Parma, datæ Carolo Principi 1723, Reversales Philippi V super his feudis 1724, sponsio Regis Angliæ & Galliæ de hac re 1724, Articulus IV pacis Viennensis 1725, Potestas a Cæsare collata Borromæo, in casum mortis Ducum, nomine Caroli Principis capiendi possessionem Ducatuum 1728, litteræ Cæsaris ad Magnam Ducissam viduam, ne post mortem fratris Carolum a capienda possessione impediat 1728, Litteræ ad Senatum & subditos Florentiæ, ut post mortem Gastonis pro Domino suo agnoscant Carolum, 1728, Litteræ Cæsaris ad Daunium, Mediolani Gubernatorem, ut in eventum introducat Carolum, militari etiam, si opus sit, manu, Extractus Conventionis Hispalensis.

Paulo post prodierunt observationes pro hoc Decreto Commissorio; quibus auctor incognitus ostendere intendit, Tractatu Hispalensi contineri res, Recessui Imperii de anno 1722 omnino con-

Scripta pro Decreto

Commisso-rio. contrarias. Itum contra tractatus priores initos & pacta publica, in re magni momenti, quæ concernat successiones Principum. Si nullæ essent mutationes factæ per tractatum Hispalensem, cur Rex Hispaniæ tantopere urgeret ejusdem executionem? concludit denique, provide actum a Cæsare, quod hoc negotium ad Comitia detulerit, & in eventum aggressionis auxilia Imperii petierit, cum causa hæc non sit propria Domus Austriacæ, sed toti Imperio communis. Promissam eventualem successionem cassari posse, & Vicarium constitui, atque proventus ad utilitatem Imperii applicari.

Contra illud. Contra vero prodiit Ratisbonæ adversus Decretum Commissorium aliud scriptum lingua Gallica, quod *Chavignius* Legatus Galliæ, ejusdem Auctor, inter Legatos distribuit, quo Hispalenses contrahentes defendebantur. Negabat tractatum Londinensem per Hispalensem fuisse mutatum. Id unum actum dicebat, ut, quæ in illo fuerant disposita, per hunc magis firmarentur. Cæsarem parum fuisse sollicitum, ut eventualis Caroli successio provisionaliter stabiliretur, quamvis propterea ei cessa fuerit Sicilia. Extorquendas fuisse eventualis Infeudationis litteras. In Londinensi tractatu non fuisse expressum, quid circa assecurationem successionis aut introductionem Caroli fieri oporteat. Imperium in Recessu 1725 negotium præsidii Florentini pro re indifferente habuisse. Cæsarem in articulo IV pacis Viennensis recessisse ab articulo V tractatus Londinensis, nihilominus Imperium eidem censuisse conformem. Sic etiam Hispalenses, cum nulla substantialis mutatio sit facta, non censuisse necessarium novum consensum Imperii: sed unice Carolum in jure jam quæsito (per Hispanum præsidium) assecurare & firmare voluisse.

Cæsarem fuisse requisitum, ut ultimam operi manum imponat, testes esse Legatos trium Regum, Cæsarem invitare jussos, cum fiducia, quod is, si opus videretur, Statibus negotium esset communicaturus. Imperatorem ipsum Sevilienfibus fœderatis hanc viam indigitasse. Nec quidquam moturum fuisse, si certæ conditiones, Domum ipsius contingentes, fuissent addictæ.

Non verti commodum Imperii; & modernos possessores Ducatuum vigore Londinensis tractatus fuisse obligatos, præsidia recipere. Obligationem feudalem ad certum casum restringi. Hispalensem tractatum eo tendere, ut priores conventiones & pacta impleantur: quæritque, an per præviam Cæsarei militis introductionem secure provisum foret? Badenam pacem non fuisse impletam;

tam: Electorum etiam propoſitionem circa Mantuam, & alia Imperii feuda Italica, effectu caruiſſe.

Galliam circa cauſam Friſiæ Orientalis & Mechlenburgicam nihil aliud deſiderare, quam id, quod ſinguli Status, & Imperator ipſe optare debeat; nec derogatum propterea Cæſaris auctoritati aut juribus Imperii, quod tertio cautum eſſet de ſuis juribus. Viderent proin Ordines, quid ſibi faciendum exiſtiment, an propter diffidentiam, non fundatam, & circumſtantiam levem, nemini nocivam, periculo ſe committere debeant. Hoc certum, Hiſpalenſibus fœderatis nunquam eam fuiſſe mentem, ut quidquam contra Cæſaris aut Imperii jura ſtatuerent, ſed eo unice collimatum, ut pax duratura comparetur. Scriptum hoc confutatum rurſus fuit per alias obſervationes impreſſas, oſtenditque auctor inter alia, quam indigne objiciatur ceſſio Siciliæ, Cæſaris armis parta, & adhuc cum Sardinia commutata; quam leve hoc ſit pretium pro tot regnis Domus Auſtriacæ, ceſſis Borbonicæ.

Addit, articulum V quadrupli fœderis per conſenſum Statuum & approbationem Cæſaris tranſiiſſe in legem Imperii, a qua neutra pars ſine altera poſſit recedere, nec Hiſpalenſes fœderatos ſalva fide data; quidquid iſti per ſecretum Articulum inter ſe concluſiſſent.

Agitata etiam in Comitiis eſt *Senenſis Controverſia.* Nam Imperator Ducem Florentiæ monuerat, ut ratione Senarum Inveſtituram petat. Hoc Galliæ & Hiſpaniæ Miniſtris viſum eſt cum quadruplo fœdere pugnare, vi cujus in Hetruria omnia interim in ſtatu quo eſſent relinquenda. Unde id a Chauelino Sigillifero Galliæ, & a Pazio, Secretario ſtatus Hiſpaniæ, Kinskio & Königseckio Cæſareis Legatis, ceu attentatum, objectum eſt. Cum autem plures Status Imperii informationem peterent, quænam eſſet hujus ſubfeudi conditio, Aula Cæſarea hanc dedit. 41. Cauſa Senenſis.

Carolum IV Imperatorem equidem anno 1347 *Urbi Senenſi Vicariatum Imperii hujus civitatis*, & regionis, ad illam pertinentis, largitum eſſe, ſed a Carolo V in pœnam rebellionis rurſus illo fuiſſe privatam, atque anno 1554 Philippo II filio fuiſſe collatum, cum clauſula, ut ejus filii & deſcendentes, ſecundum ordinem primogenituræ perpetuo ſint Vicarii Imperii hujus urbis. Hiſtoria cauſæ.

Anno 1556 eundem Imperatorem filio ſuo dediſſe poteſtatem, ut etiam tertium ſubinfeudare poſſit. Cum hoc jure Philippum III, IV, Carolum II, a Rudolpho II, Ferdinando II, III, & Leopoldo fuiſſe infeudatos ſub prædicta clauſula.

Jus in feudandi pertinere ad Imperatorem, jus subinfeudandi ad Archiduces.

Vi hujus juris a Philippo II 1557 Cosmum II Florentiæ Ducem fuisse subinfeudatum cum masculis suis descendentibus, Portu Herculis, Orbitello, Argentaro, Telamone ad Senensem Vicariatum pertinentibus sibi reservatis.

Hoc porro jus subinfeudandi per mortem Caroli II ad Leopoldum, Josephum, Carolum VI Imperatores fuisse devolutum, & ab isto anno 1712 fuisse exercitum, dum Cosmum IV subinvestivit. Cum vero hic 1723 obiisset, Joannem Gastonem ejus filium Investituram a Carolo VI petiisse. At Regem Hispaniæ per P. Ascanium, suum Florentiæ Ministrum, se opposuisse, eo quod hoc subinfeudandi jus ejus antecessoribus, Hispaniæ Regibus, fuisset collatum. Cosmum III autem anno 1712 fuisse investitum a Carolo, non qua Imperatore, sed quatenus tunc adhuc Regem Hispaniæ se dixisset. Postquam autem Carolus anno 1725 Hispaniæ renuntiasset, hoc jus ad Regem Hispaniæ Philippum V indubitato fuisse devolutum.

Quamvis autem Dux Gasto hanc Philippi V prætensionem confutasset, censuisse nihilominus P. Ascanium, hanc causam ad Congressum Cameracensem deferendam. Galliam & Angliam judicasse, hoc jus ad neminem, nisi Imperatorem pertinere.

Hoc explorati juris esse, jus infeudandi spectare ad Cæsarem, cum Carolus V Senarum Vicariatum filio suo in feudum Imperii dederit, illudque sequentes Hispaniæ Reges ut tale agnoverint, & propterea singuli ab Imperatore confirmationem illius & Investituram petierint; cum ergo Philippus V id non fecerit, etiamsi jus aliquod habuisset ad feudum, ac proin etiam jus subinfeudandi amisisse, dum non infeudatus ab Imperatore, Cosmum III defacto subinvestiverit, & filium ejus subinvestire sit conatus.

Accedere, quod, sicut Imperator vi quadrupli fœderis renuntiavit Hispaniæ & Indiis, sic Philippus Rex Hispaniæ renuntiarit non modo Italiæ, sed omnibus etiam juribus, a Regibus Hispaniæ ibidem possessis (excepto ad tempus Portu Longo) ut adeo, licet hic Vicariatus ad Principes Andegavenses per mortem Caroli II fuisset devolutus, per eam renuntiationem fuisset omnino jus omne extinctum.

Denique omnes Imperii Vicariatus, etiam Italicos ex sua natura feuda esse masculina, Regalia ac recta, ut ex Sabaudico, Mantuano &c. constat, in quibus fœminæ, earumque descendentes non possint succedere; sed ea, extinctis masculis, Imperatori & Imperio aperiri; ac proin nullo titulo Senensem Vicariatum, feudum

dum Imperii, Domui Andegavensi competere, consequenter neque jus subinfeudandi. Ita quidem Viennensis informatio; quam eruditionis gratia referre volui.

Carolus VI Imperator, commercia in Istria ad majorem adhuc florem perducturus, celebres *Tergesti nundinas* anno 1730 institui curavit, remissis vectigalibus, per terras hæreditarias. Frequens igitur mercatorum multitudo ex Germania, Italia, Turcia ibidem convenerat. Idem sua liberalitate *Monasterium Neoburgense*, duobus milliaribus Vienna distans, vetustate jam squalidum, construxit. Fundatum illud fuerat a S. Leopoldo, atque in eo cum Agnete Conjuge pluribusque Marchionibus Austriæ sepultus est. Quod proin Aula Cæsarea non raro, præsertim die S. Leopoldo sacra, pia peregrinatione solet invisere. Tergestinæ Nundinæ. Mon. Neob.

Rex Poloniæ, Elector Saxoniæ, splendida hoc anno *castra*, ad omnem magnificentiam & ostentationem ingentibus impensis haud procul *Mühlberga* exornavit. Accurrit ad hoc spectaculum ludicrum non modo omnis late vicinia, sed cum Rege Borussiæ multi per Europam Principes. Longum foret enarrare exercitia militum, festivos ignes, comœdias, spectacula super Albim exhibita, venationes, mensarum, conviviorum, vestium &c. apparatum. Risit, credo, Rex Borussiæ, dum spectavit. Accessit novus pons, qui novam Dresdam cum Veteri committit. Huic nullum in orbe parem existimant Saxones. Castra Mühlbergensia.

Celebrabant etiam Lutherani alterum sæculum *Confessionis Augustanæ*, Carolo V porrectæ. Sed tria sunt, propter quæ luctum potius debebant induere. 1 Quod primum ante duo sæcula sit nata. 2 Ab Imperatore rejecta. 3 Iterum mortua; solo nomine relicto. Jubilæum C. A.

Causa Königsteinensis, jam a ducentis prope annis Moguntinam inter Ecclesiam, & Stolbergenses Comites agitata, hoc anno in Judicio Aulico sudabat. Comitatus Königsteinensis, haud procul Francofurto ad Moenum situs, ad Comites olim Münzenbergicos, jam anno 1255 extinctos, pertinuerat. Inde ad Falkensteinios & Epsteinios est devolutus. Eberhardus ultimus hujus familiæ, cum liberis careret, testamento 1535 Ludovicum sororis suæ filium, *Stolbergium* Comitem hæredem instituit, substitutis Philippo & Christophoro, Ludovici fratribus. Causa substitutionis.

Ludovicus igitur Stolbergius capta possessione 1548 a Carolo V Investituram obtinuit. Cum autem 1574 sine liberis decederet, successit frater Christophorus, hæres substitutus; ille quoque 1581 sine liberis obiit. Tum vero, cum tam institutus, quam duo sub-

ftituti fratres fine liberis deceffiffent, quartus eorum frater fuccedere voluit, qui nec inftitutus, nec fubftitutus erat.

At vero Daniel, Elector Moguntinus, cui jam anno 1557 Maximilianus II in cafum apertionis Comitatum promiferat, feudi jam aperti poffeffionem adiit: Stolbergenfibus caufam ad Judicium Aulicum deferentibus. Tranfactione tunc inita, Elector trecenta florenorum millia obtulit.

Sed Chriftophorus Junior, in cujus minori ætate hæc acta funt, cum majorennem ætatem adeptus, fui juris factus effet, ultra dimidium fe læfum, & terminos folutionis non obfervatos, queftus, ftare tranfactione nolens, caufam ad Ducem Würtembergiæ ceu Judicem Auftregalem per modum reconventionis detulit, anno 1616. Interveniente dein tricennali bello, Sueci arcem Königfteiniam & regionem occupatam Stolbergio tradiderunt; Cæfarei vero recuperatam Electori. Agitatum fuit dein negotium in pace Weftphalica, & iterum in Judicio Aulico, hoc præfertim anno, juffo Electore intra fex menfium terminum refpondere.

Art. XXIV.

Nova pacificatio feu Tractatus Viennenfis cum Anglia. Navigatio Oftendana tollitur. Sanctio Pragmatica ab Anglo & Hifpano acceptatur. In Comitiis de illa diffenfio.

42. Superiore anno negotium immiffionis fex millium Hifpanorum in Ducatus Tufciæ & Parmæ bellum cum Hifpalenfibus contrahentibus attracturum videbatur, atque propterea complures Cæfareæ Legiones in Italiam jam miffæ fuerant, ut Hifpanos aditu prohiberent; at anno fequenti 1731 rurfus mutata eft rerum fcena; cum Rex Angliæ per *Robinfonum* Viennæ *Amicitiæ tractatum* iniit cum Cæfare, invitatis etiam Ordinibus fœderati Belgii, ut eidem accederent.

Amicitiæ Tractatus inter Cæfarem & Anglum.

1. Statuitur in illo, ut perpetua fit amicitia, inter Imperatorem, Regem Angliæ, & Hollandos; fimulque omnes priores conventiones confirmantur, exceptis iis, quæ hic mutantur. Cavent fibi mutuo de omnibus, quæ poffident.

Anglia fpondet pro Sanct. Pragm.

2. Anglia & Hollandia cavent fpondentque defenfionem *Sanctionis Pragmaticæ*, prout eam de ordine fucceffionis Cæfar in omnibus hæreditariis fuis provinciis anno 1713 publicavit.

3. Con-

3. Contra vero Cæſar conſentit in pacificam *introductionem 6000 Hiſpanorum* in Ducatus Florentiæ, Parmæ, & Placentiæ, in bonum Caroli Infantis Hiſpaniæ; promittitque intra duos menſes conſenſum Imperii promovere.

Cæſar conſentit in Introductionem 6000 Hiſp.

4. Omnes articuli adeo firmi maneant, ut nulli parti ab illis vel minimum recedere liceat.

5. Promittit Cæſar, omne *commercium* & navigationem in Indiam Orientalem toto *Belgio* in perpetuum tollere, uti etiam in aliis locis, quæ tempore Caroli II ad Hiſpaniæ coronam ſpectabant, ita tamen, ut *Oſtendanæ ſocietati duas adhuc naves* ſemel in Indiam mittere liceat. Compaciſcentes vero promittunt, commerciorum tractatum pro Belgio Auſtriaco Antverpiæ cum Imperatore erigere.

Oſtend. comm. tollit.

6. Tractatus cum aliis Principibus ſint ſalvi, in quantum huic non ſunt contrarii: omnesque controverſiæ pacifice componantur.

7. Angli & Hollandi, in Sicilia negotiantes, tractentur, ſicut tempore Caroli II, & ſicut inter amicas Nationes conſuetum eſt.

8. Hoc tractatu comprehendantur, qui intra 6 menſes communi conſenſu nominabuntur.

9. Intra ſex hebdomades ratificationes commutentur.

Actum Viennæ 16 *Martii* 1731.

Subſcripſerunt *Princeps Eugenius de Sabaudia.*
Phil. Lud. Comes de Sinzendorff.
Gundacar. Comes de Stahrenberg.
Thomas Robinſon.

Additæ ſunt aliquot obſervationes, uti 1, articulum primum de cautione & aſſiſtentia non eſſe intelligendum de *caſu belli Turcici*; volunt igitur Angli & Hollandi aſſiſtere Cæſari & ejus ſucceſſoribus contra Chriſtianos Principes, ſed non contra Turcam.

Excepto caſu belli Turcic.

2. Noluit Cæſar conſentire in introductionem Hiſpanorum in munita loca Florentiæ & Parmæ, niſi Angli & Hollandi declaraſſent, per Hiſpalenſem tractatum non fuiſſe derogatum Articulo V quadrupli Fœderis, & Juribus Imperatoris atque Imperii rurſus caverent.

3. Declarat Cæſar, ſi relicta vidua Ducis Parmenſis nullum ex eo filium pareret, ſe Carolum Principem in poſſeſſionem introducturum, abductis ſuis copiis.

Declarationes.

4. Hiſpani rurſus abſcedant, poſtquam Carolus ad quietam poſſeſſionem trium Ducatuum pervenerit.

5. Quamvis Miniſter Hollandorum ex defectu mandati ſubſcribere non potuerit, tamen eos tanquam partem contrahentem fuiſſe incluſos, nec dubitari; eos pro quiete publica acceſſuros

6. Ut autem certius accederent, Cæſar eis diffidentiam, quam
43. Cauſa Friſiæ. propter *Friſiam Orientalem* conceperant, exemit, dum *Embdenæ* civitati & ejus adhærentibus amneſtiam & ablatorum reſtitutionem promiſit, ſimulque, ſollicitum ſe fore, ut *Batavis Capitale cum cenſibus ab Orientalibus Friſiis ſolvatur.*

In fine hujus tractatus Viennenſis ſubjuncta fuit Sanctio Pragmatica Cæſaris de ſucceſſione. 1 Ejus filiarum. 2 Neptum. 3 Sororum. 4 Remotiorum conſanguineorum, ſecundum ordinem primogenituræ.

Diſplicuit hæc conventio Gallis, abſque ſuo conſenſu inita, quod defenſionem Sanctionis Pragmaticæ contineret. At acceptiſſi-
Accedit Hiſp. ma fuit Hiſpanis, cum per eam, quod optaverant, eſſent conſecuti. Quare Rex Catholicus 6 Junii eidem acceſſit, cum ea tamen conditione, ut Rex Angliæ Carolum cum 6000 Hiſpanorum in Italiam deducat.

Quin imo *ſecundum Viennæ Tractatum* tres iſti magni Principes inierunt, quibus conventum, 1 Ut quadruplum fœdus & pax Viennenſis per hæc confirmetur, cum circumſtantia ſex millium, in Ita-
Et ſpondet pro Sanct. Pragm. liam mittendorum. *Rex Hiſpaniæ acceptat Sanctionem Pragmaticam* ejuſque defenſionem ſpondet. 2 Anglus pariter omnia denuo ſpondet, nominatim introductionem ſex millium. 3 Curetur, ut Dux Florentiæ conſentiat. 4 Cum aſſecuratione, nec ipſi nec ſubditis fore præjudicio.

Subſcripſerunt, præter ſupra memoratos, Joan. Lud. Comes de *Königseck*, & Jacobus *Dux de Liria.*

Adjecti ſunt duo Articuli ſeparati: 1 Promittit Rex Hiſpaniæ, ſe 6000 Hiſpanorum ſuſtentaturum. 2 Si Dux Florentiæ via amicabili permoveri non poſſet ad recipiendos Hiſpanos, Cæſar ſe non opponet, quo minus vi executio fiat.

44. Sanctio Pragm. Statibus commendatur. Propoſuit dein Cæſar Tractatus iſtos Comitiis Imperii, quæ illos quoad negotium Italicum acceptarunt, cum Anglia de Articulo V quadrupli fœderis ſeu tractatus Londinenſis caverit: ac proin nullum amplius ſit periculum, ne auctoritas Imperatoris aut jura Imperii lædantur.

Circa

Circa alterum autem articulum, quantum ad acceptandam Sanctionem Cæsaris Pragmaticam spectat, magnæ sunt ortæ difficultates. Ostendit Cæsar per suum Commissarium Principalem, quanti intersit Imperii, ad ejusdem defensionem, ad æquilibrium in Europa conservandum, atque ad arcendum hostem Christiani nominis, ut Domus Austriacæ, quæ sit murus Christianitatis, potentia maneat conjuncta.

Ordinem successionis statutum inniti privilegiis, sciente Imperio, jam ab aliquot sæculis obtentis, pactisque hæreditariis, accedente cautione externorum & etiam complurium Imperii Principum. Petitam Imperii sponsionem in neminis læsionem aut præjudicium cedere; sed unice ad conservationem proprii, ad emolumentum Imperii, arcendamque ejus concussionem, & avertenda pericula. Confidere proin Cæsarem, Electores, Principes & Status, ad exemplum externarum Potentiarum huic successionis ordini haud gravate communi Imperii concluso subscripturos.

Adjuncta huic Decreto commissorio fuit tum ipsa Sanctio Pragmatica, tum renuntiatio Josephinarum Archiducum, Electricum Saxoniæ & Bavariæ.

Missus quoque ad Electores & Principes *Kuefffteinius* Consiliarius Intimus, ut apud eos intentionem Cæsaris promoveat. Prodierunt etiam in utramque partem scripta, quæ, cum odiosa sint, non refero. Urgentibus autem licet Ministris Cæsareis, ad nullum hoc anno Imperii conclusum deventum est. Loco *Ingelheimii* Comes *Virmondus Cameræ* Imperiali præsidere jussus. Baroni *Wensero*, Viennam avocato legatus, apud Grisones suffectus est Joannes Franciscus Comes *Wolckensteinius*, Dietrichsteinius, Rubinius, Stahrenbergius, Uzeda, Salantradus, Waldsteinius, in Consilium Intimum assumpti, Harrachius Auditor Rotæ Romam missus a Cæsare. Maximilianus Hasso Cassellanus, Regis Sueciæ frater, ad militiam Cæsaream transiit. Georgius *Knorr*, Ducis Quelferbytani prius Viennæ legatus, nunc creatus Consiliarius Aulicus. Comes de *Metsch* pro Schönbornio, donec is Viennam rediret, substitutus *Vice Cancellarius* Imperii.

Opponentibus se quibusdam, nihil a Comitiis conclusum.

Bavariæ Elector creavit 6 novos Equites S. Georgii, Nothaftum, Mayrhoferum, duos Marhofenos, duos Fuggeros. Comes *Perousa* missus legatus Dresdam, Baro *Mörmannus* Viennam.

Elector

Elector Palatinus, qui novam Manhemii arcem, deportatis eo Düsseldorpio pretiosis, incolere cœpit. Novos Ordinis S. Huberti Equites creavit Joannem Christianum Solisbacensem, Joannem Principem Birckenfeldicum, ejusque fratrem Wilhelmum, Michaelem Principem Radzivilium, Comitem Goldsteinium, Comitem Polheimium, Aulæ Mareschallum apud Alexandrum Episcopum Augustanum. Baro Buschius a legatione Viennensi redux, factus Secretarius Status. Bothmarus eidem Viennæ substitutus. Aulæ Præfectus Baro Sickingius. Comitatum Meegensem Elector Baroni Schallio donavit.

Nuptiæ Solisbac. Joannes Christianus Comes Palatinus *Solisbacensis* secundis nuptiis sibi junxit Eleonoram Philippinam, Hasso-Rothemburgensem, ex aula Sardica accitam.

Tridenti obiit Antonius Dominicus Comes *Wolckensteinius*, eique in Episcopatu successit Antonius Dominicus Comes de *Thun*.

Art. XXV.

Transactio in causa Bipontina & Veldentina. Causa successionis Oetinganæ, & Rittbergensis ob Ostfrisiam.

45. Obit Gustavus Samuel. Anno 1731 ad catholicam fidem pridem conversus *obiit Gustavus Samuel*, Dux Bipontinus, nepos ex fratre Caroli Gustavi Regis Succiæ, ac Ducis Bipontini. Usque ad annum 1718 Samuel tenui fortuna vivere debuit; at Carolo XII in Norvegia occiso, nulla relicta prole, Ducatum ceu proximus agnatus est consecutus. Duxit primo Leopoldi, ultimi Veldentiæ Ducis, filiam; sed ea repudiata propter consanguinitatem, sibi junxit Dorotheam Hoffmanniam.

Lis de successione in Ducatu Bipont. Cum autem nullos liberos suscepisset, acris de *successione in Ducatu Bipontino* jam pridem agitata est controversia Domum inter Electoralem & Birckenfeldiam. Elector tanquam caput familiæ prioritatem Neoburgensis lineæ juris sui fundamentum posuit, jus primogenituræ Rupertina constitutione jam anno 1395 confirmatum afferens. Hæc Wolfgangi abavi (a quo omnes tunc viventes Comites Palatini descendebant) testamentum opposuit, quo cautum esset, ut in iis provinciis Palatinis, quæ ad Electoratum non spectarent, fieret successio secundum jus commune, adeoque proximus agnatus succederet. Cum igitur tam Carolus Philippus Elector,

ctor, quam Christianus III Birckenfeldensis, a Wolfgango, communi stipite, æquali gradu, nempe quarto distent, non posse Electorem totum Ducatum prætendere. Asserebat insuper, Wolfgangum voluisse, ut juniores duæ lineæ, Bipontina & Birckenfeldensis, sibi mutuo succederent, substitutione reciproca inter eas introducta. Constitutionem Ruperti merum fuisse *projectum*, ut vocabant, nunquam in usum deductum fuisse.

Cum igitur controversia ista in litem excresceret, Imperator Ducatum Landgravio Darmstadiensi & Abbati Fuldensi in *Sequestrum* dedit. Europa velut in partes ivit. Protestantes magno studio assistebant Birckenfeldensi, utpote suæ religionis Principi. Catholici vero Electori optabant victoriam. Pars utraque prolixa deductione jura sua publice produxit. In Sequestrum datur.

Tandem anno sequenti transactione lis est dirempta, prout etiam *causa Veldentina*, quæ inter utramque ejusdem Domus lineam controversa, ferme eisdem principiis nitebatur; nisi quod Birckenfeldensis ex testamento Wolfgangi nullum hic subsidium accersere posset, quia Veldentini Comites Palatini ex illo non descendebant, sed ex Alexandro, jam anno 1514 defuncto, communi stipite, Wolfgangi avo; a quo tamen rursus æquali gradu, id est, sexto, distabant.

Transactione autem illa conventum est, 1. *Elector reservat* sibi *Veldentium* & *Lautereckium*, & quæcunque de Veldentinis regionibus possidet. Cedit vero Birckenfeldensi partem suam Comitatus Lüzelsteinii & Guttenbergæ: sic tamen, ut Domus Solisbacensis, quæ eodem jure hæreditario nitebatur, dimidiam partem Comitatus *Lüzelsteinii* obtineret. Transactio.

2. Veldentinum Imperiale & Circulare *votum* sit penes Electorem, quoad vivet. Post ejus mortem Domus Solisbacensis & Birckenfeldensis alternent.

3. Elector agnoscit *Birckenfeldensem* tanquam *Ducem Bipontinum* Regentem, illumque ad possessionem, fruitionem, & homagium recipiendum admittit; Præfecturam tamen *Stadeckensem* sibi & successoribus suis in Electoratu reservat.

4. Utraque tamen pars stipulatur liberum *Religionis exercitium* pro locis cessis in *statu quo*. Aliquam tamen exceptionem Dux facit, circa solennes in urbe processiones, portationem Venerabilis, Capellam Aulicam, & aliquos reditus Ecclesiasticos.

5. Conveniunt de *appanagio*, Principibus *Gelnhusianis*, ex Bipontina linea, assignando.

6. Cauſa Wildfangiatus juxta tractatum Landavienſem aliosque reguletur. Tractant dein de pactis dotalibus Sulzbacenſibus, de ſolvendis debitis, &c. renuntiantque liti, Viennæ introductæ. Anno dein 1733 Electori & Dux propriæ manus ſubſcriptione hanc tranſactionem firmarunt. Et Dux *Biponte* ſedem fixit.

Franciſco Ludovico, Electori Moguntino, ob negotium Sanctionis Pragmaticæ Viennam invitato, Cæſar ipſe, ejuſdem nepos, curru obviam proceſſit, eumque tota aula magnifice excepit.

Bonnæ, ubi Elector magnificum palatium conſtruxit, Manderſcheidio in Officio Aulæ Mareſchalli ſucceſſit Ferdinandus L. B. Plettenbergius.

Salisburgenſi in ditione *Jecta* prodiit *ruſticæ plebeculæ*, quæ ignorantiæ tenebris cæcutiens, hauſto ex libris, Ratisbona clam illatis, veneno, varios in errores eſt abrepta. Addidit contumaciam, & refractariam ſeditionem; quam ut compeſceret Archiepiſcopus, a Cæſare ſex millia virorum obtinuit.

Quamvis autem rudes iſti homunciones ipſi neſcirent, quid crederent, nihilominus Corpus Evangelicum, quod appellant, Ratisbonæ mox altum clamare, minari, de pace Weſt. violata ad Cæſarem queri, localem commiſſionem expoſcere; quamvis Archiepiſcopus emigrationem ipſis concederet.

46. Nova Secta Salisburg. ruſticorum.

Exceſſerunt autem ex ſterilibus ſuis montibus, feraciores terras quæſituri, non pauci, Proteſtantium promiſſis illecti. Nam & Kauffburæ, & Auguſtæ, & præſertim Ratisbonæ, ubi Gazophylacium pro ipſis erat erectum, liberaliter excipiebantur: in Hollandiam inde, Angliam, & Americam, ſpebus magnis ebrii, ſunt deportati.

Nec Lutherani erant, nec Calviniani ex integro, nec Catholici, ſed quartum quoddam ſectæ genus, mixtum ac varium, conſtituebant; unde, licet jus emigrandi ipſis fuiſſet negatum, nihil habuiſſent Proteſtantes, quod de pace læſa conquererentur.

Wormatienſis etiam civitas querelam Ratisbonam & Viennam detulit, quod Venerabile ad ægrotos publice deportaretur, contra uſum anni Normalis. Verum Franciſcus Ludovicus, Elector Moguntinus & Epiſcopus Wormatienſis, contra prætenſum hoc gravamen utrobique exceptiones ſuas oppoſuit.

Ulricus Dux Oelſenſis converſus.

Ex Domo Würtembergica Religionem Catholicam amplexus Chriſtianus *Ulricus*, *Dux Oelſenſis* in Sileſia, atque hoc anno in Italiam profectus, a Magno Florentiæ Duce cum honore ſingulari exceptus

ceptus est. *Grævenizia* ab Aula Stuttgardensi dimissa, & Joanna Conjux ab Eberhardo Duce recepta.

Fridericus Rex Sueciæ Hassiam suam invisit. Ex *Wanfridensi* Hasso-Rheinfelsensi linea obiit Wilhelmus sine liberis. Successit proin Christianus frater, qui *Eschwegæ* sedem fixerat, duxitque Mariam ex Hohenloensi Bartensteinia Familia.

Inter Electores Saxoniæ & Hannoveræ, præter unionem hæreditariam, jam anno 1687 conclusam, initum est hoc anno 1731 fœdus defensivum: cujus fide indigeret hodie Saxonia.

Obit *Augustus Wilhelmus* Dux Quelferbytanus sine liberis. Successit *Ludovicus Rudolphus*, Dux Blanckenburgicus, Imperatricis pater: atque hoc pacto Brunsvicensem, Quelferbytanum, & Blanckenburgensem Ducatus conjunxit, brevi post lineæ Beveranæ eosdem relicturus. Brunsvicensia.

Carolus Leopoldus *Dux Mechlenburgicus*, de cujus cum subditis discordiis alias dictum, adhuc reluctatur Decretis Cæsareis: delata interim Christiano fratri administratione, & subdelegata Commissione excedere recusante, donec sumptus refunderentur. Fidebat videlicet Dux favori Aulæ Russicæ; cum Imperatricis sororem haberet conjugem, quæ ab eo separata Petroburgi degebat. Mechlenburgica.

Obiit *Albertus Ernestus Princeps Oetinganus*, ultimus lineæ Acatholicæ. Sed supererant tres lineæ Catholicæ, Spihlbergensis, Wallersteinia & Balderana. Omnes tres volebant succedere: ex *Spihlbergensi Franciscus Albertus*; quia erat ex prima linea Comitum, & senior totius Familiæ: ex *Wallersteinia Antonius Carolus*; quia a defuncto Principe fuerat institutus hæres, & possessionem jam ceperat: ex *Balderana Crato Antonius*, qui initio testamentum acceptavit, quia in eo Wallersteiniæ lineæ erat substitutus; sed deinde, cum testamentum ut invalidum a Spihlbergensi impugnaretur, voluit, ut hæreditas in tres æquales partes distributa, inter tres Comites ex æquo divideretur, eo quod omnes tres æquali gradu a defuncto Principe distarent. 47. Obit Princeps Oetinganus. Lis de successione.

Processus igitur Judicialis, & pretiosus & diuturnus in Judicio Aulico institutus inter lineam Spihlbergensem, & Wallersteiniam. Illa ad unionem hæreditariam, anno 1522 initam, se referebat, vi cujus bona immobilia, a defuncto relicta, tanquam fideicommissa Familiæ sint consideranda; de quibus proin Princeps defunctus non potuerit libere disponere, præterito seniore & primogenito totius Familiæ. At Judicium Aulicum, relicto Wallersteinio in possessorio, Spilbergensem ad petitorium magis probandum remisit, Wallersteinio confirmatur possessio.

ſit, quod poteſtas teſtandi de bonis immobilibus in Domo Oetingana locum non habeat.

Nec minus agitata fuit cauſa *Ritbergenſis* inter Carolum Albertum Principem Friſiæ Orientalis, & Maximilianum Comitem Kaunizium. Sic habet. Enno III, Comes Friſiæ jam ſæculo XVI conjugem habuit Walpurgim, *ultimi Comitis Ritbergenſis* in Weſtphalia *filiam* hæredem; quæ duas filias genuit, *Sabinam* & *Agnetem*: illa nupſit Joanni patruo ſuo: & ex hoc matrimonio deſcendit Erneſtina, *Kaunizio* deſponſa, multorum liberorum mater.

41. Cauſa Ritbergenſis.

Agnes Gundacaro *Lichtenſteinio* tradita, hujus ſtemma propagavit, & in partem hæreditatis venire volebat. Lis inter Domum Kauniziam & Lichtenſteiniam tranſactione fuit compoſita, ceſſa Kaunizio 1724 hæreditate Comitatus, cum tribus annexis prædiis.

At vero oppoſuit ſe vehementer tranſactioni Princeps Oſtfriſiæ (deſcendens ex eodem Ennone, ſed per ſecundas ejuſdem nuptias ex alia matre) qui tria prædia ſibi vendicavit eo titulo, quod tam Walpurgis, quam ejus filiæ renuntiatione jurata illa ceſſerint Ennoni, Abavo ſuo, juſque ſuum prolixa Deductione, Comitiis Ratisbonenſibus hoc anno porrecta, probare conatus eſt. Duæ hic quæſtiones moveri poterant, 1 an prætenſa ejusmodi renuntiatio ſit facta? 2 an valide ſit facta; cum tam donatio inter conjuges, quam renuntiatio filiarum alias de jure ſint irritæ.

Illud ex Lutheranis quæri poſſet; quomodo Sabina matrimonium cum patruo ſuo inire potuerit, cum ipſi in tali conſanguinitatis gradu contractum jure Divino invalidum ſtatuant.

Cauſa Lauenburgica, & aliæ.

In cauſa *ſucceſſionis Lauenburgicæ*, cum Domus Hannoverana eſſet in poſſeſſione, Saxonica, & alii prætendentes ad petitorium remiſſi ſunt. Prout etiam contigit Comiti Manderſcheidio, Comitatum Falckenſteinium repoſcente a Domo Lotharingica. Hujus feudum erat Comitatus, a Carolo III Duce Valdemontio, filio ſuo naturali, collatum, poſt hujus autem mortem Domus Lotharingica illum conſolidavit, quam Conſilium Aulicum hoc anno in poſſeſſione confirmavit, petitorium autem reſervavit Manderſcheidio.

Art.

Art. XXVI.

Sanctio Pragmatica ab Imperio per Majora acceptata, uti etiam ab Dania & Hollandia. Domus Sulzbacensis. Obitus Moguntini. Abbas ad S. Emeranum Princeps Imperii renuntiatus. Venatio infelix.

Anno 1732.

Anno 1732 Negotium *Sanctionis Pragmaticæ* fervebat in *Comitiis Imperii*, tandemque per majora acceptatio illius & sponsio accessit; protestantibus contra illam Electoribus, *Bavaro*, *Saxone*, & *Palatino*. Eandem cum sponsione acceptarunt *Dania* & *Hollandia*. 49. Dania & Hollandia accedunt Sanctioni Prag.

Comitia autem in suo conclusо memorarunt; postquam Decretum Commissorium ad Principalem Commissarium a Cæsare sit missum, & per publicam *Dictaturam* communicatum, tria Collegia de illo more consueto deliberasse, atque percepisse, quod Cæsarea Majestas ordinem successionis, anno 1713 declaratum, in omnibus hæreditariis suis provinciis in forma *fideicommissi perpetui*, *indivisibilis & inseparabilis*, cautione Imperii firmari exigat, prout ab Anglia per art. 2 tractatus Viennensis firmatus fuit, ideo cum sic quies Europæ sperari possit, Imperium defensionem illius suscipiat. Uti etiam Comitia Imperii.

Imperator hoc conclusum Imperii summa cum voluntate suscepit, & approbavit, atque sic in Recessum, seu legem Imperii excrevit; quamvis non deessent scripta contraria, quæ illud quoque in quæstionem deducebant, an in cautionibus & sponsionibus Imperii majora valere debeant. Illud quoque notandum, vel fratres in hoc negotio non convenisse; nam Elector Moguntinus frater Electoris Palatini, & Coloniensis frater Bavari, pro Sanctione Pragmatica suffragium dederunt. Dissentiente Bavaro, Saxone, Palatino.

Mortuo *Francisco Ludovico* Electore *Moguntino* lis antiqua recruduit; nam tempore sedis vacantis tres Electores *Coloniensis*, *Trevirensis*, & *Saxo Directorium Imperii* sibi vendicabant. Omnes tres invitarunt Status ad congressum. Sed nullus comparuit, donec per Electionem *Elzii* novi Electoris Moguntini controversia cessavit. Seckendorffius Philippo-Burgi, & Pfulius, Kehlæ Præfectus, crebrioribus litteris instabant apud Comitia, ut ruinæ utriusque limitanei munimenti subsidiis occurrerent. Sed ad rei summam parum provectum. Mortuo Moguntino lis de Directorio Imperii, quæ cessavit electo Elzio.

In *Consilium Intimum* Cæsaris adlecti, Daniel de Mayern Archiepiscopus Pragensis: Mauritius Adolphus Dux Saxo. Neostadiensis, Episcopus Reginæ Gradeciæ: Harrachius Legatus Bohemicus Ratisbonæ: Pio Legatus Venetiis: Sassenhofius primus ante Minister Moguntinus: Kinskius Regius Vicarius in Bohemia: Rothalius: Weissen-Wolffius, Jörgerus, Gundemarus Stahrembergius, Hohenfeldius.

Elector Bavariæ cum Saxonico per Comitem Perusa amicitiæ & mutuæ defensionis fœdus Dresdæ iniit.

Obit Theodorus Dux Sulzbac. Liberi.

Ex Domo Palatina obiit *Theodorus* Dux Sulzbacensis 71 æt. anno, filius Christiani Augusti, qui Catholicam Religionem amplexus fuerat. Conjugem habuit ex Domo Rheinfelsensi. Ex ea genuit 1 Josephum, Electoris Palatini filiæ desponsum. 2 Joannem Christianum, moderni serenissimi Electoris Palatini Patrem. 3 Christianam Abbatissam Thornensem & Essensem. 4 Ernestinam, nuptam Wanfridensi. 5 Annam, moderno Regi Sardiniæ collocatam. Multis annis proximus ex sæcularibus fuit Dignitati Electorali; nec unquam adduci potuit, ut de suo, & liberorum suorum eventuali in Juliacenses & Montenses Ducatus jure quidquam remitteret. Successit Joannes Christianus, primogenito sine liberis masculis jam mortuo, brevi & ipse moriturus, relicto filio, spe magna Domus.

Obit Elect. Mog.

Ex eadem serenissima Domo obiit Vratislaviæ *Franciscus Ludovicus*, *Elector Moguntinus*, Electoris Palatini frater, anno ætatis 68, Regiminis Moguntini quarto. Fuit electus Episcopus Vratislaviæ in Silesia 1683, Wormatiensis, & Præpositus Elvacensis, atque Teutonici Ordinis Magister 1694, post obitum fratris sui Ludovici Antonii, Coadjutor Moguntinus 1710, Elector Trevirensis 1716, Elector Moguntinus 1729, æternitatis incola 1732. Epitaphium sibi hoc inscribi voluit: *Hic jacet peccator Franciscus Ludovicus: orate pro eo.*

Electus in ejus locum fuit *Philippus Carolus de Elz* ex Rhenana Nobilitate, qui Erfordiæ Vicarium constituit Warsbergium.

Abbas S. Emmerami Princeps Imperii.

Obiit Rhelingius Princeps Abbas Berchtolsgadensis: electusque Notthafftus. Anselmus de Gordon *Abbas ad S. Emmeramum* Ratisbonæ cum omnibus suis successoribus a Cæsare renuntiatus est Princeps Imperii.

Venatio Cæsaris infelix.

Princeps *Schwarzenbergicus*, Aulæ Mareschallus, cum Imperatorem Pragam comitaretur, eumque in Crumloviensi suo Ducatu splendide exciperet, in venatione fortuito globo, ab amica sed incauta manu emisso, percussus occubuit; summo dolore Cæsaris. Filius, tunc duodennis, summa dein gratia apud eum valuit.

Art.

Art. XXVII.

Obitus Regis Poloniæ. Electio turbida. Bellum propterea inter Cæsarem & Gallum. Cui accedunt Hispanus & Sardus. Varii obitus. Alex. fit Dux Würtemb. Investitura Bremensis & Verdensis. Mechlenburgica & Hohenloensia.

Anno 1733 obiit *Augustus*, *Rex Poloniæ*. De electione autem novi Regis gravissimæ tum in Regno, tum extra illud ortæ sunt contentiones. Pars magna Optimatum elegit *Stanislaum Lescynski*: pars altera *Fridericum Augustum*, Regis defuncti filium. Miscebant se negotio Imperator, Russia; & Gallia. Illi Socerum Regis Galliæ vicinum veriti pro Saxone stabant: hæc pro Stanislao; omnes liberam electionem prætexentes. 50. Obitus Regis Poloniæ. Electio litigiosa.

Russi cum copiis *in Poloniam* movebant; Cæsarei in Silesia atque finibus Poloniæ consistebant. Galli, injuriam, ut dicebant, vindicaturi, transmisso Rheno, *Kehlam* expugnarunt. Omnes, ut justitiam suæ causæ tueantur, & persuadeant orbi, *Manifesta* sua, ut vocant, publicarunt.

Atque imprimis Gallia, inito cum Hispania & Sardinia fœdere, objiciebat, post mortem Regis se imploratam a Republica, ut liberam electionem protegeret. Polonos, exclusis exteris, voluisse *Stanislaum* eligere. Opposuisse se Cæsarem, quia esset Socer Regis Galliæ. Quamvis autem Cæsareæ copiæ non sint ingressæ Poloniam, metum tamen e propinquo incussum, & minas intentatas: atque *Russos* ac *Saxones* incitatos, ut in Poloniam irrumperent, libertatem electionis turbaturi. Electum nihilominus Stanislaum liberis suffragiis, impeditum tamen, quo minus quietam regni possessionem consequeretur. Coactum igitur Regem, arma corripere, ad vindicandam injuriam, socero & sibi illatam. Gall. Manifestum,

Querelis istis *Cæsarei* prolixam Deductionem opposuerunt, in qua memorant, Cæsarem & Russos a Primate Potokio ejusque fratre Kioviæ Palatino fuisse initio requisitos, ut copias ad fines collocent, libertatem Reipublicæ defensuras. Cæsarem nemini de hoc debere rationem reddere, sicut nullas petat a Gallia, modo finibus suis non egrediatur. Necesse fuisse, ut Silesia tunc a rapinis tuta præstetur. Cæsareum.

Ele-

Electioni Stanislai neminí se fuisse oppositurum, si quiete, libere, sine factionibus & violentia fuisset peracta, nec *liberum Veto*, anima Reipublicæ, eversum. Prætextum hunc fuisse Galliæ, jam a biennio turbas quærentis, ut Sanctionem Pragmaticam elideret, & provincias austriacas dissecaret. Fas proin fuisse Cæsari, media licita adhibere, ut is, liberis tamen suffragiis, promoveretur, quem e re sua magis fore censeret. A Gallis contra eos, qui coactæ electioni obsisterent, male tractatos.

Hortatio in Comitiis. Misso etiam *Decreto Commissorio* Ratisbonam Imperator Comitiis proposuit: Badensem pacem per hostilem in Imperium irruptionem ruptam, prætextu electionis Polonicæ Sabaudiam eo tempore, quo homagium Viennæ ratione feudorum præstitisset, cum Gallia fœdus iniisse, ut Imperatorem in Italia aggrederentur. Cæsarem nec militem immisisse Poloniæ, sed tantum in Silesia fines custodire: nullam igitur Galliæ belli inferendi causam datam. Galliam Polonos, obtrudendo Stanislaum privare conatam eligendi libertate, se vero ceu sponsorem illam conservare. *liberum Veto* extortis juramentis violatum. Propterea varios Poloniæ Magnates implorasse Cæsaream & Russicam assistentiam.

A Primate Turcas & Tartaros fuisse sollicitatos per Legatum Gallicum. Russos Poloniam ingressos tanquam amicos, qui libertatem defenderent. Stanislaum anno 1717 sub sponsione Russica *ineligibilem* declaratum. Ex his satis patere, quis sit aggressor. Sicut igitur Cæsar jam Angliam, Daniam, Borussiam, Hollandiam implorarit, ut pro ratione fœderis auxilia submittant, ita non dubitari, Status per Conclusum Imperii bellum Galliæ denuntiaturos.

Protestantes postulabant, ut, antequam negotium istud susciperetur, *Clausula Articuli IV* pacis Risvicensis aboleretur. Sed cum Catholici Status se opponerent, ad nullum hoc anno Conclusum deveniri poterat.

Interea vero *Galli* non omittebant, Decretum Cæsaris *Commissorium* prolixa *Deductione confutare*, illud inter alia commemorantes: Imperatorem non Stanislaum solummodo propter arctam affinitatem cum Galliæ Rege a throno exclusisse, sed initio etiam Electorem Saxoniæ, donec is Sponsorem Sanctionis Pragmaticæ se dedisset.

Cæterum exercitus Cæsareus *Pilsam* inter & *Egram* castra locaverat, donec exeunte Octobri *in Sueviam* sunt translata Ductore Brunsvico-*Beverano Principe*. Cum autem copiæ viginti diuntaxat mil

millibus constarent, hyems conscribendis militibus impigre impensa est: obeuntibus interea Electorum & Principum aulas, hinc *Kuefssteinio* Legato Cæsareo, inde *Blondello* Gallico: illo, ut eos cum Imperatore suo conjungat: hoc, ut abstrahat.

Cæsar autem multos renuntiavit militiæ Duces: & *mortuo Hohenzollerano* Comiti, Friburgi Præfecto, subrogavit Baronem *Tillierum*, qui prius Petrovaradino in Hungaria præerat.

Obiit *Joannes Christianus* Comes palatinus, Dux *Sulzbacensis*, anno ætatis 33. Ex prima conjuge, Maria Anna, Francisci Egonis Marchionis Bergensis ad Zomam Filia hærede, reliquit Carolum Philippum Theodorum, modernum Electorem Palatinum, qui tunc sponsalia contraxit cum Maria Elisabetha, patruele sua, Caroli Philippi Electoris nepte. Obit Christianus Dux Sulzbac.

Decessit quoque *Eberhardus Dux Wirtembergiæ*, cui, cum nullam prolem masculam relinqueret, successit *Carolus Alexander*, agnatus proximus. Quia autem hic ad Catholicam Religionem fuerat conversus, cum Statibus Provinciæ *Assecurationis tractatum* inire coactus est: quod nempe religionem in statu quo relinquat: aliam, ne quidem simultanee, introducat, nec templa aut Monasteria ædificet: Theologicum Stipendium, & Scholas Tubingæ conservet: nec in Universitate aut Collegio Illustri mutationem faciat: Ecclesiastica & civilia Officia Lutheranis conferat: prout etiam in Comitiis Imperialibus & Circularibus Lutheranum Legatum habeat, qui secundum principia Corporis Evangelici procedat: jussus renuntiare omnibus Pontificiis Dispensationibus, Indultis, restrictionibus, exceptionibus doli & persuasionis, aliisque Juris subsidiis. An hæc non sint contra Pacem Westph. quæ Jus reformandi Statibus Imperii *Art.* 5 §. 30 aperte tribuit, alii judicent. Eberhardo Würtemb. succedit Alex. Reversales extortæ.

Mühlhusii, civitate Imperiali in Thuringia, cives adversus Senatum insurgebant; resque eo processerat, ut Imperator Commissarios designaret, qui causam examinarent, demandata executione Circuli Inferioris Saxoniæ Directoribus. Igitur Brandeburgicæ & Lüneburgenses copiæ admoventur urbi; quæ in arbitrium Saxo-Gothani Ducis compromittit. At Cæsar, rescisso eo *compromisso*, jussit Executores procedere, & a Commissione Cæsarea causam cognosci. Auctores rebellionis publico in foro carnificis manu ultimo supplicio sunt affecti. Denique, cum plures civium reorum diffugissent, citatio curiæ fuit affixa, qua sistere se jubentur, secus ceu convictos & confessos condemnandos. Turbæ Mihlhusii. Pœna.

Hannover. Inveft. in Bremenfi & Verd. Ducatu.

Hoc tandem anno Elector *Hannoveranus Inveftituram Bremenfis & Verdenfis Ducatus*, unaque cum illa *duo vota* in Comitiis obtinuit, Bremenfis Civitatis immedietate falva. *Coinveftita* eft Domus Brunsvicenfis, certis tamen in eventum extinguendæ familiæ Hannoveranæ conditionibus, refundendæ nempe hæredibus allodialibus pecuniæ, quæ ab Hannoveranis in eos Ducatus comparandos fuerant expenfæ. Gymnafium *Göttingenfe* hoc anno in *Academiam* mutatum, accedente confirmatione Cæfarea, & privilegiis impertitis. Beverana Domus duplici matrimonii vinculo innexa fuit Borufficæ.

Götting. Acad.

Mechlenb.

Mechlenburgi Ducatum graves adhuc turbæ mifcent. Carolus Leopoldus, quamvis Cæfareis fe mandatis pariturum fcriberet, aliud tamen fœdus cum Gallia initum loquebatur. Chriftianus frater, defignatus Adminiftrator, cum fratre certabat; dum Lüneburgicæ, Brunsvicenfes, & Brandeburgicæ interim copiæ provinciam depafcebantur.

Hohenloenfis tranfactio.

Inter tres fratres Hohenlo - Bartenfteinenfes, arbitratore Epifcopo Bambergenfi & Herbipolenfi, tranfactio fuit inita. Poft mortem patris, quæ contigit anno 1729, Senior Carolus Philippus folus jure primogenituræ regnare volebat; quia duo fratres juniores Statui Ecclefiaftico fe addixerant. Hi autem *corregentes* effe cupientes caufam ad Confilium Aulicum deferebant. Sed jubente Cæfare per Bambergenfem res ita fuit compofita, ut duo fratres feniores in *Bartenftein* communiter gubernarent, minimus autem natu Rupertus *Pfädelbachii* regeret, adjecta Præfectura Sindringenfi. Comes Styrumbius duxit Carolinam, Ottonis Comitis Hohenloenfis in Schillingsfürft filiam.

Comes *Lippenfis Detmoldenfis lineæ* a Camera Hannoverana mutuo accepit quingenta thalerorum millia fub hypotheca Sterenbergenfis Præfecturæ.

Plettenberg. dimiffus.

Ferdinandus *Plettenbergius*, ab Imperatore Carolo VI in Comitum numerum relatus, fupremus Aulæ Colonienfis Minifter, gratia Electoris excidit, atque dimiffus eft, quod majorem Domus Auftriacæ, ut fpargebatur, quam Bavaricæ in negotio Sanctionis Pragmaticæ habuiffet rationem.

Art.

Art. XXVIII.

Bellum contra Galliam per Majora in Comitiis decernitur. Clausula Risvic. Bervici mors. Causa Nassovio-Siegensis. Hyacinthi Principis fata. Spilbergensis Princeps Imperii.

51.

Anno 1734, cum Protestantes in Comitiis urgere pergerent abolitionem invisæ sibi *Clausulæ Risvicensis*, Cæsar, indulgendum aliquid ratus, pronuntiavit, quæ mutata essent, secundum constitutiones Imperii in pristinum statum reductum iri. Tum vero negotium belli, adversus Galliam declarandi in tribus Imperii Collegiis propositum, deliberatumque, *an*, & *quomodo* bellum esset gerendum. Clauf. Risvic.

Per *Re- & Correlationem* in duobus superioribus Collegiis re expedita, & cum Collegio civitatum communicata, formatum est hoc conclusum, a Directorio Moguntino Commissario Principali traditum, atque ab hoc ad Imperatorem pro ratihabitione transmissum, ut in Recessum Imperii evadat: hæc autem summa.

Cum Gallia, præter alias violationes pacis, Imperium nunc, occupando *Keblam* invaserit, Cæsareæ Majestati pro cura & sollicitudine agendas gratias, atque, secundum Decretum Commissorium Ejusdem, Galliæ, Sardiniæ, & omnibus eorum adhærentibus bellum nomine Imperii denuntiandum esse, juxta normam anni 1681, 1689, 1702, 1704. Nemini, ut neutrarum sit partium, permittendum. In occupandis aut recuperandis locis in statum omnia pristinum restituenda. Rogandum Cæsarem, ut consueta *Avocatoria*, *Inhibitoria*, ad eos, qui apud hostem militaribus aut civilibus muneribus funguntur, prout etiam *Mandata pœnalia* propter exportationem equorum, alimentorum, munitionum, armorum, prohibitiones item Commercii realis ac litteralis, in hostiles terras dirigat. Bellum contra Gall. ab Imp. decernitur.

At vero Electores, *Coloniensis*, *Bavarus*, *Palatinus*, & Episcopus Ratisbonensis, contra Conclusum istud exceperunt: notorium esse, præsens bellum ex ea duntaxat causa fuisse exortum, quod Stanislaus a corona fuerit repulsus, quin ea de re ad Imperium referretur. Hinc Galliam irritatam, permotamque, ut vindictam sumeret: non igitur pro aggressione habendum, quod fecisset Gallia, sed pro reparatione honoris læsi. Non videri consultum, bellum decernere, quamdiu maritimæ nationes quiescunt. Opponunt se Bavarus, Palat. Colon.

Cæsarem in Decreto Commissorio anni 1714 fassum, sine auxilio Angliæ & Hollandiæ non posse bellum contra Galliam utiliter continuari; cum tamen res Imperii in Italia tunc floreret, & Gallia multis gravissimis cladibus esset attrita. Pacem quoque Westphalicam exigere, ut mitia ante remedia tententur. Factu optimum videri, si Imperium Mediatoris suscipiat partes, donec appareat, an Gallia, secundum Blondelli promissa, Kehlam sit restitutura, & damna illata reparatura. Si restitutio difficultatem pareret, posse interim munimentum indifferenti præsidio committi.

Cum nihilominus conclusum esset bellum, memorati tres Electores non tantum contra Conclusum, sed etiam contra obrogationem clausulæ ad Protocollum per Legatos suos sunt protestati; illud quoque addentes, clausulam illam esse fundamentalem legem Imperii, quæ sine consensu omnium Statuum non possit aboleri.

Bello igitur tubas inter & tympana Ratisbonæ declarato, ulterius decretum est, ut Imperiales copiæ triplo, seu centum viginti virorum millibus constarent: Princeps *Eugenius* hunc exercitum duceret, tanquam supremus belli Præfectus. Cui tres Imperii Campi Mareschalli ceu Legati adjuncti sunt, Alexander Dux Würtembergiæ, Ferdinandus Albertus Dux Beveranus, Leopoldus Princeps Dessavius. Quatuor insuper renuntiati Rei Armamentariæ Præfecti, Julius Comes de Marck, Maximilianus Hasso-Cassellanus, Adolphus Saxo-Weissenfelsensis, Ferdinandus Dux Bavariæ.

Duces belli.

Quantum vero ad ipsum bellum spectat, Dux Beveranus *castra ad Heilbrunnam* posuit, Dux *Bervicus* vero Gallorum Ductor *ad Landaviam*; indeque movens *Spiram* aliaque loca ad Rhenum opportuna occupavit. Expugnatum *Trarbachium* cum Grævenburgo, arce munita. Superato dein Rheno, & Etlingensi linea, in Durlacensem provinciam Gallicus exercitus se effudit; atque inde *Philippoburgum* expugnavit, quod *Witgenavius* strenue propugnaverat.

Gall. progressus sub Bervico,

Erat in propinquo cum exercitu Princeps Eugenius, obsidionem soluturus; sed Galli viciniam urbis ita obsepserant atque munierant, ut sine ingenti exercitus detrimento accessus nullus pateret.

At

At caro Gallis Philippoburgum stetit; dum, ut fertur, præter 7000 armatorum, Jacobum, Ducem *Bervicensem*, magnum bellatorem, & a victoria Alamancensi aliisque gestis clarum, amisetunt, globo tormentario, dum vias obsidionales lustraret, stratum. Filius erat naturalis Jacobi II Regis Angliæ, Franciæ Mareschallus, Jacobi Ducis de Liria pater. Qui cecidit.

Bervico substituti sunt duo Duces, *Noallius* & *Asfeldius*. Ille Wormatiam, Oppenheimium, Franckenthalium progressus, Moguntiæ imminebat, sed providentia Eugenii retrocedere coactus, ad Sylvam Nigram, ut transitum prohiberet, se obvallavit. Non dubitabatur, quin Galli Friburgum aut Brisacum essent aggressuri, sed utrumque insigne munimentum solerter provisum viderunt. Wormatia capta a Gallis, tum ab Imperialibus, & iterum a Gallis, Schmettavio cum 3000 excedente. Substituti Noall. & Asfeld.

In hyberna ubi concessum, Eugenius, cujus vix non fama laborabat, Viennam abiit, præfectura exercitus *Alexandro Würtembergio* commissa.

Cæterum hoc anno Firmianorum Familia in Comitum numerum fuit relata. In Intimum Consilium a Cæsare assumpti, Blasius Bender Abbas S. Blasii, Prælatus omnibus virtutum ornamentis clarus. Enckenvortius, Hohenfeldius, Oedtus, Questenbergius, Firmianus, Archiepiscopi Salisburgensis frater: Metschius Vice-Cancellarius Imperii renuntiatus: suprimi castrorum Præfecti Vicarii, Welseckius, Succovius, Fürstenbuschus, Zungenbergius, Hohenembsius: Consilii bellici Præses Max. Stahrenbergius, loco Königseckii, in Italiam missi ad regendum exercitum: Hamilton Gubernator Temesvariensis: Baro Jodoci, qui fuerat Legatus Austriacus Ratisbonæ, & Director Collegii Principum, creatus Concommissarius, loco Baronis Kirchneri mortui. Legatus Comitialis Austriacus Palmius, Bohemicus Coloredus loco Kuefffteinii: Kevenhüllerus Legatus Haffniam, Osteinius Petroburgum, Wasnerus in Lusitaniam *Jablonowskius* cognatus Stanislai, Viennæ custoditus, cum Esterhasio, Argentinæ detento, commutatus. Aula Cæsaris.

Pallavicinus, Cæsareus Archithalassus, *Tergestum* munire jussus, & ripas tormentis instruere, ad arcendas naves Hispanas & Gallicas, si forte in Istriam tentarent irrumpere. Jussi omnes *Galli & Sabaudi Vienna excedere.* Juvenis *Ragozius* non jussus excessit, & Venetias fugit.

Bellum ad Rhenum.

Moguntinus Elector Eugenium de periculo suæ urbis monuit, qui misso primum Petrafchio cum valida cohorte, tum exercitu secundo Rheno imminente Asfeldium avertit. Moguntiæ datus Gubernator *Seckendorffius*, *Witgenavio* Mantuam misso.

Trevirensem ditionem cum urbe principe *Galli occupabant*, Electore Hermansteinium se recipiente, & Archivio primum Confluentias, dein Coloniam translato.

Coloniensis Elector, licet contra bellum sit protestatus, copias tamen pro rata Imperio contulit; hyberna Borussica coactus pecunia redimere. A Gallis autem nihil incommodi pertulit.

Dum Mars alibi flammas spargit, casus fortuitus Leodiense Episcopi palatium in cineres redigit.

Princeps Abbas Fuldensis, Baro de Dalberg, Academiam fundat, quatuor Facultatibus ornatam, & a Cæsare approbatam.

Kevenhüllerus, Canonicus Augustanus & Olomucensis, ad Episcopatum Neostadiensem favore Cæsaris promotus.

Bavarica.

Quamvis Aula Viennensis & Parisiensis per Legatos suos Electorem Bavariæ in partes suas inclinare conabantur; ille tamen, cum bellum jam ante improbasset, indifferentem se declaravit. Quia autem bellum ab Ordinibus per majora erat decretum, atque ut nulla indifferentia permittatur, Status Provinciales Müldorffii, præsente Firmiano, congregati, ad contingentem se portionem (3475) paratos exhibebant. Sed cum Elector circa suam ratam (1700 viros) difficultatem injiceret, nemo hoc anno ad exercitum Rhenanum accessit. Quia autem magni fiebant delectus, Austria fines suos Bohemicos & Tyrolenses custodiebat; licet Elector assereret, ad defensionem duntaxat regionum militem suum esse intentum. Equites S. Georgii creati, Lüzelburgius & Murbachius.

Palatina.

Cum Galli ad *Necaravium* Rhenum transiissent, non modica Viennæ in Electorem Palatinum suspicio cadebat; sed ille per suum Viennæ Legatum est contestatus, eum transitum repente, nec se nec subditis suis consciis, esse susceptum. Interim autem Manhemium muniebatur, imposito 6000 præsidio.

Obiit Manhemii Fortunatus Baro *Isselbachius*, Imperialis & Palatinus Rei Tormentariæ Præfectus, Gubernator urbis Manhemii. Successit in hoc munere *Zobelius*. Copiis vero præfectus fuit *Hazfeldius*. Cum hoc anno controversiæ, inter Domum Electoralem & Birckenfeldensem, ratione Bipontini & Veldentini Ducatus diu agitatæ, ultima manus per transactionem fuisset imposita, Christianus

ſtianus III, Dux Birckenfeldenſis Ducatus *Bipontini*, Elector vero *Veldentini* poſſeſſionem quietam adiit. Tranſactionem ſupra retulimus.

In *Saxonia* obiit Auguſtus Chriſtophorus Comes *Wackerbartus*, ſummis apud Electorem multis annis muneribus perfunctus, privigno ſuo adoptato; qui nomen adoptantis aſſumpſit. Comes vero *Hoymius*, primus Aulæ Miniſter, gratia excidens, in arcem Königſteiniam deductus eſt. Saxonica.

Elector aſſecurationem Religionis ſubditis ſuis tradidit, qua promiſit, ſtatum religionis Confeſſionis Auguſtanæ, ejusque conſortes nunquam turbatum, ſed omnia ſecundum pacem Weſtphalicam conſervatum iri.

Elector Hannoveranus 6000 armatorum Cæſari ad Rhenum miſit, quæ novem legiones conficiebant.

Alexander Dux *Würtembergicus*, Director Circuli Suevici, Caſtrorum Præfectus, & Legionis Dimacharum, copias ſuas ita auxit, ut 18000 armatorum complecterentur, præter Martiam pubem, ex ſtiva excitam, & in ipſa provincia ad arma tractanda exercitam. Alex. Würt. armatus. Amiſit vero duos hoc anno fratres ſuos, *Henricum* Fridericum ad Rhenum, & *Fridericum* Ludovicum in pugna ad Guaſtallam, 44 æt. anno.

Obiit *Chriſtianus Ulricus*, lineæ *Bernſtadienſis*, jam anno 1723, Romæ ad fidem Catholicam converſus. Bernſtad. converſus obit. Liberi tamen ejus Stuttgardiæ educabantur, ut a patre degenerarent.

Erneſtus Rhenofelſenſis, Caſſellenſi tranſactione conceſſit, ut *Rhenofelſa* præſidio Caſſellenſi teneretur, reſervata tamen ſibi ſuperioritate territoriali, & vectigali Rhenano. Haſſica. *Philippus Darmſtadienſis*, a pluribus annis Gubernator Mantuæ, Viennam avocatus. Succeſſit Witgenavius, qui Philippoburgum prius defenderat.

Mechlenburgica cauſa propter renitentiam Caroli Leopoldi Ducis, qui Sverini ſe detinebat, ſemper fit deterior, dum nunc etiam Holſato-Gottorpienſes & Schwarzenburgicæ copiæ immigrarunt, & ſumptus ſemper augerentur. Mechl.

Obiit Princeps *Lobkovitius* Philippus, Dux Sagani, Eques Aurei Velleris, Aulæ Imperatricis ſupremus Moderator; ſucceſſit Wenceslaus primogenitus.

Naſſoviæ Domus, Ottonianæ ſtirpis, poſt extinctam Auriacam, prima ac principalis familia *Siegenſis* fuit. Hæc in duas lineas diviſa eſt; quarum prima ac ſenior eſt *Catholica*, ejusque caput Princeps Wilhelmus *Hyacinthus*, cui mala adminiſtratio fuit objecta, Hyacinthi Siegenſis fata.

atque

atque ab ea remotus 1708, ſed ab Electore Palatino reſtitutus 1711. Cum autem ei cum ſubditis non conveniret, in Hiſpaniam diſceſſit; adminiſtratio vero (præteritis duobus fratribus intermediis) delata eſt *Emmanueli*, fratri natu minimo.

Linea *Acatbolica Siegenſis extincta* eſt hoc anno in Principe Friderico Wilhelmo. Succeſſio ſpectabat haud dubie ad lineam Catholicam, Hyacinthum nempe & ejus fratres; ſed remotiores lineæ, Dillenburgenſis & Diezenſis in partem venire volebant. At Cæſar adminiſtrationem Acatholicæ etiam portionis detulit Emmanueli; cujus frater Alexius, Canonicus Colonienſis & Leodienſis hoc anno mortuus eſt.

Obiit quoque Georgius Albertus Princeps Friſiæ Orientalis, relicto filio hærede Edzardo, ſtemmatis ultimo.

Spiblberg. creatus Princeps Imp. Ex Domo Oetingana Franciſcus Albertus Comes *Spiblbergenſis*, cum filio Joanne Aloyſio in Principum nnmerum a Cæſare relatus eſt.

In carcere Norvegienſi *obiit* infelix Comes Adolphus Wilhelmus *Ranzovius*, ultimus ſuæ lineæ. Bonorum relictorum partem potiſſimam cepit Rex Daniæ, allodialibus ſorori defuncti permiſſis, cum onere ſolvendi ejus debita.

Art. XXIX.

Continuatio Belli Germano - Gallici. Ruſſica auxilia. Præliminaria pacis Viennenſis cum Gallia. Gallia accedit Sanctioni Pragmaticæ. Varii obitus Principum. Cauſa Rochefortiana.

52. Ruſſica auxilia. Anno 1735 Imperator, ut trium Coronarum potentiæ fortius reſiſtat, ab *Anna*, Ruſſiæ Imperatrice, cui fœdere erat conjunctus, accepit *octo legiones*, quæ tredecim circiter peditum millibus conſtabant, & ab Electore Saxoniæ ſex millia.

Copiarum numerus. Eugenius Princeps 13 Maji in caſtra, ad Etlingam poſita, venit. Miles in 60 legiones erat diſtributus: præter eas 6000 armati ad Moguntiam ſtabant, & 10000 ad Bruchſaliam. Gallorum exercitus 120 cohortibus, & 130 equitum turmis definiebatur, ſupremo belli Imperatore Marchione *Coinio*, qui ſuperiore anno in Italia gubernaverat. Coygni. Ruſſi, more ſuo tardi, menſe primum Augu-

ſto

sto in castra venerant. *Bellilius* vero copias Gallicas novis suppetiis auxit.

Tantis exercitibus, immensis sumptibus, & populorum sudore, comparatis, præter varias traductiones militum & aliquot velitationes, nihil admodum actum. Nullum commissum justum prælium, nullum munimentum expugnatum, arte bellandi artem eludente. Moguntiam quidem Galli tentaverant; nec deerat proditio; sed ea mature detecta, repulsi sunt. Actum parum.

Eugenio inde Viennam regresso, præfectoque iterum copiis Alexandro Würtembergio, 20 Octobris de induciis nuntiatum est, atque in hyberna utrinque concessum.

Maritimæ siquidem *Potentiæ*, quæ neutras in hoc bello partes fuerant secutæ, cum trium Coronarum vires, in Italia præsertim, prævalere cernerent, ne Europæ tolleretur æquilibrium veritæ, bonis pacem officiis suadebant, propositaque idea tandem persuaserunt.

Misit igitur Rex Christianissimus *Nierotum* & *Baunium* Viennam, qui cum Ministris Cæsareis ita tractarent, ut Stanislao suus honor, & Galliæ emolumentum constaret. Jacta igitur *Viennæ Præliminaria*, fundamentum pacis inter Cæsarem & Galliam, cujus articuli sunt sequentes, magni momenti. Præliminaria pacis.

1. Socer Regis Galliæ *Stanislaus* Rex Poloniæ & Dux Lithuaniæ agnoscatur, titulumque gerat, atque bona illi & conjugi restituantur; coronæ tamen renunciet. Stanislaus.

2. Plena amnestia publicetur & singulis bona sua restituantur. Polonis omnia sua privilegia confirmentur, uti etiam electio Regis in perpetuum libera.

3. Stanislao cedatur Ducatus *Barrensis*, prout a Ducibus Lotharingiæ fuit possessus.

4. Domus *Lotharingica* obtineat Magnum Ducatum *Florentiæ* post mortem Magni Ducis: sed tunc Stanislao etiam Lotharingiam cedat. Lotharingia.

5. Eo casu Stanislaus utrumque Ducatum (Barri & Lotharingiæ) possideat ad tempus vitæ. Post ejus vero mortem in perpetuum *uniantur Galliæ* regno. Quia autem aliqua sunt feuda Imperii, Cæsar consensum ejusdem Imperii procurabit.

6. Tam Rex autem, quam socer ejus renuntiant *Sessioni* & *Voto* in Comitiis Imperii.

7. *Augustus* Elector Saxoniæ ab omnibus, qui huic paci sunt accessuri, agnoscatur *Rex Poloniæ* & Dux Lithuaniæ.

Hæc prima fuit Tranſactionis pars, Stanislaum & Poloniam concernens. Pars altera tractabat de Italia, videlicet

1. Ut Dux Lotharingiæ Magnum *Tuſciæ Ducatum* pro ceſſa Lotharingia obtineat; & de eventuali ſucceſſione ipſi caveatur ab omnibus, qui in partem hujus tractatus venerint.

2. Ad ſecuritatem Hiſpanæ copiæ educantur, & *Cæſareæ inducantur*. Prout de neutralibus copiis in quadruplo fœdere fuit conventum.

3. *Reditus Ducatus Barrenſis* Cæſar Domui Lotharingicæ tamdiu compenſabit, donec poſſeſſionem Hetruriæ adeat, quia Dux propter quietem publicam Barrum cedit. Lotharingiam vero usque ad mortem Magni Ducis poſſideat.

4. Portus Liburni maneat liber.

5. *Neapolis & Sicilia* Principi Carolo obveniat, & Rex utriusque agnoſcatur.

6. *Portum Longum & Statum Præſidii* pariter obtineat, prout Pater ejus tempore quadrupli fœderis poſſedit.

7. Publicatione amneſtiæ bona ſua conſequantur, qui in hoc bello parti alterutri adhæſerunt.

8. *Rex Sardiniæ* poteſt pro lubitu eligere *Novaram & Vigevanum*, vel *Novaram* & *Tortonam* cum ſuis diſtrictibus, de Ducatu Mediolanenſi ipſi cedendis.

9. Quæ autem ex iſtis elegerit, cum aliis Ipſius provinciis uniantur; ſic tamen, ut tanquam *feuda Imperii* recognoſcantur; cum de ſtatu Mediolanenſi, qui eſt feudum Imperii, ſint abſciſſa.

10. Terras *Langbarum*, ſecundum deſignationem, a Marchione Solario anno 1732 Viennæ factam, tanquam *ſubfeuda* poſſideat, easque pariter ceu feuda Imperialia agnoſcat.

11. Inſuper, ſecundum laudum arbitrorum de anno 1712, habeat hæc 4 bona, S. Fidelis, Torre Forti, Gravedo, & Campum Majorem.

12. Fas eſt Regi, in locis ceſſis munimenta pro lubitu conſtruere.

13. Cætera omnia in Italia reſtituantur Domui Auſtriacæ, quæ ante bellum poſſedit: & inſuper *Parmæ* & *Placentiæ* Ducatus ipſi cedantur.

14. Cæſar vero ſe obligat, incorporationem Ducatus *Caſtri* & Comitatus *Roncilionis* non proſequi.

15. Domui *Guaſtalla* ratione Ducatus Mantuani juxta 32 articulum pacis Badenſis juſtitiam miniſtret.

16. Con-

16. Contra vero Rex Christianissimus Cæsari & Imperio omnia ablata hoc bello sine exceptione restituet.

Pars tertia complectitur *Sanctionem Pragmaticam*, pro qua *Rex Galliæ cavet* spondetque, respectu omnium locorum, quæ Imperator possidet, aut vi hujus Tractatus possidebit. Fines autem in Alsatia & Belgio per Commissarios secundum pacem Badensem determinentur. Hi articuli secreti habeantur, donec intra mensem confirmentur. Gall. cavet pro Sanct. Pragm.

Actum Viennæ 3 Oct. 1735.
Subscripserunt *Philip. Lud. Comes Sinzendorffius*, & *Joannes Bapt. Baunius.*

Additi sunt tres separati articuli.

1. Imperatrix Russiæ & Augustus Rex, tanquam partes contrahentes, in quantum Poloniam spectat, ad futurum Congressum invitentur: in quo, brevi finiendo, nullæ aliæ materiæ tractentur, quam eæ, quæ partes bellantes immediate contingunt. Cæsar autem conabitur consensum Imperii impetrare circa omnia, quæ illius intersunt; cum præsens status non concesserit tempus, eum petendi.

2. Cum aliqui tituli non agnoscantur, nulli sint præjudicio.

3. Prout etiam, quod hæc Præliminaria lingua Gallica sint concepta, quamvis alias in tractatibus Imperatorem inter & Galliam usus latinæ linguæ sit consuetus. Subjungitur Specificatio bonorum Langhensium, Regi Sardiniæ cessorum.

Quia autem in horum omnium executione variæ occurrebant difficultates, Baro *Schmerlingus* Parisios Cæsareus Minister abiit, *du Theilius* vero Gallicus Viennam.

Comitia Imperii priore jam anno Cæsari 30 menses profectionis Romanæ promiserant, sed quia aliqui parum, alii nihil de rata sua solvebant, debita pro exercitu facta ultra millionem florenorum ascendebant, & pro anni hujus expeditione multa adhuc opus erat pecunia, prout Imperator Comitiis proposuit.

Frobenius Ferdinandus Princeps *Fürstenbergius*, septuagenario jam major, munus Commissarii Principalis, quo per plures annos magna cum prudentia fuerat perfunctus, deposuit atque *Möskirchium* rediit. In ejus locum a Cæsare suffectus est *Josephus Wilhelmus* Princeps *Fürstenbergius*, Stülingensis lineæ. Frobenio Ratisb. succedit Jos. Fürstenberg.

Castra ad Ingolst. Elector Bavariæ ad *Ingolstadium castra* posuit, 14000 viris circiter constantia. Ad ea Princeps Eugenius a Rheno redux invisit, magna honoris significatione ab Electore exceptus. Ordinis S. Georgii Magnæ Crucis Commendatores renuntiati Carolus Comes Königseckius, Felix Preisingius, Max. Seinsheimius.

Palatinus Elector, quamvis neutrum se declaraverat, ingentia ab utroque exercitu damna passus est.

Obiit Bipont. Obiit *Christianus III Dux Bipontinus* & Birckenfeldensis. Reliquit duos filios, *Christianum IV*, qui successit, & *Fridericum*, adhuc impuberes, sub tutela Palatini Electoris. Provinciam vero administravit mater vidua ex Domo Nassovia.

In Saxonia supremus armorum Præfectus renuntiatus Joannes Adolphus Dux *Weissenfelsius*.

Et Lud. Rud. Welferbyt. Welferbyti obiit Dux regnans *Ludovicus Rudolphus*, 64 ætatis anno, Regiminis quarto; nam successit fratri 1713. Conjugem habuit Christinam, Alberti Ernesti I Principis Oetingani filiam. Ex

3 Filiæ. ea genuit tres filias, 1 Elisabetham Christinam, Carolo VI Imperatori nuptam, postquam Catholicam fidem Bambergæ anno 1707 fuit professa. 2 Carolinam, desponsam Alexio Principi hæreditario Russiæ. 3 Antoniam Ferdinando Alberto Duci Beverano collocatam.

Succedit tertia linea Beverana. Quia autem nullum genuit filium, successit agnatus proximus, prædictus *Ferdinandus Albertus*, lineæ Beveranæ; factus repente dives. Sed post aliquot mensium Regimen pariter mortuus est. Successit igitur in Brunsvicensi, Wolferbytano, & Beverano Ducatu *Carolus* filius, qui moderni Regis Borussiæ sororem habet conjugem, ex qua hoc anno genuit Carolum Wilhelmum, hodierno ad Visurgim bello celebrem; cujus patruus est Princeps Ferdinandus, exercitus Anglo-Hannoverani supremus hodie Imperator.

Mechl. Cum Carolus Leopoldus Dux Mechlenburgicus Cæsareis mandatis parere adhuc contumax detrectaret, Schwarzburgicæ copiæ, quibus executio fuerat demandata a Cæsare, Sverinum munitam urbem, ac sedem Ducis, expugnarunt, Duce in Saxoniam primum, dein Wismariam profugiente. Dömitium autem frustra obsidebatur.

Heching. Ex Domo Hohenzollerana, *Hechingensis* lineæ, obiit *Fridericus Wilhelmus*, anno regiminis 64, æt. 72. Successit *Fridericus Ludovicus* filius, etiam in munere Imperiali supremi Equitum Magistri.

Siegen. Ex Domo Principum Nassovio-Siegensium Catholica obierunt duo fratres, Franciscus Hugo in Hispania, & Emanuel Ignatius, Administrator Principatus pro fratre natu maximo, Hyacintho, ab administratione suspenso, qui solus ex Catholica hac Familia superest,

est, brevi illam finiturus. Cæsar autem novos Administratores constituit, Dillenburgensibus & Diezanis, prædæ jam inhiantibus, copias suas ex Siegensi ditione jussis abducere. Duo Principes hæreditarii, Carolus *Fridericus Möskirchensis*, & Joannes *Aloysius Spihlbergensis*, matrimonium hoc anno contraxerunt cum duabus sororibus, ex Ducali *Holsato-Wiesenburgensi* Familia. Nuptiæ.

Ex Catholica *Löwensteinia* Wertheimensi Familia obiit Princeps Dominicus Marquardus caput Familiæ; eique successit ex 5 filiis Senior Carolus Thomas.

Ex Domo *Rechbergica* defunctus est Gaudentius, Coloniensis & Bavaricus Consiliarius Intimus, Præses consilii bellici, copiarum Bavaricarum supremus Præfectus, Gubernator Monachii, & Aulæ Mareschallus.

Lis annosa in Camera Imperiali fuit ventilata inter Domum Löwensteiniam & Stolbergiam ratione *Rocheforti* Comitatus in Luxemburgicis. Cum enim Ludovicus *Stolbergius* sine filiis obiisset, Comitatum illum reliquit filiæ Annæ, quæ Comiti *Löwensteinio* nupta, Comitatum illi in dotem attulit. Repetebant eundem Stolbergii, contra pacta familiæ, ut dicebant, in Löwensteinios alienatum. Tandem post 150 annos, quibus lis in Camera aut fervebat, aut frigebat, pro Stolbergiis lata est sententia. Lis de Rocheforto.

Löwensteinii adquiescendum non putabant, sed tanquam graviter læsi petebant restitutionem in integrum adversus sententiam: Episcopus vero *Leodiensis*, se feudi Dominum gerens, causam ad Imperii Comitia detulit, atque excipiens contra forum, sententiam ceu irritam accusavit; neque enim primam Instantiam ad Cameram, sed curiam suam feudalem pertinere. Hoc forum præteriri non potuisse, prout satis ex ordinatione Cameræ constet.

Petit igitur, ut executio sententiæ, contra suum jus clarum a Judice incompetente latæ, inhibeatur, atque Stolbergii ad primam Instantiam remittantur; Judicium Camerale vero moneatur, ne deinceps terminos suæ Jurisdictionis transcendat.

Art. XXX.

Nuptiæ Mariæ Thereſiæ. Præliminarium mutatio & executio. Stanislaus Dux Lotharingiæ. Lotharingus Dux Florentiæ. Accedit Imperium. Clauſula Riſvic. Obitus Eugenii Principis, & aliorum. Extincta Domus Wartenbergia, & Hanovia &c.

53. Nuptiæ Mariæ Thereſiæ. Annus 1736 nihil majus habet aut magnificentius, quam *nuptias Franciſci Stephani Ducis Lotharingiæ* cum *Maria Thereſia* Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI Filia, natu maxima, Benedictionem iis impertiente Paſſioneo Nuntio Apoſtolico. Et benedixit ex alto Deus Regali Thoro, in numeroſam ſeriem Archiducum fœcundo.

Tractatus Executivus. Cum variæ difficultates occurrerent circa executionem Præliminarium, initus eſt hoc anno *Tractatus Executivus*, qui figit tempus, quo exactio contributionum ceſſare debeat, & commutanda loca, utrinque ceſſa, evacuandæ urbes Philippoburgum, Kehla, Treviri, Mediolanum; procurandus egreſſus Ruſſorum e Polonia. Mutatio aliqua Præliminarium. Mutatum etiam aliquid circa Præliminaria; nam actum de Stanislao brevi in poſſeſſionem mittendo non tantum Ducatus Barrenſis, ſed etiam Lotharingici, cum annexis & allodialibus, Falckenſteinio Comitatu excepto. Nec Stanislaus tamen, nec Rex ſubjectionem exigat, a quibus Dux Lotharingiæ illam non exegit, neque unionum ſyſtema locum habeat: Lotharingiæ vero Duci Franciſco Stephano omnia bona Ducatus Florentini, cujuscunque ſint conditionis, procurentur.

Decretum commiſſorium de Prælim. In *Decreto commiſſorio*, quo Cæſar ad Status Imperii Ratisbonæ retulit de initis Præliminaribus pacis, memorat, ſe dudum conventionem cum Gallia initam fuiſſe communicaturum, ut communi omnium conſenſu peragerentur, niſi neceſſitas ſecreti aliud exegiſſet; nunc autem peti, ut in Præliminaria conſentiant, atque ad communem pacis tractatum concurrant, prout factum anno 1714, & 1722.

Imperii jura manere illæſa. Se non modo providiſſe, ut ſtatus in ſancienda pace libero gaudeant ſuffragio, ſed etiam ut Gallia ratione Lotharingiæ rebus Imperii nullatenus ſe immiſceat, aut adverſus Status ſub prætextu Reunionum, aut Dependentiarum jus ullum ſibi arroget.

Ratione

Ratione Thusciæ, Parmæ, & Placentiæ multo melius esse consultum Imperio, majusque bonum accrevisse, quam ex amissa Lotharingia. Circa ea, quæ addita sunt Regi Sardiniæ, jura Imperii manere illæsa. Quoad terras Langharum jam tempore Ferdinandi II, & Leopoldi Domui Sabaudicæ spem esse factam. Cum igitur Cæsar & Dux Lotharingiæ pro quiete & bono Imperii publico tam multa obtulerint, non dubitare se, quin Ordines Imperii sint accessuri.

Deliberatum dein in Comitiis, an accedendum Præliminaribus, & an Imperatori plenum pacis conficiendæ negotium, sicut factum in pace Rastadiensi, sit deferendum. Conclusum tandem, agendas Imperatori gratias; *acceptanda Præliminaria*: permittendum, ut Cæsar pro hac vice, cum Gallia plenum pacis tractatum ineat, sine præjudicio tamen suffragii liberi in pacificationibus, Imperium concernentibus, & ita, ut nullus Status, ratione cessæ Lotharingiæ, in juribus suis turbetur. Comitia acceptant Prælimin.

Agunt etiam Comitia Duci Lotharingiæ gratias pro cessis in bonum publicum provinciis, voluntque integrum ipsi relinqui suffragium in Congressibus Imperialibus & Circularibus propter *Nomercy*, & regiones reliquas immediatas in Imperio.

Antequam hoc conclusum Imperii fuerat conceptum, Protestantes iterum moverunt tricas contra memoratam sæpius *Clausulam Risvicensem*, ejusque abolitionem paci inseri petebant. Respondit Cæsar, staturum se verbo, &, uti hactenus, curaturum, ut omnia ad rectam Constitutionem Imperii disponantur. Tricæ de Clausula Risvic.

Quia vero timebant, ne Gallia, quæ auctor erat illius clausulæ, abolitioni se esset oppositura, Angliam, Daniam, Sueciam, Hollandiam, quin & Russiam interpellarunt, ut Regem Christianissimum in vota sua flecterent; quod illi diligenter præstitere. Prodiit etiam Catalogus, quo 1323 urbes, oppida, pagi recensebantur, atque 600 templa Protestantium, in quibus a tempore illius clausulæ simultaneum fuisset introductum. Summus Pontifex vero Clemens XII Moguntinum aliosque Principes Catholicos monuit, viderent, ut clausula illa salva maneat. Quid autem hortatio ista, & quid Protestantes suis postulationibus effecerint, dicetur ad annum sequentem.

Proposita etiam fuit in Comitiis querela de *re Monetaria*, adeo corrupta, ut aliqui cudendo monetam, a justo pondere & valore intrinseco deficientem, usque ad 20 pro 100 lucrari, vel potius publicum defraudare audeant, cum magno commercii detrimento. Res Monetaria.

Quæ-

Quæſitum ja a 200 annis tanto malo remedium, ſed necdum ex integro inventum, pluribus privatam potius utilitatem, quam bonum Reipublicæ ſpectantibus.

Cæſar hoc anno 23 Conſiliarios Intimos actuales, & 158 Camerarios creavit. Amiſit autem ſummum ea tempeſtate belli Imperatorem, *Principem Eugenium* Franciſcum, rebus glorioſe geſtis toto orbe clariſſimum Heroem, anno ætatis 73. Natus quippe eſt 1663 ex Eugenio Mauritio Comite Sueſſionenſi, cujus avus erat Carolus Emmanuel I Dux Sabaudiæ.

Obit Princeps Eugenius.

Fuit Eugenius Generalis Locumtenens Imperatoris & Imperii, Præſes Conſilii bellici, Belgii Gubernator, Vicarius Italiæ. Victorias celeberrimas repartavit anno 1697 ad Zentam in Hungaria, 1704 ad Höchſtadium in Germania, 1706 ad Taurinum in Italia, 1709 ad Bavacum in Belgio, 1716 & 17 in Pannonia. Cum autem cœlibem vitam egiſſet, mullumque teſtamentum reliquiſſet, ſucceſſit hæres ab inteſtato *Ludovica Victoria de Carignan*, Eugenii ex fratre neptis: Principi Hildburgshuſio poſtea nupta, ſed ab eo rurſus ſeparata. Supererat adhuc *Emmanuelis Thomæ* (Sueſſionis Principis, Eugenii nepotis) *Vidua*, ex Domo *Lichtenſteinia*, Mater Eugenii junioris (qui anno 1734 in apparatu nuptiarum obiit) quæ Collegium Sabaudicum, aut Lichtenſteinium Viennæ fundavit.

Victoriæ.

Hæres.

In Bavaria obiit Etallæ 18 ætatis anno *Maximilianus* Emmanuel, *Wartenbergicæ Familiæ ultimus.* Deſcendit ea Domus ex Ferdinando, Wilhelmi V Bavariæ Ducis fratre, juſto quidem, impare tamen thoro. Bona relicta ad Electoralem Domum redierunt.

Wartembergia Domus extincta.

Ex Domo Haſſo-*Darmſtadienſi* Viennæ obiit, in Catholica, quam aſſumpſerat Religione, *Philippus*, Generalis Caſtrorum Præfectus, Gubernator olim Mantuæ. Filius ejus Joſephus eſt Epiſcopus Auguſtanus, filia vero Theodora Duci Guaſtallæ nupta.

Obit Philipp. Darmſtad.

Obiit Joannes *Comes Hanoviæ*, nulla relicta prole maſcula; quare ex *pacto unionis* ſucceſſit Domus *Haſſo-Caſſellana*, & quidem Wilhelmus, quia Fridericus Rex Sueciæ frater natu major in ejus favorem renuntiaverat: quia autem Princeps *Darmſtadius* Ludovicus unicam filiam defuncti Comitis conjugem habuit, & plures ex ea liberos, partem ampliſſimi Comitatus prætendit, & nominatim Præfecturas Münzenbergam atque Bolenhuſium, cum bonis mobilibus, cauſa ad Conſilium Aulicum Viennam delata.

Extincta Familia Comit. Hanoviæ. Succedunt Caſell. prætenſio Darmſtadii.

Eu-

Eustadii obiit Episcopus Franciscus Ludovicus ex Comitibus *Schenckiis* de *Castell.* Electus vero Joannes Antonius ex Baronum *Freibergiorum* Familia. Cæsar ad eam electionem ablegavit Comitem Coloredum.

Art. XXXI.

Bellum Turcicum propter Moscoviam. Responsum Cæsaris de clausula Risvic. Aula Monacensis. Obiit Alexander Dux Würtembergiæ. Lis de proxima agnatorum tutela. Episcoporum & Abbatum obitus.

Cum bellum *Russiam* inter & *Turciam* altero jam anno flagrasset, & Cæsar Conciliatoris Officia incassum adhibuisset, muneris sui esse censebat, ex fœdere, quo decem jam annis Russiæ erat conjunctus, bellum Turcis indicere, consilio, si ex eventu sit metiendum, non optimo. 54. Cæsar propter Moscos Turcis bellum indicit.

Causas belli Principalis Cæsaris Commissarius Josephus Princeps Fürstenbergius per publicam Dictaturam Ratisbonæ proposuit *anno* 1737, Russiam videlicet esse partem læsam. Omnem Cæsaris conatum animos conciliandi fuisse frustraneum. Turcam nec satisfactionem de præterito, nec securitatem de futuro voluisse præstare. Aulam Turcicam ab aliquot jam annis in id laborasse, ut fœdus, Cæsarem inter & Russiam anno 1726 percussum, dissolveret. Si unitæ hæ vires, & bellum Persicum non inhibuissent, Sultanum jam anno 1734 Passarovicensem pacem fuisse fracturum. *Niemerovensem*, Musulmannis arcum nimis tendentibus, congressum esse frustratum. Imperatricem Russorum fœderis fidem exigere. Causæ in Comitiis propositæ.

Auxilia Cæsarea non posse in Russiam transportari; alibi proin divertendum hostem potentissimum, ne totum pondus Moscovitis fœderatis incumbat. Cum igitur contra juratum Christiani nominis hostem regiones, quæ pro muro sunt Romano Imperio, sint defendendæ, confidere Cæsarem, Ordines pro suo Divini honoris zelo, & amore Christianitatis, ad hoc bellum liberaliter esse contributuros.

Diu in Comitiis deliberatum, tandem vero sub finem anni 50 *Menses Romani* sunt promissi. Quamvis Protestantes non admodum lubentes consenserint, ægri animo propter responsum, quod eis in Decreti 50 Menses Romani.

in caufa *Claufulæ Risvicenfis* Cæfar Religiofiffimus dederat; nimirum:

Refp. Cæf. de claufula Rifvic.

Requifitam fuiffe Galliam, ut ea claufula revocaretur; verum Galliam Ultrajecti eo adduci non potuiffe, & necdum cogi poffe, ut claufula, duobus folennibus pacis Inftrumentis illata, eradatur. Cæfari igitur objici non poffe, quod non obtineant Proteftantes, quæ ipfis præftari non poffint. Non peti a parte Catholica, ut, quæ in eorum favorem funt ftatuta, abrogentur. Eandem rationem eorum, quæ Catholicis favent, effe patiantur: nec negent aliis, quod fibi velint concedi. Pacis fœdus, cum Gallia initum, ad nullius offenfam pertinere, fed ad totius Europæ quietem effe intentum. Atque hinc optari, ut ii Principes, qui eam ob claufalem Imperatorem tantopere interpellarunt, remotis impedimentis, pari zelo ad hunc finem obtinendum conferrent. Romani Imperii felicitatem & fecuritatem verti in membrorum concordia. Ad hanc confervandam aut inftaurandam omnia callimare Cæfaris confilia.

Manfit igitur claufula ille falutaris integra; nec fperare poterant Acatholici, in Definitivo pacis cum Gallia Tractatu aliud iri difpofitum.

Conatus corrigendi erm num mariam.

Revocata ad *incudem caufa Monetaria*, conclufumque in Comitiis Imperialibus, ut fevere prohibeantur omnes nummorum fortes, quæ jufto leviores, aut valore intrinfeco funt deftitutæ, & reos Cæfar caftiget. Secundum normam *Lipfiacam*, Thalerus duobus & Ducatus 4 florenis quoad pretium extrinfecum interim valeat, donec univerfalis rei nummariæ ordinatio fiat. Ad hunc finem Ratisbonam, ut fecundum valorem intrinfecum externum ftatuant, accerfiti Nummariæ periti; ex Auftria, Bavaria, Suevia, Franconia, utraque Saxonia, Rhenanis provinciis, convenerunt quidem loco, fed non animis & fententiis; unde ad rei fummam nihil admodum actum.

Marefchall. Imp. Franc. Dux Loth.

Loco Alexandri Ducis Würtembergici defuncti eligendus erat *Generalis Imperii Marefchallus Catholicus*. Candidati erant quatuor, *Dux Lotharingiæ*, gener Imperatoris, Princeps *Hohenzolleranus*, *Ferdinandus* Dux *Bavariæ*, & Comes *de Marck*. Prælatus ob fua & Majorum in Imperium merita *Lotharingus*.

Marefchalli Cæfarei.

A Cæfare dicti *Generales Marefchalli* Ferdinandus Dux Bavariæ, Comes Philippi, & Andreas Comes Kevenhüllerus. Lichtenfteinius Equitum Magifter. Metfchio Vice-Cancellarius Imperii fubrogatus Rudolphus *Coloredus*. Ingelheimius Judex Cameræ in Comitum Dignitatem evectus. Alexandri Würtembergici Defultoriorum

Coloredus Procancell. Imp.

legio

legio collata Würtembergio Neostadiensi, pedestris Kolovrato: Wutgenavica Reizensteinio, Guidostarenbergica Halweilio: qui dein in infelici ad Banialuckam certamine occubuit.

Dominica Martinizia, quæ post sponsalia cum Windischgræzio matrimonium promisit Richecourtio, Lincium in Monasterium missa ad agendam pœnitentiam.

De bello Turcico, per *Seckendorffium* Lutheranum, exercitus Cæsarei Imperatorem, hoc anno 1737 haud satis ad votum gesto, de substituto alio belli Præfecto, in Hungaricis dabitur relatio.

Elector Bavariæ cum Ferdinando fratre piam peregrinationem *Lauretum* instituit, ibique obtulit lampadem & calicem aureum: Aula Monacensis. Oetingæ veteris vero Statuam argenteam, quæ Electoralem Principem repræsentabat.

Dictus Consilii Aulici Præses *Hennenbergius*, Pro-Præses *Herwartus*: Vice-Dominus Landishuti Frauenhovius: Max. Preisingius Moderator Principis Electoralis: Santinius, Portia, & Valesius Consiliarii Intimi. Ordini S. Georgii adscripti Comites Lodron, Max. Törringius, Truchsesius Waldburgicus: Max. & Jos. Fuggeri, cum Baronibus Jos. Dopor Moravizkio, & Franc. Gumpenbergio.

Obierunt ex Domo *Seinsheimia* tres Comites, Jos. Max. Camerarii, & Franc. Ant. Consiliarius Intimus, Moderator Principis Electoralis, Præses Consilii Aulici, relicta unica filia. *Nothafftus* Consil. Intimus & Vice-Dominus Landishuti.

Ex Domo Palatina obiit *Alexander* Sigismundus *Episcopus Augustanus*, Electoris frater, 74 ætatis anno, Episcopatus 47. Augustana. Nova electione non fuit opus; nam illico successit anno ætatis 79 Joannes Franciscus L. B. *Schenck de Stauffenberg*, Episcopus Constantiensis, qui jam anno 1714 electus fuerat coadjutor, & ob infirmitatem Alexandri Episcopatum Augustanum aliquot jam annis magna cum potestate administraverat, Coadjutor simul & Coadjutus.

Post mortem Alexandri lis de *Successione Juliacensi* recruduit. Causa Juliacensis. Anglia enim, Hollandia, Brandeburgus, aliique Protestantes metuebant, ne Dux Solisbacensis eventuale homagium, exemplo Alexandri, reciperet. Angli Hollandique institerunt, ut vivente adhuc Electore Palatino ea causa definiretur. Idem urgebant Saxo & Brandeburgus, quorum prætensiones *Part. VIII* attulimus.

Gallia vero cum Imperatore illis proposuit, optimum factu videri, *Solisbacensi provisionalem possessionem* spondere, donec hoc tam gravi de negotio amice conveniretur.

Hanovienfis. Ratione *Succeffionis Hanovienfis* lis enata eft inter *Moguntinum* & Wilhelmum *Caffelanum*. Ille quasdam ditiones privative petebat, hic condominium, atque a Camera mandatum *de non turbando* in compoffeffione obtinuit. Dein vero, re examinata, Camera per fententiam Electori privativam poffeffionem addixit. Haffus vero ad Petitorium remiffus, negotium ad Comitia detulit.

Lites Statuum non pertinere ad Comitia. At Cæfar negavit, Judicium de *Controverfiis Statuum inter fe* ad Comitia pertinere; Conventum Ratisbonenfem non effe Judicium feudale Imperii, fed hoc effe *Refervatum* Majeftatis Cæfareæ, atque privatas Statuum inter fe lites ad fuprema Imperii tribunalia fpectare.

Obit Epifc. Bafil. Obiit Joannes *Conradus Reinachius*, ab anno 1705 Epifcopus Bafileenfis, electusque Arlesheimii ex eadem Baronum Familia *Jacobus Sigismundus* Præpofitus, juri fuo jam quæfito renuntiante Joanne Bapt. illius cognato, qui Coadjutor electus fuerat.

Obiit quoque Adolphus *Dalbergius Princeps Fuldenfis*. Succeffit Amandus *Buffeckius* Baro, qui fuerat Decanus. Adolphus gravem litem intentaverat Saxoniæ Ducibus Meinungenfi & Eifenacenfi, Lis Fuldenfis in caufa retrovenditionis, propter Præfecturas, Salzungenfem & Lichtenbergenfem, quas Abbas Fuldenfis anno 1366 vendiderat, fed adjecto pacto *retrovenditionis*. Volebat igitur Dalbergius oblato pretio illas redimere.

At Duces exceptionem præfcriptionis 400 prope annorum opponebant. Fuldam equidem anno 1625 recurriffe ad Cæfarem Ferdinandum II, atque Refcriptum in favorem fuum impetraffe: verum dein rurfus per 100 annos tacuiffe, donec an. 1724 rurfus pro fe Refcriptum obtineret. Porro hanc caufam non fummarie tractandam, fed coram Judicio *Auftregali* proceffu ordinario terminandam effe. Negari fibi nec poffe nec debere beneficium, omnibus Statibus conceffum.

Cum igitur querelam ad Comitia detuliffent, Imperator per Con-Commiffarium fignificavit, gratum fibi fore, fi caufa per arbitros Compromiffarios finiretur. Habitus tum quidem in Comitatu Hennebergico congreffus, fed ne quidem de eligendis arbitris & formula Compromiffi conveniri poterat.

Necdum decifa.

Fatalis fane hic annus Principibus fuit Abbatibus; nam præter *Fuldenfem*, etiam *Corbeyenfem* & *Stablo-Malmedienfem* fuftulit.

Comendatione Saxoniæ Electoris, *Brüblenfis*, & *Sulkovskia* Familia Dignitate Comitum S. R. I. a Cæfare auctæ. Hubertus Florianus Baro *Weffenbergius*, ad aulam Saxonicam vocatus, Confiliarius Intimus, & Moderator Principis Xaverii fuit renuntiatus. Luthera-

na

na Aulæ capella in cubile verſa. 8000 Saxonum Ductore Sulkowskio Cæſari in Hungariam adverſus Turcas miſſa. 8000 Saxones in Hungariam.

Elector Hannoveranus in nova Academia *Göttingenſi* primum Rectoratum Magnificum ſolenni cum pompa acceptare dignatus eſt. *Antonius Ulricus*, Ducis Brunsvicenſis frater ad ſummas militares Dignitates *in Ruſſia* fuit evectus.

Ludovico-Burgi obiit *Carolus Alexander Dux Wirtembergiæ*, anno ætatis 54, Regiminis 4, non ſine ſuſpicione veneni: Princeps magno animo & virtute militari præſtans, Cæſareus & Imperialis Mareſchallus, qui plura in favorem Catholicæ Religionis ordinaturus timebatur, & ſperabatur. Obiit Alex. Dux Würtemb.

Viduam reliquit Mariam Auguſtam, Anſelmi Franciſci Principis *de Taxis* filiam, atque ex ea tres filios, *Carolum Eugenium*, modernum Ducem regnantem, *Ludovicum Eugenium*, & *Fridericum Eugenium*, hodiedum florentes: atque filiam *Auguſtam* Eliſabetham, Carolo Anſelmo Principi *de Taxis* nuptam. Uxor & liberi.

Cum autem hi Principes adhuc eſſent impuberes, Alexander *teſtamento tutricem illis dedit Matrem*, ſimulque adminiſtrationem provinciæ, addito in conſortium Epiſcopo Bambergenſi. Mater tutrix ex teſtam.

At vero Carolus Rudolphus, Neoſtadienſis lineæ, profeſſionis Lutheranæ, tanquam *proximus agnatus*, impugnato teſtamento, tutelam & adminiſtrationem ſibi vendicavit, receptoque a Statibus homagio, poſſeſſionem adiit. Lis de proxima agnatorum tutela.

Delata fuit propterea ad Aulam Cæſeream querela. Sed cum cauſa delicata ibidem hæreret, tranſactum fuit ea lege, ut *Rudolphus Adminiſtrationem* Ducatus obtineret ſolus, *Mater* vero ſola pupillorum *tutelam* gereret, aſſumpto tamen ultro in tutorem honorarium Rege Poloniæ, excluſo Bambergenſi, qui contra tranſactionem iſtam, teſtamento contrariam, eſt proteſtatus. Additum fuit tranſactioni, ſi Rudolphum mori contingeret, adminiſtrationem ad Ducem Oelſenſem ex tertia linea devolvendam fore. Aſſignati annuatim matri pro dotalitio 20000 floreni, pro tutela 16000, totidemque fere Adminiſtratori.

Auguſtus Marchio *Badenſis* Ludovici regnantis frater, magno cum luctu amiſit filium Ludovicum, ſpem Catholicæ Familiæ, in duobus duntaxat capitibus ſuperſtitis.

Leopoldus *Megapolitanus* & hoc anno Wiſmariæ, urbe Suecica, ſubſtitit. Homines autem, qui ejus contumaciam fovere credebantur, conſentiente Sueciæ Rege, a latere ejus avulſi, in cuſtodiam ducti ſunt, prohibitumque ſevere omne ſubditorum cum Duce commercium.

Alexandro Ferdinando S. R. I. Principi *de Taxis* natus eſt filius, *Franciſcus Alexander*. Amiſit vero fratrem Chriſtianum Adamum, Tribunum Cæſareum, in Hungaria mortuum.

Natus Princeps de Taxis.

Obiit quoque Viennæ *Guidobaldus Stabrenbergius*, anno æt. 80, Teutonici Ordinis Eques & Commendator in Auſtria, Conſil. Intimus, Mareſchallus, Gubernator Sclavoniæ. In bello Hiſpanico, tum in Italia; tum in Hiſpania ſummus Cæſarei exercitus Imperator, grandes res geſſit, inter ſummos Heroes numerandus, Magni Eugenii æmulus.

Obit Guido Stahrenberg.

Art. XXXII.

Seckendorffius ob rem male in Hungaria geſtam miſſus in cuſtodiam. Bavariæ funera. Nuptiæ Regis utriusque Siciliæ. Adminiſtratio Würtembergica. Judæi Süs ſupplicium. Obitus Durlacenſis. Cauſa Salmenſis.

55. Anno 1738 *Definitivus* inter Cæſarem, Imperium, & Galliam *Tractatus* tandem confectus eſt; ſed quia anno ſequenti primum per ratihabitionem capitum robur ſuum accepit, illius relationem differimus.

Generales Mareſchalli a Cæſare renuntiati ſunt, Carolus Princeps Lotharingiæ, Fridericus Princeps Waldeccius, Auguſtus Princeps Saxo-Gothanus. Knorrius Conſil. Aulicus duxit Bartenſteiniam. Obiit Hamiltonus, Conſil. Intimus, Magiſter Equitum, Gubernator Temesvarienſis. *Paſſioneus* per plures annos Viennæ Nuntius Apoſtolicus, locum reliquit *Paoluccio*, Dreſda illuc tranſlato.

Urbes, quas Sylveſtres vocant, Rhenofelda, Seckinga, Lauffenburgum, Waldshutum, Helvetis pignori aſſignabantur pro ſesqui-millione, ad bellum Turcicum ſuppeditata. Comes *Seckendorffius*, infelix prius in Hungaria belli Imperator, a Viennenſi cuſtodia in Græcenſem abductus eſt; ut a violentia populi eſſet ſecurior. Cauſa interea illius fuit examinata.

Seckendorff in cuſtodia.

Bavaria duo funera magno cum luctu extulit; imprimis *Maximiliani* Franciſci, 28 æt. anno variolis extincti; Principis ſummæ ſpei, quem tota Bavaria deploravit. Secutus eſt poſt aliquot menſes filium Pater *Ferdinandus* Maria, Electoris Frater, Princeps æterna dignus memoria, relicto filio unico, *Clemente Franciſco*, quem hodie-

Bavariæ funera.

hodiedum superstitem veneramur. Elector 6400 milites Cæsari in Hungariam submisit.

Elector *Palatinus* acceptavit conclusum Imperatoris, Franciæ, Angliæ, & Hollandiæ, ut *Princeps Solisbacensis*, moriente etiam Electore, in Ducatus *Juliacensis* & Montensis quieta possessione maneat, donec causa Hagæ esset discussa. Juliaci possessio.

Saxonia celebrius nihil habuit, quam *desponsationem* Mariæ Amaliæ cum Carolo, utriusque Siciliæ Rege. Dux vero Josephus Saxo-Hildburgshusius duxit Ludovicam Victoriam, divitem Principis Eugenii neptem & hæredem. Nuptiæ Regis utr. Siciliæ.

Würtembergici Ducatus Administrationem Rudolphus Dux Neostadiensis transtulit in agnatum suum Ducem Oelsensem, qui ad hunc finem ex Silesia venit Stuttgardiam. Rud. Würt. administrat. transfert in Oelsensem.

Furca suspensus est famosus per Germaniam Judæus, *Joseph Süs Oppenheimer*, repetundarum reus, ob defraudationem, ut insimulabatur, ærarii publici. Süs Jud.

Obiit Carolus Wilhelmus Marchio *Durlacensis*, 59 ætat. anno, Cæsareus Mareschallus, cui successit Carolus Fridericus, ex filio præmortuo nepos; quia autem pupillari adhuc erat ætate, testamento datus est ei tutor & administrator Carolus Augustus agnatus. Obiit Durlac.

In Judicio Aulico agitata est controversia Salmensis. Quippe Princeps testamento hæredem scripsit Leopoldum Agnatum, præteritis aliis, eodem gradu ipsi conjunctis; qui proin querelam deferebant, in partem admitti petentes. Causa hoc anno necdum finem accepit.

Obiit quoque Viennæ Carolus Antonius Comes Oetinganus in *Wallerstein*, æt. 59. Successit filius Joannes Carolus Fridericus.

Art. XXXIII.

Tractatus Definitivus Pacis Viennensis.

Continet is 20 Articulos.

1. Statuitur pax & amicitia inter Cæsarem, Imperium & Regem Franciæ.
2. Omnes subditi & captivi restituantur in integrum.
3. Pax Westph. Neomag. Risvicensis, Badensis, & Fœdus quadruplum sint fundamentum hujus tractatus.

4. Prout

4. Prout etiam Præliminaria anni 1735, Tractatus Executivus 1736, cum conventione de cessione *Barri & Lotharingiæ.* Causa autem *Guastallæ* futuræ transactioni reservatur.

5. Cæsar iterum promittit, se nunquam incorporationem *Castri & Roncilionis* tentaturum.

6. Continentur Acta abdicationis Stanislai, reservato solo titulo *Regis Poloniæ.* item Acta, quibus Gallia & Russia *Augustum* agnoscunt *Regem Poloniæ.*

7. Exhibentur Declarationes & Diplomata, quibus Cæsar *Neapolin* & *Siciliam* in Carolum Principem transfert: hic vero & Hispanus *Parmam* & *Placentiam* in Cæsarem, & eventualem successionem *Florentinam* in Ducem Lotharingiæ.

8. Documenta, quibus Cæsar Sardiniæ tradit *Tortonam* & *Novaram*, cum *Langharum* feudis; quibusque *Sardus accedit Præliminaribus.*

9. Mutua sponsio pro Lotharingia & Tuscia.

10. *Gallia spondet* Cæsari pro *Sanctione Pragmatica*, quæ esset medium æquilibrii, in Europa conservandi.

Reliqui articuli tractant de restituenda Domo *Würtembergica*, in certas Præfecturas, sitas in territorio Gallico, quæ ante ad lineam *Mümpelgardensem* pertinuerant; Gallia autem Comiti de Sponeck attribuere voluerat, aut Esperanciis liberis, Eberhardi, ultimi possessoris, illegitimis liberis.

Item de finibus Alsatiæ & Belgii determinandis. De debitis Cameræ Ensishemianæ liquidandis, prout dudum fieri oportuerat juxta Art. 84. P. W. de finibus Lotharingiæ regundis. De commerciis. De bonis in Lotharingia Ordini Teutonico reservandis. De inclusis huic tractatui Statibus Imperii, & nominatim Episcopo Basileensi.

Hanc conventionem ab anno 1735 elaborarunt Comites, Philippus Sinzendorffius, Gundacarus Stahrenbergius, Raymundus Harrachius, Adolphus Metschius, cum Marchione Mirapinio (seu *Mirepoix*) Gallo.

Anno 1739 hujus tractatus accessit confirmatio; prout etiam finis belli Turcici, minus feliciter gesti; uti in Hungaricis refertur. Mareschallos Cæsar renuntiavit Weissenfelsium, Hildburgshusium, Hohenzolleranum, Lobkovitzium.

Obiit *Ernestus Darmstadiensis* anno æt. 72, Regiminis 60, successit Ludovicus filius, cum quo Cassellensis continuavit litem de successione Hanovica, recursum ad Comitia sibi licitum propugnans.

Obit Darmst.

Obit

Obiit quoque *Carolus Fridericus* Dux *Holsato - Gottorpiensis*, natus 1700. Conjugem duxit Annam, Petri I Moscorum Imperatoris filiam; atque ex ea genuit *Carolum Petrum Ulricum* 1728, futurum Imperatorem Russiæ. Ex ordine proximæ agnatorum tutelæ provinciam pro isto administravit *Adolphus Fridericus*, *hodiernus Rex Sueciæ*. Carolus Fridericus, quod ex Magdalena Bipontina descenderet, in partem successionis Juliacensis & Clivensis venire volebat. Et Gottorpiensis,

Lites, inter Gottorpiensem, Danum, & Hannoveranum propter Steinhorstum exortæ, in transactionem tandem desierunt, manente in possessione Hannoverano, & pecunia illam redimente.

Obiit Bruxellis *Anselmus Franciscus* Princeps *de Taxis*, Eques Aurei Velleris, supremus Postarum Præfectus, anno æt. 60, successit *Alexander Ferdinandus* filius, qui hoc anno conjugem quoque suam, Sophiam Baruthanam, 1733 ad Catholicam Religionem conversam, amisit. Et Princeps de Taxis,

Eandem æternitatis viam adiit Christianus Princeps *Dillenburgensis*, cumque nullos reliquisset liberos, Principatus *Dillenburgicus*, & Comitatus *Hadamarensis*, cum civitate *Herborna* ad agnatum proximum ex linea Diezensi, Principem Auriacum, translati sunt. Et Dillenburg. hæres Diezensis.

Art. XXXIV.

Obitus Caroli VI Cæsaris. Borussi in Silesiam irruptio. Prætensio Electoris Bavariæ. Vicariatus Imperii simultaneus. Causa Heristallensis. Obitus Schenckii Episcopi Constant. & August. in celebritate Jubilæi Möskirchensis.

Dies 20 Oct. 1740 toti Europæ luctum indixit, dum *Carolum VI* Romanorum *Imperatorem* sustulit, anno ætatis 56, Imperii 29. Princeps fuit magnanimus & more Austriaco pius, primis Imperii sui annis potentissimus & invictus, sequentibus dein annis felix minus, in Italia & Hungaria multa passus, semper tamen magno animo, & utriusque fortunæ Dominus. 56. Obit Carolus VI Imp.

Nihil autem inter res magnas gestas ita sollicitum habuit, atque *Sanctio sua Pragmatica*; pervicitque, ut illa a plerisque Europæ Statibus non modo acceptaretur, sed insuper pro eadem sponderetur.

Secundum hanc Sanctionem ex aſſe hæres erat *Maria Thereſia*, filia defuncti primogenita. Sed plures ampliſſimam hæreditatem aut petebant integram, aut in partem venire volebant. Superſedeo, varia Documenta, Inſtrumenta, Teſtamenta, Codicillos, Manifeſta, recenſere, recentiora illa ſunt & notiora, quam ut hic produci debeant, & fortaſſe magis odioſa, quam ut expediat.

Boruſſus in Sileſ. Arma primus corripuit *Rex Boruſſiæ*, atque Sileſiam invaſit. Tota dein prope Europa in partes diſtracta, geſtumque bellum in Bohemia, Auſtria, Bavaria, Italia, Belgio.

Votum Bohemicum. Cum de novo eligendo Imperatore tractaretur, multa erat contentio de *Voto Bohemico*, quod pro ea vice quieſcere volebant alii, alii jura Bullæ Aureæ & exempla voti, per maritos exerciti, opponebant.

Prætenſio Elect. Bav. Carolus Albertus *Elector Bavariæ* ſucceſſionem in terris Auſtriacis prætendit, ſe referens ad teſtamentum & præcipue Codicillum Ferdinandi I Imperatoris. Quæ autem per Comitem Perouſa, Bavariæ Legatum, Viennæ circa collationem exemplarium, & alias acta ſint, abunde ſunt notoria.

Vicariatus Imp. Interea autem, dum vacaret Imperium, *Vicarii* regebant more veteri, Saxo & Palatinus, quibus tamen alienatio & collatio feudorum majorum eſt interdicta. Bavarus autem & Palatinus *communi Conſilio* Vicariatum adminiſtrabant, prout inter utramque Domum, aut potius unius Domus utramque lineam, alias etiam communes rationes habentem, fuerat conventum, non tamen ſine murmure quorundam Ratisbonenſium Legatorum.

Cauſa Mümpelgard. Adminiſtrator Würtembergicus urget traditionem novem ditionum, ad Ducatum *Mümpelgardenſem*, prout dicebat, pertinentium, quas, cum Sponeckiani & Eſperancii Eberhardi liberi, negantes, ſe in ſyſtemate Proteſtantium illegitimos, prætenderent, Rex Galliæ ſequeſtro ſubjecerat, atque cum in Burgundico territorio eſſent ſitæ, ad tribunalia ſua vocabat, dans optionem Adminiſtratori, an coram Conſilio Regis Aulico, an vero coram Parlamento Pariſienſi cauſam velit agere; neque enim, quæ in Tractatu Definitivo de controverſis his locis eſſent acta, aliter eſſe intelligenda, ac ſalvo jure tertii.

Nuptiæ Caſſellani. *Fridericus* Princeps hæreditarius Haſſo-*Caſſellanus* ducit Mariam, Georgii II Angliæ Regis filiam. Hic, in Germanicas ſuas provincias advectus, conciliatione ſua componit litem, non armis minus quam calamis inter Moguntinum & Caſſellanum agitatam in *puncto juris lignandi*, quod Hanovienſes prætendebant.

Frideri-

Fridericus novus Rex Borussiæ, cum ab *Herstallo* homagium ei negaretur, armata manu ditionem Leodiensem invasit. Episcopus Leodiensis, Dominus directus Herstalli, contra hanc vim, a Vasallo sibi illatam, Ratisbonæ conquestus, tandem, ut talem vicinum arceret, porrectis Regi 150000 Thaleris, dominium utile cum directo consolidavit. Causa Herstallana.

Dum Frobenius Princeps Fürstenbergius Möskirchii duplex Jubilæum solenniter celebrat, matrimonii nempe sui, & Regiminis, aderat *Joannes Franciscus Baro Schenck de Stauffenberg*, *Episcopus Constantiensis* ab anno 1704, & Augustanus ab anno 1737, qui ibidem subita morte fuit oppressus, ætatis 83. A capitulo Constantiensi regnante ductus in custodiam *Weinbachius* novator, primæ admissionis Minister. *Christophorus*, frater Religiosus, ædilis, in aula potens, jam ante aufugerat. Obit Episc. Const. & August.

Constantiæ successit Damianus Hugo, Comes *Schönbornius*, Cardinalis, & Episcopus Spirensis, jam anno 1722 electus Coadjutor. Augustanus vero Episcopus electus est *Josephus* Princeps Hasso-*Darmstadiensis*, Landgravii Philippi, Cæsarei Mareschalli & Mantuæ olim Gubernatoris, filius. Successores.

Art. XXXV.

Lis de Voto Bohemico, cessare jusso. Prætensio Bavariæ, Saxoniæ, Hispaniæ, Sardiniæ, Borussiæ, in provincias Austriacas. Responsiones Austriæ.

Toto adhuc anno 1741 vacavit Imperium, Vicariis Augustæ 57.
& Dresdæ exercentibus Jurisdictionem. Legati Electorales Francofordiæ, Principes Protestantes Offenbachii ad Dietam per legatos conveniebant, de iis, quæ Electoribus ratione futuræ Capitulationis Cæsareæ essent proponenda, consulturi. De *Voto Bohemico*, pro hac vice cessare jusso, multa contentio. *Brandavius*, Legatus Francisci Stephani Magni Ducis Florentiæ, cui, in Con-Regentem assumpto, Votum Bohemicum commiserat conjux Maria Theresia, Regina Hungariæ, &c. a conventu exclusus, tum quod negarent, suffragium Electorale fœminæ posse competere, tum quod eandem Bohemiæ hæredem diffiterentur, aut dubitarent. De Voto Boh cessare jusso contentio.

Nam 1. *Bavaria* ad pacta dotalia, Teſtamentum, & Codicillum ſe referebat, quo Ferdinandus I per ſubſtitutionem, poſt extinctam maſculam ſuam ſtirpem, Annam filiam ſuam, Alberto V Bavariæ Duci nuptam ejusque poſteros ad hæreditatem vocaſſet. Renuntiationem vero anno 1722 tantum reſpectu conjugis ſuæ eſſe factam, non autem jura antiqua Domus Boicæ fuiſſe abdicata. Eadem mente Sanctionem Pragmaticam 1726 fuiſſe acceptatam; nempe, in quantum conjugem concerneret. Primos Marchiones Auſtriæ usque ad Henricum *Jaſemergott*, primum Ducem, atque ab eo usque ad Fridericum Bellicoſum fuiſſe ex gente Boica, ex Arnulpho Malo ejusque filio Eberhardo deſcendentes: ac proin Friderico Bellicoſo mortuo ſucceſſionem ad alteram Bojariæ Ducum lineam, per Arnulphum, alterum Arnulphi Mali filium, propagatam, pertinuiſſe, ac privilegium ſucceſſionis fœmineæ, a Frid. I Jaſemergotto conceſſum, nullatenus Familiæ Habſpurgicæ ſed Boicæ Auſtriacæ fuiſſe conceſſum. An. 1156 Conradinum, cum in Italiam expeditionem ſuſciperet, omnia ſua in Suevia Ludovico Severo tutori & avunculo ſuo donaſſe in caſum, quo improlis obiret, &c.

Bavariæ prætenſio.

2. *Saxoniæ* Elector duplici titulo jus ſuccedendi in univerſam hæreditatem prætendit, ratione *ſui* videlicet, & ratione *Conjugis.* Ratione ſui quidem, quod linea recta deſcenderet ex *Conſtantia Sorore Friderici Bellicoſi*, ultimi Ducis Auſtriæ ex familia Bambergenſi, anno 1246 ſine liberis mortui. Ratione Conjugis vero, quod Imperator Leopoldus anno 1703 eum in Domo ſua ſucceſſionis ordinem ſtatuiſſet, ut, ſi filii ſui Joſephus & Carolus ſine maſculis obirent, eorum filiæ ſecundum *ordinem primogenituræ* ſuccederent. Nec obſtare renuntiationem ſuæ Conjugis, anno 1719 factam, utpote profectam ex ignorantia ſui juris, & diſpoſitionis Leopoldinæ. Sed neque acceptationem Sanctionis Pragmaticæ obſtare ſucceſſioni Saxonicæ, ut quæ non aliter poſſit intelligi, niſi ſalvo jure cujuſcunque tertii, & cujus Sanctionis nunc nemo rationem haberet, neque Carolum VI diſpoſitionem ſui Parentis potuiſſe evertere.

Saxoniæ prætenſio.

3. *Rex Hiſpaniæ* Philippus V pariter totam hæreditatem prætendit, jus ſuum deducens ex Anna, *Maximiliani II Imperatoris filia, Philippo II Hiſpaniarum Regi nupta*, ex qua ipſe deſcenderet. Carolum V autem Cæſarem, Germanicas Domus Auſtriacæ provincias, Auſtriam, Stiriam, Tyrolin, Alſatiam, Brisgoviam, fratri ſuo Ferdinando ceſſiſſe quidem, ſed ſub ea conditione, ut, ſi ma-

Regis Hiſp. prætenſio.

mascula ejus progenies deficeret, Hispanica linea succederet. Cum igitur in Carolo VI hæc defecerit, succedere Hispanicam, cujus ipse sit caput, ex Anna descendens, & Caroli II hæres.

Eandem esse rationem Hungariæ & Bohemiæ, quarum Maximilianus II, ex matre hæres, jus succedendi filiæ suæ Annæ (jam memoratæ) reservarit in casum, quo Masculina series Teutonica deficeret. Idemque a Ferdinando II anno 1617 Pragæ fuisse confirmatum. His autem juribus, dudum quæsitis, Carolum VI per Sanctionem suam Pragmaticam non potuisse præjudicare. Hæc Montichius legatus Hispaniæ per aulas Germanicas late dispersit.

4. *Rex Sardiniæ* non totam quidem hæreditatem, Ducatum tamen *Mediolanensem* prætendit, ex ea ratione, quod Carolus V anno 1549 successionem in eo ita ordinarit, ut deficiente propagine mascula Philippi II filii, succedant filiæ, earumque masculi secundum ordinem primogenituræ. *Primogenitam* autem *Philippi II fuisse Catharinam, Carolo Emmanueli Duci Sabaudiæ nuptam, ex qua ipse descendat*, ac proin sit hæres legitimus. Domui Sabaudicæ jam eo tempore, quo Carolus II Rex Hispaniæ decessit, jus competisse, multo magis nunc, tota masculina Domus Austriacæ stirpe extincta. Regis Sard. prætensio.

5. *Rex Borussiæ* prætendit successionem *in quatuor Silesiæ Ducatus, Lignicium, Briegam, Woblaviam, & Jägerndorffium.* Et quidem jus in priores tres Ducatus fundavit in *pacto Confraternitatis*, anno 1537 inito inter Joachimum II, Electorem Brandeburgicum, & Fridericum II, trium illorum Ducatuum possessorem, vi cujus mutua sit statuta successio, sub nexu tamen antiquo feudali cum Regno Bohemiæ: qui nexus nullatenus impediat Confraternitatem, atque hoc pacto eventualem alienationem, cum Bogislaus III, anno 1329 suos Principatus Joanni Luxenburgico, Regi Bohemiæ, subjecerit quidem, jure clientelari a se possidendos, reservato tamen jure eos alienandi, ac proin pactum illud Confraternitatis fuisse omnino validum, quin illius confirmatio esset necessaria. Regis Borussiæ prætensio.

Jägerndorffium anno 1524 a Georgio Marchione Brandeburgico fuisse emptum; ab ejus vero filio, cum anno 1603 improlis obiret, Joachimo Friderico Electori fuisse legatum: ab hoc vero juniori filio suo Joanni Georgio relictum; quem dein, partes Friderici V in turbis Bohemicis sequentem, Ferdinandus II anno 1623 proscriptum Ducatu spoliarit. Jure igitur postliminii illum cum fructibus perceptis & percipiendis reposci.

Reſponſiones Auſtriacorum.

His omnibus reſponderunt Auſtriaci.

Contra Bav. Ad I. Annam, Alberto V Bavariæ Duci nuptam, in eum ſolummodo caſum fuiſſe ſubſtitutam, quo ex tribus Ferdinandi I filiis nullus ſuperesſet *hæres*, legitimo matrimonio natus. Atqui plures adhuc ſupereſſe tales *hæredes*, & inter eos *Mariam Thereſiam*, Caroli VI ultimi poſſeſſoris filiam primogenitam, cui vi privilegii, a Friderico I conceſſi, vi Sanctionis Pragmaticæ, anno 1726 ab Electore acceptatæ, vi denique rationis & ordinis naturalis, jurisque Divini & humani, paterna hæreditas competat.

Neque ab antiquis temporibus jus aliquod derivari poſſe, cum antiqui Marchiones & Duces Auſtriæ non fuerint *ſtirpis Boicæ*, ab *Arnulpho Malo* deſcendentes, ſed ſtirpis *Bambergenſis* ſive Babebergenſis; ex qua familia Albertus I *Eliſabetham* duxiſſet, omnium Archiducum matrem. Privilegium ſucceſſionis fœmineæ a Frid. I Imperatore fuiſſe conceſſum Henrico *Jaſemergott ejusque in eodum Ducatu ſucceſſoribus, nec non terræ Auſtriæ.* Idem privilegium confirmatum fuiſſe a Rudolpho Habspurgico, cum conſenſu Electorum; etiam Ludovici Severi, Bavariæ Ducis & Electoris Palatini: & poſtea ab Alberto I, Henrico VII, Carolo IV, Wenceslao, Sigismundo, Friderico III, Carolo V, & ipſo etiam Ludovico Bavaro Imperatore.

Quantum ad Hungariam, Ferdinandum I ne quidem potuiſſe de ſucceſſione libere diſponere. Patere ex juramento, quod Reges præſtare ſint ſoliti, eos non habuiſſe manus liberas. Primum an. 1687 ab Hungaris Leopoldo, ob res adverſus Turcas præclare geſtas, ſucceſſionem maſculinam fuiſſe firmatam, & anno 1723 ad fœminas ſecundum normam Sanctionis Pragmaticæ extenſam. Poſteriori teſtamento Ferdinandum I, cum ex Maximiliano filio jam nepotes haberet, de ſucceſſione filiarum nullam factam mentionem, niſi quod ſingulis centum florenorum millia aſſignaret pro dote. Denique Sanctionem Pragmaticam ab ipſo etiam Electore anno 1722, & 1728 abſolute fuiſſe acceptatam &c. Hæc aliaque *Bartenſteinius* Secretarius attulit; amplior autem deductio *Knorrio* fuit demandata.

Contra Sax. Ad 2. *Fridericum Bellicoſum* habuiſſe fratrem ſeniorem *Henricum*, ex quo deſcendat *Eliſabetha*, Alberto I Imperatori nupta, ac mater omnium Archiducum. *Conſtantiam* autem, Marchioni Miſnienſi nuptam, fuiſſe ejusdem Friderici Bellicoſi ſororem natu minorem;

merito

merito autem præponi progeniem fratris natu majoris propagini fororis, & quidem natu minoris. Dein a Rudolpho Habspurgico poft devictum Ottocarum, Auftriæ incubantem, Albertum filium Auftriæ feudo fuiffe inveftitum, confentientibus Electoribus, ob magna in Imperium merita.

Jofephi Imperatoris filiam natu majorem, Saxoniæ Electoris conjugem, utique fucceffuram fuiffe, fi Jofephus fupervixiffet Carolo, quæ mens fuerit Leopoldi Cæfaris, non vero, dum Carolus fupervixerit. Tunc enim prolem fuccedere patri præ nepte ex fratre. Denique Jofephinas Archiduces renuntiaffe fecundum normam Sanctionis Pragmaticæ, a toto Imperio & plerisque Europæ Statibus approbatæ.

Ad 3. Refponderunt Auftriaci, fecundum privilegia, a Friderico I, & II anno 1156, & 1245 conceffa, & ab aliis Imperatoribus confirmata, filiam Archiducis *ultimi poffefforis* fuccedere. Regem Hifpaniæ hunc fuccedendi ordinem anno 1725 in pace Viennenfi art. 12 cum fponfione approbaffe, & an. 1731 denuo confirmaffe. Hoc ipfum privilegium etiam a Carolo V Imperatore & Rege Hifpaniæ fuiffe confirmatum. Contra Hifp.

Carolum V, cum provincias Germanicas Ferdinando fratri cederet, eam folam adjeciffe conditionem, ut, fi ftirps Germanica mafcula extinguereretur, fuccederet Hifpana *mafcula*; hanc autem in Carolo II defeciffe. Regem Philippum non per mafculam fed fœmineam duntaxat propaginem a Carolo V, & Auftriacis defcendere: fœminis autem Hifpanis nullum effe jus quæfitum in terras Germanicas. Annam quidem, Philippi II Conjugem, fibi jus refervaffe, fed tantum in eum cafum, quo *mafculina* & *fœminina* in Germania feries deficeret. Philippum quoque III in contractu domeftico, anno 1617 Pragæ cum Ferdinando II inito, pro *folis mafculis* fuis jus fucceffionis fibi refervaffe in terris, a Carolo V ceffis, fi mafcula Ferdinandi I linea deficeret.

Adverfus *Regem Sardiniæ* Auftriaci nullam Deductionem protulerunt, fed potius eum, ab Hifpanis, Mediolanum prætendentibus, irritatum, lucrari, & in partes fuas trahere conabantur. Hoc certum putabant, quod Sanctioni Pragmaticæ fubfcripferit, ficque juri fuo renuntiarit. Cont. Sard.

Ad Argumenta denique Regis Boruffiæ refponfum fuit a *Kannengieffero* Confiliario: *Boleslaum* Ducem anno 1329, & 1331 Lignicium & Briegam tanquam *hæreditaria feuda* Regno Bohemiæ fubjeciffe, jure clientelari deinceps a fe & *mafculis* fuis hæredibus poffidenda, Cont. Boruff.

denda, cum expressa declaratione, etiam a filiis Boleslai approbata, ut, si mascula ejus stirps deficeret, Principatus isti Regi Bohemiæ ejusque *hæredibus & successoribus* aperirentur, atque cum corona Bohemiæ *consolidarentur*, cum ea tamen reservatione, ut pro casu necessitatis unam vel alteram urbem aut arcem Regi, vel si is nollet emere, alteri vendere liceat. Potestatem proin aliquid ex iis feudis alienandi ad *casum necessitatis* esse restrictam.

Equidem a Rege Uladislao anno 1511 Duci Lignicensi *Friderico II* factam potestatem libere testandi; idque a Rege Ludovico 1522, & 24 fuisse confirmatum; sed eas litteras sub & obreptitie fuisse impetratas, ex falsa allegatione, quod Duces vi primæ infeudationis potestatem liberam alienandi habeant, & reticentia consolidationis in casum deficientis stirpis masculæ, Regi Joanni & coronæ addictæ, & juramenti Regii, accrescentia ejusmodi bona sine consensu Bohemiæ Statuum non alienandi.

Igitur *Fridericum II*, qui Lignicium, Briegam, & Wohlaviam possidebat, non potuisse in præjudicium Regis & Regni Bohemiæ disponere, & cum *Joachimo II*, Electore Brandeburgico, *pactum hæreditarium Confraternitatis* inire: sed Status regni jure a Ferdinando I Rege petiisse, ut illam declaret irritam. Quod & factum anno 1546, postquam partes legitime citatæ, litem contestatæ, eorumque probationes ultro citroque auditæ & expensæ fuissent, protestante licet Electore contra sententiam, nullitatis declaratoriam.

Duces tamen acceptasse sententiam, & anno 1596 revocasse Confraternitatem. Ipsum etiam Brandeburgi Electorem *Joannem Georgium*, successorem Joachimi, agnovisse æquitatem sententiæ, ac propterea Rudolpho II Regi supplicasse, ut unum sibi Principatum ex gratia concederet; quod tamen negatum fuerit. Ab anno dein 1593 usque 1683 per 90 annos a Domo Electorali nihil motum, ne quidem anno 1675, quo mortuus est Georgius Wilhelmus, ultimus Dux ex Piastorum Stemmate. Oblatam autem *Friderico Wilhelmo* Electori ab Imperatore Leopoldo fuisse pecuniam, alienum esse a veritate; quin imo rescriptum ab eo, Electorem nihil posse prætendere, sed post ultimi Ducis mortem tres Principatus sibi ac regno Bohemiæ accrescere.

Nihilominus tamen Leopoldum Imperatorem anno 1686 premente bello Turcico & turbis in Imperio, cum opera Electoris indigeret, ad preces *Friderici III* Electoralis Principis *Svibusianum circulum* Electori ultro dedisse, per litteras Reversales spondente

Fri-

Friderico Principe, se post mortem patris eundem restituturum. Dici proin nullatenus posse, Freytagium Cæsaris Legatum has litteras per fraudem extorsisse. Puffendorffium, qui ex Archivio Brandeburgico scripsisset, nequaquam, si quis dolus intervenisset, fuisse taciturum.

Post cessionem dicti circuli, & prætensionis Lichtensteinianæ in Principatum Frisiæ Orientalis, Fridericum Wilhelmum Electorem omni prætensioni in memoratos Principatus non modo pro se, sed etiam hæredibus & successoribus suis, erecto instrumento, renuntiasse, fassumque verbis conceptis, eidem instrumento insertis, prætensiones suas non fuisse fundatas, ac propterea omnia documenta ea super re irrita ac nullius roboris fuisse a se declarata, atque Freytagio restituta.

Mortuo anno 1688 Friderico Wilhelmo Electore potuisse Cæsarem, vi Reversalium, quas in manu habuisset, possessionem Svibusianam rursus capere; sed in respectum Domus cum novo Electore novum iniisse tractatum, quo conventum, ut Svibusium restitueret Elector, Cæsar vero Electori *Ducis Borussiæ* titulum (absque præjudicio tamen Ordinis Teutonici) tribueret, una cum *exspectativa* gratia *ad Frisiam Orientalem*, ac promisso, virum Protestanticæ Religionis in Judicium Aulicum assumendi. Tum vero anno 1695 Svibusium una cum litteris feudalibus, aliisque documentis Cæsari fuisse restitutum: nec postea ultra 40 annos mentionem ullam de prætensione Brandeburgica esse factam. Quin imo eundem Electorem Fridericum anno 1700, cum Imperator Leopoldus eum Regem Borussiæ agnovisset, omni prætensioni in Principatus Silesiæ iterato renuntiasse, pro se & omnibus suis successoribus.

Nulla igitur ratione capi posse, quo jure aut æquitate Fridericus II Rex Borussiæ Silesiam invadere vi armata potuerit, contra jus gentium, absque ulla prævia denuntiatione belli.

Quantum ad Principatum *Jägerndorffium* spectat, nec illum esse feudum simpliciter hæreditarium, aut vendibile, aut alias alienabile, sed feudum rectum masculinum. Neque sub alia qualitate a *Georgio* Marchione Anspacensi fuisse anno 1524 obtentum a Ludovico Rege, & quidem pro se, fratre & filiis tantum. Georgii filium *Georgium Fridericum* a Ferd. I anno 1557, & a Max. II anno 1567 eo fuisse investitum tanquam feudo masculino. Cum autem cerneret, Franconicam Marchionum Brandeburgicorum veterem lineam masculinam secum emorituram, adeoque nullos superesse feudi capaces, omnemque de eo dispositionem sibi esse præcisam,

apud Rudolphum Regem institisse, ut illud Joachimo Friderico Electori Brandeburgico, agnato suo, donare liceat. At Rudolphum legibus Regni Bohemiæ fuisse constrictum, quo minus posset, reversa ad coronam feuda alienare.

Marchionem nihilominus *via facti* Jägerndorffium cum quatuor aliis ditionibus in Electorem per *donationem mortis causa*, erecto instrumento, an. 1595 transtulisse, contra jus omne & æquum: cumque an. 1603 obitus Marchionis fuisset secutus, Electorem in illis belli turbis possessionem invasisse, eamque filio suo Joanni Georgio tradidisse, ad quam neuter fuerit habilis.

Rudolphum autem Regem perpetuo eis negasse Investituram, & Principatum cum fructibus perceptis repetisse: Ferdinandum II Joanni Georgio an. 1623 non tam propter crimen feloniæ Principatum ademisse, quam propter injustam ejusdem possessionem, quod ex linea Franconica, unice infeudata, non descenderet.

Hanc Deductionem Austriacam, quam brevi compendio obiter retuli, confutare jussus Baro *Coccejus*, Borussicus Minister, prolixum scriptum edidit; id potissimum probare conatus, Boleslaum Ducem, cum in clientelam Joannis Bohemiæ Regis se dedidisset, libertatem alienandi sibi reservasse, atque a prima Investitura eos Principatus fuisse feuda hæreditaria, libera ac promiscua, non autem masculina. Ejusmodi feuda hæreditaria post extinctam masculam stirpen non aperiri domino directo, si vasallus per actum inter vivos aliter disposuerit. Fatentibus ipsis Bohemiæ Regibus, Duces de his liberis feudis hæreditariis potuisse disponere; ac proin Confraternitatem hæreditariam & validam & licitam fuisse, ejus vero cassationem irritam, & consequenter post ultimi Ducis mortem feuda illa coronæ Bohemicæ non fuisse aperta, sed dominium utile ad Domum Brandeburgicam fuisse translatum, remanente cum regno nexu feudali. Jägerndorffium pariter fuisse feudum improprium, simpliciter hæreditarium, dispositioni Ducis subjectum, ideoque a linea Franconica legitime ad Marchicam fuisse translatum. Propter feloniam autem Joannis Georgii non fuisse puniendos liberos & agnatos innocentes.

Hæc Deductio rursus ab Austriacis fuit confutata; pluraque alia scripta in utramque partem per Europam sunt dispersa; ex quibus brevissimam syncopem pro eruditione aliquali Historica extraxi, quin ullo modo judicium meum interponam, cum minor sim, quam ut de Juribus magnorum Principum quidquam possim definire.

Art.

Art. XXXVI.

Boruſſus in Sileſiam. Legatum Viennam mittit. Reginæ reſponſum. Neupergius pugna ad Molvicium vincitur. Römeri virtus. Schnöllendorffenſis conventio, ſed non ſervata.

Audita vix morte Caroli VI Imperatoris, antequam hæc ſcripta ederentur, *Rex Boruſſiæ* Fridericus II validum exercitum Sileſiæ, adverſus talem tantumque hoſtem non ſatis præparatæ, nulla belli denuntiatione facta, infudit, atque anno 1740 exeunte jam duos Principatus, *Saganum* videlicet, & *Glogaviam*, in quos nullam unquam prætenſionem formaverat, expugnavit; Glogaviam autem, permunitam urbem, dum milite cinctam habebat, *Gotterum* Viennam miſit, qui Reginæ proponeret; timendum eſſe, ne Gallia & alia quædam Aula Sileſiam occuparent; hinc Regem paratum eſſe, Germanicas Reginæ provincias omnibus ſuis viribus defendere, inituram ſe cum illa, uti & Ruſſia, Anglia, Hollandia eam in rem fœdus. Effecturum, ut Conjux ipſius Dux Lotharingiæ eligatur Imperator: ſimulque daturum Reginæ duos florenorum milliones. Pro his tamen conditionibus cedandam ſibi Sileſiam Inferiorem. 58. Boruſſ. Sileſiam invadit. Ejus propoſitiones.

Reſpondit Regina, quodlibet membrum corporis Germanici eſſe obligatum, parti invaſæ ſuccurrere, idque non tantum propter Imperii communem nexum, ſed etiam in præſenti caſu propter Sanctionem Pragmaticam, cui totum Imperium ſponſor acceſſerit. Fœdus cum Ruſſia, & potentiis maritinis jam alias ſubſiſtere, & ſubſtitiſſe, antequam Rex Sileſiam invaderet. Electionem Imperatoris ſecundum B. A. debere eſſe liberam, nihilque magis impedire eam libertatem ac turbas in Imperio excitatas. Oblatos duos milliones multum excedi damno, per irruptionem in Sileſiam illato. Cæterum ſtaturam Reginam Sanctione Pragmatica, nec quidquam ceſſuram de Sileſia. Si autem Rex illa excedat, paratam eſſe renovare cum illo amicitiam. Atque hac ratione abſciſſa tractatione legati domum ſunt revocati, Boruſſusque pleno velut alveo Sileſiam inundavit. Reſponſum Reginæ.

Per Europam autem nuntiari juſſit, ſuum in Sileſiam ingreſſum nullatenus oriri ex hoſtili adverſus Reginam intentione, multo minus ad turbandam Imperii quietem, ſed unice ad vindicanda manifeſta ſua in Sileſiam jura, in contractibus & Confraternitatibus cum Rex cauſas publicat.

cum prioribus Ducibus fundata. Præsentes temporis circumstantias celeritatem exegisse, ne alii, qui successionem sibi vendicarent, prævenirent. Quamvis igitur non potuerit prius cum Regina ea super re conferre, non omissurum tamen Domum Archiducalem fulcire.

Interea autem Rex, Sagano & Glogavio Principatu occupato 28 Dec. ad *Uratislaviam* admovit exercitum. Regina 5000 in præsidium huic urbi obtulerat; at illa obtendens sua privilegia, recipere recusavit; quo in rem suam Rex usus, urbi *neutralitatem* obtulit, quam illa acceptavit, sub conditione plenæ immunitatis ab omni onere, & militari præsidio. At mox 3000 in ædes Ecclesiasticas introducta sunt, atque officiales Austriaci cum Schaffgotsio migrare jussi.

Preslaviam occupat,

Sub initium anni 1741 expugnata *Olavia* & *Othmacovio*, ad *Neissam*, urbem Silesiæ munitissimam, ductæ copiæ. At *Rothius* Baro tam strenue eam defendit, ut cessante oppugnatione, corona duntaxat cingere eandem oportuerit, prout etiam munimenta *Briegæ* & *Glogaviæ*. Expugnatæ autem *Oppolis*, *Namslavia*, *Troppavia*, *Jägerndorffium*, cum munito *Jabluncæ* transitu, ut Hungari ingressu prohiberentur; atque sic Rex, qui quatuor solummodo Principatus sibi vendicaverat, duos intra menses utramque Silesiam rigente bruma armis percurrit, *Moravia* quoque contributione indicta.

Aliasque urbes & provincias.

Commisso dein *Schwerino* exercitu Rex 29 Januarii ovans Berolinum ingressus est. At altero jam mense reversus, tot copias adduxit, ut in Silesia *ultra sexaginta armatorum millia* sub signis haberet; cum quibus appetente jam vere expeditione cœpta, primo *Glogaviam*, quam Wallisius propugnaverat, per Dessavium Anhaltinum noctu expugnavit 8 Martii, præsidio 800 virorum more militari capto.

Inter hæc *Neupergius*, quem Regina copiis suis præfecerat, collecto in Moravia exercitu, in Silesiam movit, atque 10 Aprilis ad *Molvicium*, pagum non plus milliari Briega dissitum, stetit. Rex, pugnam conferturus, obviam processit; instructaque utrinque acie acerrime est dimicatum. Singularis in hoc prælio virtus enituit *Römeri*, qui sinistrum cornu Austriacorum regebat. Is enim cum Dimachis & cataphractis tanta vi districto gladio in dextram Borussorum alam quinquies fuit invectus, ut ordines primum turbaret, dein vero totum cornu retroageret: sed *Dessavius* & *Schwerinus*, celeberrimi Duces, ita restituerunt aciem, ut *cadente Römero*, fortitudinis

Pugna ad Molvicium.

Römeri fortitudo.

dinis suæ victima, post quinque horarum cruentum conflictum, Neupergius receptui caneret, Borusso in acie persistente. Vitio datum, quod dextro Austriacorum cornu serius adventante, sinistrum initio solum universis hostium viribus fuerit objectum; nihilominus tamen reportandam fuisse victoriam, si eandem pedites, quam equites fortitudinem objecissent, hostes ipsos fuisse confessos. Ipsi etiam Römero culpæ datum, quod in hostiles acies ardore nimio irrupisset, antequam acies in ordinem fuissent redactæ. Neuperg receptui canit.

Victoriæ fructus erat Briega, quam Octavius Piccolominus defenderat, a Borussis expugnata, libero abire permisso præsidio, cum promisso tamen, per duos annos non militandi adversus Regem. Nec multo post Rex *Uratislaviam*, urbem Silesiæ principem, quantumvis neutralitas ei fuerat promissa, præsidio octo millium occupata, eo obtentu, quod Syndicus Austriacos advocasset, scriptis ad Neupergium litteris, a Borussis interceptis. Briega dedita.

Cum autem *Protestantes* passim, fidem, Domui Austriacæ datam, ejurarent, & homagio præstito se Regi subjicerent, *Canonici* tamen id recusarunt, quod fundatio sua sit a Polonis, solique Episcopo suo & summo Pontifici essent subjecti, &, si id facerent, bona sua in superiori Silesia, & Moravia essent amissuri. Protestant. perfidia. Ecclesiast. constantia.

At Rex, hoc responso irritatus, eos, ademptis bonis, Vratislavia expulit; bonorum etiam jacturam comminatus omnibus Inferioris Silesiæ incolis, si militiam Austriacam non ocius desererent. Philippum Ludovicum vero Sinzendorffium, Cancellarii Aulici, viri celeberrimi, filium, S. R. E. Cardinalem & Episcopum Vratislaviensem Ottmachovio captivum abduxit, & post 6 dies Viennam dimisit.

Venerant interea in castra Regis *Hindfordus* & *Robinsonus* Angliæ, *Ginckelius* Hollandiæ, *Bellilius* Galliæ, & *Montichius* Hispaniæ Legati, priores suasuri pacem, posteriores dissuasuri, atque ad fœdus Gallo-Boicum pertracturi. Legatorum studia.

Rex cum utraque parte transegit; & cum Austriacis quidem 9 Oct. 1741 *Conventionem Schnöllendorffensem* clam iniit, qua promisit inducias pro cessione superioris Silesiæ, moxque exercitum *Neissæ* admovit, quæ ad speciem duntaxat aliquot diebus se defendens, deditionem fecit. Conventio Schnöllendorffensis. Neissæ deditio.

Regina Hungariæ, &c. hac pactione ex illa parte se tutam rata, copias suas, e Silesia & Moravia extractas, in Bohemiam adversus Fœderatos irrumpentes duxit. Verum Rex, nulla induciarum ratione habita, in superiorem etiam Silesiam, Glacensem Ruptæ induciæ.

Olomucium captum. Comitatum, a Fœderatis ſibi addictum, & in Moraviam, ubi *Olomucium* expugnavit, movit; conteſtatus nihilominus per Legatum Ratisbonæ, ſe Pacem Weſt. exacte ſervaturum.

Art. XXXVII.

Elector Bavariæ, Galliæ & aliorum fœderatorum auxiliis adjutus, ſuperiorem Auſtriam & Bohemiam occupat, & Rex proclamatur. Hannoveranus neuter. Cauſa Würtembergica in puncto ſubfeudi.

59. Ex altera parte adhuc potentior procella in Reginam incubuit, quippe, poſtquam *Elector Bavariæ* ampla Deductione, a Joanne Adamo *Ickſtadio*, Profeſſore olim Herbipolenſi compoſita, Domus ſuæ jura, ex Gente Boica, ante Habſpurgicos in Auſtria regnante, ex Teſtamento & Codicillo Ferdinandi I Cæſaris, atque ex Donatione Conradini, Sueviæ Ducis, petita, allegaverat, nihil autem obtinere poſſet, opportuna auxilia circumſpexit, inito cum Regibus *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Poloniæ*, *utriusque Siciliæ*, *Boruſſiæ*, Electoribus *Colonienſi*, & *Palatino* fœdere. Magnum Fœdus.

His viribus confiſus Elector 31 Julii anni 1741, per Tribunum *Minucium* *Paſſavium* occupavit. Poſtquam autem Gallicæ copiæ, ad 40000 æſtimatæ, tum Paſſavii, tum Schardingæ Bavaricis ſe conjunxerunt, Elector, commiſſa Bojariæ adminiſtratione Electrici & Baroni *Unertlio* 17 Sept. Monachio profectus, ſupremum totius exercitus imperium ſuſcepit, atque Auſtriam ſuperiorem, recedentibus Auſtriacis, breve intra tempus occupavit, receptoque Statuum 2 Oct. homagio *Lincii*, in Inferiorem Auſtriam progreſſus, recta Viennam petiturus credebatur; ſed flexo itinere *in Bohemiam* movit, relictis ad præſidium ſuperioris Auſtriæ, ſub Minucio & Segurio 12000 armatorum. El. Gallis junctus, capto Paſſavio, In Auſtriam, Et Boh. movet.

Elector cum ſociali Gallorum exercitu *Pragam* usque progreſſus, 24000 Saxonum invenit; cum quibus triurbem, tribus locis impetitam, 26 Nov. expugnavit; *Ogilvio* urbis Præfecto cum 2780 præſidiariis captis, Auſtriacis vero, qui urbi ſuccurrere volebant, Budweiſium usque prope ad fines Bohemiæ propulſis. Carolus Albertus vero *Rex* proclamatus, & a fœderatis agnitus. A Statibus Bohemiæ fidei ſacramentum & homagium ſolenniter recepit, poſtquam ſua illis jura & privilegia confirmavit. *Keiſerſteinius* dictus regni Pragam capit. Rex proclamatur.

regni Cancellarius, *Kolowratus* Præses Justitiæ, *Comes de Bavaria* Pragæ Præfectus, *Broglio* vero militiæ. Comitatus *Glacensis* Borusso cessus. Quibus confectis Carolus Albertus Monachium rediit 29 Dec. inde Francofurtum profecturus ad electionem Cæsaream.

Prius tamen copiis Bavaricis præfecit *Törringium*, locum-tenentes vero Max. Fuggerum, Theodorum Moravitskium, Carolum Piosasquium, Ludovicum Fürstenbergium, Josephum Fridericum Principem Hohenzolleranum.

Elector *Palatinus* septem suorum millia cum Gallicis copiis & decem *Coloniensium* millibus ad Düsseldorpium conjunxit. *Saxo* pariter, a *Bellilio* persuasus, editis prætensionis suæ, quam supra attigimus, monumentis, magno fœderi accessit, & expugnatæ Pragæ pars magna fuit, *Mauritio* fratre præludente victoriis, quas hoc bello deinceps reportavit.

Elector *Hannoveranus* 24 Junii, inito cum Regina fœdere, causam Austriacam defendere promisit, atque in eam rem triginta millium exercitum collegit, geminis castris ad Nienburgum & Hameliam locatis. Verum, cum *Mallebœus* cum majori exercitu in Westphaliam irrumperet, & provinciis Lüneburgicis minitaretur, atque Brandeburgicæ etiam copiæ, ad Gentinum collectæ, terrorem incuterent, 27 Sept. *Neutralitatis* Tractatum iniit, quo promisit, se nulla Reginæ præstiturum auxilia, nec Borussis, Boiis, aliisve fœderatis obstiturum, quin imo in electione Cæsarea Electori Bavariæ Votum daturum. Mallebœus vero spondet, se in terris Hannoveranis hyberna non capturum; & Borussus, se castra Gentiniana soluturum.

Hannover. neutralitatem promittit & Votum Bavaro.

Hoc eodem anno Maria Augusta, Alexandri, Würtembergiæ Ducis, Vidua, a Rege Borussiæ in Ordinem Equestrem Nigræ Aquilæ fuit suscepta, & invitata cum tribus filiis suis; consilio nescio quo, Berolinum, ad Regem eos misit educandos. Fortassis id factum suasu Ducis Oelsii tutoris Lutherani, arrepta ansa ex controversia cum Regina Hungariæ, quæ, ceu universalis Caroli VI patris sui hæres, etiam Ducis Würtembergiæ titulum cum insignibus assumebat.

Würtembergenses Principes Berolinum.

Displicuit hoc tutori, qui obtendebat, cum stirpe Austriaca mascula jus omne in Würtembergiam fuisse extinctum: cum enim Maximilianus I Imperator anno 1495 Wormatiensibus in Comitiis Würtembergiam in Ducatum erigeret, Comitibus *Beutelsbacensis* originis in feudum *masculinum* pro Imperii more fuisse concessum, nec unquam hanc feudi recti naturam fuisse mutatam.

Causa Würtembergica puncto subfeudi.

Quippe

Quippe, licet Carolus V Würtembergiam a Fœdere Suevico (quod Ulricum Ducem ea privaverat) emerit, & anno 1519 fratri Ferdinando cesserit, Ulricum tamen post pugnam Lauffensem, ope Philippi, Hassiæ Landgravii, an. 1534 fuisse restitutum. Et quamvis in Tractatu Cadanensi fuerit conventum, ut Domus Würtembergica Ducatum a Ferdinando tanquam *sub-feudum masculinum* recipiat, anno tamen 1599 a Rudolpho II hoc subfeudum fuisse sublatum, & solum jus reservatum succedendi, si stirpem Würtembergicam masculam extingui contingeret. Semper autem consideratum fuisse ceu feudum masculinum, quam qualitatem ne quidem utraque Domus sine Imperii consensu potuisset mutare: neque ex ullo contractu haberi, quod etiam fœminis Domus Austriacæ eventualis successio competat: consequenter Reginæ neque titulum amplius Würtembergicum neque insignia competere.

Hæc tutor nomine pupilli per suum Viennæ Legatum proposuit, & prolixa Deductione publicavit. Non tamen, quod sciam, fuit responsum; quia majoribus tunc Vienna negotiis fuit distracta. Titulis tamen & juribus paternis Regina uti perrexit, etiam vigore Sanctionis Pragmaticæ, a toto Imperio acceptatæ.

Wilhelmus Hassiæ Landgravius armata manu *Holzhusium* occupavit, quod ad Comitatum Hannovium pertinere prætendebat. Oppidum hoc tempore tricennalis belli *Reigersbergio*, Cancellario Moguntino, in feudum a Cæsare fuerat collatum; Elector autem Anselmus illud Ingelheimianæ suæ Familiæ emit, quæ, oblato licet pretio, tradere Wilhelmo noluit. Inde violenta invasio.

Henricus Darmstad. obit Catholicus.

Ejus filio Friderico natus est hoc anno ex Maria Angliæ Regis filia Wilhelmus. Ex Darmstadiensi vero linea obiit *Henricus*, Catholicam Religionem amplexus. Fuit is Philippi, Mantuæ olim Gubernatoris, frater.

Carolo Leopoldo Duci Mechlenburgico spes affulsit recipiendi suum Ducatum, cum Anna ejus filia ad Russiæ regimen fuit evecta. Sed cum brevi rursus fuisset dejecta, evanuit, maxime postquam Saxo, Imperii Vicarius, Christiano fratri administrationem confirmavit.

Art.

Art. XXXVIII.

Electio Electoris Bavariæ in Imperatorem, unctio & coronatio, prout etiam Imperatricis.

Annum 1742 celebrem reddit electio *Caroli Alberti* Electoris *in Regem Romanorum & Imperatorem.* Peractum negotium ritu consueto. Præstitum Electorali Collegio a Senatu & civitate Francofurtensi securitatis juramentum. 21 Jan. indictum peregrinis, ut pridie electionis urbe excedant. 24 Moguntinus & Coloniensis, qui præsentes aderant, & reliquorum Electorum Legati, ex Curia ad Ecclesiam S. Bartholomæi se conferebant, reliqui equites, Moguntinus propter senium curru vectus. Cantatum solenne de Spiritu Sancto officium ab Osteinio Proepiscopo Moguntino. Post Evangelium, Protestantes Legati recesserunt contra Aureæ Bullæ præscriptum, nec redierunt ante Communionem. Post Missam editum juramentum consuetum, ab Ecclesiasticis Electoribus apposita pectori manu, a sæcularibus Legatis tactis sanctis Evangeliis. Tum concessum in Conclave, ubi intra horæ quadrantem totum electionis negotium fuit absolutum, cadentibus omnium præsentium Votis in Carolum Albertum, Electorem Bavariæ. Acceptata a Legatis Bavariæ *Königsfeldio* & *Seinsheimio* capitulatio. Promulgatus electus primum ab Electore Moguntino in Conclavi, dein a Decano Moguntino in Ecclesia, resonantibus & reboantibus lætitiæ & gratulationis instrumentis.

60. Carol. Alb. eligitur Imperator.

Ordo electionis.

Electus, qui interea Manhemii substiterat, nuntio per Comites Elzium & Pappenhemium Imperii Vice - Mareschallum accepto, 30 Jan. publico cum applausu Francofurti exceptus, primo Ecclesiam, dein Conclave ingressus in Articulos Capitulationis juravit, dictoque solenni hymno ab Electoribus & Legatis in palatium suum deductus est.

Facta dein præparatio ad solennem coronationem, quæ 12 Febr. coram innumerabili Nobilium multitudine summa cum pompa ab Electore Coloniensi, cedente pro hac vice jus suum Moguntino, peracta est. Ritus ac ceremoniæ eædem adhibitæ, quæ in coronatione Caroli VI, eædemque interrogationes, quæ a vetustissimis temporibus aliis Imperatoribus propositæ: an Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam conservare & defendere velit, ejusque Ministros protegere? Imperium secundum justitiam regere & tueri?

Ordo unctionis.

tueri? bona alienata reducere ad Imperium? ſanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, Romano Pontifici, & S. Romanæ Eccleſiæ decenter obſequi? &c. ad ſingula autem reſpondit: *Volo.* Quomodo hæc convenirent Imperatori Acatholico, facile patet.

Conſecratio fiebat in vertice, pectore, humeris, & brachio dextro, pronuntiata formula: *ungo te in Regem oleo ſacro in nomine Patris* &c. alia longior formula fuit adhibita in unctione manuum. Ita unctus Imperialia ornamenta induit. Moguntinus porrexit enſem Caroli M. Colonienſis conſecrator annulum digito inſeruit, ſceptrum autem dextræ, & Pomum Imperiale ſiniſtræ.

Norimbergenſes Legati ad altare deferebant Pallium Imperiale, quod pro hac vice ei circumdedit Legatus Brandeburgicus. Electores vero Moguntinus & Colonienſis, cum Legato Trevirenſi, juncta opera coronam capiti impoſuerunt, conſecratore ad ſingulas has actiones ritu veteri certam formam pronuntiante, & Choro per intervalla reſpondente, præmiſſis Lytaniis, ſub quibus Catholici genua flectebant, Proteſtantes vero receſſerunt.

Et coronationis.

Coronatus ita Imperator coram altari, tactis ſacris Evangeliis, iterum juramento, primum latina lingua, tum germanica, promiſit, ſe leges, juſtitiam, & pacem ſanctæ Eccleſiæ ſervaturum ac defenſurum. Perrectum tum in ſacro Miſſæ Officio. Cantato Evangelio liber Imperatori ad oſculum oblatus, thusque adolitum. Sub ſymbolo ad oblationem altare acceſſit. Cum ad ſacram communionem ventum, depoſita corona, ſuper nudum pavimentum flectens SS. Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, a Colonienſi, fratre ſuo, Conſecratore & Officiatore, ſibi porrectam, devotiſſime ſumpſit.

Miſſa finita Throno fuit impoſitus. Facta a conſecratore communi nomine gratulatio, & hymnus Ambroſianus cantatus, ſequente publico applauſu. Creatisque per enſem Caroli M. 71 Equitibus, Capitulum Aquisgranenſe more Majorum in Eccleſia ſua ei Canonicatum per Legatos obtulit.

Denique, poſtquam hæc ſolennitas in Eccleſia ad ſecundam usque fuerat protracta, Imperator in curiam regreſſus (quam *Römer* appellant) menſæ accubuit, Officialibus Imperii hæreditariis pro more muneribus ſuis fungentibus, *Archipincernam*, cum Bohemia pro hac vice fuiſſet excluſa, egit Cæſareæ Aulæ Præfectus *Törringius.*

Sex

Sex dein hebdomadis post, octava videlicet Martii idem Archiepiscopus Coloniensis iisdem ferme ceremoniis coronavit etiam *Mariam Amaliam Imperatricem*, præsentibus Legatis Moguntino & Trevirensi, cum Abbatibus, Fuldensi, Imperatricis Archicancellario, & Campidonensi, ejusdem Archi-Mareschallo, qui officiis suis fungebantur. Coronatio Imperatricis.

Processum ex Palatio Cæsareo eodem ferme ritu ad Ecclesiam S. Bartholomæi ad solenne Missæ sacrificium. Unctionem peregit *Coloniensis*, coronam vero a Fuldensi porrectam, imposuit cum Legatis Moguntino & Trevirensi. Sceptrum autem & Pomum Imperiale, a Campidonensi sibi porrectum, solus Consecrator Imperatrici in manus tradidit. Collocata in Throno ad latus Imperatoris. Mensæ benedicebant duo illi Abbates. Legati Electorum assidebant. Comites Imperii inserviebant.

Art. XXXIX.

Rerum grandis mutatio. Recepta Austria. Capta Bavaria. Harcurii suppetiæ. Kevenhüllerus & Törringius. Huic suffectus Minucius, & huic Seckendorffius. Harcurio Mauritius. Versa alea. Recepta Bavaria.

Apicem gloriæ summæque in terris felicitatis attigisse videbatur Carolus Albertus, proclamatus Rex Bohemiæ occupatæ, electus, coronatusque tanta, quam vix unquam videre licuit, pompa & accurrentis Nobilitatis frequentia, S. R. I. caput Augustissimum; Hispania, Gallia, utraque Sicilia, Borussia, Ubii, Saxonia, Palatinatus stabant in fœdere. 61. Rerum status.

Regina vero Hungariæ exclusa a suffragio, deserta ferme ab omnibus, quin undique armis impetita, Austriam, Bohemiam, Silesiam, Moraviam, Italiam, jam prope amiserat, & in Germania sui vix secura, cum vagiente in cunis filiolo in Hungariam velut asylum profugit.

Sed proh quanta brevi mutatio! Eodem adhuc anno 1742 recepta Austria, Moravia, Bohemia, & occupata Bavaria, a nativis suis provinciis exclusus Imperator, Francofordiæ velut exul subsistere debuit. Qua id ratione contigerit, perstringendum breviter.

Austria recepta.

Kevenhüllerus Comes, supremus belli Imperator a Regina renunciatus, summa hyeme, copiis Hungaricis, quæ decem millibus constabant, auctus, expeditionem in Austriam superiorem adversus Gallo-Boios, qui prope ad ipsa Viennæ mœnia jam procurrerant, suscepit, proturbatisque ultra Anisin primis eorum ordinibus, munitiones, quas excitaverant, locaque omnia ad *Lincium* usque occupavit. Urbs hæc, superioris Austriæ caput, quod 10000 præsidio sub Minucio & Segurio teneretur, longiorem injectura moram credebatur. Verum *Magnus Florentiæ Dux*, qui in castra venerat, admoto sub finem Januarii 1742 exercitu, tribus eam locis tanta vi oppugnavit, ut obsessi brevi eandem dederent, liberum discessum pacti, qui ea lege fuit concessus, ut intra annum contra Reginam non militarent. Atque hoc pacto 24 Januarii, qua Carolus Albertus ab octo Electoribus electus fuerat Imperator, Austriam amisit. Erratum in eo, quod traductis in Bohemiam plerisque copiis, hoc latus prope nudatum sit relictum.

Bavaria invasa,

Quare non stitit hic cursum victoria. 26 Jan. *Passavium* venienti *Bernclavio* portas aperuit. *Platinus* urbis Præfectus Straubingam ductus, capite plexus est. *Menzelius* autem Schardingam & Vilshovium cepit. Uterque una cum *Trenckio* magna cum severitate grandes contributiones exegit; ut adeo tres isti Duces hodiedum in Bavaria etiam rusticis sint notissimi. Adduxerat quidem Törringius 1300 ex Bohemia armatos; sed pauciores erant, quam ut cladem evaderent, per hostium cuneos penetrantes.

Et cum Monachio maximam partem capta.

Sub finem Januarii & initium Febr. Kevenhüllerus cum toto exercitu in Bavariam irrumpens, *Brunavium*, *Burghusium*, *Deckendorffium*, *Dingelfingam*, *Landishutum*, *Wasserburgum*, occupavit. 13 Febr. Menzelio *deditum Monachium* his pactis, ut præsidio liber abitus Ingolstadium concedatur: arces voluptuariæ, supellex, Archivium, Bibliotheca conserventur integra, prout etiam Salinæ Traunsteinii, & Halæ Divitis. Bernesius Comes urbi Gubernator impositus. 20000 supra millionem florenorum exacta ab urbe, contributionibus aliis per totam Boiariam severe indictis; nam & Menzelius, capta *Fridberga*, ad Augustam usque omnia ocupavit.

Collegit quidem ad *Meymburgum Törringius* copias, sed a Bernclavio interceptus, fususque est. Ex altera parte e Tyroli erumpens *Stenzius*, disjectis Boiorum munitionibus, *Rosenheimium* & *Traunsteinium* cum aliis locis cepit: cumque ad *Kelheimium* fœderati rursus convenissent, Austriacis imminentibus, *Donawerdam* recesserunt. Austriaci vero etiam in Ducatum *Neoburgicum* infusi, du-

centa

centa florenorum millia exegerunt; quod Elector Palatinus partes Imperatoris adjuvaret.

Wurmbrandus 6 Apr. *Straubingam* infeſtare cœpit; ſed *Harcourtio* cum 20000 imminente, 11 ejusdem obſidionem ſolvere coactus eſt. Meliori fortuna uſi ſunt Auſtriaci, dum *Halam Divitem* expugnarunt, præſidio 1302 virorum capto, & apparatu ſalino, ducentis, ut fertur, florenorum millibus æſtimato, inde abſtracto. Bernclavius etiam Ingolſtadium milite cingere orſus eſt. Verum Gallis imminentibus receſſit.

Harcourt adducit ſuppetias.

Eædem Harcourtii ſuppetiæ id quoque effecerunt, ut occupato Deckendorffio Danubius eo usque Bavaricus flueret, magno annonæ advehendæ emolumento; Iſaræ quoque oſtia clauſa tenerentur. *Törringio*, Francofurtum a Cæſare avocato ſuffectus eſt *Minucius*, qui ad Straubingam cum Harcurtio ſe conjunxit. At tota ferme æſtate ibidem in caſtris hæſit exercitus, Harcurtio pugnam detrectante, quod mandatum non haberet. *Velitationibus* igitur actum, inter quas erat, quæ ad *Hilgersbergam* accidit, dum fœderati, eam arcem intercipere conati, cum clade repulſi ſunt.

Törringio ſuffectus Minucius,

Denique uterque Dux Auguſto menſe ſucceſſorem eſt nactus, & Minucius quidem Dux Cæſareus *Seckendorffium*, Harcourtius vero *Mauritium Saxonem*, qui, Kevenhüllero cum copiarum parte in Bohemiam digreſſo, in Palatinatum ſuperiorem abiit, ut ibidem cum *Malliebœo* ſe conjungeret, atque fœderatis in Bohemia auxilium ferret. Seckendorffius vero ad Iſaram profectus, *Landishutum* intercepit.

Et huic Seckendorffius.

Berenclavius ſe Monachii non amplius ſecurum ratus, 8 Oct. cum 6000 urbe exceſſit, atque ad Oenum contendit Schardingam verſus. Monachium vero 7000 Bojorum ingreſſi ſunt; brevique Burghuſium quoque & Brunavia recepta, Auſtriacis ad fines Auſtriæ propulſis.

Monachium cum tota fere Bavaria recuparatum.

Haud dubie fœderati hyberna in Auſtria ſuperiore potuiſſent figere, niſi Kevenhüllerus 27 Oct. e Bohemia rediens progreſſum ſtitiſſet. Venit cum eo Princeps Carolus, *Dux Lotharingiæ*, cum Königsekio legato, novisque copiis, quæ Brunaviam oppugnabant, ſed a Ductore Broglio repulſi, ita in hyberna diſtributi ſunt, ut Auſtriam protegerent, & communicationem cum Paſſavio & Bohemia conſervarent. Fœderati vero in Bavaria, jam tota propemodum recuperata, hyemarunt.

Art. XL.

Nec minor mutatio in Bohemia. Poſt prælium Zaslavienſe pax cum Boruſſo, & Saxone. Praga tandem recepta, Gallis in Palatinatum fugientibus; Mallebœo ſuccurrere fruſtra conante.

62. *Bohemia* quoque magnas hoc anno 1742 mutationes ſubiit, quas hic ſubjicere placuit, quia cum Bavaricis & ſtatu Germaniæ connexionem habent. Et initio quidem anni res fœderatorum proſpero curſu ibant. Tota ferme Bohemia erat occupata: *Egra*, tota hyeme cincta, ac dein oppugnata, atque 20 Aprilis a Comite Mauritio Saxone expugnata. Procurſum in Moraviam, ubi Saxones & Brandeburgici ſe conjunxerunt; ſed Auſtriacis in Bohemia auctis, poſtquam victricia arma per Bavariam circumtulerant, recedere coacti ſunt; Gallo-Boicis variis velitationibus, morbis, regreſſu in Bavariam ita imminutis, ut vix 20000 conficerent.

Egra tandem expugnata.

Princeps Carolus Lotharingus, pugnæ cupidus, Boruſſos ex Moravia diſcedentes inſecutus, 17 Maji ad *Zaslaviam* in Bohemia cruentum cum iis *prælium* conſeruit, in quo victoria quidem penes Boruſſos ſtetit, utrinque tamen multi cecidere, plures tamen apud victos. Secuta eſt *Pax cum Boruſſis*, de qua infra.

Pugna Zaslavienſis.

Carolus princeps, ab hoſte tam potente liber, cum Lobkovicii exercitu ſe conjunxit, atque *Piſeckum* & *Pilſenam* expugnavit, præſidio capto. Tum vero 25 Jun. majus & ad poſteritatis commendationem memorabile opus aggreſſus, Pragæ videlicet obſidionem. Venit in caſtra frater Caroli *Dux Florentiæ*, & copiarum imperium recepit. Tormenta Vienna & Olomucio advecta ſunt.

Dux *Broglio* cum parte Gallorum extra mœnia in aggere & vallo ſub tutela tormentorum ſtetit, *Bellilius* in urbe imperabat. Exarmati cives. 26 Julii urbs ignibus infeſtari cœpta. 28 viæ obſidionales apertæ. Multæ vehementes eruptiones tentatæ, cum clade obſidentium, disjecta opera. Tormenta adactis clavis fruſtrata. Arctiores tamen in dies res in urbe fiebant. Ingentia erant cibariorum pretia, &, quod conſequens eſt, fames invaleſcebat, ut adeo Galli urbe, quin tota Bohemia ſe exceſſuros ſponderent, ſi liber cum rebus ſuis abitus concedatur. Sed obſidentes poſtulabant, ut captivos ſe tradant; cujus conditionis adjectæ eos poſtea pœnituit,

Obſidio Pragæ.

nituit, cum audirent, *Mallebœum* cum exercitu novo imminere, ut urbem obsidione liberaret.

Igitur postquam ingens pilarum vis in urbem frustra fuisset conjecta, cessatum est, versaque 12 Sept. *oppugnatio in circumvallationem*; majori vero cum parte exercitus itum obviam Malleboeo, ad Egram fines Bohemiæ jam ingresso. Et sane, postquam Kevenhüllerus novas ex Bavaria adduxerat copias, ea erat Austriacorum virtus, ut Mallebœus urbi non posset succurrere, sed in Palatinatum superiorem regredi fuerit coactus. Mallebœus cum novo exercitu.

Ea spe destituti obsessi fame pressi consilium inibant, qua ratione ex urbe evadere, & liberos se salvosque præstare queant. Et quidem Dux *Broglio* cum aliquot Gallorum millibus 27 Oct. occasionem nactus est, evadendi in Saxoniam, atque inde in Palatinatum ad Mallebœum: relictis tamen Leutomerici octingentis ad præsidium, qui capta 25 Nov. urbe, in Lobkovicii potestatem venere. Galli Pragam deserunt.

Cum autem interea fames Pragæ ingravesceret, *Bellilius* quoque viam invenit, qua 15 Dec. cum 11000 peditum, & 3000 equitum Egram atque in Palatinatum posset eluctari. At multi ab hoste capti, multi in itinere frigore & fame sunt enecati, multi quoque Ambergæ & in reliquo Palatinatu perierunt; ut adeo Franciæ Regi hæc expeditio incredibili omnino militum & pecuniæ damno steterit.

Causa tantæ calamitatis non minima erant *Borussi* & *Saxones*, qui inita cum Austriacis pace, socios Gallos, in medio velut conflictu desertos, universis Austriæ viribus objecerunt, Bellilio frustra ad utrumque Regem excurrente. a Borussis & Sax. deserti.

Porro post Broglii & Bellilii Praga discessum *Chevretus*, qui residuis in urbe Gallis præerat, sub finem Decembris deditionem fecit, id solum pactus, ut præsidio Egram libere abire liceat. Acceptavit conditionem *Lobkovicius*, ignarus paucitatis in urbe superstitis, sed cum ea limitatione, ut ægroti captivi maneant, & obsides, a Bellilio abstracti, restituantur.

Moravia facilius quam Bohemia ab hostibus liberata fuit. Rex Borussiæ, *Glazio* per *Dessavium* expugnato, Olomucium, quod corona cinxerat, ad exercitum suum abiit, omnemque circa regionem severæ, quod consueverat, contributioni subjecit, in Austriam usque, quo Schwerinus procurrerat, exporrectæ, levis armaturæ militibus ad ipsa adeo Viennæ mœnia prædas agentibus. Saxones pariter varia Moraviæ loca occupaverant, donec utrique pacem oblatam respicerent. Moravia.

Art.

Art. XLI.

Pax Uratislaviensis cum Borusso.

63. Postquam Rex Borussiæ Silesiam & Comitatum Glazensam occupaverat, Hindfordio Angliæ legato conciliatore, cum Regina *pax Uratislaviæ* 11 Junii 1742 composita, 16 constat articulis.

I. Rex Borussiæ retinet *Superiorem & Inferiorem Silesiam* cum *independentia* a corona Bohemiæ, cui ab anno 1355 constanter fuerat incorporata. (Domus tamen Austriaca retinet Titulum, & aliqua in superiori Silesia sibi reservat.)

II. Præterea 10 loca, quæ ad Moraviam pertinuerant.

III. Comitatum Glazensem cum independentia a Bohemia.

Domus Austriaca retinet in superiori Silesia 1 Principatum *Teschen*, cum octo dominiis appertinentibus.

2. Urbes principes *Troppavium*, & *Jägerndoffium*.

3. *Olbersdorffium*, & *Hennersdorffium* cum bonis appertinentibus. Reliquis articulis comprehenduntur limites.

Renuntiat insuper Rex omnibus ulterioribus prætensionibus.

Alia pacta. Obligat se ad *Religionem Catholicam* in statu quo relinquendam. Recipit in se *summam debiti*, ratione Silesiæ anno 1735 *apud Anglos & Hollandos contracti*; sic tamen, ut ea, quæ hi ipsi debent, *compensare* liceat.

Omnibus subditis sit integrum, intra quinquennium emigrare. Rex omnia archiva & documenta cessarum regionum consequatur, & titulum Silesiæ & Glazii præferat, tanquam supremus Imperans, sine nexu feudali cum Bohemia. Eodem titulo Silesiæ Domini supremi utatur Austria.

Denique mutuo promittunt, sub nullo prætextu hostes alterius juvare. Nec fœdus pangere huic paci contrarium; sed fovere insolubilem amicitiam: nec ullam hostilitatem directe aut indirecte exercere: omnes captivos sine lytro remittere: limites per Commissarios determinare; commercia libera relinquere.

Huic autem paci includunt Regem Angliæ, qua Electorem Hannoveranum, Russiæ Imperatricem, Regem Daniæ, Status Generales, Regem Poloniæ, etiam qua Electorem Saxoniæ, ea tamen conditione, ut intra 16 dies post hujus pacis notificationem copias suas a Gallis separet, & Bohemia educat.

Hanc

Hanc pacem Rex, præsentibus etiam Wilhelmo & Henrico fratribus, festo eucharistico Uratislaviæ in templo Cathedrali voluit condecorari, Sinzendorffio Cardinale & Episcopo ad concionem dicente, Schafgotschio vero Præposito habitu Pontificali solenne Missæ Officium celebrante.

Rex solenniter pacem celebrat.

Cum igitur Silesia non amplius a Bohemia dependeret, sed supremo eam jure gubernaret, regiminis ordinem haud parum immutavit. Duo quippe tribunalia juri dicundo erexit, alterum Uratislaviæ, Glogaviæ alterum, ad quæ causæ in prima *Instantia* deferrentur, appellationes vero Berlinum ad supremum Dicasterium, atque inde supplicatio ad Regem. Duæ item erectæ Cameræ, in duabus, quas dixi, civitatibus, quibus cura contributionum incumberet.

Tribunalia erecta.

Cum autem quidam Silesiæ Ducatus proprios adhuc haberent Principes, eos Rex Vasallos suos esse voluit, clientelari jure sibi subjectos. Non tamen eos privavit jure pristino (quod *Jus Principum* appellant), quo videlicet causæ, inter Silesiæ Principes controversæ, judicabantur: simulque Uratislaviensi civitati omnia jura & privilegia confirmavit, tertiamque dignitate in suis provinciis esse voluit.

Cardinalem Sinzendorffium non modo omnibus in Silesia, sed in aliis etiam terris suis degentibus Catholicis præesse voluit, confirmato, quem vocant, *Vicariatu Generali.* Protestantibus vero duo consistoria erexit, alterum Uratislaviæ, alterum Glogaviæ.

Vicariatus generalis.

Art. XLII.

Obit Elector Palatinus. Cæsar Monachium redit. Imperium ordinat. Variæ promotiones. Idea pacis rejicitur. Anglus Reginæ partibus accedit, & Duce Stairio cum exercitu ad Rhenum movet.

Palatinus Elector *Carolus Philippus* Manhemii obiit hoc anno 63.
1742. 31 Dec. ætatis 81, natus Neoburgi ad Danubium ex Philippo Wilhelmo Electore, 1661. 27 annis S. R. J. Elector & Archi-Thesaurarius: Princeps sortitus animam vere bonam, summa religione, probitate, fide, integritate, clementia, liberalitate, & facilitate in omnes incredibili. Ante Electoratum Gubernator fuit pluribus annis in Tyroli, ubi hodiedum ejus grata viget memoria:

Obit Carolus Elector Palatinus.

Elector, pauperum pater, subditorum & omnium bonorum amor, solis instar ad infimorum etiam vota se inclinans.

Uxores & liberi.

Conjuges duas habuit ex Polonia, *Radziviliam* & *Lubomirskiam*. Ex prima ginuit *Elisabetham* Augustam, Josepho Emmanueli, Principi Solisbacensi nuptam: qui ex ea suscepit tres filias, hodiedum superstites, *Elisabetham* Augustam, *moderno Electori*; Mariam *Annam*, *Clementi Bavariæ Duci*; *Dorotheam*, *Friderico Duci Bipontino* desponsatam.

Fratres defunctus Elector habuit novem, & inter eos duos Electores, sorores octo, atque ex iis Imperatricem & duas reginas: atque ex tot fratribus nec unicus relictus est masculus, qui succederet.

Successit igitur ex proxima agnata linea *Solisbacensi Carolus Theodorus*, totius stirpis *Neoburgicæ*, paulo ante tam numerosæ, unicus superstes Surculus, in Aula Palatina in eam spem educatus, 18 tunc annorum Princeps, utpote qui natus fuerat anno 1724 ex Christiano Duce Solisbacensi & Maria Anna Marchionatus Bergæ ad Zomam hærede.

Neostad. linea extincta.

Würtembergico-Neostadiensis linea *extincta* hoc anno est in Carolo Rudolpho Duce, qui aliquanto tempore administrationem & tutelam gesserat Stutgardiensium Principum cum *Matre*, quæ ad *filios Berlini invisit*.

Landgravius Hassiæ Wilhelmus Hannoviæ Comitatum a Rheni superioris circulo separare conabatur. 6000 militum Anglico stipendio alendos tradidit. De ejus filio Friderico, Angliæ Regis genero, ad thronum Suecicum evehendo agebatur.

Elector Hannoveranus, cum Mallebœus per Westphaliam transiret, 14000 armatorum castra ad Nienburgum collocavit, ut provincias suas protegeret.

Hallæ Saxonum obiit Hoffmannus, Medicus celeberrimus.

Imp. Monachium.

Anno 1743 19 Aprilis Carolus VII Imperator *Monachium Francofurto rediit*. Anno jam superiore ibidem Judicium Aulicum erexerat; cui Præsidem dedit *Osteinium* Comitem; & quia ad ipsa usque Ratisbonæ mœnia arma circumsonabant, comitia quoque Imperii Francofordiam invitaverat cum Principali suo Commissario Josepho *Fürstenbergio*, & Barone de *Raab* Con-Commissario. Archivium etiam Imperii, quod Viennæ adhuc detinebatur, a Comite *Königsfeldio* Vice-Cancellario Imperii, & ipso etiam Electore Moguntino, qua Imperii Archicancellario, fuit petitum, sed non impetratum.

Im-

Imperator præter 22 Comites, in Consilium Intimum adlectos, quinque creavit S. R. I. Principes, *Stollbergium*, *Solmensem*, *Grimbergium*, & duos fratres *Wild-* & *Rheingravios*: quatuor item Comites Imperii, *Bünavium*, *Osteinium*, *Schmettavium*, *Stubenbergium*: *Virmondum* vero, mortuo Inglheimio, Judicem Cameræ Imperialis, *Wuchererum*, *Kreitmeyerum*, Comitem *Spiblbergensem*, Consiliarios Imperiales Aulicos: & jam ante pro scamno Nobilium, Seydevicium, Bünavium, Bredavium, Morawizkium, & pro scamno Doctorum, Kleeum, Fritschium, Habermannum, Linckerum, Cramerum. *Seckendorffius* præfectus copiis, postquam Legionem Austriacam, quam habuerat, abdicavit. Promotiones.

Josephus Princeps *Fürstenbergius* gravissimum Officium Principalis Commissarii cum Dignitate Supremi *Aulæ Cæsareæ Moderatoris* commutavit. Illud vero suscepit *Alexander Ferdinandus Princeps de Turn & Taxis*, qui nomine Cæsaris Comitia Imperii Francofurtensia hortatus est, ut pacem & quietem concilient, atque in hunc finem exercitum colligant. Princeps de Taxis Commiss. Principalis.

Conciliandam quietem in Electorum & Principum Collegiis facile fuit conventum, quo autem modo hoc esset perficiendum, diversæ fuerunt sententiæ. Plures privatum hoc esse bellum atque domesticum inter Domum Bavaricam & Austriacam, ad Imperium non pertinens censebant, ac proin neutras partes sunt amplexi. Consilia Comitiorum.

Cum autem dein Comes *Stairius* cum *Anglicano exercitu* e Belgio ad Mænum moveret, Rex Galliæ *Noallium* cum copiis eidem opposuit. His transitum concedi, illis negari volebant Cæsarei, reclamantibus in Comitiis Hannoveranis, Galliam novos identidem novosque per terras Imperii exercitus ducere pro Domo Bavarica; cur Angliæ vetitum esset, Domui Austriacæ assistere, cum id fides Sanctionis Pragmaticæ, a toto Imperio acceptatæ, postulet?

Imperator Ludovicum Carolum Augustum Fouquet, Ducem de Bella Insula (*Belleisle*) quem *Bellilium* hactenus appellavimus, omni conatu pro se laborantem, *S. R. I. Principem renuntiavit*. Nuntio Apostolico vero Georgio *Doria*, allatum ab abbate Amaldo Cardinalium insigne, Biretum imposuit. Quo ornatus, & pretiosa admodum cruce donatus, discessit, Franciscum *Stoppani* successorem nactus. *Montichius* Hispanus, & *Blondellius* Galliæ apud Cæsarem legatus, Parisios discesserunt.

Actum quoque de concilianda pace; nam & *Haslangus* Baro Cæsaris Londini Legatus, ideam illius, qua partitio continebatur, *Chartereto*, Status Secretario, proposuit: & Cæsar ipse Wilhelmo Ca-

Casellano Landgravio potestatem fecit, cum Rege Angliæ tractandi, sic tamen, ut Cæsareæ Dignitati nihil indecorum promitteretur.

Idea pacis. Propositum igitur, Cæsarem copias Gallicas ex Imperio remissurum, si Regina Hungariæ suum exercitum e Bavaria abduceret, & omnes peregrini milites ab Imperii solo recederent: lis de Austriaca successione Jure componeretur: universalis amnestia publicaretur: captivi utrinque restituerentur: Cæsari in singulos menses certa pecunia penderetur, ut Aulam, & militiam sustentare possit.

Rex Angliæ has conditiones Reginæ proponendas in se recepit, eo tamen pacto, ut omnes Galli prius Germania excederent: simulque Cæsari trecenta florenorum millia suppeditaturum se promisit. Verum cum Parlamentum Angliæ dissentiret, & Regina, prosperis armorum suorum successibus confisa, nihil cederet, Imperator cum Gallia & Hispania fœdus renovavit, adpromittens, se absque earum consensu conventionem nullam initurum.

Austria autem & Anglia, ut Regem Sardiniæ firmius adhuc, propter Italiam maxime, sibi adstringerent, *Wormatiensem Tractatum* cum eo inierunt; *quem vide in Italicis.*

Art. XLIII.

64. *Minucius ad Brunoviam captus. Ab Austriacis occupata rursus Bavaria, & Palatinatus, Bojis & Gallis Bavariam deserentibus. Imperator Francofurtum abit. Boii ad Wembdingam. Cadit Ingolstadium.*

Lobkovicius, commissa Festeticio Egræ obsidione, in superiorem Palatinatum, Gallos fugientes Praga insecutus, Neoburgi potissimum hyemem transegit, Kevenhüllerus vero Schardingæ in Bavaria; ita tamen, expugnata Weidena, hyberna sua extenderunt, ut extimi utriusque exercitus se se contingerent, & Egræ obsessæ omne commercium abscinderent.

Hyberna.

Ex parte Gallorum Broglio, qui post discessum Mallebœi præfuit, Straubingæ, ut ope Danubii cum Pedeponto & Palatinatu communicationem servaret, morabatur: Comes de Saxonia Deckendorffii: Seckendorffius Landishuti. *Minucium* cum 8000 Hassis,

Hassis, copiis auxiliaribus, *Bernclavius* concubia nocte *Pfarkirchii* inopinato oppressit; & velitum Præfectum de Cruce, (*la Croix*) famosum procursorem, multis cæsis, captivum abduxit.

Præludium hoc erat; nam 9 Maji Princeps Carolus & Comes Kevenhüllerus *Minucium*, cum 8000 Hassorum & Palatinorum haud procul *Brunavio* obvallatum aggressi, 4000, ut fertur, cæsis, cum multis aliis ceperunt; Seckendorffio cum reliquiis Landishutum profugiente; Gallis in stationibus suis immotis. **Minucius ad Brunavium cæsus & captus.**

Funesta hæc clades Bavariam hostibus omnino aperuit, dum victricia eorum signa per provincias volitabant. Dinglfinga, & Landavum a Daunio expugnatæ; Burghusium, Oetinga, Müldorffium a Nadastio, cæsis ad Dorffenam equitibus. Cum autem Austriaci Landishuto imminerent, Seckendorffius Ingolstadium profugit. Occupatum proin a Bernclavio Landishutum, a Principe Carolo & Hohenembsio Deckendorffium, a Gaisruckio Hala Dives. Stenzius cum Croatis & Panduris e Tyroli irrumpens ea ex parte Bavariam vastavit. Occupatum mox Rosenheimium & Wasserburgum. **Occupata rursus Bavaria.**

Quibus oculis Imperator aspexerit fumantes circum pagos, urbes, oppida, partim ab hostibus, partim a Gallis, ne in manus hostiles reciderent integra, flammis tradita, facile est coniicere. Igitur Monachii non amplius se tutum ratus, 9 Junii cum Aula Augustam discessit.

Sequenti mox die Hussari & Licani *Monachium* accesserunt, quibus, cum præsidio esset destitutum, portæ ultro apertæ, & claves traditæ sunt. Galli ægroti capti, promptuarium militare direptum. 10ma *Berenclavius*, & 11ma *Nadastius* urbem ingressi sunt. Quid civitas inde passa sit, & Religiosæ præsertim Domus, præstat silere. **Cum Monachio.**

Nadastius 12 Julii cum aliquot millibus *Fridbergam* movit, urbisque deditionem postulavit. Cum illa negaretur, suburbium combustum, & urbs tormentis impetita est. Quapropter multi Officiales bellici, 150 Galli dimachæ, 1060 partim Cæsarei, partim Hassi, & se ipsos, & urbem, & rem armamentariam, captivos tradidere, ingenti Cæsaris dispendio, & Bavariæ jactura. **Fridberga.**

Interim vero ex altera parte Princeps Carolus Deckendorffio, & Lobkovicius, ejectis *Amberga* & Neoforo Gallis, ex Palatinatu moventes, Gallos, secundum Danubium munitos propellebant, capto *Pedeponto*, *Kellheimio*, *Neostadio*. Quapropter Dux Broglio & Seckendorffius ad Ingolstadii mœnia non amplius securos se existi- **Amberga.**

Cæsarei & Galli Bavariam deserunt.

mantes, primum *Neoburgum*, ac dein, cum Elector Palatinus neutrum se declarasset, *Donaverdam* fugerunt, Galli, atque inde Nördlingam, ad Nicarum & Rhenum, Cæsarei vero per Augustam, Dilingam, reliquamque Sueviam. *Segurius* quoque, qui Montem Nolanum cum 10000 occupaverat, Broglium secutus, cum eo ad Spiram trans Rhenum se recepit, Cæsare apud Regem Galliæ conquerente contra Duces Gallos, quorum primus exauctoratus est.

Cæsarei ad Wemdingam.

Imp. Francofurtum redit.

Munimenta expugnantur.

Hoc rerum Articulo Cæsar inducias & neutralitatem obtulit; conveneruntque *Schönfeldæ* Seckendorffius & Kevenhüllerus 27 Junii, transacturi. Sed cum Regina conventionem rescidisset, Imperator copias suas, ad *Wembdingam* collectas, *neutras ac Circulares* declaravit, exauctoratoque Seckendorffio Lutherano, *Piosasquium* Comitem eis præfecit: atque 28 Junii relicta Augusta, hostibus circumfusa, Francofordiam rediit. Austriaci vero munimenta Bavariæ, fortius resistentia, expugnarunt, & primo quidem *Brunovium* 1 Julii, præsidio capto: tum vero 20 Julii *Straubingam*, quam 300 Cæsarei & 1600 Galli defenderant, qui, Capitulatione cum Bernclavio inita, liberi dimissi sunt, Cæsarei quidem Wembdingam ad exercitus reliquias, Galli vero Spiram.

Solum in Bavaria supererat *Ingolstadium*, hactenus virgo, quia nunquam expugnatum. Erant præsidio 360 Cæsarei, cum 3000 Gallis, quibus *Grandvillius* præfuit. Bernclavius 16000 armatorum admovit, omnemque commeatum interclusit. 26 Aug. viæ obsidionales sunt apertæ, & utrinque tormentis & pilis igniariis vehementer certatum. Tandem vero 1 Oct. hæc virgo cecedit. Bavaris in Sueviam, Gallis ad Rhenum liberis abire concessum. Atque hoc pacto *tota Bavaria* cum *Superiore Palatinatu* in Austriacorum potestatem venit.

Regina utrique *Goesium* Comitem præfecit, qui 16 Sept. Monachii, Landishuti, Straubingæ, atque Burghusii juramentum fidelitatis recepit, protestante Imperatore.

Art.

Art. XLIV.

Princeps Carolus cum exercitu ad Rhenum superiorem: Rex Angliæ ad inferiorem. Pugna Dettingana. Sponsalia Caroli cum Reginæ sorore.

Sed necdum finiit anni hujus 1743 tragœdia. Gemina adhuc scena 65.
superérat, ad Rhenum acta. Cum enim post infelix ad Brunaviam prælium omnia in Bavaria ad casum inclinarent, divisus est Austriacorum exercitus: & pars altera sub Bernclavio, aliisque Ducibus relicta est, ad persequendas belli Bavarici reliquias; pars altera sub Principe Carolo & Kevenhüllero cum 70000 8 Julii ex Bavaria per Sueviam ad Rhenum movit; atque 14 Aug. Brisacum attigit, Rhenum inde trajectura. Primus transitum tentavit *Trenckius* cum suis Licanis & Croatis, alter Princeps *Waldeccius* cum 5 cohortibus: sed cum rustici militibus mixti magno numero in adversa ripa excubarent, cum non levi suorum jactura repulsi sunt. Cum igitur trajectus spes non esset, & alioquin autumnus jam inclinaret, 19 Octobris pleræque copiæ in Bavariam hyematum redierunt, relicto in Brisgovia cum aliquot legionibus Waldeccio. Et hæc quidem ad Rhenum superiorem.

Ad Rhenum sup.

Cruenta magis scena ad Inferiorem Rhenum aperta est. Quippe 50000 Angli, Austriaci, Hassi sub initium veris ex Belgio in Germaniam profecti sunt, *Arenbergio* Principe & Comite *Stairio* Ductoribus. Postquam autem in Ubiis Rhenum transierant, mense Aprili Moguntiam, Francofurtum, & Hannoviam usque se explicabant. Galli, quos *Noallius* ducebat, ad 50000 æstimati, pariter Rhenum trajecerant. Variis munitionibus & profectionibus consumptus Majus. 19 Junii Rex ipse Angliæ cum filio, Duce Cumbriæ, in castra Fœderatorum venit, periculum sui in acie facturus.

Angli ex Belgio.

28 Junii ad *Dettingam* pagum, haud procul *Aschaffenburgo*, ventum ad manus, consertumque *prælium* pertinax & sanguinolentum. Novem quippe horis pugnatum acerrime; diuque nutabat victoria, Anglico equitatu jam ferme profligato. At tandem, postquam fœderati, fugam simulantes, Gallos ex opportuna statione in locum insidiarum traxerant, tanta ignium pilarumque vi in eos actum, ut Noallius receptui, fœderati victoriam canerent. Strages utrinque fuit magna, dubitesque, ex qua parte major.

Pugna Dettingana.

Galli

Galli Seligenstadium ac inde trans Rhenum se receperunt, Rex vero cum exercitu Hanoviam concessit, ubi cum Georgio Principe Casselano, & viginti Hollandorum millibus, in auxilium, post longas moras, ex fœdere missis, se conjunxit. Nihil tamen admodum
Menzel. majoris momenti amplius gestum: famosus *Daniel Mentzelius*, Hussarorum Dux equidem cum 3000 in Lotharingiam excurrit, & Metas usque atque Nancejum prædas egit; conatus etiam Landavi promptuaria annonaria Gallorum comburere, sed in fossam lapsus pedem fregit; atque Bipontem est deportatus. Rex Angliæ Hannoveræ hyemem egit.

Dum res Austriæ tam prospero cursu procederent, festiva Viennæ gaudia personabant. Nam & Dettingensis victoria solenni hymno in Ecclesia S. Stephani est celebrata; & Hy-
Sponsalia Principis Caroli. menæus Epithalamium cecinit, cum *Princeps Carolus*, Dux Lotharingiæ, Ducis Magni frater, *Mariam Annam*, Reginæ sororem unicam, sponsalibus sibi jungeret 19 Nov. postquam illa secundum ordinem Sanctionis Pragmaticæ renuntiaverat. Accessit solennis ludus equestris Reginæ, & aliarum feminarum Principum, quæ, Amazonum habitu indutæ, in hippodromo decurrebant.

Art. XLV.

Obitus Moguntini, Constantiensis, Leodiensis, Hyacinthi Principis Siegensis. Saxonis Fœdus cum Regina. Unio Francofurtensis. Carolus Princeps Rhenum trajicit. Irruptio Borussi in Bohemiam. Exercitus Austriacus revocatur. Galli Constantiam capiunt, urbes Sylvaticas, & Friburgum. Imperator redit Monachium. Recuperata Bavaria.

66. Obiit 20 Mart. 1743 Philippus Carolus Comes *Eltz*, *Elector*
Elzio succedit Ostein. *Moguntinus*, hydrope, æt. 78, Regiminis 11, justitiæ & pacis amans. Quamvis autem plures & potentes essent competitores, etiam exteri, electus tamen 23 Aprilis est ex gremio Joannes Fridericus Carolus Comes *Osteinius*, qui Custos fuerat, & Ecclesiæ S. Bartholomæi Francofurti Præpositus, 15 Sept. ab Archiepiscopo Coloniensi consecratus.

Fuit

Fuit electio hæc ad Votum Reginæ Hungariæ & Regis etiam Angliæ. Hinc mox Moguntiam gratulatum acceſſerant, Arembergius, Neupergius, Stairius, ac dein ipſe etiam Rex Angliæ, poſtquam Elector ad ipſum inviſerat.

Acceptavit is (quod Anteceſſor recuſaverat) ſcriptum, quo Regina proteſtabatur contra electionem Cæſaream, ſuſpenſo Voto Bohemico factam, atque ad Dictaturam dedit. Graviter id tulit Imperator, conqueſtus de Electore, quod absque conſenſu Electorum id genus proteſtationis recepiſſet, & Imperii Protocollo inſeruiſſet, contenditque, illam ab actis Imperii rejiciendam. Plura in hanc rem ſcripta ultro citroque volabant.

Moguntinum Electorem ad beatam perennitatem 20 Aug. ſecutus eſt *Damianus Hugo* S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus *Spirenſis* & *Conſtantienſis*, 67 ætatis anno. Spirenſi Eccleſiæ datus Franciſcus Chriſtophorus Huttenus, Conſtantienſi vero *Caſimirus* Antonius Baro *Sickingius*, Præpoſiti antea functus dignitate. Card. Schönborn. Sicking.

Sed necdum funeribus ſatiata mytris & pedis inhians ſuperba falx, duos adhuc Epiſcopos menſe Decembri demeſſuit, videlicet 6 Dec. Epiſcopum *Leodienſem*, Georgium Ludovicum de *Berghes*, 81 æt. anno, 20 Regiminis; & *Baſileenſem*, Jacobum Sigismundum de *Reinach* 16 Dec. æt. 60, Regiminis 6. Berghes.

Elector Palatinus Philippus Theodorus, cum Junio Anglo-Auſtriaci imminerent, neutralitatem amplectens, copias ſuas a Cæſareis ſeparatas revocavit. Varioliſ dein perículoſe laborans Divino favore ſubditis ſuis fuit ſervatus. Palat. neutralis.

Elector *Saxoniæ novum Fœdus cum Auſtria* iniit: quo præter amicitiam firmatur Sanctio Pragmatica, vi cujus poſt Deſcendentes Caroli VI primus ordo tangit Principes Saxoniæ utriusque ſexus, ex Joſephi Cæſaris Primogenita naſcentes. Renovatur Fœdus anni 1733, cavetur de aſſiſtentia, & defenſione mutua. Nullum contractum, huic contrarium, inibunt. In Dietis Imperialibus & Circularibus privatæ ſuæ ac mutuæ, atque communis in Imperio utilitatis rationem habebunt. Ruſſiæ Imperatricem & Angliæ Regem ad hoc fœdus invitabunt. Limites per Commiſſarios determinabunt. Fœdus Saxo-Auſtriacum.

Quæ in Domo Holſato - Gottorpienſi & Mechlenburgica memorabilia hoc anno contigerunt, opportunius in actis Suecicis & Ruſſicis dicentur.

Præter 4 Epiſcopos, ſupra memoratos, obierunt hoc anno 1 Wilhelmus *Hyacinthus*, Princeps Naſſovio-*Siegenſis*, ultimus lineæ *Catholicæ*, anno æt. 77, varia per vitam ſuam expertus, quæ ſparſim ſupra attigimus. Succeſſit *Diecenſis* Princeps Auriacus, omnium ditionum lineæ Ottonianæ jam poſſeſſor, &, quod gaudium complevit, auctus filia Carolina, cujus patrini Rex Angliæ & Boruſſiæ.

Obit Hyacinth. Siegenſis Cath.

Succ. Diecenſis.

2. Chriſtoph. Franc. Joſephus L. B. *de Rodt*, Gubernator urbis Friburgenſis in Briſgovia. 3. Oeniponti Tribunus Comes Waldseggius. 4. Comes Czerninus Pragæ. 5. Franc. Ant. Stahrenbergius, Aulæ Viennenſis Moderator, cum coronationi Reginæ aſſiſteret Pragæ. 6. Eleonora Princeps *Oelſenſis*, ad Catholicam Religionem converſa.

Oelſenſis converſa.

Anno 1744 inita eſt *Unio Francofurtenſis* inter Carolum VII Imperatorem, Regem Boruſſiæ, Electorem Palatinum, Landgravium Haſſiæ, cui Gallia & Hiſpania acceſſit, poſtquam Rex Franciæ, qui hactenus copiarum auxiliarium nomine Cæſari adſtiterat, Reginæ Hungariæ, Angliæ, & Sardiniæ bellum denuntiavit.

Unio Francofurtenſis.

Unione autem illa conventum 1, ut finis illius ſit conſervatio Imperii ſecundum illius leges fundamentales: pax reducenda: defenſio Dignitatis & Auctoritatis Majeſtatis Cæſareæ.

2. Bonis Officiis efficiendum, ut Aula Viennenſis Imperatorem agnoſcat, Archivia Imperii extradat, eidemque provincias ſuas reſtituat.

3. Curandum, ut lis de ſucceſſione Auſtriaca, vel a toto Imperio amice componatur, vel via juris, ſancitis interea induciis.

4. Cavent ſibi invicem de terris poſſeſſis.

5. Omnibus Statibus liberum ſit, huic Unioni accedere: ſpecialiter vero invitentur Electores Colonienſis & Saxo. Circumferebatur etiam Articulus privatus, qui Cæſarem inter & Boruſſum ferebatur initus, quem tamen hi negabant.

Colonienſis neutrum ſe profeſſus eſt; quin Regi Angliæ 6000 Stipendiarios dedit. Saxo vero Fœderi ſuo cum Regina inhærebat, prout etiam Ruſſia.

Colonienſis fratrem deſerit.

Per Comitia Imperii acria adhuc ſcripta volitabant. Proponebatur inter alia, ſi Proteſtatio Auſtriaca ab Actis Imperii rejiceretur, Reginam provincias ſuas a nexu Imperii, prout vi privilegii facere poſſet, ſejuncturam. Sed non ſunt refricanda vulnera, quæ dudum cicatricem obduxerunt.

Cum

Cum Gallia Reginæ bellum denuntiasset, Carolus Princeps, cui Traunius Legatus additus, ad *Schreckium* in Marchionatu Durlacensi cum 70000 *Rhenum trajecit.* Superataque linea Lauterburgensi, *Weissenburgum*, *Hagenoam*, *Tabernas*, aliasque urbes cepit. Jamque Argentinæ imminebat, cum geminus eum tristis nuntius, & de *Adventu Noallii & Harcurii* cum subsidiis, & de *irruptione Borussi* in Bohemiam, Rhenum remetiri coegit, cum jactura non modica, Gallis postremam ejus aciem carpentibus. Carolus Rhenum trajicit. Nova Scena.

Cæsareus dein exercitus *in Bavariam* movit Ductore Seckendorffio, Galli vero *occupata Constantia* & urbibus *Sylvaticis*, *Brigantium* tentarunt, sed gravi cum jactura sunt repulsi. Speraverant quidem Cæsar & Borussus, eos Austriacos insecuturos. Sed ad Friburgum in Brisgoja hæserunt, eamque oppugnabant. Constantia capta,

11 Oct. Rex ipse, postquam a morbo, quo Metis periculose decubuerat, convaluit, in castra venit, in colle Lauretano virtutis spectator & hortator. *Coignius* oppugnabat, *Damnizius* strenue propugnabat. Tandem tamen 7 Nov. urbs se dedere coacta est, præsidio in arces, extra urbem monti adhærentes, se recipiente. Quæ tamen & ipsæ, capto præsidio, ad deditionem compulsæ sunt. Miserrimum erat, quod Galli non tantum pulcherrima castella (quæ tamen ipsi olim construxerant) sint demoliti, sed urbem etiam ipsam munimentis omnibus reliquis exuerint. Et Friburgum.

Austriacus exercitus a Rheno in Bavariam & Palatinatum superiorem movit; interceptum *Neoburgum* ad Danubium & *Solisbacum*, imperatæ contributiones, quia Elector Palatinus vi Unionis Francofurtensis copias suas cum Cæsareis & Hassicis conjunxerat iterum. A Rothenbergæ obsidione Austriacos Comes *S. Germani* Tribunus Cæsareus depulit, ac postea Donawerdam occupavit, servato adhuc ponte, quem Bernclavius accenderat. Monachium hic cum 10000 abiit, sed cum *Seckendorffius* immineret, primo Monachium, dein etiam Landishutum deseruit, ut Brunovium, Schärdingam & Passavium defenderet. Expugnatum a Bojis Burghusium, Roggendorffio cum præsidio Austriaco capto. Bavaria recuperata.

Venerat interea *Imperator* Francofurto *Monachium*, atque ad exercitum *Vilshovium* profectus est, ubi hyemis rigor subsistere copias coegit. A Tribuno *Segur* intercepta *Amberga*, sed advenientibus ex Bavaria & Bohemia Austriacis iterum amissa, sicut etiam Pedepontum ad Ratisbonam. Imp. Monachium redit,

spondente securitatem Anglo. Imperator autem cum ingenti populi devoti lætitia exceptus Monachii, interveniente Rege Angliæ a Regina assecurationem accepit, quod in urbe sua principe sit futurus tutus, etiamsi arma Austriaca in Bavaria rursus prævalitura forent.

Imperium ordinat. Principes creat. Cæterum ordinavit Imperium, ejusque suprema tribunalia, Judicium Aulicum, cui Præsidem dedit Comitem Truchsesium *Zeilensem*, pluresque Assessores, & Cameram Wezlariensem, cui, mortuo Comite *Virmondo*, Domus suæ ultimo, Judicem præfecit *Montfortum*. Comitem *Isenburgo*-Birsteinium, Comites item *Hohenloenses* Waldenburgensis lineæ, in Bartensteinios & Schillingsfürstos divisam, S. R. I. Principes enuntiavit.

Art. XLVI.

Borussi Manifestum. Viennensis Responsio. Rex Pragam capit; at veniente Carolo deserit. Recuperata Silesia superior, Saxone socio. Nuptiæ Principis Caroli. Varii obitus. Bellilius captus.

67\. Borussi *Manifestum.* Antequam *Rex Borussiæ* in Bohemiam denuo irrumperet, per Comitem Dohna, suum Viennæ oratorem avocatum, declarari jussit, Regem equidem suum promisisse, quod litibus Reginæ cum aliis Principibus se non sit mixturus, per hoc tamen nullatenus abdicatum nexum & obligationem, quam S. R. I. Elector habet erga Imperatorem & Imperium. Nequaquam indifferentibus oculis spectari posse, Imperatorem, legitime electum, atque ab omnibus (Austria excepta) agnitum, provinciis suis exutum, contemptum, exulem, ejusque copias, novo in Historia exemplo, ultra Romani Imperii fines propulsas, Dignitatem Cæsaream oppressam, spretum Collegium Electorale.

Hoc fuisse, cur Rex unionem cum potentibus quibusdam Imperii statibus inierit, ut oppressa Cæsarea Majestas vindicetur, cum omnia bona officia nullas aures invenerint. Arripienda igitur arma, ut Imperio libertas, Cæsari sua Dignitas, Europæ quies restituatur. Hanc dein declarationem, cum Bohemiam invaderet, publico scripto manifestavit.

Respon-

Respondit Aula Viennensis, si Rex tanto ardore sit intentus conservandis aliorum Statuum juribus, cur non tangeretur iis, quæ Bohemico ad electionem legato & contra votum Bohemicum Francofurti acciderant? cum Regina fundamentalibus Imperii legibus, Aurea Bulla, Pace Publica & Westphalica nitatur, insimulari non posse de læsa constitutione Imperii. Pacis propositiones non fuisse tales, ut acceptari potuerint: *Secularizando* bona Ecclesiastica, uti Salisburgum &c., dissolvi compagem Imperii. Germaniam non amplius esse Theatrum belli. Non cupere Reginam crescere, sed indemnitatem & in futurum securitatem. Viennæ responsio.

Quomodo unio Francofurtensis & ejus præsertim articulus privatus, cum juribus Imperii & pace Uratislaviensi combinari possit, non facile dispici. Primo statim hujus articulo promissum a Rege, se hostibus Reginæ nulla præbiturum auxilia sub quocunque demum prætextu, nec fœdus conclusurum huic paci contrarium. Si tantus sit Regi pacis amor, cessaret arma minitari; duas tam arcto sanguinis vinculo conjunctas Domos per se ipsas, absque interventu tertii, conciliari posse, & electionis negotium ad præscriptum Aureæ Bullæ componi.

Sed a verbis & calamis ventum ad gladios & catapultas; nam 10 Aug. Rex, trifariam diviso exercitu, qui 90000 hominum constitisse dicitur, Bohemiam invasit. Primam partem ipse per Saxoniam ducebat, alteram per Lusatiam *Dessavius*, tertiam ex Silesia per Glacensem Comitatum *Schwerinus*, cum magno rei tormentariæ apparatu. Praga erat centrum, in quo tot hastæ debebant concurrere. Rex in Bohemiam.

Regina, comperto tanto motu, *Festeticium* cum sex velitum millibus ocius ex Bavaria & Palatinatu in Bohemiam properare jussit, eique *Bathianum* cum 20000 submisit, defensuros Pragam, quæ, refectis antiquis & erectis novis munimentis, diu noctuque operi instabat, ut hospes condigne excipi possit. Armata tota civitas, Gubernatore *Ogylvio*, *Harschio* vero rei armamentariæ, & propugnationi præfecto.

Borussi, *certamine Beraunensi* superiores, 2 Sept. ad Pragam stabant, tantaque vi eandem impetebant, ut 16 Sept. 16000 præsidium captivum se cum triurbe tradere compulsum fuerit. Relicta civitati sua jura, præterquam quod magna pecuniæ summa fuerit exacta ad redimendas campanas, eo quod tempore obsidionis fuissent pulsatæ. Ogylvius & Harschius, data fide Nobili, se sistendi, dimissi Viennam abierunt, rei gestæ tristes nuntii. Urbi præ- Pragam capit.

Sed veniente Carolo

fectus *Einsidlius* cum 10000 præsidio; cum reliquo exercitu Rex Bathiano obviam processit. At is, pugnam declinans, cum imparibus omnino esset viribus, in Prachinum circulum regressus, 2 Oct. cum Principe Carolo, a Rheno advecto, feliciter se conjunxit, ut adeo Austriacus exercitus 66000 præter Croatas, & alios levioris armaturæ permultos, constaret. 22 Oct. dein cum 24000 Saxonibus, quos ex fœdere Dux Weissenfelsius in auxilium adducebat, se univit, ut adeo Borussis pares viribus censerentur.

Rursus deserit,

Et in Silesiam se recipit.

Certe Borussi, rebus suis diffisi, mense Novembri non modo Taborem, Bechinum, Frauenbergam, Budvisium, aliasque, quas occupaverant, urbes, sed ipsam adeo *Pragam* deseruerunt, fugientium instar in Silesiam se recipientes, relicta non modica præda, etiam tormentaria. Quamvis grandia etiam damna, armamentariis præsertim, intulerint, apparatu bellico aut confracto, aut in Moldavam projecto. Cuniculi autem feliciter detecti sunt. Kolowratus Pragæ, tam facile receptæ, præfectus. Missus Thüngenius cum valida manu in circulum Pilsensem, adversus Gallos, in superiori Palatinatu circumstrepentes, invigilaturus.

Judæi propter *perfidiam*, tempore obsidionis pro indole sua innata exercitam, solum vertere jussi, atque non Praga solummodo sed toto Regno excedere. Verum propter importunas Anglorum & Hollandorum intercessiones executio fuit dilata.

Interea autem, dum in Bohemia duorum mensium spatio res tantæ gestæ sunt, Marvicus Uratislaviæ Præfectus, & Dux Holsato-Becensis, relicti in Silesia, occupato Jägerndorffio & Tropavia, jussi sunt in Moraviam movere, & Olomucium expugnare; sed Keilius urbis Præfectus eam defensionem opposuit, ut urbem aggredi non ausi, circumlata per provinciam populatione, & ipsi inglorii in Silesiam redierint.

Recuperata Silesia superior.

Princeps Carolus fugientium Borussorum vestigiis insistens, occupato Comitatu Glacensi (cujus urbem principem Nadastius corona cinctam habebat) in Silesiam irrupit, Troppavium, Jägerndorffium, Oppeliam, Ratiborium, totamque Silesiam superiorem in Reginæ potestatem redegit (Kosela duntaxat & Neissa exceptis) ut adeo spes optima affulgeret, Silesiam totam recuperandi. Quapropter Regina scripto, ad Silesios dato, Regi objecit, fractam pacem Uratislaviensem, ictum fœdus cum hostibus, Bohemiam invasam, ademptum Silesiis præcipuum decus *Dietam* Principum, immanibus exactionibus oneratos Ecclesiasticos, omnes provincias in perpetuum mancipatum redactas.

Hæc

Hæc poſtquam acta ſunt, Rex, commiſſo Deſſavio imperio Berolinum abiit, Princeps vero Carolus cum Traunio, relicto in Sileſia ſuperiore Hohenembſio, Viennam.

Elector *Saxoniæ*, quamvis ſæpius invitatus ad Unionem Francofurtenſem, e re ſua non cenſebat eidem accedere: ſed cum Domo Auſtriaca arctius ſe conjunxit. Paſſus dein per provincias ſuas tranſitum exercitus Boruſſici in Bohemiam, cum 24000 armatorum inſecutus eſt, & cum Auſtriacis conjunctus, geſſit ea, quæ diximus, ductore *Weiſſenfelſio* Principe. Saxone ſocio.

Dux Saxo-Vinarienſis prohibuit Præconibus, ne ratione confeſſionis aliquid exigant; voluit tamen, ut ſinguli quater in anno aliquam confeſſario ſuo oblationem faciant.

Elector *Palatinus*, antequam Imperator Francoforto diſcederet, eidem valedixit; & cum Heidlberga tranſiret, per primum ſuum Miniſtrum Marchionem Itterum eundem ſalutavit, atque ceu ſocius Unionis Francofurtenſis in recuperanda Bavaria fideliter adjuvit.

Auſtria velut *ambidextra* brachium alterum ad Danubium & Rhenum, ad Moldavam, Albim, & Viadrum alterum extendit, cum duobus potentiſſimis Regibus decertans, quorum alterum Germania, alterum Bohemia ejecit, ad proprios utriusque lares inviſens.

Inter Martios tamen fragores, lituos & tympana, auditus etiam Hymenæus, dum Carolus Alexander Dux Lotharingiæ, hoſtibus ſuperatis, ſibi deſpondit Mariam Annam Archiducem, Reginæ ſororem. Peracta nuptiarum ſolennitas Viennæ 7 Jan. hujus anni 1744, Paoluccio Nuntio Apoſtolico ſponſos conjungente, & benedicente. Addidit Regina dotem 100000 florenorum, pro ornatu vero, ſupellectili, ſcatula, itinere, œconomia inſtruenda, multo plura, adeo quidem, ut liberalitas ad millionem florenorum aſcenderet. Secutæ ſunt Illuſtre exemplum, impari quamvis greſſu, devoto tamen ſtudio Provinciæ Hæreditariæ, 444000 florenis contributis: additoque aliquot millium aureorum nuptiali dono. Enituit pariter largitas Belgii, cujus Gubernatio ſereniſſimis conjugibus a Regina fuit attributa, brevique ad eam capeſſendam, Praga, Dresda, Lipſia, Guelpherbyto, Bruxellas ſunt profecti. Connubium Caroli cum ſorore Reginæ.

Expedito hoc nuptiarum negotio, Magnus Dux Hetruriæ creavit 16 Aurei Velleris Equites, inter quos Princeps Eſterhaſius, reliqui Comites. Regina vero Comitem *Chriſtiani*, Placentiæ antea Gubernatorem, Cancellarium Mediolanenſem dixit.

Luxit

Obit Kevenhüller. Luxit Austria magnos viros, 1 Ludovicum Andream Comitem *Kevenhüllerum*, Senatus Bellici Vice-Præsidem, Sclavoniæ Gubernatorem, & Viennæ Præfectum; de quo jure dici potest, quod alter velut Fabius restituit rem, non quidem cunctando, sed magna celeritate liberando Austriam, occupando Bavariam, hostem extrahendo e Bohemia: quæ sane basis fuit omnium actorum deinceps prospere, prout Regina ipsa Augustissima grato animo est contestata. Cum bellicarum artium esset peritissimus, reliquit commentaria, comprimis opportuna, eaque Comiti *Leopoldo Daunio*, rei armamentariæ tunc Præfecto, legavit, quem etiam, non minus fidum, quam rei militaris gnarum Reginæ moriens commendavit. Implevit annos 61.

Aliique Ministri. 2. Comitem Leopoldum *Herbersteinium*, consiliarium Intimum, variis legationibus celebrem. Obiit in Thermis Carolinis anno æt. 48. Secutus est agnatus ejusdem Cajetanus.

3. Joannem Comitem *Clarium* Altringerum Bohemiæ Vicarium, Pragæ extinctum anno æt. 54. 4 Oliverium Comitem *Wallisium* castrorum Præfectum. 5. Gundaccarum Comitem *Dietrichsteinium*. 6. Josephum *Kaunicium*.

Circulorum querelæ. Quamvis *Suevicus & Franconicus Circulus* neutrarum se partium sint professi, non tamen belli calamitatibus propterea sunt liberati. Transitus frequentes, hospitationes, annonæ procuratio, neglectus disciplinæ militaris, & præsertim occupatio Anterioris Austriæ, a Gallis facta, erant querelarum materia, crebrius a Conventu Ulmensi ad Imperatorem Francofurtum delata.

Sed negabat ille, regiones Anterioris Austriæ in tractatu neutralitatis esse comprehensas; & cum pars adversa in circulo Suevico omne genus hostilitatis adversus Cæsarem & auxiliares ejus Gallicas copias exercuerit, sufficientem fuisse datam causam, ditiones illas Austriacas, alioquin a circulo se eximentes, occupandi, maxime cum hac via Imperatori aditus in Bavariam, ab hoste detentam, aperiri videatur. Intercepta etiam *Schmettavii* ad Imperatorem epistola de non toleranda circulorum indifferentia strepitum in Comitio Ulmensi excitavit, *Ramschwagio* Reginæ Ministro strenue illa in rem suam uso. Sed quid? Galli post captum Friburgum Sueviæ quodammodo dominabantur.

Col. & Mog. dant Anglo copias. Clemens Augustus Elector *Coloniensis*, relictis hoc anno partibus fratris sui Imperatoris, cum Anglis & Hollandis Tractatum iniit, quo istis 6000 armatorum promisit pro 18000 Sterlingarum sub-

ſubſidiis. Eadem conſilia iniit Oſteinius Elector *Moguntinus*, Anglo apte ad perſuadendum dicente.

Obiit Leopoldus Comes *Firmianus* Archiepiſcopus *Salisburgenſis* æt. 65, Reg. 17. Immigrarunt mox copiæ Auſtriacæ, Cæſare acerbe conqueſto. Hujus frater Joannes Theodorus, Epiſcopus Ratisbonenſis & Friſingenſis, mortuo Berghenſi, poſtulatus eſt ad Epiſcopatum *Leodienſem*, commendante Imperatore, & poſtulationem admittente Pontifice, quæ res frigoris aliquid in Aulam Bonnenſem induxiſſe videtur; propior enim quisque ſibi eſt, quam fratribus ſuis. Obit Firmian. Arch. Salisb. Theod. fit Leod. Ep.

Capitulum Cathedrale Arlesheimenſe, defuncto Rheinachio, Epiſcopum *Baſileenſem* elegit Georgium, Joſephum, Wilhelmum, Aloyſium L. B. *Rinck de Baldenſtein*.

In Electoratu *Hannoverano* contigit aliquid, quod multis ſermonibus & querimoniis occaſionem præbuit. Notiſſimus orbi Franciæ Mareſchallus Dux Bellilius, (*de Belle Isle*) Aurei Velleris Eques, dum cum fratre ſuo Berolinum ablegatus fuerat, *Elbingerodæ*, Hannoverana civitate, captus, ademptis, quas penes ſe habebat, litteris, Oſterodam primum, dein Londinum abductus eſt. Graviſſime capturam hanc tulerunt Imperator & Rex Franciæ, jus Gentium in Legato læſum queſti, cui innoxius modico cum comitatu tranſitus non fuiſſet tanta pœna luendus. At negabant Angli, Legati eum munere fuiſſe perfunctum, & ex ejus litteris neſcio quæ arcana detecta ſpargebant. Bellilius captus & Londinum abductus.

Extincta eſt hoc anno in Carolo Friderico Principe Domus Fürſtenbergicæ *linea Möskirchenſis*, cum 30 duntaxat annos natus ex conjuge Holſato-Wiſenburgenſi nullos liberos reliquiſſet. Succeſſit igitur pientiſſimo Principi, ſola jam ex ampliſſima olim Familia ſuperſtes, linea *Stülingenſis*, cujus caput *Joſephus Wilhelmus*, qui *Doneſchingæ* ſedem fixit. Lineæ Möskirch. ſuccedit Stülingana.

Art. XLVII.

Obitus Caroli VII Imperatoris. Fœdus Varsaviense, oppositum Unioni Francofurtensi. Borussus prælio Strigaviensi, Sorano, & Kesseldorffensi Victor. Dresda &c. dedita. Fœdus Angliæ cum Borusso.

68. Obit Carolus VII. Anno 1745 communi omnibus mortalibus, summisque etiam capitibus, fato concessit Monachii *Carolus VII* Romanorum Imperator 20 Jan æt. 48, Imperii 3, Electoratus 19: Princeps Religione, animi fortitudine, mentis excelsæ perspicacia, in utraque fortuna constantia admirabili. In faciem a privatis sibi objici patiebatur Heros magnanimus, quæ privatus a privato non ferret. Obiit autem pientissime, omnibus morientium sacramentis ad constantius Imperium accinctus, & coronam gloriæ. Polypus in corde, & lapis in renibus, gravissimos inter, quos fortissime tulit, dolores magnam hanc animam separarunt a corpore.

Liberi. Ex *Maria Amalia* Augustissima Conjuge, Josephi Imperatoris filia reliquit 1 *Maximilianum Josephum*, Electoralem Principem, quem, cum adhuc duo menses deessent, venia ætatis concessa, *Majorennem* declaravit, ut adeo sine tutore aut curatore in Electoratu succederet, & Vicariatum Imperii administraret. 2 Mariam *Antoniam* Waldpurgam, Friderico Electorali Saxoniæ Principi 1747 nuptam. 3 Mariam *Josepham Augustam*, Marchioni Badensi 1755 desponsam. 4 Josepham Antoniam 1739 natam.

Elector unioni adhæret. Magna erat Europæ expectatio, in quam partem novus Elector se verteret: trahentibus hinc Gallo, Borusso, Palatino, inde Austria, Saxonia, Anglia, Hollandia. Francofurtensis unio, mutato tantopere per mortem Caroli VII systemate, hiatum passa, omni ope contendebat, ut jura sua persequeretur, promissis in singulos menses quingentis librarum Gallicarum millibus: viceruntque; nam Elector vias Paternas inire tandem statuit.

Fœdus Varsoviense. Contra Unionem vero Francofordiensem Austria, Saxonia, Anglia, & Hollandia, novum inter se fœdus inierunt, quia Varsoviæ coaluit, *Fœdus quadruplum Varsoviense* appellatum. Ejus hæc sunt capita.

1. 2. Spondent sibi mutuum auxilium, & defensionem provinciarum.

3. 4. Saxo renovat sponsionem pro Sanctione Pragmatica: & pro defensione Bohemiæ promittit triginta armatorum millia.

5. 6. Quamdiu hæc defensio erit necessaria, Anglia annuatim pendet Saxoni 100000 Sterlingarum, Hollandia vero 50000. Periculo autem a Bohemia & Saxonia dispulso, Saxo tradet Angliæ & Hollandiæ 10000 militum pro 330000 florenis.

7. 8. Saxonia, si invaderetur, a reliquis contrahentibus servetur indemnis. in adquirendis partem suam habeat. Et in futura pace commoda hujus Domus curæ sunto.

9. 10. 11. Etiam post confectam pacem fœdus hoc perseveret. Invitentur ad accessum Russia, Polonia, Ordines Imperii, omnesque, qu bus Germaniæ libertas cordi est. Ratificationes intra duos menses commutentur.

Actum Versaviæ 8 *Jan.* 1745. Subscripserunt, *Thomas Villiers* pro Anglia: *Comes Esterhasi* pro Austria: Comes *Brühl* pro Saxonia: Cornelius *Calköen* pro Hollandia.

Hoc fœdus Unioni Francofurtensi vehementer, ut facile creditu, displicuit, Regi præsertim Borussiæ, qui hanc fabam, propter irruptionem Bohemicam, in se potissimum cusam, arbitrabatur. Visus est timere propterea, atque ad pacem animum inclinare, invocata etiam Moscoviæ conciliatione. At cum Regina Hungariæ Silesiam repeteret, ad arma & belli continuationem consilia conversa sunt.

Quanta autem felicitate & celeritate anno superiore Borussi ex Bohemia & superiore Silesia fuerant depulsi, tam adversa fortuna Austriaci sub Principe Carolo, & Saxones sub Weissenfelsio Duce, hoc anno sunt usi. Gemina infelix pugna mali fons & origo: *Strigaviensis* nimirum seu *Fridbergensis*, in qua cæsi primo Saxones, qui in lævo cornu stabant; dein etiam Austriaci, ingenti utrinque strage. Fœderati in Bohemiam regressi, ad Regino - Gradecium castra locarunt. Pugna Strigaviensis.

Altera commissa fuit ad pagum *Sora*, victoribus rursus Borussis. Et Sorana. Velites tamen Hungari *Ærarium Regis* bellicum, in quo 80000 Aurei inventi dicuntur, cum litteris arcanis ceperunt. Hyeme autem appetente Rex in Silesiam rediit. At ubi comperit, Fœderatos Lusatiæ imminere, occultis itineribus eo properans, per *Winterfeldium* tres legiones Saxonicas oppressit. Austriacis in Bohemiam reverti compulsis. (*Mense Novembri*)

Et Kesseldorffensis, decretoria.

Tum vero Borussi, *occupata utraque Lusatia*, Saxones persecuti, *Lipsiam, Misniam*, atque *Torgaviam* occuparunt. Saxonicæ copiæ, cum *Grünii* Austriacis cohortibus ad *Kesseldorffium*, pagum haud procul Dresda dissitum, opportuno admodum loco, se munierunt. *Dessavius* nihilominus eas aggressus, plenam victoriam reportavit, quamvis multo milite sibi constantem. Rex Borussiæ & Princeps Carolus, qui cum Austriacis auxilio venerat, huic prælio non erant præsentes, sed ille haud procul Misnia, hic autem ad Dresdam stabat, se mutua observatione continentes. Pugnam autem moderabantur ex una parte *Rutoskius* & *Grünius*, & altera *Dessavius* & *Geslerus*.

Principes Sax. recedunt.

Cum post cladem istam fœderati infirmiores essent, quam ut robori Borussico se opponerent, versus Bohemiam recesserunt, relicta suo fato Dresda. Rex Poloniæ cum conjuge & duabus filiabus senioribus jam ante Pragam discesserat: tres Principes seniores Norimbergam, duo Principes cum sororibus, natu minimis, Dresdæ remanebant.

Dresda dedita.

Cum *Dresda*, ab exercitu destituta, adversus Borussorum potentiam defendere se non posset, 18 Dec. Regi se tradidit, præsidio capto. Tanto stetit miseræ Saxoniæ Varsaviense fœdus.

Hannoveranum fœdus Anglo-Borussicum,

Contrarium Varsoviensi.

Rex Angliæ primus illius auctor, primus ab eo jam ante descivit, dum 26 Aug. *Hannoveræ*, consilio cum suis confœderatis ne quidem communicato, conventionem cum Rege Borussiæ iniit. In hac *art.* 1 & 2 addicitur illi Silesia secundum Tractatum Uratislaviensem, sine ulla mentione refusionis immanium damnorum & sumptuum, quos irruptione in Bohemiam caussavit. Spondet *art.* 3, cavetque insuper ei Anglus pro eadem Silesia, promittitque etiam sponsionem Batavorum.

4. Saxo eidem cessionis actum ratione Silesiæ tradat. 5. Si Regina hanc conventionem acceptat, Borussus in electione Cæsarea Ejusdem Conjugi det suffragium. 6. Regina & Borussus sibi reciproce de provinciis suis caveant: reliqui articuli continent alia, Borusso tradenda.

Graviter displicet Reginæ & Electori.

Gravissime tulerunt Regina Hungariæ & Elector Saxoniæ hunc tam celerem & inopinatum Angli recessum a fœdere, nuper primum inito, quod debebat esse perpetuum, eumque insciis suis confœderatis de bonis & fortunis eorum disposuisse. Rejecta igitur hac conventione, bellum, eo usque prospere gestum, placuit prosequi: sed eventu, quem vidimus, infelici; cum ultimis duobus anni mensibus

ſibus exercitus, Sileſia, Luſatia, & Saxonia ſint amiſſæ, & immenſæ contributiones a Boruſſis exactæ.

Reſpectum igitur ad pacem, quæ 25 Dec. *Dresdæ* eſt inita, Anglo conciliatore, & auctore amiſſæ Sileſiæ.

Art. XLVIII.

Pax Dresdenſis Auſtriaca.

I. Sit amicitia inſolubilis inter Reginam Hungariæ &c. & Regem Boruſſiæ. Pars neutra alterius hoſtibus aſſiſtat. 69.

II. Articuli Præliminares pacis Uratislavienſis, & ſubſequens Tractatus Definitivus de anno 1742 atque Conventio Hannoverana, ſint baſis. Regina *renuntiat Sileſiæ*, prout Rex omnibus aliis prætenſionibus.

III. Sit amneſtia. Hoſtilitas & confiſcatio ceſſet. Copiæ poſt ratificatam pacem educantur.

IV. *Turnhutum* in Brabantia Regina reſtituit Regi.

V. Captivi ſine litro dimittantur.

VI. Ereptæ ab Oſtendanis Boruſſicæ naves reſtituantur. Commercium reparetur.

VII. Rex Boruſſiæ conjugem Reginæ agnoſcit Imperatorem, & votum Bohemicum cum omnibus annexis. Regina autem nomine Imperatoris Regi addicit ſua jura & prærogativas, etiam eas, quas a Carolo VII accepit.

VIII. IX. Cavent ſibi reciproce de ſuis provinciis, curabuntque cum Anglia, ut non tantum Hollandi, ſed omnes Ordines Imperii, & pacis univerſalis ineundæ conſortes pariter caveant.

X. &c. Saxo, Hannoveranus, Caſſellanus, Palatinus, huic paci includuntur, ſed hic ea conditione, ut Imperatorem & votum Electorale Bohemicum agnoſcat.

Subſcripſerunt pro Regina Fridericus Comes Harrachius Cancellarius Bohemiæ: pro Rege Henricus Comes Podevillius.

Art. XLIX.

Pax Dresdensis Saxonica.

Eadem die etiam hæc pax Saxoniam inter & Borussiam fuit conclusa per Bilovium, & Stubenbergium, Status Ministros, nomine Saxoniæ, & Podevillium nomine Borussiæ. Ejus summa hæc est.

1. & 2. Sit firma pax, & amicitia, cum plena amnestia, sine damnorum reparatione.

3. Præter contributiones usque ad 22 Dec. indictas, Saxoniæ Status & præsertim Lipsia Borussis solvent *millionem Thalerorum*. Borussi autem excedent e Saxonia.

4. Captivi sine litro dimittantur.

5. Saxo acceptat conventionem Hannoveranam.

6. Regina Poloniæ renuntiat pro se & suis hæredibus *juri in Silesiam*, ratione Sanctionis Pragmaticæ, eventualiter ipsi competenti.

7. Saxo cedit Borusso vectigal Fürstenbergense ad Viadrum, hactenus litigiosum, pro æquivalenti.

8. In utriusque provinciis conservetur Religio Protestantica secundum normam Pacis West.

Reliqui articuli concernunt commercium, liberum transitum Saxonis in Poloniam per Silesiam cum rebus huc aut illuc devectis &c.

Art. L.

Austriaci Bavariam invadunt. Ad Pfaffenhofium Gallos & Palatinos opprimunt. Pax Füssensis. Aulæ Monacensis ordinatio. Vicariatum Rhenanum, alternatione decreta, solus pro hac vice gessit Elector Bavariæ.

70. Austriaci in Bavariam. Cum Elector Bavariæ post mortem Patris Imperatoris Unioni Francofurtensi inhærere statueret, Duces Austriaci ante omnia Bavariam sibi debellandam censebant; maturius igitur, quam Unionis Francofurtensis socii, Gallus, Borussus, Palatinus, & Hassus crediderant, hybernis *Bathyano* Duce egressi, 21 Martii transito Oeno, unitoque exercitu, cujus dexteram alam *Bernclavius*, lævam *Brunius* regebat, *Griesbacum*, *Vilshovium* (ubi Croatæ, invitis Ducibus

cibus Austriacis, immaniter sæviebant) *Plätlingam*, *Landavum*, *Dinglfingam*, præsidiis potissimum captis, occuparunt.

Straubingenses præsidiarii, imminente *Tripsio*, urbe excesserunt; prout etiam Galli *Keblheimio*. Cumque ad Monachium vires essent contrahendæ, ad principem eam urbem defendendam, *Landishutum*, *Burghusium*, *Wasserburgum*, *Hala Dives* hostibus relictæ sunt.

Comes *Segurius*, qui *Gallos* ducebat, Geissenfelda *Pfaffenhovium* movit, unde, unitus cum *Palatinis*, Monachium tendebat, ut cum Bavaris & Hassis, ibidem metantibus, se conjungeret, sed ab exercitu Austriaco, 15 *Aprilis*, inopinato oppressus, conserto certamine, victoriam, rem tormentariam, impedimenta, multumque militem amisit. **Segour Pfaffenhofii cæsus.**

Licet autem non admodum magnum, decretorium tamen Pfaffenhoviense hoc erat prælium; quippe Galli & Palatini Rayna, & Donawerda in Sueviam se receperunt, *Tripsio* Günzburgum usque, non levi illato damno, illos persequente.

Cum jam universus Austriacus victor exercitus Bavaris & Hassis, a sociis destitutis, atque Fridbergam interea digressis, immineret; Hassi, quibus Brandius præerat, *Neutrales* se declarantes, a Bavaris se separarunt, *Lechhusium* dilapsi. Sed Austriaci eos interceptos belli more *captivos* detinuerunt, donec tandem, compositis dissidiis, mense Julio libertati sunt redditi. Idem Palatinis accidit, qui cum Gallis necdum aufugerant.

Elector Bavariæ, licet bellum cum Borusso adhuc ferveret, a sociis jam derelictus, ne totam belli molem solus sustineret, & provincias suas hostili potentiæ in prædam relinqueret, incerto in futurum eventu, ad pacem respexit.

Rudolphus Comes Colloredus Reginæ Minister, prospiciens, quod futurum erat, Oeniponti substitit, donec oliva viresceret. Tum vero per Ehrenbergensia Claustra Füssam, Augustanæ ditionis in Algovia urbem, ad Lycum & pedem montis positam profectus, cum Principe *Fürstenbergio* Aulæ Moderatore, *Seckendorffio*, *Loosio*, Ministro Saxonico, *Drosto* Coloniensi Canonico, qui ab Electore mandatum acceperat, pacis negotium suscepit. Quod, cum adhuc occulte tractaretur, & hæreret, certamen Pfaffenhovianum 22 Apr. absolvit. Summam subjicio.

Art.

Art. LI.

Pax Füssensis.

I. Regina *agnoscit* defunctum *Carolum VII Imperatorem*, ejusque Viduam Imperatricem.

II. Restituit Electori *totam Bavariam*, prout ante annum 1741 a Patre illius fuerat possessa.

II. Nullam damni compensationem exigit.

IV. Elector pro se & suis hæredibus ac successoribus renuntiat omnibus prætensionibus *Successionis Austriacæ*, Sanctioni Pragmaticæ contrariis, tituloque Archiducis aliisque assumptis. Agnati pariter renuntiabunt. Eandem Sanctionem acceptat.

V. Renuntiat pariter locis, quæ in Anteriori Austria a Gallis detinentur, cohortemque suam Günzburgo avocabit.

VI. Agnoscit *Votum Bohemicum* cum annexis in quacunque electione Cæsarea.

VII. Promittit Reginæ Conjugi in proxima electione Cæsarea suum *suffragium*.

VIII. Accedet *Associationi* quinque Circulorum Imperii, si sit absolvenda, & nihil aliud, ac quietem & securitatem Imperii intendet.

IX. Usque ad electionem Cæsaream *Ingolstadio* imponantur *neutrales* copiæ, *Brunavio* vero & *Schardingæ* Austriaci, prout etiam regioni, inter Oenum & Salzam sitæ, absque civili tamen gubernatione & proventibus.

X. Omnes captivi sine litro dimittantur.

XI. Res tormentaria cum annexis, *quæ adhuc in munimentis Bavaricis extat, aut Viennam abducta est*, atque ante annum 1741 ad Electorem spectabat, post futuram pacem universalem Electori restituetur, si *Gallia Friburgensem restituat*. Quod evincere Elector conabitur.

XII. Bona, fisco addicta, subditis utrinque restituantur.

XIII. Auxiliares copiæ, quæ in Bavaria fuerant, ab obligationis nexu absolvantur.

Reliqui articuli contingunt discessum copiarum ex Bavaria, Tractatum Definitivum erigendum, limites figendos, navigationem oenanam, telonia, transfugas non extradendos, commutandas Salisburgi intra 14 dies Ratificationes horum Præliminarium.

Actum Füssæ 22 *Apr.* 1745.

Secuta

Secuta mox 2 Maji Ratihabitione, Elector Monachium reversus est, atque in id curam suam intendit, ut, soluto stipendio, exercitus abdicaretur, & exhausta bellis Bavaria ad pristinum omnigenæ felicitatis florem reduceretur.

Dum autem Elector cum Domo Austriaca ita componitur, Legatus Galliæ *Chavignius*, & Hispaniæ *Benius* discesserunt, Austriaco & Sardo succedente. *Stoppanius* autem Nuntius Apostolicus ad electionem Cæsaream Francofurtum abiit, & *Seinsheimius* Comes a legatione Hollandica ad *Viennensem*. Comites vero Josephus Preisingius & Christophorus Minucius ex sua bellica captivitate Monachium redierunt. Felix Törringius quoque, ex prædiis suis redux, ad Aulam rursus invisit. Mutationes.

Aulam autem suam, Matrisque, Elector, reductis quibusdam minus necessariis, ad parcendum sumptibus, officiis ordinavit. Josepho Principi *Fürstenbergio*, ad Dignitatem Principalis Commissarii in Comitiis Imperii a novo Imperatore rursus assumpto, in supremi Aulæ Præfecti munere suffectus est *Maximilianus Preysingius*, huic vero in supremi Camerarii officio *Königsfeldius*. *Lerchenfeldius* Aulæ Mareschallus creatus: *Tattenbachius* supremus stabuli Præfectus &c.

Quod *Vicariatum Imperii* Rhenanum spectat, cum illum post mortem Caroli VII Bavarus & Palatinus Electores communiter gessissent, alternatione jam introducta, Bavarus solus pro hac vice illum administravit, erecto *Monachii Judicio Aulico* Imperiali, cui Præsidem dedit Truchsessium *Zeilensem*, cum 11 Assessoribus, quos inter Kreitmeierus, Cramerus, Ickstadius, Münchius, quos S. R. I. Barones creavit, Comites vero Ponikavium, Haslangum Legatum Londinensem, Ravenheimium, & duos ex Familia Franconica de Leonrodt. Regi Borussiæ Frisiæ Orientalis Investituram contulit, contradicente licet Electore Hannoverano. Vicariatum Imp. solus gerit El. Bav.

Art. LII.

De Electione Imperatoris.

Mortuo Carolo VII Imperatore novus Bavariæ Elector per *Sickingium* Baronem nuntiavit hoc factum Electori Moguntino; qui per *Kesselstadium* Præpositum, Trevirensem, Coloniensem, Bavarum, & Palatinum, Electores, per *Erthalium* vero Baronem, Bohemum, Saxonem, Brandeburgum, & Hannoveranum ad 1 Junii invitavit Francofurtum ad electionem. 71. Invitatio.

Interea autem varius erat animorum habitus. Unio Francofurtensis (quæ prius Imperii Circulos neutros esse nolebat, sed, ut Imperatori suo assisterent, voluit cogere) novum Bavariæ Electorem in partes suas initio trahebat. Regina, Saxo, Anglus, Hollandi, Unioni Francofurtensi fœdus suum Varsaviense opposuere. Ab hoc, ut Gallus & Borussus Saxonem abstraherent, Coronam Cæsaream ei obtulerunt, sed acceptare recusavit, nisi omnes Electores voce unanimi libere omnino se eligerent.

Consilia.

Galli admoto exercitu sub Principe Contio (qui Mallebœum sublevaverat) electionis libertatem adversus Austrios defensuros se prædicarunt. Moguntinus, neque petere Imperium, neque indigere tali defensione, respondit. Sed potentius ad persuadendum dixit exercitus *Pragmaticus*, ex Belgio ab *Armbergio* adductus, quem copiæ Austricæ post pacem Bavaricam plurimum auxerant, quemque dein ipse *Franciscus Stephanus*, Magnus Dux Florentiæ moderabatur. Nam Galli Rhenum remetientes, liberam electionem reliquerunt.

Sub finem Augusti convenerunt Francofurti Legati Electorales: videlicet *Moguntini*, Kesselstadius, Stadionus, Erthalius, Benzelius. *Trevirenses*, Ingelheimius, Leyensis, Spangenbergius. *Colonienses*, Hohenzolleranus, Drostus, Sierstorffius. *Bohemi*, Wurmbrandus, Kevenhüllerus, Prandavus. *Bavarici*, Seinsheimius, Ravenheimius. *Saxonici*, Schönbergius, Wessenbergius, Losius. *Brandenburgici*, Danckelmannus, & Pollmanus. *Palatini*, Schæsbergius, & Menschenius. *Hannoverani*, Minchhusius & Hugo.

Votum Boh.

Quamvis autem hi essent congregati, Legati tamen *Brandeburgicus* & *Palatinus* (pace Dresdensi necdum composita) electioni obicem posuere. Negabant illi, Votum Bohemicum, Conclusione Electorali quiescere jussum, sine consensu omnium Electorum potuisse suscitari; perperam igitur actum a Moguntino, qui ad Vota Electorum, privatim conquisita, Votum illud a quiete sua dimovisset.

Brandeb. & Palat. respond.

At responsum, Votum Bohemicum tantum pro ea vice, qua electus est Carolus VII, fuisse jussum quiescere; non opus igitur ulla suscitatione; cum more veteri secundum præscriptum Bullæ Aureæ cursum suum & activitatem habeat; prout plerique Electores facile agnoscant. A Pragmatico exercitu nullum libertati electionis inferri præjudicium (nam & hoc objiciebatur) sed eam, ne ab aliis turbetur, defendi. Cum Mallebœus terras Ecclesiasticorum Electorum premeret, Unionis consortes altum siluisse; cur nunc,

nunc, dum Germanæ copiæ ad ſolam protectionem pertinerent, tantopere clamarent?

4 Aug. Keſſelſtadio nomine Moguntini Præſide habita eſt prima præliminaris collatio, ad quam tamen Brandeburgicus & Palatinus non comparuere, ſed contra Votum Bohemicum, quod in illa eſt agnitum, ſcripto ſunt proteſtati.

13 Aug. 500 Rheni ſuperioris circulares milites Francofurti ad cuſtodiam ſunt recepti. Aliquot dein ſeſſionibus *Pollmannus* & *Menſchenius* erant præſentes, ex ultima autem, 11 Sept. habita, diſceſſerunt, proteſtatione interpoſita. Reviſa tum Capitulatio Cæſarea, ad normam illius, quæ Carolo VII propoſita fuerat, paucis mutatis, concepta. Collegium Principum ſua circa illam monita per Directorium Saliſburgenſe obtulit Electoribus. Duo addita puncta: primum, ut alternatio *Vicariatus* Rhenani, inter Electores, Bavarum & Palatinum ſtatuta, ab Imperatore & Imperio confirmetur: ſecundum, ut Dux Sabaudiæ de Ducatu Montis Ferrati infeudetur, & in Vicariatu Italiæ defendatur.

Diſcedunt.

Alternatio Vicariatus.

Pridie electionis more Majorum omnes Legati Regum & Principum, etiam Imperii, cum omnibus peregrinis ex urbe dimiſſi ſunt, ſolis Electoralibus remanentibus, ex quibus tamen Brandeburgicus quoque & Palatinus Hanoviam diſceſſerunt. S. Severino ægrotanti indultum, ut remaneret, ſed adhibita ædibus militari cuſtodia.

13 Sept. proceſſum more veteri ex curia ad Catholicum S. Bartholomæi templum. Celebrato ſolenni Miſſæ ſacrificio, editoque juramento, in Conclave conceſſum, ubi, Electore Moguntino præſente ac Præſide, *Franciſcus*, *Magnus Hetruriæ & Lotharingiæ Dux* a ſeptem Electoribus *electus eſt Imperator*; gaudio geſtiente & applaudente tota civitate. Perlatum illico Nuntium *Heidelbergam*, ubi interim electus hoſpitabatur, atque ad exercitum, pone metantem. 25 Sept. Imperator inſigni cum ſolennitate ingreſſus eſt Francofurtum, ante portas a Moguntino & Electoralibus Legatis exceptus, atque ad templum S. Bartholomæi deductus, ubi in Capitulationis capita juravit, quæ hic compendioſe inſerenda duxi.

Eligitur Imperator.

Art. LIII.

Capitulatio Cæſarea Franciſci I, ſynoptice relata.

Art. I.

1. Promittit Imperator in vim liberi pacti, Chriſtianitatem, Sedem Romanam, Pontificem, & Chriſtianam Eccleſiam tanquam ejus Advocatus protegere.

Protectio. 2. Nationem Germanicam, Rom. Imperium, Electores tanquam præcipua ejus membra & columnas fundamentales Imperii, & nominatim Domos Electorales ſæcularium in ſua primogenitura, reliquosque Principes, Prælatos & Status (comprehenſa Immediata Imperii Nobilitate) in ſuis Dignitatibus relinquere.

3. Nullum Statum a Seſſione & Voto excludere ſine conſenſu Ordinum.

4. Nec jurisdictione aut gubernatione territoriali privare, ſive proviſorie, ſive in contumaciam.

5. Neque in Statum aſſumere, qui non ſit proviſus ſufficienti Immediato dominio, & congruam taxam ſolvat, nec ſine conſenſu Electorum, & collegii, ac circuli, cui adſcribitur.

6. Nec ſine conſenſu Electorum & Principum jus Seſſionis & Voti ad aliam lineam extendere.

7. Principum & Statuum, ab anno 1654 aſſumptorum qualitates examinare.

8. Juri territoriali in negotiis religionis, politicis, judicialibus, nihil derogare.

9. Confirmare jura, privilegia, uniones hæreditarias Statuum, contraria caſſare.

10. A. C. Conſortes nolunt Imperatorem obligatum ad Advocatiam Romanam, neque hanc tractatibus initis derogare.

11. Iisdem juxta Inſtrumentum Pacis, Executionis Receſſum Norimbergenſem, arctiorem modum exequendi, aliasque conſtitutiones Imperii promptam exhibere juſtitiam: religionis gravamina ſecundum easdem conſtitutiones tollere. Idem promittit Catholicis.

Art. II.

1. Volumus Imperium pro viribus defendere & augere.

2. Succeſſionem hæreditariam Imperii nullatenus prætendere.

3. Bullam

3. Bullam Auream cum extensione ad Electoratum Brunsvico-Luneburgicum, Pacem Publicam, Religiosam, Recessum de anno 1555, præsertim vero Pacem Westph. maxime *art.* 5 §. 2 & *art.* 8, sicut etiam *art.* 7 §. *unanimi quoque* &c. posteriores insuper Recessus, servare, nec, sub quocunque prætextu, absque consensu Statuum contraire, nec permittere, ut contra illa directe vel indirecte agatur. Constitutiones.

4. Nec aliquid ex illis mutare.

5. Neque se solo novas ordinationes, pacificationes, leges, aut earum interpretationes facere, neque Judicio Aulico aut Cameræ id permittere, sed omnia hæc ad Comitia remittere.

6. Non permittere, ut Pax West. scriptis impugnetur: Protestationes contra illam rejicere.

7. Nec permittere, ut Judicium Aulicum, aut Commissarius librorum Francofurti, uni parti magis faveat, quam alteri.

8. Fiscali non permittere, ut contra libros symbolicos Protestantium, aut eorum editiones aliquid moliatur. Idem respectu librorum Catholicorum observetur. In libris autem omnis maledicentia evitetur.

Art. III.

1. Electores, tanquam intima membra & columnas, peculiari consideratione prosequi. Electores.

2. Eos titulo *Reverendissimi* & *Serenissimi* honorare.

3. In rebus magni momenti sine eorum consilio nihil suscipere.

4. Ipsis conservare specialia sua jura, præeminentias, & prærogativas.

5. Electoratum Brunsvico-Luneburgensem tueri, & curare, ut convenienti Archi-Officio eidem provideatur.

6. Prout etiam Unionem Electorum Rhenanam, tam communem, quam particularem, approbare & confirmare.

7. Salvo tamen Instrumento Pacis, ceterisque Imper. Constitutionibus, & aliorum Statuum juribus.

8. Coronam pro more recipere; imploratis Electoribus, ut officio suo fungantur.

9. Salva transactione, inter Moguntinum & Coloniensem inita.

10. Libertatem electionis permittere.

11. Et cum Ratisbonæ Electores inter & Principes fuerit conventum, ut vivente Imperatore non facile Rex Rom. eligatur, nisi videlicet Imperator diu extra Imperium versaretur, aut propter senium vel invaletudinem præesse non posset, vel aliunde necessitas publica Electio Regis Rom.

 publica

publica urgeret, hoc casu vero Electores ad electionem procedere possint, cum vel sine consensu Imperatoris, debite tamen requisiti, Imperator hoc conclusum ratum habebit.

12. Conceduntur Electorum liberi conventus ad expedienda negotia Imperii,

13. Licet id non fiat auctoritate Cæsarea.

14. Libertatem Senatui Electorali Cæsar relinquet.

15. Jura Vicariorum Imperii inviolata conservabit, ut tam post mortem Imperatoris, quam etiam in diuturna illius absentia, vel si alias regere non posset, munere suo fungi possint.

Vicarii.

16. Ita, ut lites etiam, in Judicio Aulico pendentes, ad suum tribunal avocare possint.

17. Finito tamen Interregno Vicariorum Acta ad electum Cæsarem mittantur, ut per Moguntinum, vel ejus Vice-Cancellarium ad Acta Imperii reponantur.

18. Cum Domus Bavarica & Palatina anno 1745 convenerint, ut deinceps alternatim Vicariatum Imperii gererent, idque a Collegio Electorali fuerit approbatum, Imperator eam alternationem toti Imperio proponet, & approbationem illius promovebit.

19. & 20. Quæ a Vicariatu Rhenano & Saxonico tam in caussis justitiæ quam gratiæ acta sunt, confirmabit.

21. & 22. Cum ab aliquo tempore Legati Rerumpublicarum in Aula Cæsarea prioritatem loci ante Legatos Electorum prætenderint, hoc porro ne concedatur, sed isti ante omnes Legatos non Regios & ipsos etiam Principes personaliter præsentes, præcedant.

23. Comites Imperii, qui sessione & voto gaudent in Comitiis, omnibus aliis Comitibus & Consiliariis, atque Camerariis Cæsareis præcedant, statimque post Imperii Principes incedant.

24. Electorum Vicariis seu Officialibus hæreditariis debitus honor habebitur, ac permittentur suis muneribus fungi, quin Officiales Cæsarei se immisceant: &, si in illorum absentia isti vices gererent, Officialibus Electorum nihilominus omnia emolumenta obveniant.

25. Cum Archimareschalli Officio competat, in erectione politiæ & taxarum Directorium gerere, & ordinationes nomine Cæsaris publicare, a Mareschallo Aulico aut aliis ne impediatur.

Art. IV.

1. In omnibus deliberationibus de negotiis Imperii, præsertim iis, quæ in Instrumento Pacis sunt expressa, permittemus Statibus liberum suffragium, & absque eo nihil de iis statuemus. Bellum.

2. Erga finitimos pacifice nos geremus, nec Imperium exteris bellis implicabimus, nec fœdera inibimus sine Statuum aut saltem Electorum omnium, ubi in mora est periculum, consensu, re postea cum omnibus Statibus communicanda.

3. Nec aliter bellum Imperiale geremus, nisi secundum præscriptum Constitutionum, assumptis ex utraque religione pari numero bellici Senatus Directoribus, Consiliariis, Ducibus &c.

4. Nec se miscebit Consilium bellicum Aulæ Cæsareæ &c.

5. Si autem Imperator ratione Imperii invaderetur, omnibus mediis uti potest, quæ Imperio non sunt præjudiciosa.

6. Nulla in regionibus Statuum munimenta eriget, nec collapsa restaurabit; cum hæc ad Dominum Territorialem spectant.

7. Sine consensu Statuum nullos delectus militum in imperio instituet, nec milites in Imperium ducet, nec permittet, ut alii ducant exterum militem per terras Imperii.

8. Nec sine eodem consensu militiam extra Imperii fines deducet, sed ad defensionem Imperii & Statuum adhibebit.

9. Neque Status hospitationibus aut transitu militum onerabit sine eodem consensu.

10. Præsertim locus, in quo est Camera Imperialis, ab ejusmodi hospitationibus sit libera, salva compensatione æqua, iis facienda, quorum interest.

11. Nullum pacis tractatum inibit sine consensu Statuum, nisi vera actualis necessitas urgeret; quo casu interim, donec res ad totum Imperium deferatur, saltem Collegii Electoralis consensum procurabit, antequam aliquid statuatur. Nec privabit aut privari permittet Status jure Deputationis ad tractatus pacis, sed inter Legatos Cæsareos & Deputatos Imperii, sicut in aliis Deputationum Dietis, consuetus tractandi modus servabitur. Quantum autem spectat congressus cum fœderatis, vel aliis exteris, præsertim cum quibus pax componenda, Deputatis Imperii liber accessus pateat, nec sine illis aliquid tractabitur. Si autem Status Imperatori plenam tractandi potestatem impertirentur, ea non aliter utetur, nisi prout verba potestatis collatæ præseferunt. Pax.

12. Curabit, ut ablata ab hoste, aut in Ecclesiasticis aut politicis mutata, in statum pristinum, juxta fundamentales leges Imperii,

perii, & pacificationum conclusa reponantur (quo nomine tamen Protestantes Pacem Risvicensem intelligi nolunt, Catholici vero hanc reservationem suo loco relinquunt.)

13. Præsertim vero servabit Pacem West. nec alios sinet contra eandem agere.

14. Si exteris delectus militum concederetur, curabit, ut Imperium viribus non nudetur, atque ne Status & subditi transitu, aut hospitationibus graventur.

15. Proin etiam Cæsareæ propriæ aut auxiliares copiæ non aliter, nisi requisito prius consensu, per Statuum terras innoxium transitum suscipiant, atque ex propriis vivant, omniaque necessaria pecunia numerata solvant.

16. Idem de officialibus bellicis statuitur; ne alimenta ulla, sicut & gregarii, prætendant, solo diversorio contenti.

17. Atque in hanc rem transeuntes idoneam cautionem præstabunt.

18. Curabit, ut Statibus, ejusmodi transitu gravatis, succurratur, & Immedietas ipsorum inviolata conservetur.

19. Atque in his omnibus defensionem & tutelam promittit.

Art. V.

1. Promittit Imperator, Status, per taxas Cancellariæ, tributis & vectigalibus non onerare absque necessitate.

Contributiones. 2. Contributiones non nisi de consensu Statuum in Comitiis determinare.

3. Easque a deputatis Circulorum Officialibus recipere, ac morosos ad solutionem etiam præteritorum urgere.

4. Atque de receptis (nisi ad liberam dispositionem Cæsaris sint concessa) Imperio rationes reddere.

5. Nec ea ad alium finem, quam ad quem fuerant concessa, impendere.

6. & 7. Neque provincias hæreditarias, aut Statum quemcunque ab hoc onere contribuendi eximere.

8. Neque assignationes aut compensationes in hoc negotio admittere.

9. Neque exemptiones aut moderationes taxarum, in Matricula conscriptarum, alicui concedere sine consensu Statuum.

10. Sed curare, ut punctus Redintegrationis Circulorum, Moderationis Matriculæ, & Peræquationis, atque exemptionis errores

rores in Comitiis vel ſpeciali Dieta, intra biennium, ſi fieri poſſit, expediantur.

11. Omnes Status ad ea, quæ obligationis ſuæ ſunt, præſtanda adigere, & adverſus contumaces juxta executionis ordinem procedere.

Art. VI.

1. Nullum in negotiis Imperii cum aliis in- vel externis fœdus inire ſine Comitiali conſenſu. Fœdera.

2. Aut ſaltem Collegii Electoralis conjuncti, ſi publica ſalus & utilitas moram non ferret.

3. Nullum etiam fœdus ratione propriarum Ditionum cum præjudicio Imperii.

4. Status poſſunt inire fœdera inter ſe vel cum externis ad propriam ſecuritatem & utilitatem, modo non ſint contra Imperatorem & Imperium, aut contra ejusdem conſtitutiones, ſalvoque juramento, quo Status quilibet Cæſari & Imperio eſt obſtrictus.

5. Nec aliter externa petenda auxilia, niſi ſecluſo Imperii damno & periculo.

Art. VII.

1. Servabit ordinem politiæ, in Comitiis ſtatutum vel ſtatuendum, atque commercia terra marique pro viribus promovebit.

2. Commerciales civitates, præſertim Lubecam, Bremam, Hamburgum proteget.

3. Societates vero mercatorias & monopolia abrogabit.

4. Nulla dabit Privilegia monopoliis.

5. Neque aliis politiæ Statuum præjudicioſa, quæ apud priores Imperatores non fuerint conſueta, neque conceſſa renovabit.

6. Si in vicinis regionibus importatio mercium prohiberetur, providebit, ut prohibitio abrogetur, ſecus vero curare, ut neque ex illis in Imperium merces invehantur.

Art. VIII.

1. Spondet, nulla nova telonia concedere, nec antiqua prorogare vel extendere: neque pro ſe ipſo novum erigere vel augere. Telonia.

2. Niſi unanimi omnium Electorum conſenſu collegiali hæc fiant.

3. Et audito circulo, in quo novum telonium esset erigendum, transferendum, augendum, aut prorogandum, & finitimis, quorum interest.

4. Nec petentibus id genus telonia dare litteras Promotoriales ad Electores, sed ad horum collegium conjunctum remittere.

5. Quo casu respiciendum etiam, ne nova telonia antiquis sint præjudiciosa.

6. Neque ad Rhenum aut alios fluvios, navium capaces, aliquid admittere in præjudicium commerciorum, aut Statuum.

7. Neque committere, ut per structuram aliquam navigatio per flumina impediatur.

8. & 9. Si quis novum telonium absque debitis requisitis erexisset, auxisset, aut extendisset, per mandata sine clausula, aliisque urgentibus mediis, illud abrogare & cassare.

10. Neque permittere, ut quis propria auctoritate novum telonium erigat, augeat, transferat, aut erecto utatur.

11. & 12. Tollere abusum, quo ante portas civitatum mercibus imponuntur sub variis nominibus & prætextibus vectigalia, & contributiones.

13. 14. & 15. Jubentur puniri abutentes teloniis. 16. Et cuivis Statui sit licitum, se suosque talibus gravaminibus liberare.

17. 18. 19. 20. Quia autem voci telonii aliud non raro nomen substituitur, uti juris *stapulæ*, *axis*, *commeatus*, *comitatus*, *pedagii*, *pontivegii*, *depositionis mercium &c.* omnes ejusmodi impositiones, tanquam usurpationes, in ruinam commerciorum tendentes, sint abolitæ, & cassatæ, neminique absque consensu Electorum concedendæ.

21. Salvis tamen privilegiis, ab Imperatoribus eo tempore, quo consensus Electorum per pacta & Capitulationes necdum fuerat introductus, concessis, vel alias quiete possessis.

22. 23. Nulla amplius privilegia stapulæ concedantur, nisi cum prædicto consensu, & illegitime obtenta aboleantur.

24. 25. Nullæ dentur in præjudicium Statuum exemptiones a vectigalibus & teloniis legitime erectis, & illegitime concessæ aboleantur.

26. 27. Electores eorumque domestici & familiares immunes sint a solvendis vectigalibus, de novo concessis, auctis aut prorogatis: denturque Electoribus Reversales de hac immunitate.

28. 29. Imperator informationem petet & specificationem a Circulorum Directoribus de legitimis Vectigalibus, vel si Directores

res ipsi essent de illegitimis teloniis suspecti, a vicinis Statibus gravatis, ut illegitima ocius abolere possit.

30. 31. Eam specificationem & informationem prædicti tradent. Status autem eorumque Legati ad Deputationes Collegiales, & congressus circulares, ubique, etiam in terris hæreditariis Cæsaris, cum rebus suis immunes sint a teloniis, & aliis exactionibus, prout etiam mortuorum legatorum hæredes & successores, si res suas avehere velint, non tamen alienas.

Art. IX.

1. Curam impendet cum Ordinibus, ut rei Monetariæ defectus corrigantur.

2. Eaque media adhibere, quæ Recessu de anno 1570 ad statuendas in quovis circulo tres urbes monetarias, & in Comitiis anni 1603, aliisque de inducenda conformitate tam in Imperio quam cum finitimis, & punitione contravenientium fuerunt proposita. Res Monetaria.

3. Et in Comitiis in futurum proponentur.

4. Postquam anno 1737, & 1738 in Comitiis varia sunt tractata, & a sequentibus Imperatoribus confirmata, tum vero adhuc tractanda restant, curabit, ut omnia ad effectum deducantur, conclusa per valvationis tabellas publicentur, & ab omnibus, præsertim iis, qui monetandi Regali gaudent, curate observentur.

5. Monetariæ Dietæ in circulis diligentius observentur, & juxta numarium ordinem numi externi non recipiantur majori pretio, quam juxta Imperialem taxationem valeant.

6. Nemini jus monetandi concedet sine assensu Electorum.

7. Cum experientia constet, eos Status, quibus Regale ac privilegium cudendi monetam fuit indultum, contra Edicta & constitutiones numarias eodem per se vel per alios abutantur, ac proin jus monetandi ipso facto amiserunt, Imperator ipsis cusionem monetæ prohibebit, uti etiam iis, qui jus monetandi non sunt legitime adepti, executione Circulis demandata.

8. Nec ejusmodi Status, privilegio monetandi privatus, restituatur, nisi de consensu Statuum in Comitiis.

9. Præter privationem privilegii, talis Status, qui eo contra Constitutiones Imperiales abusus est, suspendendus est a Sessione & voto (modo tamen Art. 1 hujus Capitulationis indicato) nec nisi in Comitiis, satisfactione præstita, restituendus.

10. Si vero mediatus Imperii subditus, sive Landsassius privilegio numario abuteretur, Dominus territorialis adversus ipsum procedat, eique privilegium adimat.

11. Ejusmodi Mediatis Imperator non dabit jus monetandi, nisi cum consensu Electorum, & audito circulo, aliorumque, quorum interest.

Art. X.

Alienatio. 1. Promittit Imperator, nihil de Imperio alienare, pignori aut hypothecæ subjicere, onerare, nisi de consensu Statuum.

2. Nulla exorbitantia privilegia concedere.

3. Sed potius omni studio providere, ut perperam alienata, caduca, aperta, confiscata ad Imperium reducantur.

4. Status tamen in possessione quieta pignorum Imperialium relinquere absque reluitione juxta Instrumentum Pacis, usque ad aliam compositionem Imperatorem inter & Status.

5. In determinationibus limitum Imperii sine hujus & Statuum, quorum interest, consensu nihil suscipere.

6. Inquirere intra annum in alienationem fendorum Italiæ, & informationem ad Cancellariam Moguntinam mittere, ut Statibus communicetur.

7. Et ea de re deliberari, ac statui possit.

8. Curam impendere, ut Ordini Equestri S. Joannis bona, in Imperio & bellis Belgicis adempta, restituantur, salvis tamen Pace West. & cujusque juribus.

9. Et si ipse Cæsar aut sui aliquid retinerent, spectans ad Imperium, illud eidem restituere, si absque justo titulo possideatur.

10. Curare, ut omnia feuda Imperii in & extra Germaniam, præsertim in Italia, juxta Recessum anni 1722, illæsa serventur, debitis casibus recipiantur ac renoventur, atque Vasalli contra omnem vim iniquam defendantur.

11. Cæsar quoque sua feuda recipiet, vel, si hoc commode fieri non possit, per Reversales Imperio securitatem & recognitionem præstabit.

12. Neminem ultra æquum contributionibus onerari patietur.

Art. XI.

Feuda. 1. Feuda & litteras feudales secundum priorem (nisi circumstantiæ aliud exigant) tenorem sine contradictione Vasallis Imperii extradere.

2. Neque sub prætextu non editorum pactorum familiæ, aut illiquidarum taxarum feudalium vel laudemiorum moram injicere.

3. Neque obligationem feudalem ad suam Domum dirigere.

4. Ec-

4. Ecclesiastici Electores & Principes possint per Ecclesiasticos ex gremio Capituli, vel per sæculares delegatos, feuda Imperii coram throno Cæsareo recipere.

5. Minores per tutorem aut curatorem feuda recipient, & juramento fidelitatis non aliter obstringantur, acsi illud post susceptum regimen ipsimet præstitissent.

6. Postquam autem Majorennitatem fuerint adepti, non exigatur ab illis nova receptio feudi aut nova taxa.

7. Eadem ratio est de feudis, a Vicariis Imperii vigore Bullæ Aureæ collatis; nam & hæc habeantur rata.

8. Litteræ feudales, & exspectantiæ deinceps in sola Cancellaria Imperii expediantur.

9. Infeudationes & expectantiæ, quæ priorum Imperatorum datis & confirmatis expectantiis, & confirmatis hæreditariis unionibus sunt præjudicio, nullæ sint.

10. Si deinceps vel per obitum vel per feloniam feudum Imperio aperiatur, quod aliquid notabile importat, Electoralia cum consensu Electorum, Principalia cum consensu Electorum, & Principum, civitates insuper cum consensu civitatum, conferantur; nullæ vero de illis expectantiæ impertiantur.

11. Sed pro emolumento Imperatoris Imperio incorporentur.

12. Salvis tamen expectantiis legitimis, a prioribus Imperatoribus secundum Constitutiones illius temporis Statibus bene meritis concessis.

13. 14. 15. Si in futurum Imperatori bona obtingant, Contributionibus Imperialibus obnoxia, vel actu illa possideret, jura sua præstabit Imperio pro more Circuli, ad quem spectant, secluso omni prætextu exemptionis. Terris autem istis & bonis adquisitis sua jura & privilegia relinquantur.

16. Steuras Imperiales civitatum aliosque proventus, aliis obligatos, ad Imperium reducet, & ad illius utilitatem impendet.

17. Ac intra annum designationem illorum ad Cancellariam Moguntinam mittet, ut Statibus communicetur.

18. Nec permittet, ut Imperio subtrahantur.

19. Nisi Collegiali Electorum consensu id factum esset.

20. In posterum autem non nisi ex consensu Electorum, Principum & Statuum fiat.

21. In negotiis magni momenti Consilium Electorum exquiret.

Art. XII.

Circuli. 1. Redintegrationem Circulorum promovebit, cavebitque, ut nullus eis Status subtrahatur, aut se ipsum separet.

2. 3. Restitutos Circulos Statusque reductos in sua Immediatione & juribus defendet, ut in statu suo relinquantur.

4. Non permittet, ut tribunalia Imperii in statum bellicum, civilem, aut œconomicum Circulorum se immisceant, aut cognitionem de eo prætendant.

5. Nihil mutabit circa executionem Imperialem & Ordinationes Circulares, nisi in Comitiis ab omnibus Statibus id approbetur.

6. Idem de ordinariis Deputationibus Imperii, quibus suus cursus relinquetur.

7. Salva tamen auctoritate Cæsarea.

Art. XIII.

Comitia. 1. Si præsentia Comitia cessarent, singulis 10 annis, & quoties publica necessitas exigeret, illa indicet cum assensu Electorum.

2. 3. Deliberanda a Directorio Moguntino proponantur; deliberationes & conclusa mature expediantur.

4. Status non teneantur ad servandum ordinem punctorum, in propositione contentorum.

5. Cæsar ad Conclusa Imperii suam declarationem & Decreta quamprimum communicabit Statibus.

6. Non impediet, quo minus Moguntinus querelas Statuum ad Collegium Electorum vel etiam alia deferre, & ad deliberandum proponere possit, nec alias Archicancellario & Imperii Directorio limites ponet.

7. 8. Neque impediet, quo minus oblata decenter Memorialia ad Dictaturam tradantur, & sic Statibus communicentur: & postea a Directorio Imperii ad propositionem & deliberationem deducantur.

9. Cum post obitum Imperatoris, aut ejusdem Minorennitate aut diuturna absentia extra Imperium regimen ad Vicarios Imperii pertineat, Comitia pro more indicant, eaque dirigant sua authoritate.

10. Statibus Imperii & Circulorum liberum sit, etiam extra Comitia Generalia Collegiales aut Circulares Conventus celebrare, quoties necessitas vel utilitas exposcit.

Art.

Art. XIV.

1. Curam apud curiam Romanam impendet, ut *Concordata Germaniæ*, Episcoporum & Capitulorum privilegia, statuta, consuetudines, observentur, nec Gratiis, Rescriptis, Provisionibus, Annatis, multiplicatione fundationum, Reservationibus, Dispensationibus, Resignationibus, Collationibus, Coadjutoriis, Judicatura super statu Nobilitatis, vel aliis modis in præjudicium Fundationum Ecclesiasticorum vel Juris Patronatus aliquid agatur. Concordata Germ.

2. Aut parte altera non audita Romæ judicium præcipitetur.

3. Sed juxta Acta in Comitiis Augustanis de anno 1530 gravamina tollantur.

4. Nec permittere, ut causæ civiles ad Nuntios Apost. aut curiam Romanam deducantur.

5. Curare, ut causæ Ecclesiasticæ & civiles bene distinguantur, nec altera pars in alterius forum ingrediatur.

6. Salvis iis, quæ A. C. consortibus in pace Religionis & West. fuerunt concessa.

Art. XV.

1. Mediatorum tutelam assumere, atque ad obedientiam, Dominis suis territorialibus præstandam, adstringere. Mediati.

2. Nec aliquem ab hac aut præstandis oneribus eximere.

3. Nec concedere, ut Status Provinciales circa Steuras soli cum exclusione Domini territorialis dispositionem usurpent.

4. Si mediatus subditus ad Imperatorem, Judicium Aulicum aut Cameram, ut a debitis oneribus se subtrahat, recurreret, non facile audiatur; sed a limine Judicii ad debitam paritionem, Domino suo territoriali præstandam, remittatur.

5. Sub- & obreptitie obtenta a mediatis subditis privilegia, protectoria, exemptiones, cum omnibus clausulis & declarationibus, ac confirmationibus, sicut omnes inde dati contra Constitutiones Imperii Processus, Decreta, Mandata, prævia summaria causæ cognitione, pro irritis habenda, nisi petita prius scripto & accepta a Domino territoriali informatione.

6. 7. Omnes subditorum coadunitiones, fœdera, conspirationes contra Status tolluntor.

8. Fas esto Statibus, se & jura sua, etiam cum assistentia vicinorum, contra subditos defendere.

9. Si autem lites ad Judicem legitime deferentur, quamprimum expediantur.

Art.

Art. XVI.

1. Unitatem & pacem plantabit, juſtitiam, ſine acceptatione perſonarum, adminiſtrabit, etiamſi propriam Domum cauſa tangat, omnia more Majorum.

Judicia Imperii. 2. Neminem extra Imperium in jus vocare, neque ad acceptanda feuda: ſed omnia intra fines Imperii juxta Conſtitutiones Imperii peragere.

3. Nullum novum Imperii tribunal erigere, niſi de conſenſu Statuum in Comitiis.

4. In Judicio Aulico & Camera Juſtitiam indifferenter adminiſtrare.

5. Curare, ut lite pendente nullus Status alterum repreſſaliis aut arreſtis oneret.

6. Ordinationes Judicii Aulici & Cameræ obſervare.

7. Neutrum Judicium in alterius Jurisdictionem involet, aut Proceſſus avocet, nec Aulicum de ſententiis & judicatis Cameræ cognoſcat, neque huic manus ligentur, quo minus ad Comitia referat.

8. Sed Camerale Judicium in ſuis juribus defendendum.

9. 10. Conſtitutiones Imperii & ordinationes ſervandæ.

11. Quidquid huic Capitulationi contrarium eſt, irritum eſto.

12. Miniſtri & Conſiliarii Cæſarei negotiis Imperii, quæ ad Conſilium Imperiale Aulicum pertinent, ſe non immiſceant, multo minus eidem limites præſcribant.

13. Proceſſus, Mandata &c. non alibi, quam in Judicio Aulico reſolvantur & expediantur: ſecus nulla ſunto.

14. Imp. Judicium Aulicum proteget adverſus Conſiliarios & Miniſtros.

15. Votum Judicii Aulici Cæſari referatur in præſentia Præſidis, Vice-Cancellarii, Referentium, & Conſiliariorum ex utraque religione, ſi cauſa utriusque conſortes tangat.

16. Quæ in Judicio contradictorio, cum debita cauſæ cognitione, deciſa ſunt, nusquam alibi ad novam cognitionem vocentur, ſalva tamen Reviſione & Supplicatione.

17. Cauſæ in Camera pendentes non avocentur ad Judicium Aulicum.

Art. XVII.

1. Sententiæ latæ mox executioni dentur. Camera.

2. Quamvis beneficium *Revisionis* & Supplicationis locum habeat, ne tamen lites sint immortales, celeriter sunt expediendæ, absque effectu suspensivo.

3. 4. Visitatio Cameræ suscipienda per Deputatos, a Moguntino vocandos.

5. 6. 7. 8. 9. De Visitatione & Deputatis ad istam tractatur.

10. Impetrantes Revisionem, ad illam prosequendam intra 4 menses Moguntino & Cameræ se sistent, sub pœna desertionis.

11. Durante tamen visitatione Camera non cesset, sed operationes suas prosequatur.

12. 13. Agit de Decreto commissorio provisionali, & salario Assessorum Cameræ.

14. Quantum ad *Supplicationem*, loco Revisionis in Judicio Aulico consuetam, refert se ad Art. 5 §. *quoad processum*, & Ordinationem Judicii Aulici. Jud. Aul.

15. Nullus Status in rebus, quæ præviam causæ cognitionem requirunt, & ad Judicium Aulicum spectant, Decretis Arcani Concilii oneretur.

16. Res Judicatæ Imperii contra omnem vim externam defendantur, & executioni dentur.

17. Taxa Cancellariæ &c. in Comitiis determinanda, nec augenda.

18. Taxæ Feudales secundum præscriptum Aureæ Bullæ exigendæ. Et tametsi quis plura feuda recipiat, una tantum taxa est solvenda.

19. Neque laudemiis aliisque insuetis exactionibus Status sunt onerandi.

Art. XVIII.

1. Neminem a Jurisdictione Imperii & Judiciis eximere.

2. Illos tamen Status, qui exemptionem vel contractu cum Imperio, vel privilegio, vel alias legitimo titulo, ab Imperatoribus obtinuerunt antehac, & in ejus possessione hactenus perstiterunt, in sua exemptione relinquere, ac defendere, simul tamen illos, ut pacta servent, adstringere, atque ut Imperio præstent, ad quæ eorundem vigore obligantur. Privilegia.

3. Omnes Status (comprehensa semper Immediata Imperii Nobilitate) eorumque subditos in Imperio, in Juribus suis relinquere.

Exemptiones. 4. Prout etiam in sua Immediatione, privilegiis de non appellando & evocando, tam in civilibus, quam criminalibus & feudalibus causis, electionis fori, item jure Austregarum, tam legalium quam conventionalium vel Familiarium in prima Instantia, sublatis omnibus, quæ fortassis quocunque prætextu acciderant, contraventionibus, inhibitoriis &c.

5. Nec ullum commissionibus, mandatis, ordinationibus contrariis gravare, nec permittere, ut per Jud. Aulicum vel Cameram gravamen inferatur. In specie vero in decernendis commissionibus servare ordinationem in P. W. art. 5 §. *in Convent. Deputat.* factam: si causa inter utriusque religionis consortes vertatur, paritas Deputatorum, quantum fieri potest, observetur. Nullum autem Commissarium deputare, cujus interesse sit involutum.

6. Privilegia de non appellando, non evocando, Electionis fori, aliaque id genus, quæ ad minuendam Jurisdictionem Imperii, Statuumque antiquioribus privilegiis aut tertio præjudicare possunt, non facile concedere.

7. Neque jus Austregale extendere ad eos, qui hactenus eo caruerunt.

8. Cum adversus Cæsareo-Aulicum Judicium Rottwilense, Weingartense, & alia Provincialia a multis annis variæ querelæ sint propositæ in Imperii Conventibus, eorumque abolitio fuerit petita, curabit Imperator, ut ejusmodi querelis obviam eatur, & ratione abolitionis aliquid certi in Comitiis statuatur. Interim vero abusus tollantur, & in eum finem indifferentes Status deputentur.

9. Statuum vero ab ejusmodi Dicasteriis exemptio defendatur.

10. Et ab iis cuicunque gravato appellatio ad Judicium Aulicum vel ad Cameram libera sit.

11. Atque exemptio Electorum & aliorum ab istis tribunalibus manuteneatur.

Art. XIX.

1. Quæ violente abrepta, vel vigore Pacis West. adhuc restituenda sunt, restituantur juxta Edictum restitutionis, arctioris modi exequendi, Norimbergensis Recessus executionis.

2. Idem præstandum Cæsari, si aliquid restituendum.

3. Iis Statibus Immediatis, qui in Imperatoris aut Electorum, Justitia. Principum, ac Statuum territoriis domicilium fixerunt, pariter justitia administrabitur.

4. Statuum gravatorum processus non impedientur.

5. Nulla

5. Nulla mandata emanent pro teloniis, absque consensu Electorum noviter erectis.

6. Si Status Provinciales ac subditi contra Dominos suos territoriales querelas proponant, præsertim contra Regalia, jura collectarum, armaturæ, sequelæ, defensionis provinciæ, præsidiorum in munimentis, ad nudam instantiam subditorum nulla mandata, protectoria, aut conservatoria impetiri, sed ad Judicium Austregale prius remittere.

7. Ubi vero Jurisdictio est fundata, antequam mandata emittantur, accusatum Magistratum cum sua informatione prius audire. Secus non teneatur mandatis parere.

8. Commissarii & cognitores causarum pœnalium de pœna nihil participent.

Art. XX.

1. In causa proscriptionis seu banni se conformabit Paci Osnab.

2. Nemo sine justa causa, aut non auditus, aut sine assensu Statuum proscribatur. Bannum.

3. 4. Ordine procedatur, & ubi ad Conclusionem in Judicio Aulico vel Camera deventum fuerit, Acta ad Comitia deferantur, & a Deputatis ex omnibus tribus Collegiis examinentur; eorumque responsum Statibus ad concludendum in causa referatur.

5. Hoc Statuum Conclusum si Imperator approbaverit, suo nomine illud publicabit in Circulo, ad quem proscriptus pertinuerat, & exequetur, secundum Ordinem executionis.

6. Bona proscripti non attribuantur Domui Cæsaris, sed Imperio; ante omnia autem parti læsæ ex iis satisfiat.

7. Salvo jure Domini Directi, si proscriptus particularia feuda mediata habuit.

8. Salvo item jure agnatorum innocentium aut exspectativam habentium: nec valeat hic principium, agnatos etiam innocentes propter feloniam proscripti feudo privandos.

9. Violenter spoliatus pendente lite Banni restituendus.

10. Proscriptio, quæ hoc modo & forma non perageretur, sit nulla.

11. Bannum contumaciæ abolitum esto; civilia autem coercendi & compellendi media adhibeantur.

Art. XXI.

1. Jura Feudalia Statuum inviolata confervabit.

Vafalli. 2. Et licet Vafalli eorum aut fubditi ex crimine læfæ Majeftatis aut alias iis excidiffent, fe non immifcebit.

3. Non autem caduca ejusmodi feuda ad Fifcum fuum Cæfareum trahet.

4. Neque allodialia eorum bona fed Territorialibus Dominis difpofitionem de illis relinquet.

5. Nec fub fpecie juftitiæ eos turbabit.

6. Sed ad viam Juris in tribunalibus Imperii prætenfiones remittet.

7. Nec ullam violentiam contra Conftitutiones Imperii in his permittet.

8. Et fi damnum inferretur, illico curabit, ut illud reparetur per arbitros vel Comitia.

Art. XXII.

Status exaltatio. 1. In dignitatem Principum, Comitum &c. non referre, nifi bene meritos, Imperii incolas, & talibus mediis provifos, quibus talem dignitatem fuftinere queant.

2. Neque ita evectis Votum & Seffionem concedere, nifi fub conditionibus & modo, Art. 1 hujus Capitulationis relatis.

3. Nec in præjudicium antiquiorum Familiarum Principum noviter evectos titulis aut infignibus ornare.

4. Neque ex impari matrimonio, aut illegitime natos ad patris dignitatem, titulos, infignia evehere, multo minus fucceffionis capaces declarare, & fi antea hoc factum effet, pro irrito habere.

5. Neque Status exaltatio cuijuscunque Domino territoriali aut ejus Jurisdictioni ulli fit præjudicio.

6. Et fi ullus Status in hac re effet gravatus, gravamen tollere.

7. Omnes expeditiones Cæfareæ, Diplomata, Nobilitationes, Palatinatus, Confiliariorum Imperii, cum omnibus privilegiis, quæ fub nomine Imperatoris conferuntur, in nulla alia quam Imperiali Cancellaria expediantur, prout ab antiquo confuetum eft.

8. Diplomata &c. aliter expedita irrita funto.

9. Expeditæ in Cancellaria Imperii literæ, gratiæ, Status exaltationis, privilegiorum, aliis Cancellariis Cæfareis intimatæ, ab his gratis omnino & fine nova taxa recipiantur, agnofcantur, novusque titulus impetrantibus tribuatur.

10. Ad

10. Ad solum Archicancellarium Imperii pertineat, taxas moderari.

11. Si litteræ gratiales intra tres menses e Cancellaria Imperiali, soluta taxa, non redimantur, gratiæ a Cæsare concessæ, nullæ sunto.

12. Si nihilominus iis gratiis & titulis uti attentarint, a Fiscali Imperii puniantur.

13. Prout etiam qui falso prætendunt, se ejusmodi gratias ab Imperatore accepisse; aut litteras, taxa Cancellariæ soluta, non redimunt.

Art. XXIII.

1. Imperator in Imperio residebit, nisi circumstantiæ temporum aliud exigant.

2. Statibus eorumque Legatis celerem audientiam & expeditionem impertiet.

3. In negotiis Imperii solius germanicæ aut latinæ linguæ usus vigeat, nisi negotia extra Imperium essent tractanda.

4. Officia Imperialia, uti Protectionis Germaniæ, Legationum, Aulæ Præfecti, Camerarii, Mareschalli, Corporis Custodiæ &c. ex Germanis potissimum constituet.

5. Atque illis sui honores, dignitates, salaria, conserventur.

Art. XXIV.

1. Consilium Aulicum ex hominibus idoneis utriusque religionis ex Circulis desumptis constituet.

2. Qualitatibus debitis sint ornati.

3. Nulli Statui, minus externis Potestatibus, obligatione adstricti. Consiliarii

4. Nulla contra eos querelæ relinquatur occasio. Aulici.

5. Ordinationem perficiet Consilii Aulici.

6. Decreto Commissorio exquiret Consilium Statuum de modo visitandi Consilium Aulicum, & Concluso vim dabit.

7. Interea vero visitabit Moguntinus tertio quoque anno, & Acta Comitiis exhibebit.

8. C. A. vero procedet secundum ordinationem veterem, donec nova conficiatur.

9. Qui prior est in officio Consiliarii Aulici, præcedat juniores.

10. De cætero incedent sicut statutum est in ordinatione C. A.

11. Præses ac Vice-Præses sit Princeps Imperii aut Comes vel alius, qui in Imperio bona possideat.

12. Præfidi foli in Judicialibus competat Directorium, nec alius fe mifceat.

13. Omnes caufæ in pleno Senatu tractentur, nec ad ullam Deputationem vel Commiffionem trahantur.

Art. XXV.

1. Conftitutio Cancellariæ Imperialis, Vice-Cancellarii, Referendariorum, Secretariorum, omniumque aliarum, ad Cancellariam pertinentium perfonarum, fit penes Archiepifcopum Moguntinum, qua Archi-Cancellarium Imperii per Germaniam, fine ullo obice.

2. 3. Caffatis contrariis omnibus.

4. Caufa Imperii, Comitiorum negotia, Inftructiones Cæfareorum Legatorum, ipforum relationes in rebus Imperii, negotiationes belli & pacis, per manus Imperii Vice-Cancellarii eant, non vero ad Cancellariam Aulicam Provinciarum hæreditariarum trahantur.

5. Salaria Confilio Imperiali Aulico exacte folvantur, tum ex Camera Aulica, tum ex mediis ab Imperio provenientibus.

6. A teloniis aliisque oneribus Confiliarii Aulici, ficut Camerales, fint immunes.

7. Prout etiam, ficut Statuum Legati, Refidentes, Agentes, a Jurisdictione Regionis Præfectorum, aliisque obfignationum, Inventuræ, editionis teftamentorum, liberorum tutelæ &c. perfonalibus oneribus.

8. Si velint difcedere, liber eis abitus cum fuis bonis, fine ulla exactione, concedendus, cum litteris falvi conductus.

Art. XXVI.

1. Regi Sardiniæ, tanquam Duci Sabaudiæ juxta P. W. Inftrumentum feudum Montis Ferrati conferre, prout jam olim Ferd. II Victori Amadeo Duci Sabaudiæ illud contulit, fecundum jus Feudale, fine infuetis claufulis refervatoriis aut falvatoriis.

Mons Ferratus.

2. Nec Infeudationem illam differre fub quocunque prætextu.

3. Sed pœnalibus mandatis inhibere, ne quisquam fe opponere aufit.

Vicar. Italiæ.

4. Vicariatum Italiæ Domui Sabaudicæ confirmare ac defendere, non obftantibus, quæ in favorem Mantuæ quondam acta funt.

Art.

Art. XXVII.

1. Cum a prioribus Imperatoribus externis quibusdam Potestatibus litteræ Protectoriæ super aliquos Status ac civitates sint concessæ, vel ipsi externi jus protectionis sibi arrogarint & usurparint, vel ipsi etiam Status aut urbes protectionem illorum implorarint, non sine gravi Imperii præjudicio in civilibus & judicialibus, Imperator tales litteras protectoriales non amplius dabit, nec concedet, ut quis tales petat aut acceptet, nec acceptas confirmabit. De externa protectione.

2. Sed curabit, ut jam datæ vel acceptæ revocentur, aut saltem ad primum tenorem restringantur.

3. Omnes vero Status ac membra, absque imploratione externæ protectionis & assistentiæ, sub tulela Imperatoris & Imperii, atque administratione justitiæ in sacris & profanis secundum constitutiones Imperii conserventur & protegantur.

4. Cum etiam ab aliquo tempore per abusum causæ Judiciales ab Ordinariis Judicibus ad externas potestates non raro evocentur, præsertim sub prætextu Bullæ Aureæ Brabantinæ, cum non modico Statuum præjudicio, Imperator id genus evocationes penitus tollet, & per dictam Bullam Brabantinam gravatis jure retorsionis assistet.

Art. XXVIII.

1. Non concedet, ut externæ Potestates, aut earum Legati, negotiis Imperii se immisceant.

2. Neque permittet, ut Legati apud Deputationes, aut in aliis Imperii conventibus, aut apud Aulam Cæsaream, cum armata equitum & peditum custodia plateas oberrent.

Art. XXIX.

1. Cum adversus ordinatas in Imperio Postas non leves querelæ sint allatæ, atque illæ ad mentem P. W. ad Comitia sint remissæ, Imperator non permittet, ut in Statuum regionibus & ditionibus, in quibus ejusmodi Cæsareæ Postæ sunt constitutæ, locentur personæ, quæ non sunt Imperii subditi, & quorum fides non est assecurata, quæque (excepta personali immunitate) etiam a realibus oneribus sint exemptæ. De Postis.

2. Præterea Generalem Imperii Postarum Magistrum adstringet, ut ipsius Postæ omnibus necessariis sint bene provisæ, epistolas pro justa taxa, quæ in omnibus Postarum domibus sit affixa, secure promoveat, ut nullus querelæ sit locus.

3. Con-

3. Contra vero provincialibus & civitatum Imperialium cursoribus interdictum sit, ne epistolas ferant, equos mutent, personas, aut fasciculos assumant; sed civitatum aliique cursores Cæsareis Decretis & Rescriptis de anno 1616, 1620, 1636 se conforment. Ac proin nuntii isti neque Moguntinæ Postarum Imperialium protectioni, nec Generali Postarum Imperialium hæreditario Præfecto sint præjudicio.

4. Curabit Imperator, ut Generale Cæsareum & Imperiale Postarum Officium in suo vigore ubique conservetur, atque ad illius diminutionem nihil suscipiatur, concedatur, vel conniveatur, ac proin illud in Imperio in quieta possessione permaneat.

5. Hic tamen articulus tamdiu sit ratus, donec Imperium aliud ordinaverit.

Art. XXX.

1. Hanc Capitulationem Imperator Consilio Aulico, Cameræ, Ministris, Consiliariis jurandam & exacte servandam proponet.

Juramentum.

2. Negotium Capitulationis perpetuæ (ubi tamen Electores reservant sibi jus *accapitulandi*) in Comitiis suscipiet, & ad perfectionem deducet.

3. Collegii Electoralis consilia, ad se directa, observabit.

4. Cum propter absentiam non potuerit jurare in puncta Capitulationis, Commissariis suis plenam potestatem dedit, in animam Imperatoris jurandi.

5. Promittit autem, se adhuc ante coronationem in propria persona juraturum.

6. Antea vero Regimini se non immiscere, sed Vicariis continuationem administrationis relinquere.

7. Hæc omnia se servaturum iterato promisit, renuntiando omni dispensationi, absolutioni &c.

8. In horum testimonium novem exemplaria majori sigillo suo obsignata confecit, & cuivis Electori unum tradidit, Francofordiæ 13 Sept. 1745.

Coronatio præsente Conjuge &c.

Quarta dein Oct. consueta solennitate unctio & coronatio Imperatoris ab Electore Moguntino assistente Trevirensi fuit peracta. Aderat etiam Imperatrix & Regina *Maria Theresia*, quæ tamen noluit coronari, quod moris non esset in imperio, ut duæ essent Imperatrices coronatæ. Auxerunt celebritatem mater Imperatricis

ratricis & Imperatoris soror. Die septima Octobris vero gratulatum supervenit Elector Coloniensis.

16 Oct. utraque Cæsarea Majestas Viennam discessit. Cum conscensa Ulmæ navi per Bavariam transirent, Elector *Mozingæ* eos veneratus, atque *Straubingam* comitatus mensæ hospites adhibuit, renovata firmataque magis Domus utriusque cognatæ amicitia.

Imperator ad Imperii curas mox conversus, constituit Consilium *Aulicum rursus Viennæ.* Præsidem eidem dedit *Wurmbrandum*, Vice-Præsidem Comitem Hartig; Procancellarius Imperii renuntiatus Colloredus.

Comitia Imperii rursus Ratisbonam Francofurto translata, eisque Principalis Commissarius iterum præpositus Josephus Princeps *Fürstenbergius*, Palmius vero Con-Commissarius. Initium deliberationum a securitate Imperii, ordinanda collapsa re monetaria, negotio Capitulationis perpetuæ, toties jam agitato. In iisdem porro Comitiis comparuerunt, *Sternbergius* pro Bohemia Legatus, *Cobenzelius* pro Austria, eoque ad Aulam Coloniensem digresso *Buchenbergius*. Venit quoque, novo exemplo, *Kaiserlingius* Legatus Russicus. Imperium ordinat.

Quatuor Imperii Circuli, Suevicus, Franconicus, & uterque Rhenanus, neutri belligerantium parti se addictos profitebantur. Augebant tamen in omnem eventum copias. Palatinus autem Elector contra Austriacos fuit conquestus, quod terras suas depascerent. Cumque Elector Moguntinus Maillebœum moneret, ut cum Gallis suis Germano solo decederet, respondit, id se non ante facturum, quam Austriaci e provinciis Palatinis excessissent. Quare associatio 4. circulorum, & motus copiarum ad Rhenum, quam Ramschwagius Ulmæ vehementer urgebat, perfici non potuit; sed placuit neutralitas. Interea autem belli tempestas in Silesia, Belgio, & Italia detonuit. *Conciliatio* vero inter Domum *Austriacam* & *Palatinam* facta 25 Dec. per pacem Dresdensem, cujus articulo XII Elector fuit inclusus. 4. Circuli neutrales. Querelæ.

Art. LIV.

Lichtenstein Archiep. Salisburg. Acta Herrenhusiana. Nuptiæ Principis de Taxis. Obitus Ruperti Principis Hohenloensis.

72. Lichtenstein Arch. Salisburg. 13 Jan. *Salisburgi* novus Archiepiscopus electus est Jacobus Ernestus Comes *Lichtensteinius*, commendatione Reginæ, quam, cum esset Episcopus Olomucensis, Pragæ coronaverat. Carolus VII Imperator graviter eam electionem tulit, quod absque præsentia legati Cæsarei esset peracta. Unde per Cardinalem Borghesium apud Pontificem institit, ne illam confirmaret. Sed mortuo paulo post Cæsare causa fuit composita. Olomucii per electionem capituli suffectus est Episcopus Comes Ferdinandus Troyer Tyrolensis.

Acta Hernhusii. Elector *Hannoveranus*, postquam cum Harringtono, Status Secretario, *Herrenhusium* venit, cum Borusso Hannoveranam Conventionem procudit, deserto Varsoviensi fœdere. Sub finem tamen anni pacem Dresdensem conciliavit. Herrnhusii ad eum invisit Maria filia, & Fridericus gener, *Hassiæ* Princeps, qui, inito post mortem Caroli VII Tractatu subsidiario, 6000 armatorum duxit in Belgium, ac dein adversus Prætendentem in Angliam. *Conciliata* etiam Domus *Cassellensis cum Austriaca*. Darmstadianus Landgravius novam ad Rhenum urbem condidit, quam *Freystadium* appellavit, omnibus tribus religionibus communem.

Obiit Berolini Princeps *Homburgicus*, Generalis in Russia castrorum Præfectus, anno ætatis 41, nulla ex Cantiminia, quam duxerat, relicta prole. Constantinus Rheinfelsensis, Rothenburgensis lineæ, sibi despondit Stahrenbergiam, Hyacinthi Principis Siegensis viduam: neptem vero suam Rohano Principi Subisio.

Academia Helmstadiensis a fundatore suo Julio dicta est hactenus *Julia*, jam vero, cum Hannoveranus suo in eam communi jure cessisset, appellata est *Julio-Carolina*, in honorem Caroli Ducis Guelpherbytani regnantis.

Carolus Leopoldus Dux Mechlenburgicus a Vicariatu Saxonico & Ordinibus Imperii petiit restitui, sed, cessante necdum contumacia, incassum.

Princeps Alexander Ferdinandus de *Thurn & Taxis*, Barruthana Conjuge jam anno 1739 defuncta, Parisiis secum copulavit Ludovicam de *Harcourt Armagnac* ex Domo Lotharingica. Ejus vero Frater

Frater unicus Christianus Adamus, supremus apud Cæsarem Vigiliarum Præfectus, Comes itineris obiit.

Obiit Rupertus Princeps Hohenlöensis *Pfedelbaci*, cui successerunt duo fratres seniores, Carolus Philippus Cameræ Wezlariensis Judex, & Josephus Antonius, Argentinæ, Augustæ, Salisburgi, Coloniæ, & Elvaci Canonicus; quorum ille *Bartensteinii*, hic *Pfedelbaci* domicilium elegit Horum propatruus vero Ludovicus in *Schillingsfürst*, & hujus filius Philippus in *Wilmersdorff* residet; duplici vinculo familiæ Limburg-*Stürumbicæ* innexus. Omnes autem hæ lineæ Domus Hohenlöensis Religionis sunt Catholicæ. Domus Hohenlohe.

Art. LV.

Annus 1746. Acta in Comitiis. Trenckius & Cantacuzenus in carcere. Electoris Bavariæ sponsalia. Tractatus Subsidiorum. Causa Palatina & Bipontina. Obit Schönborn Epis. Bamb. & Herbip. Lis de Directorio. Abbas S. Blasii Princeps S. R. I.

Bello in Belgium translato, major Germaniæ data quies; quamvis multæ in illud & Italiam transmittendæ fuerint copiæ, eventu dispari, secundo in Italia, ex qua depulsi hostes, visitata ipsa Gallia, in Belgio vero, amissa Flandria & Brabantia, minus felici. 73.

Conclusum quatuor circulorum, Rheno propiorum, suppeditandi triplum ad tuitionem finium, a Principe Fürstenbergio, supremo Cæsaris ad Comitia legato, fuit confirmatum. Verum, cum Gallia & Borussia ad neutralitatem hortarentur Imperii Ordines, atque pericula, quæ ex copiarum motu impenderent, per Legatos suos proponerent, nihil admodum actum est; quamvis Hannoveranus, quantum poterat, negotium urgeret.

Per electionem Francisci in Imperatorem vacabat Dignitas Generalis Imperii *Mareschalli* Catholici. Collata ea est voce unanimi Ejusdem Fratri *Carolo*. Carolus Loth. Mareschallus Imperii.

Agitatum rursus in Comitiis est negotium de statuenda Capitulatione Cæsarea perpetua; nec alienos se præbebant Electores, qui alias nullos sibi in hac re figi volebant terminos. Sed, cum Elector Coloniensis, ceu supremus Ordinis Teutonici Magister, ju-

Acta Comitialia. ra sua in Borussiam Capitulationi inseri peteret, atque Elector Brandeburgicus vehementer se opponeret, totum negotium hæsit.

Kaiserlingius, Russiæ Legatus, scriptum Imperatricis suæ Comitiis obtulit. Sed, cum in eo simpliciter expressum esset *Romanum Imperium*, omissa voce *sacrum* & loco *Electorum* nominarentur solum *Principes*, displicuit. At excusavit Legatus, errorem esse Cancellariæ Russicæ, deinceps non amplius committendum, sed juxta Comitiorum stylum ponendum: *Sacri Romani Imperii Electores, Principes, & Status.* Quo facto Comitia Russiæ Regenti *titulum Imperatricis & Majestatis* detulerunt, & Maria Theresia Imperatrix & Regina fœdus defensivum cum eadem renovavit; quod, quamdiu illa vixit, fideliter est servatum.

Advenerunt novi ad Comitia Imperii Ratisbonam Legati, Baro Schneidius, Bavaricus ratione Leuchtenbergæ: Pollmannus Borussicus, Menschengius Palatinus, Bibra Herbipolensis, Bachovius Danicus: Oexelius Auerspergica, Schwarzenbergica, Lichtensteinia, & Prælatorum Suevica atque Rhenana mandata exhibuit. Gallicus quoque Francofurto se insinuavit, sed quia ipsius Rex Franciscum necdum Imperatorem agnoscebat, non fuit admissus. Principes Taxius & Lobkovicius, Comites item Esterhasius & Stampa renuntiati Intimi Cæsaris Consiliarii.

Viennam venerunt novi Legati Sorbellonius Pontificius: Podevillius Borussicus, Diedo Venetus, Rosenfeldius Bavaricus, qui instrumentum accessionis Palatinæ ad pacem Dresdensem ferebat. Marius Genuensis non fuit admissus.

Trenckius in custodiam. Baro *Trenckius*, famosus levis & irregularis militiæ Ductor, Viennæ missus in custodiam, quod in Sclavonia seditionem concitare conatus esset, atque deprædationibus & rapinis infamem se reddidisset, cum non levi exercitus turbatione; id quod in pugna præsertim Sorrana contigisset: quod denique Comitem Cosa ad duellum verbis indignis provocasset.

Et Cantacuzenus. Constantinus Princeps *Cantacuzenus*, Valachiæ Hospodarii, Cpoli strangulati filius, in Neostadiensem carcerem ductus, quod Turcas adversus Domum Austriacam, & Hungaros ad seditionem concitare fuisset conatus.

Palatium Suburbanum, quod *Favoritam* appellaverant, Patribus Societatis JEsu Regina tradidit, pro erigendo *Collegio Thereſiano*, & Academia Nobilium.

Sponsalia gemina. Elector *Bavariæ Dresdam* abiit, ubi gemina *sponsalia* sunt contracta, videlicet inter ipsum Electorem Maximilianum Josephum,

&

& Mariam Annam, Regis Poloniæ secundogenitam: prout etiam inter Fridericum Electoralem Saxoniæ Principem, & Mariam Antoniam, Caroli VII Imperatoris filiam, natu maximam. Anno vero sequenti solennes Monachii & Dresdæ celebratæ sunt nuptiæ.

Franciscus Comes *Hollensteinius* renuntiatus est Vicarius Superioris Palatinatus, Clemens Topor vero Comes de Morawitski Provicarius.

Initus *Subsidiorum Tractatus*, vi cujus Bavaria 7000 armatorum tradit Confœderatis, Austriacis, Anglis & Hollandis. Collectæ ad Donawerdam hæ copiæ in Belgium profectæ sunt. Peculiare insuper fœdus & unionem Elector cum Regina iniit, qua pax Füssensis & Tractatus subsidiorum confirmatur, atque amicitia adhuc magis stabilitur. Subsid. tract. Bav.

Comes de Riva Mantuanus, Electori a cubiculis, duxit Monachii Eleonoram Gonzagam, Principis Sigismundi Gonzagæ, Vescovati Marchionis, qui in Aula Bavarica versatur, filiam.

Ut Justitia securius administretur, Revisorium Senatum Monachii Elector instituit, cujus Ipse Præsidium gereret.

Postquam Elector *Palatinus* paci Dresdensi accesserat, & Franciscum I Imperatorem agnovit, recesserunt copiæ Austriacæ, quæ in ejus terris hybernaverant. Transtulerat quidem sedem Manhemio Düsseldorpium; sed, cum anno sequenti tabulatum & tegumen cubilis, a quo, Deo protegente, tunc absens erat, decideret, Manhemium rediit. Emit a Göhlerianis hæredibus ditionem Zwingenbergicam quadringentis florenorum millibus, sed protestante Nobilitate Equestri Franconica, & querelam ad Consilium Aulicum deferente, jus collectandi, quod in ea haberet, hoc contractu sibi esse ablatum. Palatina.

Fridericus, Princeps *Birckenfeldensis* & *Bipontinus*, Catholicam Religionem amplexus, nuptias contraxit cum Francisca Dorothea, Electricis Palatinæ sorore, defuncti Principis Solisbacensis filia tertia. Elector Fridericum supremum copiarum suarum Ducem declaravit. Post 9 menses natus est ei Princeps, *Carolus Augustus* cognominatus. Frid. Bipont. conversus. Nuptiæ. Natus Carolus.

Academia *Moguntina* illustrata auctaque est ab Electore nova Bibliotheca, Hippodromo, theatro Anatomico, horto botanico.

Coloniensis Elector in tres annos renovavit subsidiorum cum Anglis tractatum. Loco Comitis *Archinto*, Varsoviam digressi, venit Coloniam *Spinola* Nuntius Apostolicus.

Herbipoli obiit *Fridericus Carolus* Comes *Schönbornius*, Bambergensis & Würzburgensis Episcopus, æt. 72, vir magni nominis; qui Obiit Frid. Schönborn.

multo tempore fuit Procancellarius Imperii. *Bambergense* Capitulum, cum sede vacante ad illud transferatur Jurisdictio & Administratio, Directorium Circuli Franconici volebat exercere, sed Baruthano & Onolsbacensi se opponentibus, Conventus Circuli quievit, donec novus electus fuisset Episcopus, qui fuit Baro *Franckensteinius*. Herbipoli vero electus est *Ingelheimius*, cujus pater fuerat Judex Cameræ Imperialis.

Abbas S. Blasii Princeps Imp.

Abbas S. *Blasii* Franciscus Schachtelinus cum omnibus suis successoribus Principis dignitate ornatus est.

In *Saxonia* obiit Saxonici Ductor exercitus, Dux *Weissenfelsius*; cumque extincta esset masculina linea, successit hæres in omnibus bonis Elector, uti in Principatu Querfurtensi, Comitatu Barbyo, Præfectura Weissenfelsæ, Langensalzæ, Sangershusii, Freyburgi, Weissensæ, Eckartsbergæ.

Art. LVI.

Annus 1747. *Causa Meinungensis, & Zwingenberg. Associatio* 4 *Circulorum. Tergeminæ Nuptiæ Saxonicæ. Causa Gleichenia. Prætensio Hassii in Brabantiam. Obitus Principum, Salisb. Brixin. Campid. S. Blasii, Leopoldi Mechlenburg.*

74. Genuit hoc anno Maria Theresia, Augustissima Imperatrix & Regina tertium Archiducem, *Petrum Leopoldum*. Russiæ Imperatricis patrinæ vices obiit Carolus Princeps Lotharingiæ. Archiduci Josepho, cum annum ætatis septimum jam implesset, datus est Moderator Generalis Mareschallus Comes *Bathyani*, qui in castris Belgicis tunc versabatur.

Complures Principes Imperii hoc anno feuda sua renovarunt, uti Baro *de Lilien* nomine Principis de Thurn & Taxis super supremo ac Generali Postæ Imperialis Officio hæreditario, quod *Feudum Regale* Carolus VII Imperator declaraverat: Episcopus item Augustanus, Constantiensis, Eustettensis, Bambergensis, Herbipolensis, Brixinensis, Curiensis, Leodiensis, Basileensis: Principes quoque Abbates, Campidonensis, Fuldensis, S. Gallensis, Einsidlensis, Berchtolsgadensis, Stabulensis.

In Comitiis Ratisbonensibus fervide agitata est lis, jam diu pendens, de successione *Saxonico - Meinungensi.* Sic habet: Antonius Ulricus, Dux *Meinungensis & Coburgensis* anno 1713 matrimonium contraxit inæquale cum centurionis Hassiaci filia, atque ex ea complures liberos progenuit. Hos Carolus VI anno 1727 per speciale privilegium ad Principum Imperii dignitatem evexit, protestante Domo Saxonica, præsertim contra capacitatem successionis, quam eis etiam Carolus VII absolute negavit. Mortuo autem illo Dux Antonius Ulricus causam ad Comitia Imperii detulit, quæ hoc anno per Conclusum Comitiale declararunt, Ducis liberos propter imparitatem natalium esse incapaces successionis in Meinungensi & Coburgensi Ducatu, feudis Imperii. Nec aliud pro iis a Carolo VI fuisse obtentum, quam Dignitatem Principum, prout ipsemet 1735 Consilio Aulico propria manu declarasset. Hoc Imperii Conclusum Franciscus I confirmavit, litemque pretiosam finiit. Causa Meinungensis.

In *Consilio Aulico* ventilata est causa *Zwingenbergensis*, superiore jam anno introducta. Imperator illam potestate delegata quibusdam commisit. Petitum, ut Elector Palatinus aliquid æquivalens assignet, quo juri collectandi Nobilitatis Equestris satisfieret. At Elector respondit, emptionem esse talem, cui nihil solidi possit opponi: Göhlerianos hæredes ceu venditores in se recepisse non modo evictionem, sed etiam æquivalens, Nobilitati præstandum pro suo jure. Causa Zwingenberg.

Imperator in numerum Principum retulit Abbatem *Ochsenbusanum* ejusque successores. Kettlerus & Grünius Comitibus accensi. Barones creati Leon, Thavonatus, Wolffius, Pencklerus, qui Cpoli residebat. Königseckius ex linea Rottenfelsensi dictus supremus Aulæ Moderator: Lichtensteinius Viennæ Gubernator. Kuefsteinius Inferioris Austriæ Vicarius. Ochsenhusanus Princeps.

Obiit Sigismundus Rudolphus *Sinzendorffius*, A. V. Eques, Grandis Hispaniæ, supremus Aulæ Moderator, æt. 78; hæredem ex asse scripsit filiam Mariam Annam sub ea causa, ut Prospero agnato nuberet. At illa, relicta pingui hæreditate, Hamiltonem prætulit.

Tandem *Associatio* Circulorum Rhenensium coaluit, accedente tribus reliquis etiam Suevico, contradicente licet Duce Würtembergico, Directore Circuli, cui Gallia 9 *Mompelgardenses* ditiones, hactenus retentas, extradidit. Enituit hic industria & studium pro Associatio.

Domo

Domo Auſtriaca Franciſci Conradi L. B. de Rodt, Præpoſiti, qui legatus Epiſcopi Conſtantienſis Con-Directoris aderat.

Tergeminæ Nuptiæ.

Sponſalia, ſuperiore anno in *Saxonia* contracta, in tergeminum connubium abierunt: primum erat Friderici Chriſtiani, Electoralis Principis, cum Maria Antonia, ſorore Electoris Bavariæ, natu maxima, Archinto Legato Apoſtolico nuptiis benedicente.

Alterum Mariæ Annæ, Regis Poloniæ ſecundogenitæ (nam primam Carolus Rex utriusque Siciliæ jam ante duxerat) cum Maximiliano Joſepho Electore Bavariæ.

Tertium Mariæ Joſephæ, tertiæ ejusdem Regis filiæ, cum *Ludovico* Franciæ *Delphino*. Quanta autem ſolennitate Dresdæ, Monachii, Pariſiis Regales hæ nuptiæ ſint celebratæ, longum fuerit deſcribere.

Ducem *Saxo-Meinungenſem* lis de ſucceſſione ſuorum liberorum anno lapſo exercuit, hoc vero cauſa aliena. Sophia Comes *Solmenſis*, inſcia matre vidua totaque Illuſtri Familia, cum Pfaffenrotho nobili juvene Meinungam profugit, ibique matrimonium cum eo contraxit, ſub protectione Ducis Antonii Ulrici, qui ſponſum Regiminis ſui Conſiliarium aſſumpſit, ſponſam vero, ceu Comitem Imperii, primum in gynæceo locum habere voluit.

Cauſa Gleichenia.

Ferre hoc, pro muliebri ambitione, non poterat Chriſtina, *Gleichenii* rei venatoriæ Præfecti uxor, &, ubicunque poterat, præcurrens Sophiæ locum digniorem præripuit. Quamobrem ei Dux Aula ſua interdixit. At illa, vindictam coquens, famoſos (ut credebatur) in Sophiam libellos ſparſit; & quia maritus complex putabatur, Dux, crematis per carnificem libellis, utrumque conjugem cuſtodia detinuit, ulteriores pœnas, in famoſæ chartæ auctores ſtatutas, comminatus.

At illi, ad tribunal *Cameræ* Imperialis appellantes, duo mandata pœnalia impetrarunt adverſus Ducem, quibus, accepta cautione *de Judicio ſiſti*, jubebatur eos dimittere liberos, cauſæque merita ad legum placita, exactius cognoſcere, delata, ſi refragaretur, Duci Saxo-Gothano executione. Cum autem non pareret, *Gothanæ copiæ* in *Meinungenſem* ditionem irruperunt, Waſunga vi occupata.

Dux, qui Coburgum confugerat, dimiſſis e cuſtodia Gleicheniis conjugibus, querelas ſuas contra eos, Cameram, & Gothanos, ad Comitia Imperii Ratisbonam detulit, fruſtra conatus, iſtos vi armata Waſunga depellere. Varia interim hac de re Comitiis oblata

oblata sunt scripta. Camera vero Duci Gothano, ceu Commissario, duas Præfecturas Meinungenses possidendas addixit, donec Antonius Ulricus sumptus, in executionem impensos, qui ad decem thalerorum millia ascendebant, refudisset.

Hassiacis quoque controversiis scriptisque perstrepebant Comitia, dum Cassellensis urbem & Præfecturam *Braubachiensem* cum arce *Marsburgensi* aliisque locis a Darmstadiano petiit. Quin imo *Koppus* Cassellensis Procancellarius longa Deductione Juris etiam Ducatum *Brabantiæ* Hassiacæ Domui vindicavit, a 400 & ultra annis repetens juris originem, ab Henrico II videlicet, Duce Brabantiæ, qui *filio seniori Brabantiam, juniori* autem, Henrico Infanti, ex quo Hassiæ Landgravii descenderent, *Hassiam & Thuringiam*, ratione matris Thuringicæ debitam, anno 1247 reliquisset. **Cassellensis Brabantiam prætendit.**

Extincta autem anno 1355 seniori masculina Brabantina linea in Joanne III jus succedendi ad juniorem lineam, nempe Hassicam, pertinuisse; sed Ducatum invasum a *Joanna*, ejusdem Joannis filia, & ab ea anno 1404 contra fas institutum hæredem Antonium *Ducem Burgundiæ*, atque a Domo Burgundica ad Austriacam pervenisse, prævalente Familiæ utriusque potentia.

Renuntiasse quidem Bruxellis Henricum Infantem; sed eam renuntiationem non pertinere ad ipsum Ducatum Brabantinum, sed allodialia duntaxat aliqua bona & adquisita. Neque potuisse renuntiare Henricum, qui præjudicare nequiverit juri suorum filiorum, cum illud non ab ipso, sed ex pacto & providentia Majorum a primo adquirente acceperint. Quasi vero omnia bona sint fidei commissa Familiæ.

Ludovico Darmstadiensi Landgravio per Rescriptum Gratiæ concessum est ab Imperatore privilegium *de non appellando.*

Obiit 12 Junii Ernestus Comes *Lichtensteinius*, Archiepiscopus *Salisburgensis*, æt. 58, Regiminis tertio. Electus autem in illius locum est 10 Sept. a Capitulo Ecclesiæ illius Præpositus, Andreas Jacobus Comes *Dietrichsteinius*, 1689 natus: vir cordatus & probus, ac pater pauperum. **Obit Salisb.**

Ad perennem pariter in cælis vitam 31 Jul. transiit Episc. *Brixinensis* Casparus Ignatius Comes *de Künigl*, æt. 75, Reg. 45; successit Canonicorum suffragiis Decanus Leopoldus Maria Josephus *de Spaur*: *Campidonæ* vero Anselmo L. B. *Reichlin* de Maldegg defuncto Principi Abbati Engelbertus L. B. de *Sirgenstein*, absque nova electione, quia Coadjutor jam fuerat electus. Mortalem denique vitam hoc anno clausit Franciscus Schachtelinus Princeps Abbas ad **Brixinensis, Campidon.**

S. Blasii. S. *Blasii*, æt. 77, Reg. 20, suffectus eidem Cœlestinus *Voglerus* Wolffachensis, qui prius Oberriedæ in Brisgovia Prioris munere erat functus.

Verum non tantum in Principes Ecclesiasticos Libitina desæviit, sed Martios etiam heroes, quibus plumbeus grando pepercit, mors prostravit. Hos inter erat Leopoldus Princeps *Dessavius*, Mareschallorum Imperii & Borussiæ antiquissimus, totius Familiæ *Anhaltinæ Senior*, Magdeburgi Gubernator, æt. 71, Reg. 44; successit secundum Jus Primogenituræ introductum Maximilianus filius. Ex eadem Domo lineæ Servestanæ (*Zerbst*) obiit Christianus Augustus, *Mareschallus & Gubernator Stettini.* Ejus *filia Sophia* nupta est Carolo Petro Ulrico Duci Holsatiæ, qui mortua nuper Elisabetha Russorum Imperatrice, Moscoviticum thronum conscendit, sub nomine *Petri Fœderavici*, atque deserto fœdere absque ullo cum Fœderatis suis communicato consilio, cum Borusso privatim tractavit. Uterque Conjux Græcam fidem juravit. Hoc est pretium Belgradi amissi, tot millionum consumptorum, tantique sanguinis propter Russiam profusi.

Obit Leop. Dux Mechlenb. Vitam turbulentam clausit *Carolus Leopoldus Dux Mechlenburgicus*, Sverinensis lineæ, cum Statibus suis Provincialibus primum collisus, tum Administratione privatus, copiis alienis, quia flecti noluit, per tot annos regionem depascentibus. Uxorem duxit Diezensem Frisonis filiam, ea vero repudiata, Catharinam Joannis Zari Moscoviæ filiam, Annæ Imperatricis sororem; ex qua suscepit Catharinam Christinam, throno Russico destinatam, sed Elisabetha, Petri filia, ad eundem evecta, cum Conjuge Antonio Ulrico Principe Beverano & liberis, in spem Imperii natis, reliquum ætatis in custodia transigere debuit, donec anno 1746 obiit.

Successit Carolo Leopoldo, masculis hæredibus destituto, frater *Christianus Ludovicus*, qui jam ab anno 1728 Ducatum Sverinensem pro fratre exauctorato Cæsaris voluntate administraverat.

Art.

Art. LVII.

Pax Aquisgranensis. Protestationes. Princeps de Taxis Commissarius Principalis. Causa Vinariensis. Miles Austriacus perpetuus. Bavariæ prætensio. Causa Pleinsteinia.
Annus 1748.

Hoc tandem anno, quo Galli Trajectum ad Mosam, urbem permunitam ad deditionem compulerant, Præliminaria pacis (Bredæ antea frustra tantatæ) *Aquisgrani* jacta sunt, primum inter Galliam, Angliam & Hollandiam 29 Aprilis. His Præliminaribus amore pacis per Kaunizium accessit Imperatrix & Regina Hung. &c. 25 Maji. Rex Sardiniæ 31 Maji. Hispania & Genua 28 Junii: prout refertur in Supplemento Hübneri 41. c. 3. 75.

Præliminaria autem in eodem summatim ita recensentur.

1. Pax Westph. Neomag. Risvic. Bredana, Ultrajectensis, Badena, Tract. Madritanus, Hagense Fœdus Triplum de anno 1717, Londinense Fœdus Quadruplum de anno 1718, Pax Viennensis de anno 1738, pro fundamento jaciuntur & confirmantur. Præliminaria pacis Aquisgran.

2. Omnia, quæ durante bello in Europa & utraque India tempore belli occupata sunt, restituuntor.

3. Dunkerca, qua parte continentem contingit, munita maneat, ex ea, qua Oceano alluitur, secundum tractatus pristinos.

4. Parma, Placentia, Guastalla, Hispano Principi Philippo cedantur; in casum vero, quo is sine prole mascula decederet, aut ipse vel ejus successores Regnum utriusque Siciliæ, aut Hispaniæ obtinerent, Parma & Guastalla ad Austriacos, Placentia ad Regem Sardiniæ recidant.

5. Dux Mutinensis restituitur in integrum.

6. Prout etiam Genua.

7. Rex Sardiniæ retineat, quæ anno 1743 Regina Hungariæ eidem cessit, videlicet Vigevanum, partem Paviæ, & Comitatum Anghieræ.

8. Rex Angliæ hic includitur.

9. Ut ei ab Hispania solvatur prætensum debitum, Gallia & Hollandia curabunt.

10. Tractatus de Æthiopibus ex Africa in Americam transportandis, (der *Assiento Tractat*) anno 1713 initus inter Hispaniam & Angliam,

Angliam, extenditur ad tot annos, quot Anglia ejus commodis frui non potuit.

11. Regi Angliæ corona de novo confirmatur.

12. Cauſa Palatino-Pleyſteiniana ad univerſalem pacis congreſſum rejicitur.

13. Prout etiam controverſia de Magiſterio Aurei Velleris.

14. Imperator ab omnibus agnoſcitur.

15. Definitio finium Hannoniæ & Abbatiæ S. Huberti ad Congreſſum generalem & Tractatum Definitivum rejicitur.

16. Hoſtilitates terreſtres ceſſent poſt 6 hebdomades, nempe a tempore ſubſcriptionis, maritimæ eo tempore, quo anno 1712.

17. Ei, qui his articulis non accedit, nihil reſtituetur: & eatenus articulus 2 reſtringitur.

18. Ceſſiones & Reſtitutiones, atque introductio Principis Philippi eodem tempore fiant.

19. Sponſio Sanctionis Pragmaticæ de anno 1713 renovatur, excepta Sileſia, & iis, quæ in Italia Principi Philippo ceduntur.

20. De Sileſia & Comitatu Glazenſi Regi Boruſſiæ cavetur.

21. Decernitur amneſtia; & ii, qui huic tractatui accedunt, ſuas terras & bona, fiſco addicta, rurſus conſequentur.

22. & 23. Omnes ad acceſſum huic tractatui invitantur.

24. Ratificationes intra tres ſeptimanas a die ſubſcriptionis commutabuntur.

Actum Aquisgrani 29 *April.* 1748.

Ægre habuit plures Principes, bello implicitos, aliosque, ſe inſciis, in hos articulos fuiſſe conventum, variasque propterea proteſtationes oppoſuerunt. Reginæ Hungariæ doluit, de Sileſia Regi Boruſſiæ fuiſſe cautum, Parmam & Guaſtallam ſibi fuiſſe ereptam. Rex Sardiniæ difficulter inducebatur, ut Ducatu Placentino, & Finarienſi Marchionatu, per tractatum Wormatienſem ſibi addictis, cederet.

Proteſtationes.

Proteſtati ſunt etiam contra hanc conventionem 1. ſummus Pontifex, quod de Parma & Placentia diſponeretur, quæ eſſent feuda Romanæ Eccleſiæ. 2. Eduardus Stuartus, Princeps Walliæ, nomine patris ſui Jacobi III, quod Domus Hannoverana in regno Angliæ ſit confirmata. 3. Domus Auſtriaca & Hiſpana propter Magiſterium Ordinis Aurei Velleris, quod utraque ſibi vendicabat. 4. Domus Condæa ratione Ducatus Monferratenſis, prætenſione deducta

deducta ex tritavia. 5. Domus Boica propter Mirandolam & Concordiam, Mutinensi attributam, ut postea dicetur.

Gallia quidem obtinuit, ut gener Regis tres in Italia Ducatus obtineret, Domui Borbonicæ ea ratione insertos; at totum Belgium Austriacum restituere, & partem Fœderatis, tanto labore totque impensis partum, non adeo facile acciderat. Verum cum triginta quinque Russorum millia Belgio Galliæque imminerent, & Fœderati copias suas plurimum augerent, satius duxit, mediis in victoriis pacem conficere, quam tempora, magis fortassis ardua exspectare.

Post Præliminaria 29 Aprilis composita subsecutus est Definitivus Tractatus 18 Oct. quem, cum a Præliminaribus non abludat Pax. quoad substantiam, necesse non existimo, hic repetere. Mutinensi dominium Arad in Hungaria adjicitur. Tractatum de Nigris Africanis Hispania in favorem Angliæ ad 4 annos prorogat. Causa Pleysteinensis ad Commissarios remittitur. Angliæ Regi etiam de Germanicis suis provinciis cavetur.

Subscripserunt: nomine *Galliæ* Comes de Severin, & du Theil.
Nomine *Angliæ* Sandvich & Robinson.
Austriæ Comes de Kauniz.
Hispaniæ Sottomajor.
Sardiniæ Osorius, & Chavannes
Hollandiæ Bentick, Wassenaer, Hasselaer.
Genuæ Marchio Doria.
Borussiæ Ammon.
Mutinæ Comes Monzonus.

Josephus Wilhelmus Princeps Fürstenbergius amplissimum munus Commissarii Principalis ad Imperii Comitia, quod sub tribus Imperatoribus laudatissime gesserat, abdicavit, illudque Cæsar in Alexandrum Ferdinandum S. R. I. Principem de Thurn & Taxis transtulit, qui illo in hodiernum usque diem magna omnium satisfactione præclare fungitur. Princeps de Taxis Commissarius Principalis.

Delata ad Comitia causa Saxo-Vinariensis in puncto tutelæ Principis Ernesti. Gothanus eam prætendebat ex testamento patris, Coburgensis Saalfeldius ceu proximior agnatus. Ratisbona causa Viennam ad Judicium Aulicum fuit translata. Pronuntiatum pro Coburgensi. Verum cum Rex Borussiæ per Gotterum pro Duce Gothano apud Aulam Cæsaream se misceret, transactio tandem est inita, vi cujus Gothanus Ernesti tutelam gereret, & Isenacum ac Causa Vinariensis.

Jenam solus administraret, Coburgensis vero Ernesti sororum curam susciperet cum Vinariensi administratione.

Tandem industria Cobenzelii Comitis confecta est Unio seu *Fœdus Defensivum* quinque Circulorum, Austriaci, Suevici, Franconici, & utriusque Rhenani, salvis per omnia Imperii juribus.

Miles perpetuus. Quamvis bellum & controversia de successione Austriaca per pacem Füssensem, Dresdensem, & Aquisgranensem fuerit finita, Augustissima tamen Regina exercitus suos non abdicavit, sed voluit, ut stationarius miles 180000 capitum, per regna & provincias hæreditarias divideretur, facta inter illas subsidiorum, quæ ad 16 florenorum milliones excurrerent, partitione: id, quod jam dudum Princeps Eugenius suaserat.

Cum Carolus Comes Bathiani ex Belgio, ubi supremam armorum Præfecturam gesserat, Viennam rediisset, Archiduci Josepho Moderator datus est.

Bavariæ prætensio. Elector Bavariæ, cum Aquisgrani pacificatio ageretur, per Spohnium Legatum suum ratione Mirandolæ & Concordiæ Mutinæ Duci addictorum, protestationem interposuit; quippe eos Ducatus jam anno 1637 ab Imperatore Ferdinando III Bavariæ Electori Maximiliano I fuisse promissos in casum, quo extincta Piccorum Familia Imperio essent aperiendi. Hoc promissum a sequentibus Imperatoribus fuisse confirmatum, nominatim a Carolo VI an. 1726. Quamvis igitur Dux Mutinæ anno 1710 eos florenorum millione emerit, & anno sequente a Josepho Imperatore fuerit investitus, actibus tamen his juri Bavariæ non potuisse derogari, sed cum Domus Piccorum anno 1747 in Francisco Maria exaruerit, promissam Investituram eidem deberi.

Causa Pleinsteinia. Causa *Pleysteinia*, quod dictum supra, in Præliminaribus ad Tractatum Definitivum, in hoc vero ad Commissarios fuit remissa. Illa sic habet: Pleysteinium urbs cum arce & districtu in superiore Palatinatu, ad Comites olim Leuchtenbergenses pertinens, anno 1350 Coronæ Bohemicæ in feudum fuit concessum. Illa autem abdicante, Fridericus IV Elector Palatinus est investitus. Cum vero hujus filius Fridericus V crimen Feloniæ incurreret, Ferdinandus II Imperator Alberto Bavariæ Duci anno 1623 hoc feudum contulit. Albertus anno sequente illud cum consensu Imperatoris Wolfgango Wilhelmo Duci Neoburgico vendidit, qui pro se & masculis suis descendentibus eodem fuit a Cæsare investitus, exclusis tamen hæredibus collateralibus.

Carolus

Carolus Philippus Elector Palatinus anno 1720 apud Carolum VI instabat, ut feudum Pleysteinianum ad Domum Solisbacensem extenderet. At ille anno 1725 Comiti Sinzendorffio, Aulæ suæ Cancellario, infeudationem eventualem contulit. Mortuo dein anno 1742 Electore Palatino, modernus Elector anno 1743 Pleysteinii possessionem cepit. At 1745 prævalentibus in Palatinatu Austriacis Sinzendorffius in illam introductus est. Quapropter hæc controversia tum ad Aulam Cæsaream, tum ad congressum pacis Aquisgranensem deducta, sed ab eo ad Commissarios remissa. Elector inter alia ad pacem Dresdensem se retulit, qua anno 1745 in integrum est restitutus.

Carolus Eugenius Dux Würtembergiæ duxit Elisabetham, Friderici Marchionis Baruthani filiam unicam, quamvis Acatholicam, plaudentibus Lutheranis. Sed non videtur benedixisse cœlum his nuptiis.

Art. LVIII.

Obitus Episcopi Herbipol. & Argent. Elis. Imperatricis Viduæ. Anglus movet negotium electionis Regis Rom. opponit se Borussus. Tractatus subsidiorum Bavariæ. Causa Hohenlöensis, cui se miscet Corpus Evang. invito Cæsare. sensus P. W. Obit Mauritius Saxo. Navigatio Embdana. Obit Hohenzolleranus.

Anno 1749 obiit Anselmus Comes Inglheimius, Episcopus Herbipolensis, tertio anno Regiminis. Ejus in locum electus est Greiffenclavius. 76. Obitus Ep. Herbip.

Secutus est Armandus Gaston de Rohan Princeps Soubisius, Cardinalis & Episcopus Argentinensis, æt. 75, Reg. 45. successit Armandus de Rohan, prioris Agnatus & Coadjutor, pariterque S. R. E. Cardinalis. Ratione duarum Præfecturarum cis Rhenum in Ortenavia, Oberkirch, & Eternheim, est Vasallus Imperii, atque propterea vi pacis Risvicensis & Badensis habet Sessionem & Votum in Imperii Comitiis. Et Argentin.

Finiit quoque vitæ suæ comœdiam famosus Baro Franciscus *Trenckius* in arce Spihlbergensi, Brünæ apud Capucinos sepultus. Gente erat Hungarus, cohorti inconditæ Licanorum, cui omnem præ- Trenck.

prædandi licentiam permiserat, præfectus, atque propter enormes grassationes (qualis erat Chambiana) fundis bonisque, quæ ampla in Hungaria habuisse fertur Fisco addictis, ad perpetuos carceres damnatus.

Annus 1750 non minus ferax erat magnorum funerum; primum erat Joannis Wilhelmi Comitis de Wurmbrand, qui anno 1722 ad fidem Catholicam conversus, ab anno dein 1728 Consilio Aulico magna cum laude præfuit, donec octogenarius pientissime decessit.

Imperatrix vidua.

Wurmbrandio in amplectenda vera Religione dudum antea illustri exemplo præluxerat Elisabetha Christina, jam anno 1707 Bambergæ, abjecto Luthero, Romanis sacris initiata, quibus ad hunc usque annum, quo vitam clausit, quam ad 60 annos perduxit, constantissime adhæsit. Fuit Ludovici Rudolphi Ducis Brunsvico-Welpherbytani, & Christinæ (quæ erat ultimi ex Seniori stirpe Principis Oetingani soror) primogenita filia: Caroli VI Imperatoris conjux, Augustissimæ Imperatricis & Reginæ Nostræ Mater.

Optasset illa haud dubie, Josephum Archiducem Nepotem suum adhuc videre Romanorum Regem; nam præcipuum hoc erat negotium, quod hoc anno agitabatur, a Rege Angliæ comprimis, qui, ut turbæ & pericula, quæ in electionibus Imperatoris suo tempore possent occurrere, hoc consilium suggessit. Placuit Reginæ Matri, nec alieni ab eo erant Electores Moguntinus, Trevir, & Bavarus.

Electioni Rom. Regis se opponit Borussus.

Verum acriter se opposuit Rex Borussiæ; cum enim Cæsareæ Majestates per Comitem de Puebla, suum Berolini Ministrum, pro suffragio se insinuassent, respondit: cum Imperator optima floreat ætate atque valetudine, non apparere necessitatem, aut causas, quæ ad hanc electionem secundum ipsius moderni Imperatoris Capitulationem requirantur, adhæc juxta articulum VIII Pacis Westph. hoc esse totius Imperii negotium. Si contingeret, Imperatorem mori, quæ deinde sors Imperii sub decenni impubere, & sub tutoribus constituto Imperatore? exspectandam proin Majorennitatem Principis, ubi omnia melius ad Constitutiones & dignitatem Imperii possint confici.

In eundem sensum Rex ad Electores scripsit. Bavarus & Hannoveranus Electores rescripserunt: per electionem Romani Regis futuris incommodis ad conservandam quietem Imperii posse obviari; nec tempus ad hoc esse opportunius, quam præsens,

quo

quo tota Europa tranquilla fruatur pace: &, quamvis optandum foret, ut Archidux Josephus ætate esset provectior, nihil tamen in hac florente ætate & sanitate Imperatoris esse periculi. Si autem humanitus quid ei contingeret, satius fore, juvenem Imperatorem, quam nullum habere, cui, si necesse sit, provida tutela succurri posset.

Non adquievit Rex Borussiæ, sed datis ad Moguntinum litteris, ad art. VIII §. III pacis West. potissimum se referens, quæstionem præliminarem, an eligendus sit Rex Romanorum, ab omnibus Imperii Statibus definiendam esse, inquiebat; nec Status unquam huic juri suo renuntiasse, ac proin non posse illos ab Electoribus excludi.

Nota. Memorato §. 3 tractatio de Rege Romanorum, vivente Imperatore eligendo, ad proxima Comitia Imperii remissa est. In iis nihil definiri potuit, Electorum Collegio pro juribus suis pristinis stante, Principibus vero antiquiorum Domuum in partem, quoad quæstionem *An* venire volentibus.

Antiquum Electorum jus privativum expressum est in Capitulatione Mathiæ Imperatoris, in qua art. 24 dicitur, *Electores omni tempore, quoties in subsidium Imperatoris, aut sacro Romano Imperio necessarium vel utile visum fuerit, Romanorum Regem, vivente Imperatore, cum hujus consensu vel sine illo posse eligere.* Qui textus in sequentium Imperatorum electione repetitus est.

Cum dein §. 3 laudato, suggerente Gallia & Suecia, statueretur, ut in proximis Imperii Comitiis ea de re decerneretur, Principum Collegium anno 1653, quando de electione Ferdinandi IV agebatur, & anno 1658 in electione Leopoldi, ejusque Capitulatione concipienda, lis ista acriter movebatur. Sed Electores insistebant juri & formæ veteri.

Anno 1665 de temperamento Viennæ deliberatum, quo Electorum & Principum Collegia conciliarentur. Hoc Archiepiscopus Salisburgensis, Principalis Cæsaris Commissarius, anno 1667 Comitiis Ratisbonæ proposuit. Cautum eo, *ut Electores non facile ad electionem Regis Romanorum vivente Imperatore procederent.* Quod tandem anno 1671 est acceptatum.

Necdum tamen penitus sublata est controversia; nam cum anno 1689 de eligendo Josepho in Regem Romanorum tractaretur, protestantibus licet Principibus, non adesse casum necessitatis, electus est nihilominus a Novemvirali Collegio. Tandem anno 1711 in electione Caroli VI loco formulæ, a tempore Mathiæ Cæsaris usi-

tatæ, memoratum paulo ante temperamentum Capitulationi Cæsareæ fuit insertum; quod deinceps etiam in Capitulatione Caroli VII & Francisci I est observatum.

Tractatus Subsidiorum. Serenissimus Elector Bavariæ Tractatum hoc anno cum Anglia & Hollandia subsidiarium, accedente Imperatrice, per Haslangum Legatum Hannoveræ iniit, his articulis comprehensum.

1. Sit constans amicitia inter partes contrahentes.

2. Anglia & Hollandia tribuent Electori annuatim 40000 Libras Sterlingarum, seu 200000 thaleros Imperiales. Anglia duas tertias, Hollandia unam solvet.

3. Elector vero sex millia peditum parata habebit, submittenda, quando requirentur.

4. Hic tamen miles nunquam contra Imperatorem aut Imperium serviat.

5. Elector negotium de electione Romanorum Regis tam in Comitiis, quam Electorali Collegio promovebit.

6. Si Elector ratione hujus tractatus a quopiam esset impugnandus, Potentiæ Maritimæ illi succurrent, & indemnem præstabunt.

7. Hic Tractatus sex annis subsistat.

8. Instrumenta confirmationis intra quatuor menses Hannoveræ commutabuntur.

Causa Hohenloensis. In hunc quoque annum 1750 incidit celebris *causa Hohenlöensis.* Ampla Domus Hohenlöensis in Franconia, duas principales in stirpes est divisa, *Neuensteiniam*, Lutheranam, & *Waldenburgicam*, quæ, Pfedelbacensi excepto Stamine, circa annum 1667 ad Catholicam Religionem reversa est, atque anno 1744 a Carolo VII ad Principum Dignitatem evecta, Comitatu anno 1757 in Immediatum S. R. I. Principatum cum omnibus Dignitatibus & prærogativis a Francisco I Moderno Imperatore converso.

Stirps utraque in varias lineas est subdivisa; & quidem Waldenburgica in Bartensteiniam, Pfedelbacensem, & Schillingsfürsticam. Mortuo anno 1728 Ludovico Gottfrido Comite Pfedelbacensi, Lutherano, successerunt Comites Catholici, proximi agnati ex stirpe Waldenburgica. Hi nimium Catholici videbantur alteri stirpi Neuensteiniæ, Lutheranæ. Quapropter anno 1740 Bartensteinio 18, Schillingsfürstio vero 29 gravamina objecit, eaque ad Consilium Aulicum detulit.

Man-

Mandarunt dein anno 1744 Waldenburgici Principes, ut Lutherani eorum subditi, ad varia incommoda turbasque evitandas, cum Catholicis pascha celebrarent. At detrectarunt imperium Lutherani, instigantibus Prædicantibus, quorum quinque depositi aut ab officio suspensi sunt. Altius tunc elatus clamor, extortumque anno 1748 a Consilio Aulico Decretum comminatorium executionis, a Directoribus Circuli Franconici faciendæ, nisi gravamina tollerentur.

Principes Hohenlöenses hoc Concluso se graviter læsos questi, scriptum *pro Informatione prævia* inter Legatos Comitiales Ratisbonæ distribuerunt, petito etiam remedio Restitutionis in integrum adversus conclusum. Hæc petitio cum Viennæ locum non inveniret, pro Revisione Cæsari supplicarunt; quæ tandem impetrata est, dilata executione, ad quam Marchio Baruthanus, pro ea vice (nam cum Anspacensi alternat) cum Episcopo Bambergensi Director Circuli, jam stabat accinctus.

Corpus Ev. se miscet.

Pendente autem Revisionis negotio, Protestantes Principes, sub nomine Corporis Evangelici, se miscuerunt, tantoque ardore Comitum causam propugnarunt, ut scriptis ad Cæsarem litteris peterent, executionem illico decerni, ne obligentur, secundum pacis Westph. Sanctionem Comitibus armatam opem ferre. Nec intra minas res stetit, sed 29 Aprilis 1750 statuerunt ad executionem procedere, quam commiserunt Marchioni Onolsbacensi, ad quem vices Directoris Circuli tunc redierant, & Baruthano ceu Duci Circuli, præterito Episcopo Bambergensi, perpetuo Condirectore, imo ipso Imperatore, supremo Judice; & quidem pendente in Judicio Aulico revisione, id, quod Principes Hohenlöenses in Comitiis Ratisbonensibus vehementer questi sunt.

Onolsbacensis igitur, authoritate Corporis Evangelici, quod vocant, armatus, misit primum in ditiones Principum Commissarios, atque ut illis pondus adderet, centum pyrobolarios, qui destitutos Prædicantes restituerunt, & Waldenburgenses Principes ad solvenda executionis debita & alias pœnas condemnarunt.

Invito Cæsare.

Graviter accepit Imperator hunc privatum Protestantium exequendi modum, eumque penitus irritum declaravit, Constitutionibus Imperii, & Cæsareæ Majestati, supremo Judici, præjudiciosum. Revisionem tamen ceu non satis fundatam rejecit, omniaque in pristinum statum restitui voluit, salvo Principibus jure adversus executionem Onolsbacensem, quam tamen Protestantes defendendam susceperunt.

Nota. Quod dicitur de privata & armata ſui tuitione, tanquam in pace Weſtph. fundata, ſecundum arbitrariam Proteſtantium interpretationem dicitur: pax illa loquitur de executione eorum, quæ tunc in pacificatione illa ſtatuta & reſtitui juſſa ſunt, & quidem cum pluribus limitationibus, nullatenus vero de futuris temporibus, quibus lites orirentur; nam quoad iſta omnem vim armatam ſæpius prohibuit, ſub pœna fractæ Pacis, ſed voluit, ut omnia legitimis Judiciis definiantur. De corpore aliquo Evangelico in toto Inſtrumento nulla prorſus fit mentio.

Senſus §. cit.

Hoc eodem anno Carolo Eugenio Duci Würtembergenſi Catholico ex Eliſabetha Baruthana nata eſt filia Friderica, in cujus baptiſmo 36 patrini & patrinæ utriusque Religionis ſunt adhibiti.

Carolus Fridericus Marchio Durlacenſis Italiam ipſamque adeo Romam inviſit; ubique pro Dignitate Perſonæ acceptus.

Obit Mauritius Saxo.

Obiit hoc anno Comes Mauritius de Saxonia, filius naturalis Auguſti II Electoris Saxoniæ & Regis Poloniæ, quem anno 1696 ex Königsmarckia ſuſcepit. A teneris annis militia imbutus, primum in Belgio meruit, dein vero anno 1720 Galliæ ſe addixit, ibique ad ſummos honores Mareſchalli Franciæ, & ſupremi belli Imperatoris, quamvis eſſet Lutheranus, fuit evectus. Grandia Herois iſtius facinora, victorias, urbesque, in Belgio præcipue expugnatas, in decurſu narravimus. In juventute uxorem duxit, quam tamen, facto divortio, a ſe dimiſit, alteri dein nuptam. Obiit Chambordi in arce ſua anno ætatis 54, illud ſupremum elocutus: *Sumus in fine pulchri ſomnii.* Corpus Argentinam ad ſepulchrum deportatum eſt.

Chriſtianus Ludovicus, Dux Mechlenburgicus, Sverinenſis lineæ, fratris Leopoldi, cui ſucceſſerat, exemplo, cum Statu Equeſtri, qui ſemper magis magisque ſe eximere conabatur, colliſus eſt. Cauſa ad Cæſarem fuit delata, petitaque Commiſſio.

Navigatio Embdana.

Rex Boruſſiæ poſſeſſionem Friſiæ Orientalis vix adierat, cum de commerciis & navigatione in Indias cogitare cœpit. Opportunus ad quæſtuoſum hoc negotium viſus urbis Embdenæ portus, ubi Emſa in Dollartum locum ſe effundit, atque Oceano jungitur. Ut autem uberius floreret commercium, Societatem mercatorum hoc anno inſtituit, multis privilegiis ornatam, cum jure, duas quot annis naves mittendi in Chinam. Mirum, quod hic tacuerint vicini, qui adverſus navigationem & Societatem Oſtendanam tam altum clamaverant.

Obiit

Obiit Fridericus Ludovicus Princeps Hohenzolleranus lineæ Hechingensis, Cæsareus *Generalis Campi Mareschallus*, legionis Cataphractæ, & Equitatus Imperialis Præfectus, æt. anno 62; & cum cœlibem vitam duxisset, successit ei patruelis Josephus Wilhelmus Princeps. Obit Hohenzoll.

Carolum Josephum L. B. de Palm, Concommissarium in Comitiis Imperii Cæsar ad Dignitatem Comitis S. R. I. evexit.

Art. LIX.

Post varias lites Fuldensis Abbatia in Episcopatum erigitur. Novum Constantiæ Dicasterium. Templum Dresdense consecratur. Obitu. Geraldi Princ. Murensis: Kollonitsii Card. primi Archiep. Vienn. & Ferdinandeæ viduæ, Regis Sueciæ.

Anno 1751 negotium de eligendo Romanorum Rege tum in Comitiis Imperii per varia oblata scripta, tum in Aulis Electorum & Principum rursus fervide est agitatum. Austriacæ intentioni accesserunt Coloniensis quoque & Saxo, ut adeo solus Brandenburgicus & Palatinus, votum suum negarent; ad quos brevi Coloniensis rediit. 77.

Causa Fuldensis optatum finem accepit. Principalis hæc Abbatia, toto orbe celeberrima, jam anno 744 a S. Bonifacio pro Illustrissimo Ordine S. Benedicti fundata, a Zacharia summo Pontifice anno 751 Sedi Apost. immediate fuit subjecta. Fassi sunt hoc Metropolitanus Moguntinus, & Episcopus Herbipolitanus, sed eam exemptionem ad universum populum & clerum etiam sæcularem extendendam negabant, atque eas terras, quæ cis Fuldam fluvium (qui ad Mundam Brunsvicensem Werræ junctus Visurgim efficit) Hassiæ imminent, Diœcesis esse Moguntinæ, quæ vero trans Fuldam Orientem respiciunt, ad Herbipolensem spectare, contendebant. Abbas vero provincias suas exemptas, nulliusque esse Diœcesis volebat, sibique potestatem quasi-Episcopalem vindicabat. Post varias lites

Anno 1662 inita est *concordia*, qua Moguntinus, qui simul erat Episcopus Herbipolensis, agnoscit Jurisdictionem Abbatis Quasi-Episcopalem in prima Instantia, salvo tamen Jure Metropolitico, & appellationis in secunda Instantia. Eandem Jurisdictionem Quasi-Episcopalem Abbatis in suos subditos agnoscit Moguntinus,

qua Episcopus Herbipolensis, absque jure tamen appellandi ad Herbipolensem. Semper ex gremio eligendus Abbas, factaque electio Moguntino & Herbipolensi significanda &c.

Mortuo Philippo Archiepiscopo Moguntino & Episcopo Herbipolitano, successor Herbipoli Concordia inita stare noluit, sed causam ad Romanam Curiam detulit, in qua anno 1702 eadem invalida fuit declarata, quod Philippus non potuerit jura Ecclesiæ Herbipolensis sine consensu Sedis Apost. abdicare & alienare, neque adfuerit legitima causa, necessitas nempe, aut evidens Ecclesiæ utilitas. Fulda possessionem quadragenariam obtendit: Herbipolis immemorialem requisivit.

Suppl. Hübneri 44.

Anno 1722 inter Herbipolim & Fuldam rursus facta est transactio; quæ tamen & ipsa Romæ non placuit. Tandem vero hoc anno fuit conventum, ut Romæ in id laboraretur, quo Herbipolensi impetraretur usus pallii, cum jure crucem præferendi, Fuldensis vero Abbatia in Cathedralem Ecclesiam & Episcopalem erigeretur. Quod a Benedicto XIV fuit impetratum.

Fuldensis Abbatia in Episcopatum erigitur.

Supererat dein adhuc contentio cum Moguntino, qui jus suum Metropoliticum hac mutatione lædi existimavit. At Pontifex se declaravit, intentionis suæ nunquam fuisse, juri Metropolitano quidquam detrahere: fore proin Fuldensem Episcopum Moguntini suffraganeum, atque a subditis Fuldensibus ad Metropolitam appellari posse, salva exemptione passiva Fuldensi, & subjectione ad Sedem Apostolicam. Consensit etiam in erectionem Episcopatus Imperator, sic tamen, ut novus Episcopus qualitatem Abbatis in Comitiis & aliis Imperii Conventibus retineret.

Obit Princeps Murensis.

In Principali Abbatia Murensi in Helvetia obiit Præsul *Geraldus* Haimb Stühlingensis, ætatis anno 73, 29 Regiminis, Princeps virtute & doctrina excellens, qui gloriosi sui antecessoris insistens vestigiis, ab eo cœpta ad summam perfectionem perduxit. Successit Fridolinus Kopp Rhenofeldensis, Director Cancellariæ, vir eruditissimus, prout demonstrant *Vindiciæ Actorum Murensium*, adversus Marquardum Herrgott, ob præstantem doctrinam orbi litterato notissimum, ex S. Blasii sacra Familia, magnorum semper virorum altrice.

Novum Constantiæ Dicasterium.

Separatæ sunt hoc anno Suevicæ Domus Austriacæ provinciæ ab Oenipontano Regimine, erecto pro illis Constantiæ novo Repræsentationis, & Cameræ Dicasterio, cui Præses datus L. B. de Summeraw. Tribunal istud translatum postea a Constantia Friburgum Brisgoviæ.

Su.

Susceptum quoque negotium determinandi Austriacæ Domus, & Venetæ Reipublicæ limites controversos, Wolckensteinio Comite & Correro Roboretum in hunc finem missis.

Dresdæ a Nuntio Apostolico ritu Catholico consecratum dedicatumque est templum Aulicum, per plures jam annos magnifice constructum, dicente ex Cathedra Regis confessario. Templum Dresdense.

In alteram vitam migravit Sigismundus Comes Kollonitschius, primus Viennensis Archiepiscopus, S. R. E. Cardinalis, anno æt. 74, Princeps, Religionis zelo flagrantissimus. Succeffit ejusdem Coadjutor Joannes Josephus princeps Trautsohnius, de quo nescio, cur scribat continuator Hubneri *Suppl.* 44, Portestantes sibi multa bona promittere. Obit Kollonitsius.

Defuncta quoque est Maria Anna, filia Philippi Comitis Palatini, & Franciscæ Lauenburgicæ, vidua Ferdinandi Ducis Bavariæ, quæ filium suum Clementem hæredem universalem instituit. Et Ferdinandea.

Obiit pariter Fridericus Rex Sueciæ, unde succeffit ei frater natu maximus Wilhelmus in Hassiæ Landgraviatu, quem per plures jam annos nomine fratris administraverat.

Art. LX.

Controversia de Postis Imperialibus, & Provincialibus.

78. Bellum ultimum variis querelis & deliberationibus in Comitiis Imperii materiam & occasionem dedit. Hassiæ Landgravius sæpius fuit conquestus, per cursum Postæ Imperialis juri suo territoriali injuriam damnumque inferri. Idem Brandeburgicus, Hannoveranus, Brunsvicensis querebantur. Unione propterea inter se inita, Postas per suas provincias erexerunt a Gedano usque in Hollandiam.

Multa in hanc rem ex utraque parte scripta sunt edita, de Reservatis Cæsareis & Postarum Regali, atque de Postis Provincialibus ex Jure Territoriali prætensis tractantia.

Illa inter est liber, cujus Titulus *Aquila Gloriosa*, a magni cujusdam Principis Ministro, qui se *Cæsareum Turrianum* appellat, conscriptus, atque Leopoldo Imperatori anno 1694 dedicatus. Profitetur in hoc Auctor, se ex Jure communi, Recessibus Imperii, Actis Publicis, Tractatibus Pacis, Capitulationibus Cæsareis, Electorum ac Principum Mandatis & Edictis defensurum Postarum Regale per totum Romanum Imperium omnesque ejus provincias S. C. Majestati esse reservatum. De Libro Cæsarei Turriani.

Atque imprimis Postarum originem ad Cyrum Persarum Regem & primos Romanos Imperatores refert, qui ad promovendum celerius

celerius faciliusque litterarum commercium equos veredarios & vehicula per intervalla disposuerint: a Friderici IV vero temporibus hoc jus Illustrissimæ Familiæ de Turri Valsassina & Taxis, quæ primum Baronum, dein Comitum, ac denique S. R. I. Principum Dignitate fulget, ab Imperatoribus fuisse collatum, primo quidem tanquam Officium, dein vero a Mathiæ Cæsaris tempore tanquam Feudum Imperii.

Edicta Imp. Exhibet Auctor ad hoc probandum, & demonstrandum, Postarum per Imperium ordinationem pertinere ad *Reservata* Imperatoris, Constitutionem Caroli V de anno 1522, de anno 1542, & anno 1543, (quo hoc munus Leonardo de Taxis contulerit) Ferdinandi I de anno 1561, Rudolphi II de anno 1576 & 77, (quo ad querelas Lamoralii Baronis de Taxis lanionibus, aliisque, prohibuerit, veredarios cursus suscipere, iisque Postarum Regale turbare) addit, cum anno 1579 Principum quidam Postas per Italiam & Belgium ordinare tentasset, id ab eodem Imperatore Rud. II fuisse interdictum, monitumque anno 1595 Tassium, ut Officio suo, ne ab aliis impediatur, aut turbetur, invigilaret.

Mathiam vero Imperatorem, Rudolphi fratrem, bis omnes extraordinarias ejusmodi cursorias vecturas, & Postas Provinciales severe vetuisse, simulque Comiti Tassio Postarum Regale anno 1615 in Feudum Imperiale contulisse: confirmatum anno 1621, a Ferd. II cum Mandatis inhibitoriis, ad urbes, Coloniam, Francofurtum, & Norimbergam, aliosque anno 1624 missis, ne Generali Postarum Imperialium Præfecto ullum obicem ponant, aut damnum inferrent. Eademque Mandata inhibitoria anno 1628, & 35, fuisse renovata.

Ferdinandum III pariter, re cum Electoribus & Principibus collata, anno 1637 ad omnes Imperii Ordines dedisse Mandata, ut extraordinarios cursores veredarios abrogarent, nihilque contra supremum Regale Cæsareum fieri patiantur. Atque hoc Mandatum, nemine contradicente, fuisse acceptum: quin imo anno 1641 Comitiorum. ab electoralibus ad Comitia Legatis ad Imperatorem fuisse rescriptum, Imperiale Postarum Officium quoad totum Imperium jus quæsitum & fundatum habere, idque insertum Recessui Imperii ejusdem anni §. 69 cum Edicto, ut Cæsareum Postarum Regale in sua integritate conservetur, nec quidquam ad ejus diminutionem suscipiatur, aut quacunque via indulgeatur. His conformiter Cæsarem in Ducatu Brunsvicensi & Lüneburgensi ad facilitandum commercium Francofordiam inter

&

& Hamburgum Postarum aliquot stationes collocasse, Duce ipso nullatenus dissentiente.

Sub pacificatione quidem Osnabrugensi Norimbergenses Deputatos Suecis & Statibus inspirare conatos, ut Postarum usum singulis territoriis proprium facerent. At Imperatorem anno 1646 Norimbergenses reprehendisse, ac declarasse, nec eos, nec Status alios in Cæsareo Postarum Regali ullam partem habere, nec commissurum se, ut sibi aut Comiti de Tassis, infeudato Generali Postarum Præfecto hæreditario, ratione Postarum mensura ulla præscribatur. Cum autem Sueci non desisterent, erectionem Postarum P. W. Provincialium urgere, Imperatorem anno 1647 Legatis suis mandasse; ne quidquam in hac re in præjudicium Reservati sui Regalis cederent, operaque Legatorum, Moguntini, Coloniensis, Bavari, aliorumque Statuum accedente, effectum, ut in Instrumento Pacis contra Cæsareum Postarum Regale nihil decerneretur, nec art. VIII, quo Statuum jura recensentur, mentio fieret, sed id duntaxat articulo IX insereretur, *ut immoderata Postarum onera tollantur*, seu, ut litterarum taxa moderamen accipiat, quo usus ipse Postarum sit confirmatus, & jus quoad substantiam agnitum, solumque in moderatione taxæ desideratum remedium.

Post reductam dein pacem, cum in quibusdam, Borealibus præsertim, provinciis, ob belli furores, Postarum cursus fuisset interruptus, Imperatorem anno 1649 ad omnes Electores & Status Imperii dedisse litteras, quibus petierit, ut Comiti de Tassis ejusque Officialibus in suis terris omne præsidium & opem præstent, qua Postarum Directores ibidem stationes collocent, suis privilegiis, exemptionibus, usibus, libere & absque turbatione fruantur, atque Postarum negotium sine impedimento administrare valeant.

His autem mandatis Circulorum, etiam Saxoniæ Inferioris, Status sine contradictione se accommodasse, stationesque cursorias fuisse dispositas Brunsvici, Nienburgi, Zellæ, Lüneburgi, Hannoveræ, Hameliæ, Guelpherbyti, Osterodæ, Mündæ, Göttingæ, Cassellis, eisque Postarum magistros impositos. Nec minus Electores, Saxonicum & Brandenburgicum, promptos se exhibuisse.

Equidem anno 1658 Francofordiæ in electione Leopoldi Imperatoris a Statibus Protestantibus *Monitum* fuisse porrectum, ut Statibus invitis nulli exteri Postarum Præfecti, aliive Officiales obtruderentur, neque a Jurisdictione territoriali, aut communibus oneribus essent exempti; sed Electorale Collegium in Capitulatione Cæsarea nullam illius rationem habendam duxisse, prout ex art. 35 ap-

pareat. Displicuisse id quidem Principibus quibusdam Protestantibus, sed responsum ab aliis, Jus Postarum esse jus Regale Majestatis, soli supremo Imperii Capiti proprium, quod proin sine Cæsaris injuria diminui aut restringi non possit. Collatam ab Imperatoribus Postarum Præfecturam Familiæ de Taffis in feudum Imperiale; sicut igitur Status in feudis suis, a S. C. Majestate acceptis, turbari nolint, sic neque prædictam Familiam in feudo suo turbari oportere, eo minus, quod omnis injuria redundet in Imperatorem, supremum feudi Dominum.

Leopoldum porro Imperatorem, Prædecessorum insistentem vestigiis, anno 1659 Edicto, ad omnes Electores & Principes misso, Postas omnes Provinciales prohibuisse, nemine reclamante, Brandenburgico Electore excepto, cujus Legatis in congressu Luneburgensi Circuli Saxoniæ Inferioris, reliquos ad communem caussam faciendam incitantibus, conceptum sit per Majora conclusum, pro defensione Postarum Provincialium.

Verum Imperatorem, negotio cum Moguntino, Postæ Imperialis Protectore, aliisque Electoribus collato, non destitisse, jus suum Majestaticum tueri, misso etiam ad Principes Saxoniæ Inferioris Comite Gronsfeldio, mandatisque anno 1663, 78, 80, 82, 84, 85. ad Status Imperii directis, quibus a plerisque debitum sit præstitum obsequium.

Assignat regulam.

Ostendit ulterius Auctor, sicut antiquum Romanum Imperium, sic etiam instauratum a Carolo M. Occidentale fuisse plene Monarchicum, sub absoluta dominatione Cæsarum. Quos hodie veneramur Duces, Marchiones, Landgravios, Comites, Officiales fuisse Imperatoris. Additam subin ab ipsis Cæsaribus proprietatem, dominium, jurisdictionem: erecta feuda, concessum bene meritis aut gratia valentibus dominium utile, retentum supremum & directum; donec tandem ad eam, quam hodie cernimus, magnitudinem, auctoritatem, potentiam perventum. Promanasse tamen omnia a Cæsarea Majestate velut radios a sole.

Hoc posito fundamento infert, quidquid non inveniatur ab Imperatoribus Imperii Ordinibus concessum, id censeri reservatum, & velut Majestatis ossibus inhærere, confirmatque ex receptis Juris principiis & præsumptionibus: uti: *olim Dominus etiam hodie Dominus præsumitur. Mutatio non præsumitur. Ex possessione præterita infertur possessio de præsenti. Possessio continuata præsumitur; nam qui semel possessor, semper possessor. Quod stetit, cur stare prohibetur?* consequenter, quidquid Imperatores potestatis a se non abdicarint, aut in membra Im-

Imperii transtulerint, vel eisdem communicarint, id hodiedum tanquam jus Regale ac Majestaticum Reservatum ab eisdem etiamnum possideri.

Atqui non inveniri ullum actum, contractum, concessionem, privilegium, donationem, quibus Imperator supremo ac generali per Imperium Postarum jure se abdicarit, aut illud Ordinibus communicarit; nec Bullam Auream, Pacem Publicam, Westph. Neomagensem, Risvicensem, Badensem, nullam Capitulationem, nullum Recessum, aliamque Constitutionem aut legem Imperii, de hac cessione ullam mentionem facere, sed semper Imperatores hoc suum Regale contra omnes invasiones, cursores extraordinarios & Postas Provinciales defendisse: quin imo Maximilianum II ab omnibus Statibus fuisse rogatum, ut hoc suum Regale tueatur: atque propterea omnes Juris Publici Interpretes (ne quidem Hippolyto a Lapide negare auso) hoc Regale ceu Cæsareum Reservatum agnoscere.

Omnes quippe Jurisconsultos, Publicistas, & Politicos cum Lampadio jura Imperii in tres classes dispescere. 1 In Reservata Imperatori, quorum 20 enumerentur, & inter ea jus Postarum generalium per totum Imperium. 2 In communia Cæsari cum Electoribus. 3 In communicata omnibus Statibus: illos vero, qui Postarum jus inter Cæsarea Reservata collocant, simul tamen Statibus commune faciant, sibi ipsis contradicere.

Adducit autem auctor libri prædicti etiam argumenta, quæ pro Postis Provincialibus a quibusdam scriptoribus afferuntur, videlicet:

1 in statu quidem Monarchico potestatem omnem Postas per totum Imperium pro arbitrio ordinandi penes solos Imperatores stetisse: jam vero, mutatis tantopere rebus, etiam Statibus fas esse easdem per provincias suas erigere.

Quippe 2. Statibus in suo territorio omnia licere, quæ non abdicata aut lege publica adempta inveniantur; ac proin stare in dubio præsumptionem pro Statuum libertate, contra Imperatoris potestatem. Argumenta pro Postis Provincialibus.

3. Ut adeo regula sit, competere Statibus in suo territorio, quidquid competit Cæsari in toto Imperio.

4. Hanc Statuum potestatem fundari in superioritate, & omnimoda jurisdictione territoriali, ipsis concessa.

5. Feuda Statuum esse antiquiora feudo Tassiano, ac proin per istud non potuisse illis derogari, neque enim hanc infeudatio-

nem potuiſſe fieri, niſi ſalvo jure Statuum; atque ante id tempus Jus Poſtarum ab iisdem fuiſſe exercitum.

6. Electores in Comitiis anni 1637 Cæſari ſignificaſſe, Statibus jus in ſuis terris Poſtas diſponendi competere: idque per Receſſum Imperii de anno 1641, per Inſtrumentum item pacis, ſub nomine poſſeſſorum antiquitus Jurium Regalium; per Capitulationem denique Cæſaream art. 35 fuiſſe confirmatum.

7. Domum Auſtriacam in hæreditariis ſuis provinciis (extra Tyrolin & anteriorem Auſtriam) jus Poſtarum exercere per Comitem de Paar. Ergo alios etiam Status in ſuis regionibus id poſſe facere. Idque ex Protocollis quoque Electoralis Collegii conſtare, ex Capitulatione videlicet, anno 1658 concepta.

8. Præſcriptione quoque & conſuetudine immemoriali Status eſſe munitos; quandoquidem jam ante Carolum Magnum, ipſisque adeo Julii Cæſaris temporibus apud Germanos fuiſſe Duces & Comites, cum poteſtate jurisdictionis præpoſitos; idque etiam poſt Carolum M. uſu obſervatum. Reſpondit ad hæc auctor: & quidem

Reſp. auctoris.

Ad 1. Cum Regimen fuerit plene Monarchicum, & Imperator ſit caput ac fons omnis jurisdictionis, quæ in membra Corporis Germanici emanat, qui jus aliquod, mutationem, aut privilegium aliquod prætendit, uti jus Poſtarum, id ei probandum eſſe: quod enim non mutatur, cur ſtare prohibeatur? Unde

Ad 2. ait, cum conſtet, olim omnem poteſtatem fuiſſe penes ſolum Imperatorem, eum eſſe in poſſeſſione ſui juris, donec probetur, quod hoc jus ſuum abdicarit, aut in alios transtulerit.

Ad 3. Falſam eſſe hanc regulam, ſi etiam ad Reſervata Cæſarea ſe extendat, quale ſit jus Poſtarum.

Ad 4. Jus Territoriale ſe non extendere ad Reſervata Cæſarea; alias enim Imperatori nihil amplius reliquum fore.

Ad 5. Per collationem Feudorum & Regalium non eſſe collata Reſervata Cæſareæ Majeſtati. Jus Poſtarum autem, Imperatori competens, antiquius eſſe omnibus feudis, & Jurisdictione Territoriali Statuum.

Ad 6. Talem declarationem Collegium Electorale non dediſſe, ſed id tantum voluiſſe, ut, ubi nullæ ſunt Poſtæ Imperiales, lanionibus & civibus curſum relinqui poſſe; verum mandata Cæſarea mox emanaſſe, ut Poſtarum Regale, ſibi ſuoque Clienti Beneficiario ſartum tectumque relinquatur; atque his mandatis Status

tus obtemperasse, ac anno 1641 declarasse, Comitem de Taxis quoad totum Imperium habere jus quæsitum & fundatum. Neque per Instrumentum pacis huic juri fuisse derogatum.

Ad 7. Domui Austriacæ in provinciis hæreditariis non competere potestatem Postarum ratione juris territorialis, sed ratione specialis privilegii, ab Imperatoribus concessi: quo ipso confirmetur Jus Cæsareum de suo Regali disponendi, illudque pro summo arbitrio vel per se vel per alium exercendi. Ex actis Capitulationis Cæsareæ de anno 1658 aliud non constare, quam Statum quemdam ex jure territoriali Postarum jus voluisse eruere; pleraque autem suffragia pro Regali, Cæsari proprio, stetisse, nemine Electorum contradicente. Non autem attendi oportere unius vel alterius Status desideria, sed quid conclusum fuerit.

Ad 8 ait, eas Germaniæ provincias, quas Romani occupaverant, summa ab Imperatoribus potestate fuisse gubernatas: translata a Romanis ad Francos Germania Galliaque plene Monarchicam fuisse formam Regiminis, Rege omnia gubernante pro arbitrio tum per se ipsum, tum per Duces & Comites (qui justitiam administrabant nomine Imperatorum) Officiarios suos & Ministros, qui non aliam habuerint potestatem, quam ab Imperatoribus accepissent, testante Vadiano *l.* 1 *de Colleg. Monast. in Germ. vet. non suam, inquit, seu propriam, sed publicam regni ditionem administrabant: non sui juris erant Duces & Comites, sed Regum atque Imperatorum Officiarii atque Ministri.* Quamvis autem eorum Officia non essent hæreditaria, cœpisse tamen paulatim Imperatores filios in paternis muneribus confirmare. Erecta subin feuda, Beneficiario seu Clientelari jure possidenda.

Addit, suprema Cæsareæ Majestatis Jura, tanquam intrinseca, coronæ inhærentia, ac personalissima per nullam usucapionem præscribi posse: præsertim ubi, intervenientibus tot Cæsareis mandatis, constitutionibus, & protestationibus, videatur deficere titulus, bona fides, & possessio sit interrupta.

Subjungit idem Auctor Apologiam pro Ludovico ab Hornick contra Emeranum Ackolt, Juris Licentiatum. Scriptum ille ediderat *de Reservato Cæsareæ Majestati Postarum Regali.* Hunc confutare aggressus est Ackoltus, sed Hornickium vindicavit Auctor *Aquilæ Gloriosæ.* Verum in tribus his scriptis nihil admodum diversum ab iis, quæ hactenus relata sunt, occurrit. **Hornick vindicatus.**

Hornickius contendit, Statibus fas non esse Postas erigere. 1. Quod non competant eis Jura Majestatica. 2. Quod observantia

tia circa Postas Cæsari suffragetur. 3. Quod Status ipsi in Comitiis declararint, Postarum Regale soli Cæsareæ Majestati competere, illiusque usum eidem commendarint. 4. Quod sine præjudicio Postæ Imperialis fieri non posset, ut Princeps in suis terris Postas adornaret.

Contra Ackolt. Ackoltus intentionem suam fundat in superioritate Territoriali, Statibus Imperii concesso cum Regalibus. Non tamen negat, Imperatori competere jus Postarum per totum Imperium; sed negat illud esse *privativum*, cum etiam Statibus sit commune in suis territoriis.

Apologista vero Hornickii distinguit inter Regalia, Statibus *Communicata*, & inter ea, quæ Cæsareæ Majestati *privative* sint *Reservata*; & inter hæc etiam Regale Postarum collocat. Denique Diplomata Cæsarea, Constitutiones Imperiales, & Comitiales, aliaque documenta, Postarum negotium concernentia, in extenso adjungit.

Recentior libellus, Anno 1759 Viennæ typis impressum est aliud scriptum, quo non negatur quidem Statibus usus Postarum Provincialium, sed restringitur ad cujusque Status territorium, ita ut ultra illud excurrere non liceat. Simul tamen propugnatur Jus Regale Cæsareum, cum ea differentia, quod Postæ Provinciales intra territorium cujusque Status sint constringendæ, Postis vero Imperialibus per omnes Imperii Provincias liber patere campus debeat.

In utilitate & convenientia se fundat. Atque ad hoc demonstrandum, præter Edicta & Constitutiones Imperiales, Comitiales, Collegiales adducit insignem pro toto Imperio utilitatem, quin & necessitatem, tum ad singularum Imperii provinciarum litterale commercium, tum ad assecurandam cum exteris etiam regnis & nationibus communicationem, & epistolarum per totum Imperium securum trajectum: quod inter tot Provinciales Postas, & tabellarios cursores, a cujusque Provinciæ Domino dependentes, obtineri non possit.

Si enim vel unus Status Postas nollet erigere, vicino vero per suum territorium transitum neget, totum cursum interceptum iri. Et quam confusionem fore, si taxa litteralis tot inter Sratus esset dividenda, quam singuli pro arbitrio possent statuere. Si litteræ deperdantur aut pecuniæ, a quonam ratio exigenda: & quid futurum tempore belli, aut inimicitiæ inter vicinos?

Solos quatuor esse Status, Brandeburgum, Hannoveranum, Guelferbytanum, & Hasso-Cassellanum, qui communione inita, erectisque non modo per suas terras, sed etiam alienas, Postis, Imperia-

perïales Poſtas eliminare, alioſque etiam Status ſollicitare, & in ſocietatem conſilii pertrahere nitantur. Quanta autem inde confuſio, quanta incommoda orirentur, cum everſione Regalis Cæſarei, Auctor libelli prolixius deducit. Plura alia ab utraque parte ſcripta ſunt edita, & querelæ in Comitiis Ratisbonenſibus ſæpe propoſitæ, quæ longum fuerit recenſere.

Hæc ego in hoc eruditionis apparatu non niſi hiſtorice relata velim, quin ullo modo Principum juribus diſcutiendis me immiſceam; quamvis id Juris Publici ſcriptores, præſertim Proteſtantes, paſſim faciant.

Art. LXI.

Alia quædam negotia in Comitiis propoſita.

Præter Poſtarum negotium ultimis hiſce annis curas Imperatoris & Comitiorum exercuerunt res *Monetariæ*. Ad plures Status, præſertim Civitatum, quæ aut cuderunt nummos valore deficientes, aut curſum iis liberum permiſerunt, nec transgreſſores punierunt, Mandata Cæſarea pervenerunt. Francofordienſi ad Mænum civitati executio Directorum Circuli Superioris Rheni a Cæſare eſt intentata. 78. Res Numaria.

De *Menſibus* quoque *Romanis* non una Ratisbonæ contentio, conſentientibus pleriſque Catholicis, ex Proteſtantium quibusdam Mandati defectum excuſantibus, Plotho Legato Brandenburgico, Gemmingio Hannoverano, cum ſociis aperte, non ſine minis, reclamantibus. Verum ad majora Statuum ſuffragia Cæſar ratum habuit concluſum. Menſes Romani.

Aliud Decretum Commiſſoriale Imperator Ratisbonam miſit, quo Ordinibus commendavit cauſam Electoris Colonienſis, qui contra Hannoveranos conqueſtus fuerat, quod Epiſcopatus ſuos occuparint, iisque graviſſima onera imponant, non alia ex cauſa, quam quod Elector Concluſo Imperii & Mandatis Cæſareis obtemperarit. At Hannoverani regerebant, Electorem fuiſſe partem belli, ſuum hoſtem, addictum Gallis; mirum proin non eſſe, quod belli incommoda experiri debeat. Cauſa Colonienſis.

Verum, antequam Clemens Auguſtus, Elector Colonienſis, Dux Bavariæ, Epiſcopatus ſuos reciperet, ex hac vita ad æternam quietem migravit 6 Febr. 1761. Iter in Bavariam fuerat ingreſſus, ſed poſtquam Hermanſteinii ad Electorem Trevirenſem inviſerat, pientiſſime ibidem obiit, anno ætatis 61, Electoratus 37; natus quippe eſt anno 1700. Epiſcopus Monaſterienſis & Paderbornenſis Obit Elector.

anno

anno 1719. Coadjutor Colonienſis 1722. Elector 1723. Epiſcopus Hildeſienſis 1724. Præpoſitus Leodienſis 1725. Epiſcopus Oſnabrugenſis 1728. Supremus Ordinis Teutonici Magiſter 1732. Corpus deportatum Bonnam ac inde Coloniam. Galli vero Bonnæ præſidium imponebant.

Succeſſor.

6 Aprilis electus eſt ad Canonum normam a Capitulo Maximilianus Fridericus Comes *Königseckius*, Rothenfelſenſis lineæ, anno 1708 natus, conſecratus Archiepiſcopus 16 Aug. 1761. Miſſus a Cæſare ad hanc electionem Comes de Pergen. Reliquos Epiſcopatus, quos Clemens Auguſtus viduatos reliquerat, necdum Hannoverani ſinebant ſucceſſore inſtrui.

Carolo Theodoro Electori Palatino natus eſt anno 1761 filius, ingenti totius Aulæ omniumque fidelium ſubditorum gaudio & ſolatio, quin totius Europæ melioris gratulatione. Sed, quæ eſt rerum humanarum volubilis inconſtantia, publicam lætitiam triſtis mox luctus excepit, cum ſæva Libitina florem hunc vix ortum matura nimium, ſi humanas rationes penſemus, falce demeſſuit.

Controverſiæ in Comitiis.

Cum anno 1761 pacis Auguſtæ componendæ conſilium eſſet publicatum, in Comitiis Ratisbonenſibus multiplex erat diſceptatio, an Cæſari plena poteſtas indulgenda, nomine Imperii paciscendi? an Weſtphalica aliæque Pacificationes pro fundamento ſubſternendæ (Proteſtantibus pacem Risvicenſem ob inviſam ſibi Clauſulam excipientibus) an Gravamina, a Boruſſicis in Circulo Inferioris Saxoniæ commerciis illata, in pacificatione proponenda? an & quomodo Boruſſicis conductionibus militum per Imperium, ab aliquibus Imperii Statibus, præſertim a Civitatibus Imperialibus, & quibusdam Status Equeſtris, cum præjudicio vicinorum, nimium facile diſſimulatis aut indultis, obviari poſſit?

Quomodo damna, quibusdam Ordinibus hoc bello illata, ſint compenſanda? quomodo indemnes præſtandi, qui ob Boruſſicam monetam, nimis levem, ſunt læſi? quomodo Cameræ Imperiali ob non ſolutam a Brandeburgicis ratam, ſit ſuccurrendum?

Cæſaris querelæ.

Hæc aliaque Cæſari, cum ad pacificationem deventum fuerit, commendanda, plerique Status, maxime Catholici, cenſebant. Mens Proteſtantium varia. Brandeburgicus, Hannoveranus, Brunſvicenſis, Caſſellanus, belli Socii negabant, pluralitati Votorum, ubi res ſingulorum agitur, deferendum, ſed *itioni in partes* locum eſſe. Pomerania citerior, Culmbacenſis, Würtembergicus, via media incedendum putabant. Darmſtadius, & Sverinenſis abolitionem Clauſulæ Riſvicenſis urgendam. Alii defectum mandati obtendebant.

Quia

Quia autem duo superiora Collegia post *Re- & Correlationem* factam per Majora convenerant, Cæsari pro hac vice, & sine præjudicio in futurum, plenam paciscendi potestatem relinquendam, accessit etiam Civitatum Collegium, atque sic formatum Conclusum, quod Imperator ratum habuit, protestante licet cum aliis Magdeburgensi. Verum totus apparatus ad pacificationem Augustanam corruit.

Imperator vero intellectis, quæ Comitia turbaverant, dissidiis, ad Con-Commissarium Comitem Seidevicium dedit litteras, publice promulgandas, quibus docuit, quantas curas pro pace Augustæ reducenda, & Imperio universim impenderit: relictum arbitrio Ordinum, an quosdam ad Congressum velint deputare, an vero Cæsari pacificationis negotium committere. Per multo majora, etiam Protestantium complurium, suffragia relictam Imperatori plenam tractandi potestatem.

Verum a Comitialibus Legatis, Brandenburgo, Hannoverano, Brunsvicensi, Vinariensi, Eisenacensi, Gothano, Onolsbacensi, Cassellano, Durlacensi, insciis, & reclamantibus Saxonico-Electorali, Würtembergico, Darmstadiensi, Mechlenburgico, Pommerano-Suecico, Votum quoddam privato congressu per *Majora Protestantium* fuisse conceptum, atque tanquam *commune Evangelicorum* oppositum, ut *itio in partes* prætendi posset, tantasque eo prætextu turbas concitatas, ut actum *Re- & Correlationis* abrumpere oportuerit, atque in aliud tempus differri: auditasque Brandenburgici minas, demonstratum iri Catholicis, quid sit *itio in partes &c.*

Conatus istos eo collimasse, ut Status Protestantici a Catholicis separarentur; sed id liquido sibi fuisse solatio, inquit Cæsar, quod de Collegio Electorali Saxonicus, de Principali Pommeranus Citerior, Darmstadius, Sverinensis, Güstroviensis, Würtembergicus, Gottorpiensis, Mompelgardensis, Schwarzburgicus, concepto illi privatim Voto constanter contradixerint, protestatione sua Protocollo inserta, se nolle ullam in eo habere partem, nec esse auditum, tot Protestantibus exclusis, Votum commune Corporis Evangelicorum formari posse. Invitatos quidem postea fuisse Protestantes omnes, ad commune Evangelicorum Votum formandum, sed, quos dixi, legatos constanter protestationi suæ inhæsisse.

Sperare se proin, subjungit Imperator, Principes legatorum suorum commentis & falsis relationibus nullam fidem habituros, eorumque acta, tanquam sine Mandato attentata, improbaturos. Dissidia ob Menses Romanos.

Annus quoque sequens (1762) non sine contentionibus Comitialibus abiit. Petiit Imperator per Principalem suum Commissa-

rium novam pro exercitu Imperiali pecuniæ contributionem, ad 40 mensium Romanorum rationem. Commemorat in litteris, oblatas a Gallis æquas conditiones rejectas ab Anglis, Congressus Augustani spem intercisam, omnia bellum continuandum, novamque expeditionem spectare: ærarium in tot belli sumptus exhaustum; 30, 20, 40 Menses ad quinquennem expeditionem nequaquam suffecisse. Plures provincias auri loco ferrum obvertere; ex fidis alias esse in hostium manibus, alias belli calamitatibus, & hostilibus exactionibus oppressas. Ex reliquis nec dimidiam partem repræsentatam: se ipsum ad duos milliones pro exercitu Imperii ex proprio impendisse, & in dies, ne exercitus ille intercidat, plura addere.

Causæ exigendi.

Vehementer sibi dolere, in sextum jam annum sub armorum pondere patriam gemere, sed bello huic intestino nec a se, nec ab Imperatrice Regina occasionem aut causam datam, plures vero exercitus & immanes sumptus impensos in bonum Imperii, ut vis ab Ordinum cervicibus propulsetur. Idem a Rege Christianissimo pro Imperio esse præstitum. Tantos vero sumptus, tantum sanguinem fusum, tot res fortiter gestas, tantasque spes conceptas, fructu suo destitutum iri, nisi junctis viribus animisque expeditio, ut sperandum, ultima, animose suscipiatur, rerumque agendarum nervo instruatur.

Legati Brand. minæ.

Cum hoc Decretum 11 Junii in Comitiis Ratisbonensibus proponeretur, L. B. de Plotho, Legatus Brandenburgicus, ut pagellæ publicæ, & Relationes Francofordienses memorant, seorsim Moguntino Directoriali Legato insinuavit, dolendum esse, quod de nova Romanorum Mensium concessione agatur, protestationibus suis non attentis: Regem suum cum Russis & Suecis pacem jam confecisse, cum Saxoniæ Electore aliisque belligerantibus actu tractare. Si Status consentiant in novam exactionem, pro nova belli declaratione id eum habiturum, & pace negata in singulos acerbe vindicaturum. Viderent proin, quid sibi faciendum existiment.

Causa Hanoviensis.

Typis prodiit anno 1762 scriptum, cujus titulus & summa: *Deductio Juris, cur Landgravius Hasso-Casselensis se non obstrictum credat Renunciatione, qua post suam ad Catholicam Religionem conversionem anno 1754 Primogenito suo cessit Comitatum Hanoviæ.* Fundat autem suam intentionem in eo, quod successio sibi debeatur ex pacto & providentia Majorum, secundum ordinem Primogenituræ, & Art. 15 Pacis West. quo argumento semper sit usa Domus Casselensis adversus Darmstadianam. Landgravius causam ad Imperatorem & Imperium detulit.

CAPUT

CAPUT II.

Status Italiæ SÆCULO XVIII.

Art. I.

Clemens XI Pontifex edit Bullas Vineam Domini & Unigenitus. *Pacis studia. Eugenius in Italiam. Pugna ad Clarium, Crostollum, Luzzaram. Vendomius Tridentum infestat. Sabaudi transitus. Pedemontii invasio. Pugna ad Cassanum.*

In locum Innocentii XII anno 1700 26 Sept. electus est 23 Nov. Joannes Franciscus *Albanus*, Urbinas, qui nomen Clementis XI assumpsit. Humaniori non minus litteratura, latina & græca, quam Theologiæ ac Jurisprudentiæ peritia excelluit, inter Pontifices, de Ecclesia optime meritos, jure numerandus, Ecclesiasticæ disciplinæ & Immunitatis vindex imperterritus: eloquio potens populum publice docebat: confitentibus in sacro Pœnitentiariæ tribunali aures frequens præbuit, omnibusque zelo virtutis, constantia, vitæque integerrimæ splendore præluxit. 79. Clemens XI.

Jansenistis magna virtute se opposuit, per Constitutionem maxime *Vineam Domini Sabaoth*, qua non externam solummodo obedientiam præcipit, sed internam quoque, atque sinceram: per Bullam insuper *Unigenitus*, toto orbe notissimam, centum & unam Jansenistarum & Quesnellistarum propositiones erroneas profligavit. Verum de ejus Constitutionibus postea plura. Jansen. profligat.

Cum bellum gravissimum ob successionem Hispanicam incumberet, intercessit, operam ad partes conciliandas offerens; nec detrectavit Conciliatorem Leopoldus Cæsar, ea conditione, si Neapolis, Mediolanum, Belgium, sequestro traderentur, donec jure fuisset disceptatum. Inde enim appariturum, an Galli serio pacem cuperent. Verum Ludovicus media hyeme immissis per Alpes legionibus Mediolanum occupavit; atque Investituram Neapolita- 80. Bellum successionis.

nam pro Nepote petiit a Pontifice; quod cum etiam Cæsar faceret, is neutri concessit.

Galli eo argumento sunt usi, Philippum Ducem Andegavensem legitimum Arragoniæ Regem esse, igitur etiam Neapolis: Cæsarei vero, hanc esse feudorum indolem, usu gentium constitutam, ut mares præ fœminis succedant: extincta, Caroli V stirpe mascula, superesse e Ferdinando I stirpem Austriacam masculam, cujus juri quæsito per testamentum præjudicari non potuerit, quoad regnum præsertim clientelare.

De Sabaudiæ Duce in partes trahendo magna inter competitores erat contentio. Prævaluit initio Gallia, gemino oblato connubio. Veneti velut ex orchestra spectabant. Parmensis pariter neutras partes fuit amplexus: Mutinensis accessit Cæsari Mantuanus Gallo, ejusque præsidium in urbem recepit, prout etiam Mirandulanus.

Eugenius in Italiam.

Exeunte Majo 1701 Eugenius Princeps cum octo & viginti armatorum millibus per Tyrolin Roboretum venit, inde vero superatis montibus Veronam in Venetorum fines, ubi exercitus Gallicus sub Catenato, belli Imperatore, in adversa Athesis ripa stetit. Fluvio hoc trajecto Eugenius, Gallos ad Carpos cædit, Athesinque suæ potestatis fecit. Catenato revocato suffectus a Ludovico Villaregius.

Eugenius fugienti hosti insistens, trajecto Mincio, Castilionem Stiverorum occupavit, cum Godofredi castello, Principe in fidem Cæsaris recepto. Villaregius, adductis novis supplementis ex Gallia, transitoque Ollio flumine, pugnæ se accinxit. Commissa ea est ad *Clarium*, ac victoria penes Cæsareanos stetit, haud magno tamen operæ pretio, propter annonæ & pecuniæ inopiam. Subin vero variis procursionibus & velitaribus pugnis feliciter tentatis, captum Ustionum, Burgum forte, Governolum, atque transmisso Pado Guastalla & Luzzara: Brixellum Mutinensis tradidit. Parmensis Romanæ Ecclesiæ clientelam obtendit. Mirandola ultro est tradita. Infelicem vero successum habuit consilium Comanum lacum occupandi.

Pugna ad Clarium.

Anno 1702 pluribus e Nobilitate instantibus multa fuit de expeditione Neapolitana habita deliberatio; jamque Cæsar exulum precibus inclinatus annuerat, ut decem millia ablegarentur; sed Princeps Eugenius ea Longobardiæ, prius expugnandæ, necessaria esse demonstravit; unde ea missio dilata est.

Incidit

Irruptio Cremonenſis. Pugna ad Croſtollum. Ad Luzaram

Incidit in hunc annum *irruptio Cremonenſis* per canalem, quam in Gallicis deſcripſi. Cæſarei, quos Viſcontius ducebat, a Vendomio ad *Croſtollum* acie vincuntur, numero obruti. Mutinenſis Ducatus a victoribus ſubigitur. Sequitur pugna *ad Luzzaram*, cujus victoriam pars utraque ſibi attribuit. Si ex effectu metiaris, vicere Galli; qui mox Luzzaram & Guaſtallam occuparunt, cum Borgo forti, ut adeo, accedente cibariorum & æris penuria, Cæſareani magnas in anguſtias ſint redacti.

Papæ ſtudia pacis.

Contra Clementem Pontificem & Lambergius Cæſaris & Janſonus Fourbonus Ludovici Regis Romæ Orator querebantur, quia pars utraque Pontificem totum habere ſuum volebat, ille vero communem utriusque patrem ſe exhibere. Quin pacis ſtudio Viennam, Pariſios, Madritum Legatos deſtinavi, ut pacem ſuaderent. Renuit Imperator Spadam Legatum admittere, ne fœderatis ſuis, Anglo-Batavis præſertim, ſiniſtra ſuſpicio ingeratur.

Vendom. Tridentum.

Anno 1703 Vendomius, cum Electore Bavariæ ſe conjuncturus, Tridentum usque penetrat, injectisque 500 ollis igniariis, poſtquam intellexerat, Ducem Sabaudiæ ad Fœderatos tranſiiſſe, in Italiam rediit, ibique ad Sechiam Starenbergium, qui Eugenio in Germaniam digreſſo, paucis, quæ ſupererant, copiis erat præfectus, anguſto loco concluſum fruſtra aggreditur. Brixellum tamen fame potius, quam vi hoſtili coactum, ſe dedidit, capto præſidio cum Gubernatore Deventhio.

81. Sabaudi tranſitus.

Rebus Cæſareis in Italia afflictis ſubvenit Victor Amadeus Dux Sabaudiæ, qui, cum Vendomio ſuſpectus eſſet, ut aliquas urbes Gallico præſidio permitteret, poſtulatus, ad Imperatorem & Fœderatos eo pacto tranſiit, ut ſibi Ducatus Montisferrati cum Alexandria & Dertona traderetur, cum auxiliorum viginti millibus, certoque ſtipendiorum numero. Exarmavit Vendomius ejus, quos apud ſe habebat, milites; Dux quantum poterat, vices reddidit, capto, quidquid Gallorum erat in ſuis terris; nec ſegniter novos magno numero conducit milites, Lucernenſis vallis incolas ad arma vocat, auxilia promiſſa exigit. Viſcontius cum equitum turma a Stahrenbergio miſſus, ad *Serravallem* cladem accepit; prout etiam ad Bormidam occubuerunt Solarius & Lichtenſteinius, inſignes Duces. Impedire tamen non poterant Franci, quo minus Germani ſe jungerent Sabaudis.

Stahrenbergio cum copiarum parte *anno* 1704 in Pedemontium ad Ducem digreſſo, vix ultra octo armatorum millia ad Sechiam & Oſtiliam ſunt relicta; quibus præfuit primum quidem Trautmans-

dorffius, tum vero Vaudemontius Princeps (cum Stahrenbergio nuper dictus Mareschallus) qui relicta Sechia, Revera, & Ostilia, febri maligna extinguitur: eique in copiarum imperio succedit Herbersteinius, & huic Leiningius, qui pauculas, quas habebat, copiarum reliquias in Venetorum ditionem & fines Tyrolis reducit, cum Astallius Ferrariæ Gubernator in ditione Pontificia locum negaret.

Copiarum status.

Leiningius Imperatori Höchstadianam victoriam gratulatus rogavit, ut ejusdem fructus in Italiam quoque desertam porrigeretur: dolore se confici, quod se duce copiæ Italia sint dejectæ, copiaque facta Magno Priori (Mediolani Gubernator is Vaudemontio seniori suffectus fuerat) Vendomio fratri magna in Pedemontium auxilia mittendi. Non modicam autem res lapsas restituendi opportunitatem esse: Gallos lue confici, præsidia urbium vix ad portarum custodias & solitas excubias sufficere, vim omnem in Pedemontium aversam. At in tanta militis paucitate absque pecunia confici nihil posse. Describit dein tristem copiarum statum, aitque, veteranas tot palmarum legiones, cibariis, vestibus, equorum pabulis destitutas, inedia, macie, squallore contabescere.

Pedemontium invasum.

Interea autem Galli Mirandolam quoque, quæ unica in Longobardia Germanis supererat, expugnarunt. Nec melior multo in Pedemontio rerum facies. Quippe post Ducis ad Fœderatos transitum Vendomius & Fevillada potissimas vires in illud verterunt, tantaque vi incubuerunt ut Vercellas, Juream, Susam, Augustam Prætoriam, Montmelianum, Nicæam, Villafrancam, ac demum etiam Verrucam & Clavassum, præstantissima munimenta, expugnarent, nihilque Duci superesset ferme, nisi Taurinum; quod ipsum etiam haud dubie cecidisset, si non succurrisset Eugenius cum Germano exercitu.

Pugna ad Cassanum.

Anno 1705 Eugenius cum novo exercitu in Italiam profectus, ad *Cassanum* cum Vendomio, Magno Franciæ Priore conseruit pugnam acrem, de qua pars utraque triumphum cecinit. Tantam tamen cladem passus est Germanus miles, ut intra Venetorum fines reliquo anni tempore fuerit conclusus, ob magnam præsertim rerum omnium penuriam.

Quamvis autem Eugenius in Pedemontium penetrare hoc anno nequiverit, hoc tamen Duci commodum attulit, ut Gallorum magna parte in Longobardiam contra se excita, obsidionem Taurinensem impedierit.

Art.

Art. II.

Pugna Taurinensis. Solutio obsidionis. Italiæ evacuatio. Mantuani infelicitas. Expeditio in Galliam. Neapolitana felicior. Sardinia recepta. Pontifex invasus. Pax. Ira Borbon. Principum Italiæ fata. Lis de Langharum feudis. Causa Mantuana. Cardd.

Anno 1706, antequam Eugenius veniret in castra, Vendomius ad *Calcinatum* Germanos & Danos subito oppressit, magnaque clade affecit. At versa mox alea. Ludovicus Vendomius, excellens belli Imperator, post Ramilianam lanienam in Belgium avocatus, Ducem Aurelianensem successorem in Italia habuit, qui cum Marsinio Legato suo obsidionem Taurinensem ingenti vi auspicatus, jam prope ad deditionem urbem compulerat, cum Eugenius Princeps, milite Cæsareo, Borussico, Palatino, Hasso, Gothano, stipendiisque Anglicis & Hollandicis auctus, cum exercitu accurrit, commissoque acerrimo prælio victor, Gallis in fugam actis, obsidionem solvit. 32. Solvitur obsidio Taurinensis.

Tota propemodum Italia hac victoria vertebatur; nam Sabaudiæ Duci restitutum Pedemontium, adjectusque Monferratensis Ducatus, Casali expugnata. Mediolanum portas aperuit, Novara, Laus Pompeia, Alexandria, Tortona &c. occupatæ: Mantua, Sabioneda, Cremona, Mirandula &c. pacto universalis evacuationis traditæ. Atque sic Gallis uno fortunæ ictu periit sex annorum ingens labor & immanis sumptus; quin amissio utriusque etiam Siciliæ, totiusque Italiæ huic prælio debentur. Effectus victoriæ.

Infelicissimus omnium fuit *Carolus IV Dux Mantuæ*, qui Gallos in urbem receperat, indignationem propterea Cæsaris incurrens. Cum post prælium Taurinense intelligeret, Gallos Mantua demigraturos, Venetias se recepit. Postquam autem accepit, urbem Cæsareanis traditam, & suam uxorem, Ellbovii Principem, ultro cum Vaudemontio in Galliam rediisse, gravem in morbum incidit. Solaturus exulem, Principatu & bonis omnibus exutum, Franciæ ad Venetos Legatus, centum scutatorum millia in annos singulos, ejusque restitutionem inter prima fore pacis capita, Regis sui nomine promisit. At ille paucos intra menses pientissime obiit, adeptus Dux Mantuæ.

ptus

ptus regnum, cujus non erit finis. Cum prole careret, agnati Ducatum sibi vindicabant, sed labore frustraneo.

Expeditio in Galliam.

Anno 1707 post exactos Italia Gallos constitutum Fœderatis Franciam in Francia debellare. Angli Telonem Martium invadendum duxere, post frænatam per Gibraltariam & Portum Mahonis Hispaniam, Gallorum etiam commerciis compedes injecturi. Alienus ab eo consilio fuit Eugenius, expeditionis eventum prospiciens, & oculos suos ad Neapolim & Siciliam defigens. Sed parendum erat sociis, rerum arbitris, atque suscipienda, jam alias infeliciter tentata expeditio, immanibus expensis & laboribus comparata. Quippe Telone frustra oppugnato cum acciso exercitu recedendum fuit in Italiam.

Neapolitana felicior.

Felicior fuit, quam Daunius cum octo duntaxat armatorum millibus susceperat, Neapolitana expeditio, animis gentis jam alias in Austriacos pronis. Occupata primum Capua, tum regni caput Neapolis, denique Cajeta princeps munimentum, vim experiri ausum, expugnata. Facile accessere reliqua. Promota ad Statum Præsidii victoria. Daunius a Cæsare dictus Prorex. Cui postea successit Cardinalis Grimanus Venetus, Imperatori addictus efflictim. Confirmata incolis privilegia. Duces Hispani paulo acerbius habiti, atque in varias custodias abducti.

Sardinia capta.

Anno 1708 cum a sicula expeditione, quam Cæsar optabat, copiarum paucitas absterreret, Sardinia haud magno opere est occupata. In Pedemontio vero Dux per suum & Cæsareum militem Exillas, Castellum Barræ, Sezanam, Sestrieram, Brianfonem, Fenestrellam &c. cepit.

Lis cum Pontifice.

Comaclum.

Incidit in hunc annum, quod non debuerat, aulam inter Romanam & Viennensem dissidium; cui Comaclum maxime (*Comachio*) in Ducatu Ferrariensi duo inter Padi ostia oppidum, aut causam aut occasionem dedit. Cum Ferraria illud in Romanæ Ecclesiæ possessionem transiit. Imperiales autem Jurisconsulti Beneficiario nexu Imperio obnoxium contendebant. Lis minime opportuna tempori, quo de regnis conquirendis agebatur. Certe ipsi Protestantes, cum Cæsare fœderati, improbarunt, novi in Italia jaci belli semina. Initium offensionis a tribus legionibus Cæsareis, in agro Ferrariensi hyberna capientibus. Stativis præfuit Alexander Bonnevallius, jam tum execrandum adeo nomen, ut, si quem malum notare vellent, Bonnevallianæ religionis hominem dicerent.

Is eo progressus est, ut Comaclum cum arcibus circumjacentibus præsidio occuparet. Roma vim opponendam ducens, se armat. Non in Ialia tantummodo, sed & Avenione delectus fiunt. Præficiuntur Galli Duces, Archistratego Marsilio, Brigantii ob Brisaci deditionem ignominia notato. Cæsarei Ferrariam obsident, in Bononiensem, Faventinum, Ravennatensem agrum effunduntur.

Tandem vero Priæo Marchione Romam Legato, in hæc capita pax sancita. 1 Pontificiæ copiæ ultra 5000 ne angeantur. 2 Pro Mutinensi Duce ne quid moveatur. 3 Legiones ex statu Ecclesiastico deducuntor. 4 Quæstores Pontificii cibaria & pabula procuranto. 5 Cæsareis per territorium Romanum Neapolin transitus innoxius ultro citroque permittitor: sed legiones singulæ eunto & redeunto & quidem via brevissima. 6 Padi navigatio libera esto. 7 Structa munimenta diruuntor, nec nova ædificantor. 8 Comaclum interim Cæsar retineto, donec de jure fuerit cognitum in Judicio Imperiali Aulico. 8 Sex legionibus Cæsareis hyberna in ditione Pontificia designantor. 9 Pontifex Carolum Hispaniæ Regem recognoscat. 83. Pax.

Hæc pacificatio Galliam & Hispaniam adeo male habuit, ut Thessæus & Dux Uzeda Legati Roma discesserint, & Nuntio Apost. Aula Madritensi sit interdictum. Sic filii discerpunt patrem. Austriacis fuit nimium Borbonius, Borboniis nimium Austriacus, dum communem se exhibuit patrem. Certe nimium a veritate abhorret insulsum scoma Hübneri, a Breitingero Præcone Tigurino descriptum; auditum fuisse Clementem dicere, non posse se infantem adulterinum cum legitimo sub corde suo gestare. Quis a tanto Pontifice levia adeo verba profecta credat? Hübneri inventum sunt, sicut multa alia de Pontificibus figmenta, & scomata, viro litterato plane indigna. Ira Borboniorum. Hübneri scoma.

Cæsarei hoc anno Principi Sorano ademerunt Principatum Plombinum, in littore Hetrusco situm, bonis etiam Neapolitanis fisco addictis, quod Gallicas partes esset secutus. Idem fatum cum Duce Mirandulano plures alii subierunt. Dux vero Guastallæ, neutras partes secutus, Principatui suo est restitutus, & pro jure suo, in Mantuam prætenso, Bozzolo, & Sabioneda investitus a Cæsare. Dux Parmæ, in bello neuter, jussus Imperiale feudum agnoscere, protestante Pontifice. Per conventionem autem Romanam causa ad juris disquisitionem remissa est. Pars Pontificia non tantum allegavit antiquissimas Donationes, sed possessionem etiam quietam, Principes Italiæ.

multo antiquiorem anno 1545, quo Paulus III Parmam & Placentiam Petro Aloyſio Farneſio in feudum Rom. Eccleſiæ contulerit: faſſum id eſſe Leopoldum Cæſarem cum Conſilio Aulico, litteris anno 1691 14 Dec. & 1697 27 Jul. ad Innocentium XII datis.

Addit ſcriptor Gallus (*Avrignius*) Imperatorem Joſephum, cum Principes Italiæ hyberna negarent, juſſiſſe inquiri in jura Italiæ, eaque reduci ad Imperium, quæ pertinuiſſe olim ad illud deprehenderentur; atque hac ratione Pedemontium, Sabaudiam, Venetias, Genuam, Florentiam, Mutinam, pariter fuiſſe involutas, niſi oſtenderent, cum conſenſu totius Imperii fuiſſe alienatas. Si non valeat multorum ſæculorum præſcriptio, ad Orientis Imperatorum dominatum eſſe redeundum, nec amplius Gallis objici poſſe unionum & reunionum ſyſtema, neminemque amplius eſſe ſecurum. Quærit deinde, an Mediolanum cum conſenſu totius Imperii ad Viſcontios, Sfortios aliosque fuerit translatum.

At Gallus iſte mentem Joſephi Imperatoris non bene inſpexit; non volebat ille Principes Italiæ ſpoliare poſſeſſionibus ſuis, ſed Imperii feuda reſpici, nec univerſim hoc negotium urgebat.

Anno 1709 in Italia plus forenſis quam caſtrenſis belli fuit Cæſari cum Duce Sabaudiæ. Præcipua contentio fuit de *Langbarum* feudis, ab Ottone Magno Marchioni olim Montisferrati collatis, poſtea vero in varios Comitatus, Dynaſtias, Marchionatus diſſectis, vario dominii genere; quod alii Montisferratenſibus Marchionibus, alii Mediolanenſibus Ducibus, alii ſoli Imperatori, alii ſimul Imperio ſe obnoxios dicerent.

Lis de Langharum feudis.

Has terras jam Leopoldus Imp. Sabaudiæ Duci anno 1690 clientelari jure poſſidendas tradiderat, & Joſephus 1706 cum Monferratenſi Ducatu, & Vicariatu Imperii per Italiam. Cum autem aſperius ac more veteri ſe haberi putarent incolæ, querimoniis Aula Viennenſis & Taurinenſis perſonuit.

Cæſar cauſæ cognitores Taurinum mittit, qui publicato Decreto ſolverunt omnes juramento, quo nuper Duci ſe adſtrinxerant, donec cauſa tota diſcuſſa de ſingulorum juribus decerneretur.

Uſſit vehementer Decretum iſtud Ducem, conqueſtum propterea Hagæ Comitis apud Anglo-Batavos, qui tempori pactisque minime illud convenire rati, cauſamque Ducis calide urgentes, Decretum antiquari voluerunt. Litigatio hæc in multos poſtea annos fuit extracta, non ſine indignatione Ducis.

Dau-

Daunius exercitum per Tarantasiam vallem & Mauriennam in Sabaudiam duxit, sed inde in Pedemontium in hyberna rediit, id emolumenti consecutus, ut multa Gallorum millia a Rheno & Catalonia abstraheret. Bellum sterile.

Obierunt hoc anno 4 Cardinales, Cencius Romanus, Astius Rom., Sperellus Spoletanus, & Ludovicus Portocarrerus Hispanus, Archiep. Toletanus, æt. 74, ex Historia successionis Hispanicæ notissimus. Franciscus Maria Medicæus vero, frater Cosmi III Ducis regnantis, purpuram cum Guastallæ Ducis filia commutavit, ut Domus perennitati consuleretur. Sed aliud superis placuit. Franciscus paulo post improlis obiit, & in Cosmi filiis stemma defecit. Quamvis autem plures galeri vacarent, Pontifex duos tantum Cardinales creavit, Gozzadinum Bononiensem, suum Secretarium, & Sanvitalem Parmensem Archiep. Urbinatem. Cardd.

In littore Florentino Plombinum Orbitellum, & Portus S. Stephani & hoc anno manebant in potestate Cæsaris, Portus Longus vero, & Herculis Philippi V.

Venetiis Aloysio Mocenigo mortuo suffectus est Joannes Cornarus, cujus frater est Cardinalis, & filius Reipublicæ Londini Legatus. Non sunt passi Veneti, ut Cardinalis Ottobonus civis suus esset Protector Galliæ.

Anno 1710 bellum in Pedemontanis alpibus plus difficultatis quam emolumenti habuit, Duce ob forenses de Langhis controversias tepescente. Deserenda Sabaudia, Daunio in alpestribus qualecunque bellum, ut Galliæ vires distraherentur, prosequente.

Mota iterum apud Fœderatos causa Mantuana a Guastallæ Duce, agnato proximo, & Venetis, ab Austriaca circumfusa potentia sibi metuentibus. Demortuum Ducem, ajebant, satis pœnarum dedisse, nec criminis Feloniæ insontem Guastallensem eodem supplicio multandum. 84. Causa Mantuana.

Responsum a Legato Cæsareo, Longobardicis & Imperialibus feudorum legibus esse sancitum, non solum Vasallos, Majestatis reos, damnari, sed & agnatorum jus omne Felonia extingui. Nihil igitur juris Gonzagarum Familiæ esse reliquum: ex Imperii insuper more, & Capitulationis Cæsareæ capite 29 proscriptorum Vasallorum bona, vel ad sustentationem Aulæ Cæsareæ, vel alteri bene merito fiduciario jure possidenda, cum Electorum assensu attribui. Quæ autem gens de Imperio melius esset merita, quam Austriaca? aut cui fideliori custodi committeretur hæc Italiæ janua, ne unquam fiat Borbonica? Constare satis, quantum inde mali effusum in terras Au-

 striacas,

ſtriacas, quantum inde bellum retardatum. Remittendum Guaſtallenſem ad Conſilium Imperiale Aulicum, quo cauſa iſta pertineat; ceu proprium ſuum forum.

Cardd. mortui & creati. Sacrum Cardinalium Collegium amiſit hoc anno Marcellum Durazzo, & Vincentium Grimani, ad purpuram promotum commendatione Domus Auſtriacæ, cui gratiam referre toto vitæ tempore eſt conatus, dictus propterea a Cæſare Prorex Neapolitanus, quam Dignitatem proſpera inter & adverſa ad mortem usque retinuit. Succeſſit Carolus Borromæus Mediolanenſis.

Anno 1711 ad vitam meliorem tranſierunt 5 Cardinales, 1. Caprara Bononienſis, 2. Gabrielli Anconitanus, 3. Archinto Mediol. 4. Santacrucius Rom. 5. Tournonius Pedemont. Sinenſis Viſitator. Purpuram vero induerunt, Hannibal Albani, Davia Bonon. Cuſani Mediol. Nuntius Paris. Piazza Nuntius Vien. Zandedani Senen. Nuntius Madrit. Armandus de Rohan Princeps Subiſius Epiſc. Argent. Comes de Schrattenbach Epiſc. Olomuc. d'Acunha Luſit. Priuli Venet. Tolomei Piſtojenſis S. J. Tomaſi Siculus Theatinus. Caſini de Arezo Capucinus. Sanctorum numero adſcripti fuerunt Pius V, Andreas Avellinus, Felix de Cantalicio, Catharina Bononienſis.

Fœderatus exercitus iterum per montes & valles excurrit in Sabaudiam, ut proſpectaret in Galliam; nam ea viſa eminus, in Pedemontium rediit, Bervico inſiſtente. Cæterum Sabaudiæ Duci multa fuit cum Aula Romana de Beneficiis præſertim Eccleſiaſticis, de Jurisdictione &c. contentio.

Art. III.

Italiæ mutatio. Pax Sabaudica. Res Florentinæ & Parmenſes. Bellum Venetum cum Turcis. Mirandola. Corcyra. Alberoni. Prætendens. Res Siciliæ & Sardiniæ. Bellum. Lövvenſtein obit. Cardinales. Clemens XI obit. Succedit Innoc. XIII.

85. Anno 1712 *Portus Herculis* Hiſpanico adhuc tenebatur præſidio; unde illud Zumiungenius Dux Cæſareus expugnat. Inveſtituram Mutinæ, Rhegii, & *Mirandolæ* a Cæſare petit Dux Mutinæ. Obtinet, proteſtante licet Duce *Pico*, ad quem Mirandola ſpectaverat. Contra

tra vero Guaſtallæ Duci negatur. *Ottobonus* Cardinalis Protector Galliæ deligitur, graviter id ferente Republica Venetorum, & in agnatis vindicante, quæ non vult ſuos id genus muneribus publicis occupari.

1713 Genuenſes emerunt a Cæſare portum & ditionem *Finalenſem.* Sabaudiæ Dux, cui hæc emptio non admodum erat grata, coronatus eſt *Rex Siciliæ*, quam pax Ultrajectenſis ei addixerat, invito Papa & Cæſare, illo ut Domino *Directo*, hoc *Utili.*

Pax autem *Ultrajectenſis* Duci Sabaudiæ tribuit Sabaudiam & Nicæam reſtituendam, Pragelas, Exillas, Feneſtrellam, Ulſiæ, Seſanæ, & Bardonachæ Valles, munimentum Delphini, cum Regno Siciliæ. Gallia approbat ceſſionem, a Cæſare Leopoldo anno 1703 factam Sabaudo, videlicet Ducatus Montisferrati, & ex Ducatu Mediolanenſi, Alexandriæ, Valentiæ, regionis Lomellinæ, cum Valle Seſia, & Vigevano. Agnoſcit etiam Gallia ſucceſſionem Domus Sabaudicæ in Hiſpanica Monarchia in caſum, quo Domus Andegavenſis extingueretur. Pax Sabaudica.

Reliqua ſpectant amneſtiam, commerciorum libertatem, jus ædificandi munimenta, vendendi bona, quæ Dux in Gallia poſſidet: captivos, contributiones & confiſcationes tollendas: confirmationem pacis Weſt. Pyrenææ, Neomagenſis, Riſvicenſis, in quantum huic non repugnant.

Princeps Emmanuel, Thomæ Comitis Sueſſionenſis filius, Eugenii Principis nepos, hoc anno duxit Thereſiam, prædivitem Principis Lichtenſteinii filiam.

Obiit Ferdinandus, Coſmi III Magni Hetruriæ Ducis filius, 50 jam annos natus. Conjugem habuit Violantam, Bavariæ Electoris ſororem. Nullos reliquit liberos. Declaravit igitur Coſmus pater, jam ſeptuagenario major, ut poſt mortem ſuam ſuccedat Joannes Gaſto, junior filius, & poſt eum, ſpe liberorum carentem, Maria Anna filia, Joanni Wilhelmo Electori Palatino nupta. 86. Res Florentiæ.

Vincentius Dux Guaſtallæ Inveſtituram Guaſtallæ, Luzaræ, & Sabionedæ a Cæſare obtinuit, non autem Mantuæ.

Porro Princeps Eugenius erat Gubernator Mediolanenſis. Archiepiſcopo Cardinali Archinto ſubrogatus eſt Erba: Borromæo Daunius, Prorex Neapoli.

Anno 1714 Achmetes III Turcarum Imperator Venetis, propter Peloponeſum maxime, bellum indixit. Genua Ducem elegit Juſtinianum. Legati Ducis Sabaudiæ Vienna & Ratisbona dimiſſi ſunt, propter Siciliam, quam Cæſar & Dux ſibi vendicabant.

Sed Dux illius possessionem priore jam anno adierat, tractatui Ultrajectensi innixus, contra quem tamen Cæsar protestabatur.

Et Parmæ. Domui Farnesiæ singularem hoc anno honorem habuit Philippus V Rex Hispaniæ, dum defuncta prima conjuge, Sabaudiæ Ducis filia, sibi copulavit *Elisabetham*, Odoardi II Parmæ Ducis filiam; unde magna in futurum jacta rerum semina. Quippe exspiratura videbatur Medicæa & Farnesia Familia, sola Elisabetha remansura utriusque surculo; nam & filia erat Parmæ & Placentiæ Ducis, & proneptis Margarethæ, Cosmi II Florentiæ Ducis filiæ. Quapropter haud gratum erat Cæsari hoc Elisabethæ cum Philippo V matrimonium; quia haud vane prævidebat, facile posse contingere, ut nobilissimi tres Ducatus (quamvis feuda masculina crederet) ad Domum Borbonicam devolvantur.

Obiit Vincentius Dux Guastallæ octogenarius. Successit filius Antonius Ferdinandus. Philippus Darmstadiensis Princeps regnantis frater renuntiatus a Cæsare Gubernator Mantuæ. Zandedarius a Pontifice Archiepiscopus Senensis, præsentante Cosmo III.

37. Venetorum apparatus. Anno 1715 Turcæ occupata *Morea* Italiæ imminebant. Veneti excitati ad vim repellendam strenue se armabant, conducto exercitu, quadraginta capitum millibus æstimato, quorum 22000 ex sola Germania conscripta narrantur. His copiis Schulenburgium, Teutonici generis Comitem præfecerunt. Nec electionis pœnituit. Rei maritimæ Grimanus præfectus. Insula Corcyra, Italiæ clavis magis munita. Præcipuum adjumentum Cæsar attulit, a Pontifice ad arma Turcis inferenda persuasus. Nec sacris thesauris parcitum, ad periculum a Christianis cervicibus avertendum.

Dux Sabaudiæ amisit Victorem Amadeum filium natu maximum. *Carolus Emmanuel*, Princeps Augustæ Prætoriæ (seu *Aostæ*) nunc appellatus Princeps Pedemontii, prout primogenitus appellari consuevit.

Dux Genuæ Justinianus per electionem successorem habuit Centurionium; qui propter ademptum gladium Cæsareo Officiali Bellico Aulæ Viennensi satisfactionem præstare debuit.

Picus de Mirandola, quia Philippo V adhæserat, Cæsaris gratia excidit, & amisso Ducatu, in Ducem Mutinæ per venditionem translato, factus est stabuli Præfectus apud Regem Hispaniæ, cum pensione annua 36000 aureorum.

Obiit Romæ Cardinalis Bullionius Princeps Turenius, Decanus sacri Collegii, cujus fata alias descripsimus.

Ex

Ex Germanis Cardinalis creatus est Damianus Hugo, Comes Schönbornius, nepos Electoris Moguntini, a Rege Poloniæ præsentatus: ex Gallis Henricus Bussi Episcopus Meldensis, strenuus Bullæ Unigenitus in Gallia propugnator: & cum iis septem Itali: duo Caracciolii Neapolitani, Scottus Mediolanensis, Marinus & Spinola Genuenses, Patricius Romanus, Nazzius Archiep. Nicænus.

Anno 1716 Turcarum triginta millia *Corcyram* aggrediebantur, & extensione in Insulam facta urbem ipsam, bene munitam, oppugnarunt; sed ingenti suorum clade repulsi sunt. Schulemburgius Venetiis, velut olim apud Romanos, ovans belli Imperator fuit exceptus. Corcyra.

Genuæ Centurionio Dux successit Benedictus Viale. Corsis arma adempta propter varias cædes patratas. Löwensteinius, qui Bavariam administraverat, &, cum postea Ratisbonæ Comitiis præesset, S. R. I. Princeps creatus, hoc anno dictus est Gubernator Mediolani, Principe Eugenio Belgis præfecto.

Anno 1717 Veneti instructa gemina classe, cui etiam Pontificiæ & Genuenses naves se adjunxerant, terra marique gemina relata Victoria, adversus Musulmannos impigre bellum prosequebantur, Cæsare in Servia triumphante. At turbavit ulteriores spes optimas *Alberonius*, Sardinia intercepta, ex amico & socio, qualis credebatur, factus hostis, cui soli Turcæ erant debitores. Hanc gratiam retulit summo Pontifici, qui paulo ante eum purpura donaverat; qua sanctius usi sunt Borromæus Mediolanensis, & Zackyus Hungarus, eodem ornati. 88. Alberoni.

Clemens XI ac melior orbis, gravissime tulit hoc prorsus inexspectatum Alberoni facinus, incidentis palmas Pannonicas, & Moreæ amissæ rei. Nec valuit apud eum ulla paterna hortatio, ut male cœptis desisteret. Sed graves sedi Apostolicæ etiam in aliis molestias intulit. Aula quoque Cæsarea minus amicam se erga Pontificem exhibuit, quod suspicaretur, illum ad pellendos Italia Germanos cum Alberonio & Hispanis clam colludere.

Cum post Triplum fœdus *Jacobus III*, Iacobi II Angliæ Regis filius, etiam Avenione deberet excedere, Papa in amplexum exulis explicavit brachia, demonstrans luculente, commune Christianis Romæ esse domicilium, quin & Patrem & patriam, filiis afflictis & desertis ab agnato etiam sanguine, paterne providentem. Is, ut Romæ omnia recto ordine florerent, Falconierium urbi Gubernatorem dedit. Prætendens.

Plus

Turbæ Siculæ. Plus negotii Pontifici fuit cum novo, quod Victor Amadeus Rex constituerat, Tribunali *Siciliæ*. Hoc Ecclesiasticas etiam causas ad se trahebat, & Clerici, opponentes exceptionem fori declinatoriam, aut Romam appellantes, exilio plectebantur. Idem patiebantur, qui Pontifici obsequentes Interdictum ab eo latum observarunt. At anno sequenti Sicilia ad alios transiit.

Sardinia autem jam hoc anno, expugnata Calari, urbe principe, a Marchione Ledeo, Hispanorum Ductore, fuit occupata, Rubyo Prorege Cæsareo in Corsicam profugiente.

Anno 1718 *Passoravici* cum Turcis pax fuit conclusa, qua illis Morea fuit relicta, Venetis autem loca quædam in Dalmatia & Albania cessa sunt; prout in Hungaricis memoratum.

Et bellum. Hispani 30000 armatorum sub Ledeo Marchione in *Siciliam* effundunt, & plerasque urbes qua vi, qua ditione Maffeo, Sabaudiæ Ducis Proregi, resistendo impari, eripiunt. Castagneta vero cum navali exercitu Insulam aggreditur. Sed *Bingius* Anglicæ classi præfectus, adjunctis sibi sex Cæsarianorum millibus, gemino navali prælio victos Hispanos penitus dissipavit, capto etiam Castagneta Archithalasso, lethaliter saucio. Nihilominus tamen Ledeus in continente Siciliæ, (quam Dux Sabaudiæ in manus Imperatoris consignaverat) bellum prosequebatur, Messina quoque in ditionem Hispaniæ redacta. Duo tunc erant in Sicilia Proreges, Cæsareus nempe Dux de Monteleone, & Marchio de Leede Hispanus. Quamvis autem quadruplo fœdere sancitum sit, ut Sabaudus loco Siciliæ Sardiniam obtineat, Hispanus tamen istam hoc anno retinuit.

Interea vero Cæsareæ copiæ, finito bello Turcico, magno numero per Italiam Siciliam versus tendebant, non sine relictis itineris sui vestigiis.

Löwenstein. Obiit Maximilianus Carolus Princeps *Löwensteinius*, Mediolani Gubernator; cujus familia ex Friderico I Electore Palatino, legitimo quidem, impari tamen thoro descendit. Bavariam decennio administraverat: Principalis dein Ratisbonæ ad Comitia Imperii Commissarius, Mediolani denique Gubernator vitam, magna in Cæsares fide, transactam finiit. Successit ei Comes *Coloredo*.

Cosmus III Dux Hetruriæ 78 ætatis anno & 50 Regiminis aspicere debuit, de suo Ducatu per Fœdus Quadruplum, exclusa etiam filia, disponi, & alienos milites in eo velut pro arbitrio dominari. Protestatus propterea per Legatum Viennæ, Parisiis, Londini.

Anno

Anno 1719 Cæsareæ copiæ in Siciliam penetrarunt, Ductore *Mercio*, Anglicis navibus vectæ, ibique Messinam cum arce tandem expugnarunt, non tamen sine multorum capitum impendio.

Neapolis hoc anno tres habuit Proreges: 1. Daunium, qui eam dignitatem abdicavit. 2. Gallaschium, qui Cæsareus ante fuerat Romæ Orator; cui brevi mortuo successit Comes Schrattenbachius, Olomucensis in Moravia Episcopus. Neapolitanis bellum non erat, apparatum tamen ad Siciliam Hispanis extorquendam præbere oportuit.

Obierunt Cardinalis Casinus Aretinus, ex sacro Cappucinorum Ordine 1712 assumptus, Acciaiolius Adduanus, & Spinola: novi vero creati, Gevreus & Mayllius Galli: Georgius Spinola Genuensis, qui fuerat Nuntius Viennæ: Bentivolius Ferrariensis, Nuntius Parisiis: Bossu de Alsatia Archiepiscopus Mechliniensis: Belluga Hispanus: Comes de Althan Germanus: Peyrera Lusitanus: Salernus Neapolitanus S. J. commendante Rege Poloniæ. Cardinalis autem *de Judice* a partibus Hispanis ad Cæsareas transiit, recepitque, quæ in regno Neapolitano amiserat. Multis etiam Hispanis, qui partes Austriacas secuti fuerant, sedes in eodem regno aut etiam Viennæ sunt assignatæ; sicut Italis, Borboniæ Domui adhærentibus, in Hispania. **Cardinales.**

Anno 1720 numerus Cardinalium ad 70 ascendit. Obierunt autem Priulus, Casonus, & Tremollius, Gallicus Romæ Orator, priore primum anno Archiepiscopus Cameracensis renuntiatus. Eorum vero loco tres alii purpuram receperunt: Barberinus Venetus, Episcopus Brixiensis, Borgia Hispanus ex Gandia, Archiepiscopus Toletanus, Cienfuegus S. J. Hispanus, qui singulari apud Cæsarem gratia pollebat.

Cardinalem *Alberonium*, ex Hispania ad Genuenses profugum, Pontifex ad dicendam causam Romam citavit. Sed contumax comparere recusavit. **Alberoni.**

Jacobo III Sobieskya genuit hoc anno *Carolum Eduardum*, in spem Anglicæ coronæ natum. Nec defuit Pontificis, Hispaniæ, & Cardinalium liberalitas. **Stuart.**

Hispani ex *Sicilia* recesserunt. Cæsari, tanquam Regi Siciliæ, Panormi præstitum homagium. Dux de Monteleone, Neapolitanus ex Domo Pignatellia, dictus Prorex. Ad continendos Siculos retenti in regno 16000 milites. **Sicilia.**

Sardiniam pariter, inito tractatu, cui Mercius, Ledeus, Bingius subscripserunt, Hispani deferebant, eamque Octavius de Medicis nomine Cæsaris Sabaudico Proregi tradidit.

Mocenigus Provisor Dalmatiæ finium regundorum opus hoc anno cum Turcis absolvit: atque redeunti Constantinopoli Ruzzino Legato, subrogatus a Venetis est Emo. Qui Cardinali Ottobono omnia bona, ob Protectoratum Galliæ ablata, restituerunt.

Anno 1721 pientissime, ut vixerat, obiit *Clemens XI* Pontifex Maximus, genere Albanus, patria Urbinas, plenus dierum & meritorum, ætatis anno 71, Pontificatus 21, prudentia, fide, morum gravitate, zelo, cura pastorali, vitæ innocentia & integritate multo clarissimus. Jansenianam hæresin per Constitutionem *Vineam Domini*, Quesnellianam per Bullam *Unigenitus* profligavit. Jura Ecclesiæ strenue defendit, difficillimis sane temporibus. 67 Cardinales elegit, virtute & doctrina conspicuos.

Obit Clem. XI.

Rege exule recepto, causa Aurelianensi æquissimo arbitrio composita, pace inter filios, de coronis certantes, conciliata, paterna sollicitudine in omnem partem exporrecta, calamitatibus temporum magno animo toleratis, æternam sui reliquit memoriam.

Multas edidit Constitutiones; quas sequenti parte referam. Bullam autem *Unigenitus* cum Observationibus hic interserendam putavi.

Art. IV.

Bulla Unigenitus *seu Propositiones* 101 *per Constitutionem Unigenitus a Clemente XI profligatæ Anno* 1713.

89. Unigenitum Dei filium nos admonuisse, inquit Pontifex, ut attenderemus a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrentur Magistri illi mendaces, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautis subrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & se se Divinæ legis velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, sacrarum scripturarum verbis, quæ multipliciter in suam aliorumque perniciem depravent, nequiter abutantur, antiqui videlicet,

cet, a quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo ac magisterio edocti, nullam omnino esse expeditiorem ad fallendum viam, quam, ut, ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His se Divinis monitis instructum, pergit Pontifex, ubi accepisset, librum quemdam Gallico idiomate olim impressum, & in plures tomos distributum sub titulo: *Le Nouveau Testament en Francois avec des reflexions morales sur chaque verset &c. a Paris* 1699. Aliter vero: *Abrege de la morale de l'Evangelie, des Actes des Apotres, des Epitres de S. Paul; des Epitres Canoniques, & de l'Apocalypse*, ou: *Pensees chretiennes sur le texte de ses livres sacrez &c. a Paris* 1693 & 1694, tametsi alias a se damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen, tanquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, ac Christi fidelium manibus passim obtrudi, quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut contagium transeat de gente in gentem.

Versutis hujusmodi seductionibus atque fallaciis creditum sibi gregem in viam perditionis sensim abduci summopere se dolere, ait. Quapropter se pastoralis non minus curæ stimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium, præsertim Galliæ, Episcoporum litteris ac precibus excitatum, gliscenti morbo validiore aliquo remedio obviam ire decrevisse.

Cum autem summa libri hujus pernicies ideo potissimum invalescat, quod ea intus lateat, & velut improba sanies non nisi secto ulcere foras erumpat, cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat, nihil propterea opportunius salubriusque, quam si fallax libri doctrina, generatim solummodo antea indicata, pluribus singillatim excerptis propositionibus, distinctius & apertius explicaretur, atque universis Christi Fidelibus zizaniorum semina, e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponerentur, Episcopis & Christianissimo in primis Rege, cujus eximius in tuenda fidei Catholicæ puritate, extirpandisque erroribus zelus laudari non satis possit, id flagitantibus.

Hinc extractas summa fide propositiones, a compluribus in sacra Theologia Magistris, pluribusque Cardinalibus, accurate discussas, coram ipso dein etiam summo Pontifice quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis congregationibus ex-

expendi & examinari Papa mandavit. Hujusmodi autem propositiones sunt sequentes.

Propositio I.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit; nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.

Reflexio. Sensus est clarus: nihil post amissam gratiam (utique *sanctificantem*) remanet animæ nisi peccatum, & impotentia ad omne opus bonum. Ergo amittit & fidem, & spem, earumque habitus. Tridentinum autem dicit anathema, si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti. Ergo amittit etiam characterem sacramentalem. Ergo definit esse sacerdos, imo & Christianus. Et sic confirmabitur articulus 30 Joannis Huss: *Nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali &c.*

Sequitur ulterius, peccatorem post amissam gratiam sanctificantem ad pœnitentiam & justitiam redire non posse: quia in eo generalis est impotentia ad omne opus bonum. Sequitur denique, inutiliter a Deo in sacris scripturis præcipi pœnitentiam, operationem salutis, orationem, aliosque actus bonos moraliter, imo etiam supernaturales, quod dici non potest; licet enim homo in statu peccati mortalis non possit elicere actus meritorios vitæ æternæ, potest tamen elicere actus supernaturales, uti fidei, spei, contritionis. Alias enim nunquam amplius posset justificari.

Denique in homine post peccatum remanet ratio, libertas, cognitio Dei, capacitas recipiendi gratiam, fides in Christum, spes remissionis peccatorum per sacramentum pœnitentiæ, gratiæ actuales, quæ facienti quod est in se non denegantur. An hæc sint peccata? An non sunt dona Dei? An non remanent gratiæ externæ, exhortationes, sanctorum exempla, orationes?

Rursus, si in peccatore datur *generalis impotentia ad omne opus bonum*, non tenetur actiones suas referre ad Deum, Deum diligere, ejusdem præceptis obsequi, aut ullas obligationes muneris sui præstare. Imo peccator omni naturali, Divina, humana obligatione absolvetur. Denique hæc est prima propositio Jansenii damnata, videlicet, aliqua Dei præcepta hominibus esse impossibilia.

Heu quam enormes sequelæ ex hac prima Quesnelli propositione! quam falsæ! quam scandalosæ! quam hæreticæ! nam Trid. *Sess.*

Sess. 6 can. 7 ait: *si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, esse peccata &c. anathema sit.*

Propositio 2.

Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

Reflexio. Etiam hæc propositio coincidit cum prima Janseniana, quia ait, sine gratia efficaci nihil fieri posse; adeoque eliminatur omnis gratia mere sufficiens, quia omnis gratia semper esset efficax, seu obtinens effectum. Non posset igitur homo elicere actum virtutis, etiam præceptum, quem omittit, nec vitare peccatum, quod committit; quia non habet gratiam efficacem. Excusabilis ergo esset omnis peccator. Verum quidem est, quod sine gratia efficaci nemo operetur bonum, ad salutem conducens, sed falsum est, quod non possit; habet enim potentiam operandi, &, si uteretur hac potentia, gratia esset efficax.

Propositio 3.

In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.

Reflexio. Sensus est: vana & inutilia sunt præcepta Dei, si per gratiam efficacem non dat, quod præcipit. Eliminatur igitur rursus gratia sufficiens, & arguitur Deus a Quesnello imprudentiæ & injustitiæ, quod imponat nobis præcepta vana, quæ observare nullatenus possumus. Quoties enim ea non observamus, toties secundum Quesnellum observare illa non possumus, ex defectu scilicet gratiæ efficacis, quæ, ut ait, non tantum ad actualem operationem, sed etiam potentiam operationis simpliciter est necessaria.

Dissiliat penna blasphema! Deus non in vanum seu inutiliter vel imprudenter imponit præcepta. Serviunt ad finem, a Deo intentum, nempe ad manifestandam ejus misericordiam, bonitatem, liberalitatem, clementiam, si observentur, ad justitiam vero vindicativam, si non observentur. Nam ex culpa & perversa voluntate hominis non observantur: Deus dat gratias sufficientes ad observationem præceptorum, & quidem cum seria voluntate omnes salvandi, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Sibi imputet homo, si sit servus nequam, virgo fatua, si sit rebel-

lis lumini, ſi Spiritui Sancto reſiſtat, ſi ſtanti ad oſtium & pulſanti non aperiat, ſi vocanti non reſpondeat, ſi opera miſericordiæ non exerceat, ſi ficulnea infructuoſa exſcindatur & in ignem mittatur, ſi Betſaidæ ingratæ & refractariæ væ intentetur: ſi fiat anathema, qui non amat D. N. J. Chriſtum.

Propoſitio 4.

Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

Reflexio. Senſus re ipſa eſt, præcepta tunc tantum impleri poſſe, cum implentur, non autem tunc, quando violantur. Unde hæc propoſitio incidit in priores; nullam dari a Deo gratiam, niſi efficacem; conſequenter, peccatores nullam habere gratiam, qua obſervatio mandatorum ipſis fiat poſſibilis, omnesque reprehenſiones & adhortationes, ad peccatores in S. Scriptura directas, eſſe meras ludificationes; ad quas profecto ſequelas horrendas piæ menti ambæ aures tinniant. Accedit, quod propoſitio aſſerat omnia poſſibilia fieri per actualem operationem, cum tamen hæc præſupponat poſſibilitatem per gratiam etiam prævenientem.

Propoſitio 5.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

Reflexio. Loquitur Queſnellus rurſus de gratia *efficace*; neque enim aliam agnoſcit. Et ſic per ſe patet virulenta ejusdem ſanies. Quid? exempla Chriſti, prædicationes, exhortationes, præcepta, oratio, paſſio, mors, inſtituta ab eo ſacramenta, aliæque gratiæ exteriores, iis, qui non ſunt converſi, ad nihil inſervierunt, inſerviuntque, niſi ad illos magis obdurandos? os blaſphemum: ſi ita eſt, peccator neque concionem accedet, nec exhortationes audiet, neque Miſſæ ſacrificio aſſiſtet, nec orabit, ne magis obduretur.

Propoſitio 6.

Diſcrimen inter fœdus Judaicum & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia, in iſto vero Deus dat peccatori, quod jubet, illum ſua gratia ſpurificando.

Re-

Reflexio. Falsum est, quod Deus in fœdere veteri peccatores reliquerit in sua impotentia. Erat David peccator; an Deus eum reliquit? an filius, qui secutus est patrem peccantem, non etiam sequi potuisset pœnitentem? Si Deus reliquit peccatorem in sua impotentia, absque omni auxilio, etiam sufficiente, quomodo ab eo exigere potuit fugam peccati, & implementum legis. Tyranni est, Quesnelle, exigere, quod est impossibile.

In isto vero Deus dat peccatori, quod jubet: id est, omni peccatori dat gratiam, vel efficacem vel sufficientem, non autem determinate efficacem, præter quam tu omnem negas. Si omnes haberent gratiam efficacem, omnes converterentur; non autem omnes convertuntur: ergo aliqui, imo plurimi habent gratiam mere sufficientem.

Propositio 7.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus eum reliquit propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? quæ vero felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo nobis Deus dat, quod petit a nobis?

Reflexio. Propositio hæc consonat priori. Amplior est Divina providentia, amorque erga naturam rationalem, quam ad vitam æternam condidit, atque redimere ab æterno statuit, quam ut eam infirmitati suæ relinquat, imponendo ipsi legem, quam servare non possit. Aliud loquuntur sacræ scripturæ veteris etiam testamenti, aliud sanctorum veteris quoque legis exempla. Quantum ad novun fœdus spectat, an Deus omnibus dat gratiam efficacem ad faciendum id, quod a nobis petit?

Propositio 8.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus novæ ipsius gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

Reflexio. Antiquam nobis cantilenam, aliis aliisque verbis fucatam, occinit Quesnellus, ad exterminandam gratiam sufficientem, & statuendam solam efficacem, cum cooperatione nostra conjunctam. An infans baptizatus non pertinet ad novum, id est, Christianum fœdus? At ille non habet gratiam actualem, utpote consistentem in illustrationibus intellectus, & bonis inspirationibus voluntatis. Et loquendo etiam de adultis, an omnes adulti, in quibus gratia non operatur, quod nobis Deus præcipit, non pertinent ad hoc novum fœdus? non sunt Christiani? non sunt membra Ecclesiæ? peregrinum sane est hoc idioma. Quamdiu in homine manet habitus fidei, tam-

tamdiu manet Christianus, atque ad fœdus novum, id est, Ecclesiam Christi pertinet: habitus autem fidei non extinguitur, nisi per formalem hæresin, aut peccatum grave contra fidem.

Propositio 9.

Gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri nunquam possumus, & cum qua nunquam illum negamus.

Reflexio. Sensus obvius & naturalis est: *omnis gratia est Christi gratia suprema, semperque efficax.* Nam propositiones indefinitæ in materia dogmatica sunt universales, prout etiam definitiones, qualem hic Quesnellus nobis vult proponere, & hinc rursus excludit gratiam sufficientem, negatque peccantibus omnem gratiam.

Propositio 10.

Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

Reflexio. Si omnis gratia est operatio, si nihil hanc operationem impedire potest, ubi libertas? ubi gratia sufficiens? cur S. Stephanus Judæis exprobravit: *vos semper Spiritui Sancto resistitis?* cur Dominus conqueritur de vinea, de ficulnea? cur dicit: *vocavi, & renuistis; curavimus Babylonem, non est sanata: extendi manus ad populum non credentem & contradicentem?* Si omnis gratia esset operatio, nemo peccaret. Cur Tridentinum *sess. 6 can.* 4 anathema dicit illi, qui dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum & excitatum non posse dissentire. Si Deus vellet agere tanquam omnipotens & absolutus Dominus, utique semper sequeretur operatio; at supposita concessione libertatis hominem non cogit, neque necessitat. Habet tamen in thesauris suis tot gratias congruas, ut, salva etiam libertate voluntates humanas semper posset ad bonum flectere.

Propositio 11.

Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet.

Reflexio. Recoquit Quesnellus antiquam crambem, perpetuoque contendit eliminare gratiam sufficientem, & libertatem, seu cooperationem liberam hominis, omnesque actus bonos vult esse necessarios homini, aut impossibiles; quod est ipsum pus Jansenii, & Calvini. S. Augustinus vero *lib. de gratia Christi cap.* 14 in illa ver-

verba, *omnis, qui didicit, venit ad me*, scribit: *quis non videt, & venire quemquam ad Patrem, & non venire, ex arbitrio pendere voluntatis?*

Errat denique Quesnellus etiam in eo, quod gratiam nihil aliud esse velit, quam voluntatem Dei, cum tamen sit donum Dei, in anima receptum, adeoque a voluntate Dei distinctum, nempe illustratio intellectus, & pia inspiratio & excitatio voluntatis humanæ. Hi autem sunt actus hominis, menti humanæ a Deo inditi, non autem sunt ipse Deus, aut voluntas Dei, quæ est ipse Deus.

Propositio 12.

Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco; effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

Reflexio. Falsum hoc; nam Deus vult omnes animas salvari, ut innumeris locis testatur Sacra Scriptura. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret; nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Ipse enim est propitiatio pro peccatis totius mundi: illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Nolo mortem impii, inquit, sed ut convertatur & vivat: convertimini, convertimini, ingeminat: quid potui vineæ meæ facere, & non feci? quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.

An tam patheticæ expressiones non sunt satis manifesta signa voluntatis Divinæ salvandi omnes. Quare ergo plurimi non salvantur? quia noluerunt: quia fuerunt rebelles lumini: quia restiterunt Spiritui Sancto: quia dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Deus dat omnibus sufficientia gratiarum auxilia, & quidem cum optima intentione salutis, quibus possent, si vellent, cooperari, & salutem consequi; quod non cooperentur, non stat per Deum, sed per voluntatem hominis refractariam.

Ex his patet venenum impiæ & scandalosæ propositionis Quesnellianæ, quod omnes salventur, quos Deus vult salvari, consequenter innumeros, qui non salvantur, non velit salvari. *Videantur, quæ de hac re scripsi in Theologia Jansenistica cap.* 8 & 9.

Propositio. 13.

Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

Reflexio. Eſt idem Sirenis cantus, ad abjiciendam ſalutis curam intentus, omniaque ſorti prædeſtinationis relinquenda. Sequitur enim, eos, qui non ſalvantur, interiori gratiæ manu non fuiſſe tactos, adeoque ſalutem ipſis fuiſſe impoſſibilem; quod eſt contra omnes ſcripturas, contra finem creationis, incarnationis, redemptionis, contra ſanctitatem, miſericordiam, bonitatem, ſuavem providentiam Dei, imo & contra juſtitiam; quomodo enim juſtiſſimus Deus ad ignes æternos damnare poterit innumeros homines, quibus abſolute fuit impoſſibile, ſalutem operari; cum ſine gratia, & quidem ſupernaturali, nullum opus ſalutare, ſeu ad æternam vitam conducens, præſtari poſſit, talis autem gratia (proxima & remota) ipſis defuerit, nec medium ullum habuerit, eam conſequendi. Neſcio ſane, quem Deum ſibi fingant Calviniſtæ eorumque progenies, Janſeniſtæ & Queſnelliani. Si boni eſtis, ſentite de Domino in bonitate.

Propoſitio 14.

Quantumcunque remotus a ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe eidem videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

Reflexio. Oportet, id eſt, neceſſe eſt. Ubi ergo libertas? Cain, Pharao, Judas, latro blaſphemans in cruce, obſtinati peccatores, Deus ſe vobis videndum præbuit lumine ſuæ gratiæ; cur neceſſitati non paruiſtis? Utinam omnes, quos Deus gratia ſua viſitat, ita promptum exhiberent obſequium, nemo damnaretur; quia omnibus lumen gratiæ affulget. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan.* 1.

Sed videte vafritiem hominis verſipellis! utitur voce æquivoca *oportet*, quæ & decentiam ſignificat, & neceſſitatem. Ipſe vero hanc intelligit, ut ex toto ejus ſyſtemate manifeſte conſtat; adeoque & libertatem & gratiam ſufficientem captioſa ſua propoſitione tollit, ad exemplum Magiſtri ſui Janſenii.

Propoſitio 15.

Quando Deus mandatum ſuum & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

Re-

Reflexio. Bono animo estote peccatores! dormite in utramque urem. Si veniat illa gratia, evigilabitis certo, & obedientiam ræstabitis: si non veniat, actum est de vobis, quidquid conemi-i. Nihil ergo vobis superest, nisi, ut curam salutis abjiciatis, & byssum Divinorum judiciorum exspectetis in vestris sceleribus. candalosa doctrina! secundæ Jansenii propositioni damnatæ con-ormis: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Uterque xcludit gratiam sufficientem, solamque agnoscit necessitantem; ua si quis careat, impossibile est salutem operari: ita novelli hi Magistri in Israel. Nos autem Catholici tenemus, nullum esse ho-minem, cui non detur gratia, saltem sufficiens, remote vel proxi-ne; multos autem homines vitio suo gratiæ non obedire.

Propositio 16.

Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resi-stit omnipotenti.

Reflexio. Utinam hoc verum esset! sed tristis experientia mon-strat contrarium. Heu! quot miseri mortales, quibus non deest gratia, cedunt illecebris carnis, illecebris oculorum, & superbiæ vitæ. Canit Quesnellus identidem, mutatis aliquantum vocibus, antiquum melos de gratia sua necessitante. Nos fatemur, nullum esse hominem, ita obduratum, quem Deus non possit convertere, dando gratias illi tam fortes, atque in tam opportunis circumstan-tiis, ut, licet illis posset resistere, non tamen sit restiturus. Et sic salvatur Divina omnipotentia in corda hominum, simulque liber-tas humana, quam Deo ad merendum placuit concedere.

Propositio 17.

Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Christum Jesum. Quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus est doctus a patre.

Reflexio. Mirum sane, homines istos, qui Christiano, imo & Ca-tholico nomine, gloriantur, adeo in Deum O. M. esse impios, ut non crudelem tantum eum nobis repræsentent, sed peccata etiam hu-mani generis, & obstinationem in malo eidem tribuant, defectui nempe Divinæ gratiæ interioris: *nullatenus est doctus a Patre,* inquit hic homuncio; cum tamen, sacra testante pagina, illuminet om-nem hominem venientem in hunc mundum. Ipse tu Quesnelle suffi-

 cienter

cienter doceris a Patre, & illuminaris; sed es rebellis lumini, & omnibus viribus contendis, verbo Dei, Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum, ac Theologorum unanimi doctrinæ, contradicere, atque innumeris hominibus omnem viam ad salutem æternam, ad quam tamen conditi sunt, intercludere, dum omne gratiæ auxilium interius, sine quo tamen ad illam non possunt pertingere, pervicaciter eis negas: contra vero prædestinatos gratia necessitante, & hoc ipso tollente libertatem arbitrii, instruis. Mi bone! hæc non es doctus a Patre cælesti, sed ab alio.

Propositio 18.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

Reflexio. Semen verbi omnibus spargitur, etiam tibi Quesnelle, sed tibi non affert fructum suum, quia culpa tua illud suffocas, & frontem obduratam obtendis veritati, quæ docet, semen verbi Dei, quamvis irrigatum gratia cælesti, vitio agri non semper afferre fructum suum.

Propositio 19.

Gratia Dei nihil est aliud, quam ejus omnipotens voluntas. Hæc est idea, quam ipse Deus nobis tradit in omnibus suis scripturis.

Reflexio. Nova prorsus gratiæ definitio! novum dogma! novusque error, & quidem duplex! voluntas Dei est ipse Deus; neque enim in Deo datur quid distinctum a Deo. An gratia actualis, animæ humanæ a Deo inserta, est ipse Deus? Voluntas Dei est æterna & immutabilis, una & simplicissima, gratia est donum Dei, productum in tempore, multiplex, ac transiens; aliud est causa, aliud effectus: nihil est causa sui ipsius: voluntas Dei est causa, gratia effectus. Voluit Deus mundum condere; an propterea mundus est voluntas Dei? vel, ut alia Quesnelliana gratiæ definitione utar, gratia est irrigatio seminis; an autem aqua irrigans nihil aliud est, ac voluntas irrigantis?

Falsissimum est secundo, quod Deus hanc ideam gratiæ nobis tradat in Sacris Scripturis. Tertius error, isque gravissimus est, quod etiam hic Quesnellus conetur solam gratiam necessitantem adstruere.

Propositio 20.

Vera gratiæ idea est, quod Deus vult, sibi a nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

Reflexio. Nova sane & paradoxa rursus idea gratiæ, omnibus hactenus bonis Theologis incognita, certe falsissima, temeraria & scandalosa, imo innovans omnes Jansenii hæreses. Nam secundum hanc ideam, qui præceptis Divinis non obediunt, nullam accipiunt gratiam, nullum salutis remedium: ergo servare præcepta ipsis est impossibile: ergo præcipit Deus impossibilia: Deus pro eis non est mortuus, & tamen demerentur, faciendo id, quod non possunt non facere: contra vero qui obediunt, necessario obediunt: ergo nulla datur libertas indifferentiæ: & tamen merentur; ergo ad merendum & demerendum non requiritur libertas a necessitate. Quot hæresum monstra, toties profligata!

Propositio 21.

Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis filium suum.

Reflexio. Propositio Quesnelli in materia dogmatica est iterum universalis, *omnis gratia* est suprema, invincibilis. Igitur excludit omnem gratiam sufficientem, distinctam ab efficaci, quæ juxta eum est necessitans, ut proin plurimis actus salutaris sit absolute impossibilis, aliquibus vero necessarius. Utrumque est error in fide, damnatus in Jansenio.

Propositio 22.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

Reflexio. Pulchra enim vero concordia gratiæ necessitantis cum libero voluntatis consensu! quid tam contrarium libertati, quam absoluta necessitas? & quid tam contrarium necessitati, quam libertas? calorem & frigus, nigrum & album, dulce & amarum facilius componas. Verum est, gratiam gratuitum omnino esse donum Dei, sicut Incarnatio est gratuitum donum Dei; sed liberum est homini, hæc dona ad fructum applicare, ut adeo, qui non applicat per bonam operationem, id sibi imputare debeat, nullatenus vero Deo, qui omnibus sua dona, ad salutem necessaria offert.

Propositio 23.

Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nibilo producit, & mortuis vitam reddit.

Reflexio. Chorda eadem semper oberrat exoticus hic vitilitigator, ad exterendam gratiam sufficientem, & libertatem hominis, gratiam vero necessitantem inducendam. Ita enim re ipsa, fucatis licet verbis argumentatur: sicut homo non potest resistere sui productioni ex nihilo, aut mortuus restitutioni vitæ, sic homo non potest resistere operationi gratiæ. Deinde, si hæc est vera idea operationis gratiæ, homo nunquam cooperatur gratiæ, sicut non cooperatur sui creationi, aut mortuus sui resuscitationi ad vitam; sed solus Deus omnia agit. Ubi ergo libertas? ubi actus virtutis? ubi meritum aut demeritum?

Propositio 24.

Justa idea, quam centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus, solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

Reflexio. Si Deus animas sanaret solo motu suæ voluntatis, omnes sanarentur; nam habet seriam voluntatem sanandi & salvandi omnes. Experimur autem mortales, quod Deus motu suæ voluntatis solo non omnia vulnera nostra sanet, sed requirat cooperationem voluntatis nostræ sæpe difficilem. Quanta enim pars adhuc nobis relinquitur, ut superemus cupiditatem, generi nostro congenitam, ad cooperationem nostræ voluntatis cum voluntate Divina, quanta lucta, quantum certamen, quanta difficultas nobis supersunt, in vincendis tentationibus, carnis illecebris, præceptis Divinis observandis, aliisque virtutum actibus non raro arduis exercendis.

Expertus est Apostolus, qui ingenue fatetur, datum sibi stimulum carnis, se tamen bonum certamen certasse, amplius omnibus laborasse. Addit autem, *non ego, sed gratia Dei mecum:* & alibi: *unusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem; Dei enim adjutores sumus.* Piget plura addere contra fabulatorem in re manifesta, contra mentem & propriam experientiam loquentem, nisi frænum contra vitia plene laxaverit.

Pro-

Propositio 25.

Deus illuminat animam & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate, jubet, & ipsi obtemperatur.

Reflexio. Eandem exorbitantem revolvit orbitam Quesnellus, contra verbum Dei, Ecclesiæ definitiones, Patrum doctrinam, & propriam cujusque manifestam experientiam. Bene habet peccatores! indormiscite! nihil agite: Deus sola sua voluntate facit omnia; jubet, & ipsi obtemperatur, quin voluntas humana cooperetur; imo obtemperat necessario, quin aliquid agat; quia Deus sola sua voluntate operatur omnia. Vah! monstra doctrinæ!

Propositio 26.

Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.

Reflexio. Quomodo ergo homo pervenire potest ad ipsam fidem, si nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem? certe ad fidem supernaturalem prærequiritur gratia. Semipelagianum est dicere, nullam prærequiri gratiam ad fidem: & Tridentinum intorquet anathema, si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere posse, sicut oportet. Deinde sequitur, quod infideles nullam accipiant gratiam, quia fidem non habent, neque gratiam disponentem ad fidem. Ad quid ergo exprobrationes, toties in S. Scriptura iteratæ contra incredulos? si ante fidem nullum habuerunt gratiæ adjutorium, impossibile ipsis fuit credere, sicut oportet.

Propositio 27.

Fides est prima gratia & fons omnium aliarum.

Reflexio. Eandem prorsus rotam versat excentricam. Prima gratia, quod dictum, datur a Deo ad ipsam fidem, tanquam dispositio ad illam eliciendam. Infideles accipiunt gratiam sufficientem, licet non habeant fidem. Ergo fides non est prima gratia, sed prima est, quæ disponit ad fidem. Est equidem fides initium salutis, fundamentum & radix omnis justificationis; sed hoc intelligendum est de initio *salutari*, seu meritorio vitæ æternæ. Præcedit tamen gratia illustrationis, & sanctæ inspirationis, supernaturalis quidem, sed non meritoria.

Pro-

Propoſitio 28.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

Reflexio. Quomodo hæc concordant? in propoſitione proxima dictum eſt, quod fides univerſaliter ſit prima gratia: in hac autem, quod prima ſit peccatori (quales omnes in mundum intramus) ſit peccatorum remiſſio. At non eſt prima fides peccatorum remiſſio, ſed in homine poſt baptiſmum lapſo prima gratia eſt, quæ datur ad fidem, ſecunda ipſa fides, tertia contritio & deteſtatio peccati cum propoſito non peccandi de cætero, quarta confeſſio ſalutaris vel actus perfectæ charitatis, quinta demum remiſſio peccatorum.

Propoſitio 29.

Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.

Reflexio. Quomodo ergo pervenire poſſunt ad Eccleſiam Infideles, atque ad veram fidem? An per vires naturæ? at hoc Pelagianum eſt dicere. Dein quomodo obſervare poſſunt jus naturæ, ſi nullum accipiant a Deo adjutorium gratiæ, quod ſecundum Quesnellum abſolute eſt neceſſarium ad ſervanda Dei præcepta? quomodo evitare poſſunt peccata, ſi ad ea evitanda nullum accipiant gratiæ auxilium?

Propoſitio 30.

Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

Reflexio. Hic error jam ſæpius a nobis fuit confutatus. Eſt autem hoc Janſenii & Quesnelli ſyſtema: voluit Deus omnes homines & Angelos ſalvare ante lapſum, deditque eis gratias ſufficientes ad perſeverandum in juſtitia originali, ſi voluiſſent gratiis cooperari, iisdem auxiliis etiam gaviſi fuiſſent poſteri, ſi Adam non peccaſſet. At eo lapſo, omne auxilium mere ſufficiens ſublatum eſt. Pauci ad ſalutem ſunt electi, pro quibus ſolis Chriſtus eſt mortuus, quosque ſolos vult ſalvari, reliquis omnibus in maſſa damnationis, ſine omni gratia atque ſalutis remedio, derelictis. Electis autem, ſeu prædeſtinatis dantur non niſi gratiæ efficaces, quibus reſiſtere non poſſunt. Hinc inferunt, omnes ſalvari, quos Deus vult ſalvari, quia eos, qui non ſunt prædeſtinati, non vult ſalvari. En puris virulenti compendium.

Catholica autem veritas eſt, quod Deus etiam poſt lapſum Adæ omnes & ſingulos homines velit ſalvare voluntate, *antecedente* peccata,

peccata, voluntate autem *consequente*, seu consequenter ad peccata, & finalem impœnitentiam velit sceleratos pœna æterna per justitiam vindicativam plectere: sicut Princeps terrenus vult, ut omnes subditi leges servent, & felices vivant, consequenter autem ad crimina vult facinorosos morte punire.

Voluntas porro illa antecedens salvandi omnes est seria, & *affective* efficax, imo etiam aliquo modo *effective*; nam ex hoc omnes salvandi desiderio propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est, crucifixus, & mortuus: pro omnibus pretiosum suum sanguinem fudit, pro omnibus sacramenta, salutis fontes, instituit; omnibus dat gratias & media salutis sufficientia, & quidem ea intentione optima, ut iis utantur, & cooperentur ad salutem. Reliquit tamen voluntatem liberam, his mediis utendi vel abutendi, cum voluntate, consequenter ad peccata sceleratos & impœnitentes damnandi.

Propositio 31.

Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

Reflexio. Eandem Quesnellus rotam versat, atque Christum sua desideria ad solos prædestinatos direxisse; quod sæpius jam est confutatum. Plenæ sunt Sacræ Scripturæ energicis expressionibus, quibus Christus Jesus enixum suum desiderium salvandi omnes nobis manifestat. Quam efflictim desiderabat congregare filios refractarios Jerusalem! venit pastor ille bonus quærere perditam oviculam: venit, quærere & salvum facere, quod perierat: atqui totum humanum genus perierat. Quod autem Christi desideria sæpe suo destituantur effectu, nimium quantum demonstrat tristis experientia. Impium plane est, dicere, quod Christus non omnium animarum salutem optet, atque desideret.

Propositio 32.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris.

Reflexio. Non tantum electos, sed omnes, etiam eos, qui ex culpa sua sunt reprobi. Meretur igitur Quesnellus censuram, quam Magistri ejus propositio quinta, dum scripsit: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Propositio 33.

Proh! quantum oportet rebus terrenis & sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Reflexio. Lupus hic se vestimentis ovium vult contegere, ut eo certius mactet, & perdat. Sed vel ex cauda propendente dignoscitur. Amorem & mortem Christi solis electis, imo solis, qui terrenis rebus & sibimet ipsis renuntiarunt, appropriat, quasi ad alios mors Christi nihil pertineat. Certe Paulum dilexit, antequam rebus terrenis & sibimet ipsi renuntiavit. Mundum, in maligno positum, sic Deus dilexit, ut filium suum unigenitum daret. Et Christus non venit vocare justos, sed peccatores. Matthæum, Zachæum, Magdalenam, Latronem in cruce, Saulum cogita, persequentem Ecclesiam.

Propositio 34.

Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

Reflexio. Conditus fuerat Adamus ad finem supernaturalem, cælestem videlicet beatitudinem; unde Deus media ad hunc finem proportionata eidem suppeditavit, gratias nempe supernaturales; dependenter ab his gratiis elicuit actus supernaturales, meritorios & conducentes ad supernaturalem beatitudinem, donec propter lapsum privatus fuit justitia originali, gratia nimirum sanctificante, dono immortalitatis, immunitate a rebellione concupiscentiæ. Falsum ergo omnino, gratiam Adami non produxisse nisi merita humana. An Pelagium hic fortassis aliquem olfacimus? an solis viribus naturæ Adamus merita posuit? an gratia Dei nihil egit? an merita humana seu naturalia sufficiebant ad finem supernaturalem creationis?

Propositio 35.

Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ.

Reflexio. Hic enim vero Pelagius factore suo se prodit. Gratia, quæ debetur naturæ, seu sequela creationis, est gratia Pelagiana, certe non est supernaturalis; imo non est gratia; nam gratia est donum gratuitum, quod autem debetur naturæ, non est gratuitum. An ergo Adamus conditus est in statu puræ naturæ? &, licet Quesnelius addat, naturæ *sanæ & integræ;* nam nec huic Deus debet

gratiam,

gratiam, sed bonitati suæ, elevanti hominem ad finem supernaturalem. Et hinc propositio ista jam damnata fuit in hac 21 Bajana: *elevatio naturæ humanæ ad participationem naturæ Divinæ debita erat integritati naturæ humanæ.*

Propositio 36.

Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

Reflexio. Certum est, omnem gratiam, quæ hominibus confertur, aut unquam collata est, conferri ex meritis Christi; unde merito dicitur *gratia Christi.* Sed quod illa recipiatur in Christo, non autem in nobis, falsissimum. Sive enim loquamur de gratia *habituali* seu sanctificante, definitum fuit a Tridentino *Sess.* 6 *Can.* 11, illam per Spiritum S. diffundi in cordibus nostris, nobisque inhærere, contra Calvinum, qui dixit, nos formaliter justos fieri per justitiam, qua Deus ipse justus est, quatenus ea nobis imputatur.

Si autem Quesnellus velit, quod gratia *actualis* non recipiatur, nisi in persona Christi, cui nos uniti sumus, iterum graviter hallucinatur; nam non sumus uniti Christo, nisi moraliter, gratiæ autem physice nobis uniuntur. Deinde infideles & peccatores nullam reciperent gratiam, quia Christo non sunt uniti.

Propositio 37.

Gratia Adami sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata: gratia Christi nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens, & digna filio Dei.

Reflexio. Paulo ante Quesnellus dixerat, gratiam Adami fuisse naturæ debitam, adeoque ordinis naturalis; quomodo autem talis potuit Adamum sanctificare? Erat illi *proportionata*, hoc est, ipsius naturæ debita; gratia Christiana est *omnipotens*, id est, juxta Quesnellum, resisti ei non potest. Confundit gratiam habitualem & actualem, ut non satis dignoscas, utram intelligat. Sanctificare est effectus formalis gratiæ habitualis; dum autem ait, esse omnipotentem, videtur loqui de actuali.

Propofitio 38.

Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia liberatoris.

Reflexio. Ego alias oſtendi, (*Part. VIII de Theol. Janſ.*) poſſe actum liberum, moraliter bonum, elici absque gratia ſupernaturali liberatoris: & tales actus naturaliter honeſtos exercitos etiam fuiſſe a gentilibus, quos teſte S. Aug. Deus Græcis & Romanis etiam remuneratus ſit præmio naturali ac terreno, uti potentia & divitiis. Mereri non poteſt peccator præmium ſupernaturale; ſed quod ad nihil ſit liber, niſi ad malum, ſine temeritate dici non poteſt. Poteſt, quod dixi, operari naturaliter honeſte; ut nihil dicam de actibus indifferentibus, quodque multi principium illud, *facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, intelligant de faciente per vires naturæ.

Propofitio 39.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

Propofitio 40.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

Reflexio. Propoſitio hæc utraque idem melos inſonat, videlicet, ſine gratia Chriſti ſupernaturali hominem nihil poſſe, niſi peccare, eum in omni opere peccare, nihil naturaliter honeſtum, cum adjutorio gratiæ ordinis naturalis, poſſe peragi. Peccare filium, ſi ex naturali motivo amet parentem; peccare eum, qui ex naturali charitate & commiſeratione erga pauperem, dat ei eleemoſynam; omnes virtutes morales gentilium, qui fidem non habent, eſſe mera peccata: imo omnes homines, qui gratiam efficacem non habent (quam ſolam Quesnellus admittit) neceſſario in omnibus operibus ſuis peccare: opera omnia, quantumvis lumini naturæ conformia, eſſe mer apeccata. Si non adeſt gratia efficax, nihil poſſumus niſi peccare, & agere ad condemnationem noſtram. Si autem adſit gratia efficax, actum eſt de libertate: mereri nihil poſſumus. Quid ergo conemur declinare a malo, & facere bonum: neceſſitas & impoſſibilitas non habent legem. Permittamus nos fato noſtro: abjiciamus curam ſalutis inutilem, & ſinamus rotam volvi. En! quo tendant tot ſcandaloſæ propoſitiones Quesnellianæ; quales etiam ſunt duæ ſequentes.

Pro-

Propositio 41.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire a Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

Propositio 42.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificandum fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

Reflexio. Ita pergit crocitare hic corvus, ad exterminandos omnes actus moraliter honestos, ad convertendam justitiam, pietatem erga parentes, officia & virtutes, secundum jus naturæ ex lumine rationis profectas, in mera peccata, præsumptiones, vanitates, impuritates, indignitates: ad negandam gratiam sufficientem, evertendam libertatem, & omnia reducenda ad absolutam necessitatem, aut impossibilitatem. Te ipsum compello, Quesnelle? an habes gratiam efficacem Christi, quam solam agnoscis, vel non habes? si habes, actum est de tua libertate, quia absolute necessitaris, non potes resistere, nihil mereris: si autem non habes, te ipso judice, nihil es, nisi impuritas, indignitas, vanitas, malitia, nihil habes luminis, nisi ad aberrandum, nihil ardoris, nisi ad præcipitandum, nihil virium, nisi ad te vulnerandum, capax es omnis mali, & incapax ad omne bonum: hæc tua in te est sententia: credamne? hoc credo & scio, quod gratiam habeas sufficientem ad emendandam vitam tuam: te vero gratiæ pervicaciter resistere, & contra verbum Dei, contra sententiam Ecclesiæ, contra Conciliorum decreta, contra Patrum doctrinam, contra Pontificum definitiones, contra Theologorum unanimem consensum, temerarios, male sonantes, piarum aurium offensivos, scandalosos, & hæreticos errores obtrudere non verearis.

Propositio 43.

Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo, ut spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

Reflexio. Si ita est, homo baptizatus non potest amplius peccare: sicut homo mortuus non potest amplius se miscere rebus mundi. Secundum sanam Theologiam, & doctrinam Ecclesiæ, in verbo

verbo Dei fundatum, baptiſmum comitatur triplex effectus. 1 Si non ponatur obex, confertur gratia ſanctificans, cum habitibus virtutum. 2 Remittuntur peccata omnia, quoad culpam & pœnam. 3 Imprimitur character indelebilis, ſignum hominis Chriſtiani, quo ſimul tribuitur jus ad reliqua ſacramenta ſuſcipienda. At quartum illum effectum Queſnellianum, quo homo ita moriatur peccato, ut non amplius poſſit peccare, ſicut homo mortuus, in nullo Theologo legi. Mirum profecto, homines iſtos eo devenire impudentia, ut audeant didactice aſſerere, quæ ſunt contra manifeſtam omnium experientiam, quæ demonſtrat, homines, etiam baptizatos, quotidie peccare. Aliud ſane S. Joannes 1, 8 nobis proponit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et quomodo hæc propoſitio concordat cum prioribus, quibus dicitur, quod homo ſine gratia efficaci ad nihil ſit aptus, niſi ad peccandum. An omnes baptizati ſemper habent gratias efficaces? O! utinam!

Propoſitio 44.

Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones noſtræ omnes naſcantur: amor Dei, qui agit omnia propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

Reflexio. Amor Dei perfectus, quo Deus amatur propter Deum, principalis quidem eſt virtus, quam Deus præcipue remuneratur; ſed ſunt præterea multæ aliæ virtutes, ut fides, ſpes, juſtitia, temperantia, prudentia, fortitudo, aliæque virtutes, quæ Deo ſunt gratæ, atque ab eo remunerantur, & amari debent. Ergo non tantum dantur duo amores, quo amatur Deus propter Deum, & quo amatur mundus, ſed multi alii, Deo grati ac meritorii. Deinde præceptum Domini habemus, ut diligamus proximum & etiam nos ipſos: *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: ſalutis amorem æternæ, & fruendi cæleſti beatitudine deſiderium, quatenus etiam nobis bona eſt, atque ſpes & amor concupiſcentiæ appellatur, an malum dicemus?

Propoſitio 45.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omneſque ejus actiones corrumpat.

Reflexio. Jam dixi, præter Charitatem, dari etiam multas alias virtutes inferiores, quæ non ſunt carnalis cupiditas, nec actiones noſtras corrumpunt, ſed illas meritorias reddunt. Certe non tantum charitatem, ſed alias etiam virtutes ex præcepto Domini tenemur exercere.

Propoſitio 46.

Cupiditas aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

Reflexio. Ita eſt, ſed non ſolæ iſtæ; nam etiam aliæ virtutes ſenſum bonum faciunt. Hæ excludi non debent. Temperantia, mortificatio, ſenſuum rigida cuſtodia, an non faciunt ſenſum bonum?

Propoſitio 47.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt principium illius exterius, & gloria Dei ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius, alioquin non eſt, niſi hypocriſis & falſa juſtitia.

Reflexio. Excludit rurſus omnes virtutes, a charitate diſtinctas; acſi hæ eſſent hypocriſis & falſa juſtitia; quod jam ante in propoſitione 16 Baji fuit damnatum, dum dixit: *non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.* Si quis legem Dei ſervet ex timore Dei vindicis, aut ex amore æternæ mercedis, an eſt hypocriſis & falſa juſtitia? aliud definit Tridentinum *Seſſ. 6 can.* 31. ibi: *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit.*

Propoſitio 48.

Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?

Reflexio. Ex hac propoſitione ſequitur, quod omnes Infidelium actiones, quamvis naturaliter honeſtæ, & ſecundum lumen rationis & naturæ exercitæ, nihil ſint, niſi peccata.

Propoſitio 49.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

Reflexio. Intelligit ſemper amorem Dei perfectum, ſeu quo amatur Deus propter Deum, prout expreſſit propos. 44. Igitur neque

que fides, neque ſpes, neque aliæ virtutes, etiam ſupernaturales, erunt bonæ, quas tamen S. Scriptura toties nobis commendat, & præcipit. Neque dici poteſt, omnes virtutes eſſe amorem Dei perfectum, cum quælibet ſuum objectum formale, ſeu motivum, per quod ſpecificantur, diſtinctum habeat; & alias omnes virtutes peccatorem, etiam extra ſacramentum pœnitentiæ, juſtificarent, ſicut amor Dei perfectus.

Propoſitio 50.

Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus charitatis non eſt ille, qui clamat.

Reflexio. Per fidem, ſpem, aliasque virtutes, uti etiam per orationem Dominicam, non fruſtra clamamus, dum præcipiente Domino oramus: adveniat regnum tuum: dimitte nobis debita noſtra: & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo; licet hæ preces reſpiciant amorem noſtri.

Propoſitio 51.

Fides juſtificat, quando operatur, ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem.

Reflexio. Fides præcedit charitatem, quia eſt radix & origo omnis juſtificationis; & in peccatoribus, imo & juſtis, non ſemper operatur per charitatem: poteſt enim etiam peccator fidem ſupernaturalem elicere (recitando e. g. ſymbolum Apoſtolorum) cum habitu fidei, in baptiſmo accepto, & gratiis etiam actualibus non careat, quin tamen hæc fides ſemper operetur per charitatem.

Propoſitio 52.

Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine & ſemine, ſed hæc fides non eſt abſque amore & fiducia.

Reflexio. Gratiæ, quæ dantur ad eliciendam ipſam fidem, ſunt ſalutis media, & tamen non continentur in fide, quam præcedunt: unde fides non eſt ſemen harum gratiarum, ſed hæ gratiæ ſunt ſemen fidei. Deinde hæ gratiæ etiam dantur Infidelibus, qui non habent fidem, quomodo ergo poſſunt contineri in fide? Qui graviter peccant, amittunt charitatem, non tamen amittunt fidem (niſi contra ipſam fidem peccent) ergo tunc fides eſt abſque amore. Item, qui de ſalute deſperat, poteſt retinere fidem. Ergo tunc fides

fides potest esse absque fiducia. Hinc Alexande VIII damnavit hanc propositionem, ordine 12: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.*

Propositio 53.

Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum & Christum.

Reflexio. Ergo fides, spes, & virtutes morales non faciunt Christiano modo, non sunt actiones Christianæ, imo virtutes sunt vitia. Sine fide impossibile est placere Deo, ait sacer codex: spe salvi facti sumus: timete eum, qui & corpus & animam perdere potest in gehennam: initium sapientiæ timor Domini: diligite justitiam: beati mites, beati mundo corde: beati misericordes; bonum est jejunium cum eleemosyna. Sed hæc omnia non faciunt Christiano modo, non sunt virtutes Christianæ. Quis non videt, insana hæc eo tendere dogmata, ut virtutes Deo probatæ, commendatæ, præceptæ, penitus ex albo virtutum deleantur?

Propositio 54.

Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus exaudit.

Reflexio. Quid evidentius, quam, quod omnes alias virtutes, Theologicas & morales, extritum eat, contra manifesta verbi Divini oracula? Credidit Abraham, & reputatum est ei ad justitiam. *Rom.* 4. Adjuvit eos Dominus & liberavit eos, quia speraverunt in Domino. *Psal.* 36. In te Domine speravi, non confundar in æternum, ait Propheta: in te speravi, salvum me fac: propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Oratio est actus Religionis, an Deus illam nunquam exaudit? petite, & accipietis, inquit. Quot aliis virtutibus mercedem æternam promittit?

Propositio 55.

Deus non coronat, nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

Reflexio. Antiquam lyrat lyram hic virtutum hostis. Quantam Deus vel solis operibus misericordiæ, spiritualibus & corporalibus mercedem promittit? vel potum aquæ sitienti præbens non carebit mercede sua: quantam patientiæ, & tolerantiæ tribulatio-

num? *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, inquit Apostolus 2 Cor. 4. Omnes videlicet virtutes, excitante & adjuvante gratia Divina, ex proprio etiam cujuslibet motivo elicitæ, augent in justis gratiam sanctificantem, quæ est semen gloriæ, peccatores vero ad pœnitentiam & justificationem disponunt. Falsissimum proin, scandalosum, & hæreticum est dicere, quod in vanum currat, qui ex impulsu & motivo harum virtutum operatur.

Propositio 56.

Deus non remuneratur, nisi charitatem; quia charitas sola Deum honorat.

Reflexio. Vos piæ ac devotæ in terris animæ! nolite deinceps exercere actus virtutum, actus fidei, spei, adorationis, justitiæ, misericordiæ, mansuetudinis, patientiæ; procul vota religiosa, paupertatis, castitatis, & obedientiæ: cessate ab oratione, ab operibus misericordiæ, ab operibus pœnitentiæ: nolite credere octo beatitudines, promissas a Christo, pauperibus spiritu, mitibus, humilibus, mundis corde, misericordibus, pacificis, justis persecutionem patientibus. In vanum curritis, Deus his virtutibus, his vestris operibus non honoratur; ista non remuneratur.

Deum immortalem! cujus hæc loquela, impia, blasphema, hæretica, ad quam omnes piæ aures cohorrescant? Quesnelli est. Mirum sane, hominem tam effrontem, insanum, impudentem, impium invenire sectatores ac defensores; sed stultorum plena sunt omnia.

Propositio 57.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

Reflexio. Paulo ante spes nihil valuit; jam totum deest, quando deest. Sed vide! spem præcedit fides, & fidem gratia Dei ad fidem. Quomodo ergo totum deest peccatori, cum deest spes? Deinde amor benevolentiæ, quo Deus amatur pure propter Deum, non involvit spem. Ergo, si quis elicit actum amoris benevolentiæ, abstrahendo a spe, non totum deest, quando deest spes, cum habeat charitatem perfectam. *Et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.* Atqui spes & amor sunt separabiles. Spes manet in peccatore, non autem amor: in comprehensore non manet spes, manet autem amor Dei.

Pro-

Propositio 58.

Nec Deus est, neque religio, ubi non est charitas.

Reflexio. Ergo peccator non est Christianus, quia non habet charitatem. Audi Tridentinum *sess.6 can. 28: Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Atqui ubi non est religio, non est fides. Ergo si in peccatore non est religio, neque est fides. Consequenter Quesnellus hoc anathema incurrit. Deinde fides, spes, adoratio, aliæque virtutes Christianæ sunt actus Religionis Christianæ; hi autem elici possunt etiam a peccatore absque charitate.

Propositio 59.

Oratio impiorum est novum peccatum; & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

Reflexio. Possetne aliquid dici impium magis, & execrabilius? quid ergo faciat miser peccator? Oratio est ipsi novum peccatum. An novum peccatum est, si oret, cum dolore de commissis, & fiducia in Deum, dimitte nobis debita nostra? An Publicanus novum peccatum commisit, dum oravit: Deus *propitius esto mihi peccatori*? An latro in cruce, dum oravit: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum?* Verum est, peccator, quamdiu privatus est gratia sanctificante, mereri per orationem nihil potest ad salutem æternam conducens, impetrare tamen potest a misericordissimo Deo gratias actuales, quibus ad salubrem pœnitentiam se disponat. An etiam hæ gratiæ Divinæ sunt novum in eos judicium?

Propositio 60.

g. Propositiones de timore.

Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo magis est hæc violenta, eo magis ducit ad desperationem.

Reflexio. Contrarium docet S. Scriptura, dum ait, timorem Domini initium esse sapientiæ. item, dum jubet, ut timeamus eum, qui corpus & animam potest perdere in gehennam. An timor, qui animabat pœnitentiam Ninivitarum, eos duxit ad desperationem? & cum veteris testamenti homines juxta Quesnellum omnes fuerint *mancipia per timorem* (*Propos.* 55.) an omnes desperarunt? Contrarium pariter docet Tridentinum, quod sess. 6 can. 8 ait: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccato dolendo con-*

confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.

Seff. 14 c. 4 addit: *illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum.*

Propositio 61.

Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

Reflexio. Timor æternæ damnationis non tantum manum cohibet, sed etiam cor, cum sciat, ad evitandam gehennam etiam voluntatem peccandi excludi debere.

Propositio 62.

Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, committit illud in corde suo, & jam est reus in corde suo.

Reflexio. Qui timore gehennæ abstinet a peccato, potest animum peccandi absolute deponere, seu habere propositum firmum & absolutum non peccandi de cætero, cum sciat tale sincerum & serium propositum esse absolute necessarium ad evadendam gehennam; adeoque non committit illud in corde suo; nec reus amplius est in corde suo. Nam, *qui timet Dominum, odit malum.* Proverb. 8. conditionem autem illam, si *infernus non esset*, scit esse hypothesin impossibilem; unde propositum non est conditionatum, sed absolutum; sicut qui detestatur peccatum ex motivo spei, non habet animum peccandi, si cælum non esset.

Propositio 63.

Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

Reflexio. Exoticum dogma! an ergo homo baptizatus, si a peccato abstinet ex motivo timoris, fit Judæus? an non amplius manet Christianus? Si adhuc est sub lege, tenetur observare leges Mosaicas, etiam ceremoniales. Quis sanæ mentis unquam tam stulte deliravit?

Pro-

Propositio 64.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

Reflexio. Jam dixi, baptizatos, etiamsi peccent, non esse subjectos legi Mosaicæ. Quod autem homo peccet, peccatum ex timore pœnæ evitando, ex terminis absurdum, & jam refutatum est.

Propositio 65.

Moises, *Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non fecerint, nisi mancipia per timorem.*

Reflexio. Non paucos fuisse in lege veteri sanctos homines, non mancipia, sed filios Dei, per charitatem Deo conjunctos, S. Scriptura testatur; uti Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moisen, Samuel, David, Ezechiam, Josiam, Eliam, Elisæum, Isaiam, Jeremiam, Ezechiel, Daniel, Mathathiam, Eleazarum, 7 fratres Machabæos, cum eorum matre, Zachariam, & Elisabeth, eorumque filium Joannem Baptistam, Simeonem & Annam Prophetissam, Josephum, B. V. M. sponsum, pluresque alios Patriarchas & Prophetas. Deinde si isti nihil aliud fuerunt, ac mancipia per timorem, profecto per timorem facti sunt sancti; sed injuriam sanctis istis hominibus facit Quesnellus, qui non tantum per timorem, sed per fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes fuerunt Deo conjuncti.

Propositio 66.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad eum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestiæ, sed per fidem & amorem, sicuti filii.

Reflexio. Comparat hic homo inficetus timorem salutarem cum brutalibus & bestialibus passionibus, supponitque, quod operans ex timore pœnæ æternæ, operetur ex instinctu mere naturali, non autem per aliam virtutem possit appropinquare Deo, nisi per fidem & amorem. Omnia tria membra sunt falsa. Timor Domini non est bestialis passio: non est dependens ab instinctu mere naturali, sed sæpe secundum Trid. ex instinctu Spiritus Sancti. Præter fidem & amorem sunt etiam aliæ virtutes, per quas appropinquamus Deo.

Aliud longe loquuntur de timore Divina oracula: *sapiens timet, & declinat a malo.* Prov. 14. *qui timet Dominum, faciet bona.*

Propositio 67.

Timor servilis non repræsentat sibi Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

Reflexio. Timor, etiam servilis, non repræsentat sibi talem Deum, sed ut justum scelerum vindicem, qui infligat pœnam, quam merentur scelerati, & hoc salubri terrore perculsi, sæpe ad viam salutis redeunt, adjuvante Divina gratia, aguntque pœnitentiam, & fructus ferunt dignos pœnitentiæ.

De justificatione.

Propositio 68.

Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus.

Reflexio. Protheum & Vertumnum videmus: qui prius per multas propositiones omnia tribuit charitati, nunc autem omnia fidei & precibus; ad exemplum Lutheri & Calvini, totum salutis negotium sola fide definientium: quasi vero nullæ aliæ essent virtutes, nulla charitas, Regina virtutum, nulla pœnitentia, nulla justitia, nulla sacramenta, jejunia, sui ipsius abnegatio. Arctam alias Jansenistæ faciunt salutis viam, sed hic nimium quantum eam dilatant, Quietismum velut aliquem inducentes. Aliud dicit Christus: *non omnis, qui dicit mihi: Domine! Domine! intrabit in regnum cælorum.* Oportet unam virtutem ita extollere, ut reliquæ non deprimantur, vel omnio supprimantur.

Propositio 69.

Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum liberalitatis Dei.

Reflexio. Si hoc *totum* est, nihil aliud est liberalitatis Dei, non aliæ virtutes supernaturales, non ipsa vocatio ad fidem, non gratia excitans, ad fidem prærequisita. Deinde hic excluduntur nostra bona opera ac merita. Verum quidem est, primam gratiam non cadere sub meritum; si tamen primæ gratiæ cooperemur, fides nostra est meritoria novæ gratiæ atque augmenti fidei, & præmii fidei. Sunt tamen etiam opera nostra salutaria & merita, Dei gratia ac dona liberalitatis Divinæ, quia descendunt ex prima gratia, prorsus gratuito concessa. Ex hoc tamen non sequitur, quod non etiam opera nostra bona sint merita nostra, quibus Deus toties mercedem æternam promittit. *Non ego, sed gratia Dei mecum,* ait Apostolus. Gratia

Dei

Dei est causa prima ac principalis actus salutaris, meriti, ac præmii, nos vero dum libere actus salutares elicimus, causa secundaria, præventa & adjuta per gratiam: hinc illa vox: Gratia operatur totum, sed non *totaliter*, quia etiam voluntas nostra excitata & adjuta per gratiam cooperatur gratiæ. Unde Tridentinum sess. 6 can. 31: *Si quis dixerit*, inquit, *hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus . . . non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam - - - anathema sit.*

Propositio 70.

Nunquam Deus affligit innocentes; & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

Reflexio. Infantes Innocentes utique fuerunt innocentes, & tamen martyrium passi sunt. B. V. Maria fuit sine peccato, originali & actuali, & tamen quantas afflictiones tulit, dum ipsius animam pertransivit gladius. Jobi, & Josephi afflictiones non tribuuntur eorum peccatis. Sæpe Deus piis hominibus afflictiones immittit, ut eorum virtus probetur, & coronetur. *Quia acceptus eras DEO necesse fuit, ut tentatio probaret te*, inquit Angelus ad Tobiam. An omnes sancti Martyres propter peccata sua tantas persecutiones & afflictiones passi sunt? De cæco a nativitate interrogabant Apostoli, quis peccaverit, ut cæcus nasceretur. Respondit Christus: *neque hic peccavit, nec parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Deus varios habet fines, cur etiam servos suos afflictionibus visitet.

Persecutionem & afflictionem te passum esse & socios tuos, inquis Quesnelle; an fateris, propter peccata tua tibi immissas? certe.

Propositio 71.

Homo ad sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

Reflexio. Scandalosum assertum! Eo usque nullus unquam Casuistarum, quamvis laxissimus, progressus est. Deus omnes leges condidit propter hominum utilitatem; nam omnis lex ex essentia sua tendit in bonum subditorum. Ergo homo ad sui conservationem potest se ab omni lege, quam Deus condidit, naturali & divina, dispensare. Bella enim vero doctrina! alias apud omnes Jureconsultos scitum est certissimum, quod dispensatio sit actus Jurisdictionis Superioris in subditum. Sed juxta Quesnellum quilibet privatus potest dispensare,

ſare, & quidem etiam in lege naturali & Divina, in qua etiam publica humana poteſtas diſpenſare non poteſt. Quomodo velata Janſeniſtarum auſteritas ita larvam ponere, & ſeipſam prodere potuit?

Propoſitio 72.

7 Propoſitiones de Eccleſia.

Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos cæli, & omnes electos, & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

Reflexio. Hoc eſt, Wicleffi, Huſſi, Lutheri & Calvini exemplo Eccleſiam facere inviſibilem; quis enim ſcit, quinam ſint juſti, quinam electi? Et hoc eſt inſigne artificium horum hominum, ſibi fingere Eccleſiam inviſibilem, a qua propter hæreſes ſuas nunquam judicari poſſint. An peccatores, quorum multi ſunt firmi in fide Catholica, non pertinent ad Eccleſiam Catholicam? & quodnam eſſet caput Eccleſiæ hujus inviſibilis? an vero eſt acephala & anarchica? Eccleſia Catholica Chriſti ordinatione pro viſibili ſuo capite veneratur Romanum Pontificem, S. Petri in cathedra ſucceſſorem, & Chriſti in terris Vicarium. Cur iſte ſiletur? nempe homines iſti exleges eſſe volunt, & tamen Catholico nomine ſibi blandiri; hinc comminiſcuntur Eccleſiam, quam nemo ſcire, nemo invenire poſſit, contra Divinæ Scripturæ oracula, contra omnem ſacram auctoritatem.

Propoſitio 73.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & exſpectantium futuri ſæculi.

Reflexio. Pulchra verba! ſed ſenſu vacua, & infucato poculo propinantia venenum, dum iterum Eccleſiæ viſibilitatem adimit, & eos, qui poſt baptiſmum peccant, ab ea excludit, ac ſi non amplius eſſent Chriſtiani; cum tamen Chriſtus comparet Eccleſiam agro, in quo tritico mixta ſunt zizania: ſagenæ, miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti: decem virginibus, inter quas quinque ſunt fatuæ.

Propoſitio 74.

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, incarnatum verbum habet ut caput, omnes vero ſanctos ut membra.

Pro-

Propositio 75.

Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona; unus solus Christus, compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

Reflexio. Exoticis his locutionibus, rursus Ecclesiam invisibilem asserit, quæ tamen est civitas supra montem posita, ut ab omnibus conspici possit: comparatur luci, quæ non absconditur sub modio, sed supra candelabrum ponitur, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Excluduntur ab Ecclesia peccatores; cum tamen nemo, qui per baptismum ingressus est Ecclesiam, ex ea egrediatur, nisi per formalem hæresin. Licet autem peccatores pertineant ad Ecclesiam & maneant Christiani, Ecclesia tamen est sancta, tum propter multitudinem sanctorum, tum propter sanctam professionem, tum propter sanctitatem fundatoris & capitis; nam Christus est caput Ecclesiæ invisibile, supremum, independens, & sub eo caput morale visibile, subordinatum, & dependens.

Propositio 76.

Nihil est spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi & justi omnium seculorum illam componant.

Reflexio. Si peccatores non excluderes ab Ecclesia, esset multo spatiosior. Ergo aliquid est spatiosius tua Ecclesia.

Propositio 77.

Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Christi, cessat, interius Deum habere pro patre, & Christum pro capite.

Reflexio. Ergo nullus peccator potest orare, ac dicere: *Pater noster, qui es in cœlis*? filius prodigus non potest dicere: *surgam, & ibo ad patrem - - - Pater mi! peccavi &c.*? ergo Christum peccator non potest habere pro capite, ex quo defluant in membra gratiarum rivi? quid ergo faciendum peccatori? desperandum.

Propositio 78.

Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

Reflexio. Tam non vivendo secundum Evangelium &c. igitur peccator (& quis non eſt peccator?) ſicut infideles, ſeparatur a corpore Eccleſiæ, Chriſtum non habet caput, Deum non habet Patrem. Ergo, cum corda hominum inſpicere non poſſimus, inviſibilis eſſet Chriſti Eccleſia: paſtor non poſſet cognoſcere ſuas oves, nec oves paſtorem. Neſciretur, quinam ſint veri Epiſcopi, parochi &c. quanta confuſio! ſeparantur aliqui ab Eccleſia per poteſtatem Eccleſiaſticam per excommunicationem, aliqui ſe ipſos ſeparant, & per hæreſin egrediuntur ex Eccleſia; ſed quod omnes peccatores ſeparentur ab eadem, error eſt Wicleffi, Huſſi, Lutheri, Calvini, Janſenii, Quesnelli: qui, ut Judicia poteſtatis Eccleſiaſticæ eludant, fabricant ſibi Eccleſiam incognitam.

Propoſitio 79.

7 Propoſitiones de lectione S. Scripturæ.

Utile & neceſſarium eſt, omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi, ſtudere & cognoſcere ſpiritum, pietatem & myſteria ſacræ Scripturæ.

Propoſitio 80.

Lectio S. Scripturæ eſt pro omnibus.

Reflexio. Itane? omni tempore? omni loco? omni perſonarum generi? opifici & mercatori in taberna? Judici in tribunali? ruſtico in agro? fœminæ ad colum? ita: *omni tempore, omni loco, omni perſonarum generi legenda* S. Scriptura, eique ſtudendum. Sed multi non habent S. Scripturam, legant tamen: multi ne quidem ſciunt legere: legant: ſunt incapaces penetrandi myſteria, ſæpe recondita: legant, ſtudeant. At multi vel ex imperitia, vel malitia ac protervia, omnium hæreſiarcharum exemplo venenum ex ſalutis fonte hauſerunt; legant tamen omnes, omni tempore, omni loco. Quæſo! an hoc omni perſonarum generi eſt neceſſarium neceſſitate medii vel præcepti? ubi hoc præceptum?

Propoſitio 81.

Obſcuritas ſancta verbi Divini non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.

Reflexio. Sed quid juvat legere, quod non intelligis? aut quod perperam intelligis? tot inſunt locutiones tropologicæ, allegoricæ, metaphoricæ, tamque ſublimes ſenſus, ut doctorum ingenia fatigent, rudium vero capacitatem longiſſime tranſcendant. Securius a paſto-

a pastoribus & Doctoribus expositum fideles verbum Dei percipiunt.

Propositio 82.

Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia sacrarum scripturarum. Damnosum est, velle Christianum ab hac lectione retrahere.

Reflexio. Aliud est judicium & adhibita cautela a Concilio Tridentino, experientia edocto. Auditione concionis, piæ exhortationis, catechesis; sacrificio Missæ, confessione & communione, vesperis, visitandis ægris, piis colloquiis, bene sanctificatur dies Dominicus.

Propositio 83.

Est delusio, sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum librorum; non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

Reflexio. Hinc, quia ex lectione incauta ortus est frequens Scripturarum abusus, & tot natæ sunt hæreses, Ecclesiæ visum est, eam lectionem aliquot Regulis *Indicis* temperare, & cautelas præscribere. Quesnellus autem aliique Jansenistæ, Lutheri, Zvinglii & Calvini exemplo, pervicaces Ecclesiæ, omnia repagula perfregerunt, & erga devotum fœmineum sexum nimis devoti, in sancta sanctorum illum promiscue induxerunt, ut ex re sanctissima, temeritate sua & prævaricatione, errores sibi procudant. Maximillas, Priscillas, Margarithas, & Joannas, Navarræ Reginas legimus. Etiam ex arbore scientiæ boni & mali fructus nobis omnibus fatales sibi decerpserunt primi parentes nostri.

Propositio 84.

Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum, illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

Propositio 85.

Interdicere Christianis lectionem S. Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.

Reflexio. S. Scripturam legere, Hebraice, Græce, aut Latine ſcriptam, nemini eſt interdictum: verſiones vero, ab hæreticis factas, ſæpe corruptas, legere eſt prohibitum; alias translationes in linguam vulgarem, Eccleſia cum certis limitationibus permittit. Quod autem interdicat verſionem & reflexiones in Evangelium Quesnellianas, non eſt obturare os Chriſti, ſed Anti-Chriſti, ſeductoris, & corruptoris hæretici.

An nullus alius eſt modus, quo Chriſtus loquitur? an non loquitur per ſuas gratias, per ſanctas ſuas illuminationes, & inſpirationes? an non loquitur per os Eccleſiæ, per Doctores & paſtores?

Poſt Chriſti in cælum aſcenſum per plures adhuc annos nullum erat ſcriptum Evangelium. An tunc os Chriſti fuit obturatum? an uſus luminis filiis lucis tunc fuit interdictus? an patiebantur Chriſtiani ſpeciem quandam excommunicationis? quot anni abierunt, cum nulla Scriptura fuit translata in linguas vernaculas? harum lectionem promiſcuam prohibere, non eſt interdicere uſum luminis, ſed cavere abuſus, quos nimis frequentes experta fuit Eccleſia. Verum de lectione S. Scripturæ plura dixi Part. VIII in Theologia Janſeniſtica, & proprio libello de verbo Dei contra Præcones Tigurinos.

Propoſitio 86.

Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

Reflexio. Exigit hic Quesnellus, ut Officia Divina, Miſſa, Canon Miſſæ, & ipſa etiam conſecrationis verba, in linguam vernaculam translata, a toto populo, etiam mulieribus (quas tamen Apoſtolus in Eccleſia vult tacere) alta voce recitentur cum ſacerdote, contra uſum & praxin Apoſtolicam, totiusque Eccleſiæ. An, cum Chriſtus in ultima cœna verba conſecrationis: *Hoc eſt corpus meum*, protulit, omnes Apoſtoli eadem verba cum Chriſto protulerunt? ubi hoc legitur? Apoſtoli, eorumque ſucceſſores non niſi lingua Hebraica, Græca, aut Latina Miſſam celebrabant, etiam apud gentes, quæ linguas illas ignorabant, atque hunc uſum perpetuo retinuit Eccleſia. Sed noviſſimi iſti Magiſtri in Iſrael novum omnino ritum in Eccleſiam introducere conantur, incurrant licet anathema, quod Concilium Tridentinum Seſſ. 22 Can. 9 intentavit in eum, *qui dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere.*

Pro-

Propositio 87.

Modus plenus sapientia, lumine & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. De pœnitentia.

Reflexio. Universaliter hic docetur, gravibus peccatoribus negandam a Confessario absolutionem, donec emendatio re ipsa sequatur, interim vero in statu peccati relinquantur miseri. Si homo iste propositionem suam restrinxisset ad certos casus, e. g. ad occasionem proximam, in qua peccator hæret, ad consuetudinem graviter peccandi, ad restitutionem famæ, ærisque alieni obstrictos, ad pertinax in proximum odium & spiritum vindictæ, aliosque ad gratiam absolutionis recipiendam necdum dispositos, neminem ex sanis Theologis habuisset contrarium. At vero, dum universaliter sine exceptione dicit, omnes peccatores in statu suo misero, cui interim possunt immori, esse relinquendos, profecto nimium dicit. Rigor iste nimius non conducit ad salutem peccatoris, sed ad eum magis indurandum, & desperandum, vel certe ad absolutionem sacramentalem contemnendam, prout iis, qui multas confessiones audiunt, experientia demonstrat.

Propositio 88.

Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus, separationis istius ferre confusionem.

Reflexio. Multi peccatores satis agnoscunt statum miserum suæ animæ, veniuntque ad confessionale, ex remotis sæpe locis, animo vere contrito, & cum proposito serio, non peccandi de cætero. An hos promiscue repellamus sine absolutione? quid hoc aliud est, quam peccatores a Sacramento pœnitentiæ, alias difficili, Janseniano more avertere, atque fideles gratia justificante privare? egregii hi directores animarum per menses & annos sinunt pœnitentes in peccatis suis computrescere. Non ita egit pater in Evangelio, qui filium suum prodigum, pœnitentem, illico recepit. Et quid fuit ille pater, nisi figura Patris nostri cælestis, qui cor contritum & humiliatum non despicit? & quid in sensu Quesnelli proderit peccatori, si statum peccati agnoscat, & pectus interea, dum expectat absolutionem, percutiat? vel enim in statu gratiæ hæc faciet, &

& non agnoſcet magis ſtatum peccati: ſi autem non ſit in ſtatu gratiæ, ſecundum Quesnellum omnia ſunt peccatum & turpitudo, quæcunque agit.

Propoſitio 89.

Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod, cum jam ſit reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Miſſæ.

Reflexio. An ergo omnis peccator eſt excommunicatus, ut non poſſit aſſiſtere Miſſæ? novum plane dogma, & hactenus inauditum! commoda ſane res peccatori; diebus Dominicis & feſtis non amplius tenetur aſſiſtere ſacrificio Miſſæ. Quis unquam, niſi hæreticus, talia docuit? docet Quesnellus; poſt reconciliationem primum habet jus aſſiſtendi. Næ! peccatores non multum urgebunt, ut a peccatis abſolvantur, ut diutius hoc privilegio frui poſſint.

Propoſitio 90.

Ecleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos paſtores, de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis.

Reflexio. Evertit hæc theſis Hierarchiam Eccleſiaſticam, Primatum & Jurisdictionem in terris ſupremam Romani Pontificis, poteſtatem Epiſcopalem; quia non poſſunt contumaces coërcere ſine conſenſu totius corporis, id eſt, omnium laicorum, nobilium & ruſticorum: addit, ad tegendam nequitiam, *ſaltem præſumpto*, ut ex una parte propoſitio nequam minus abſone incurrat in oculos, ex altera parte, ut eludere poſſit cenſuras Romanas, quas nullas eſſe dicet, quod præſumi non poſſit conſenſus Janſeniſtarum, melioris, ut ipſe putat, partis Eccleſiæ, quia aperte diſſentient. Nos autem firmiter tenemus, poteſtatem ligandi & ſolvendi datam eſſe Petro, ejusque ex providentia Divina, in cathedra ſucceſſoribus, & quibus illi contulerint.

Propoſitio 91.

Excommunicationis injuſtæ metus nunquam nos debet impedire ab implendo debito noſtro, nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ, per charitatem affixi ſumus.

Re-

Reflexio. Hic Quesnellus Judicem se constituit, an excommunicatio sit injusta. Altioris hæc quæstio est fori. Ad privatum hominem, qualis est Quesnellus, non pertinet judicare de justitia censuræ; alias omnis ligandi potestas Ecclesiastica esset frustranea, quia semper is, qui censura fuit notatus, dicere posset, eam esse injustam. Aliud foret, si aperte & notorie esset injusta, aut manifeste contineret errorem intolerabilem.

Propositio 92.

Potius pati in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, quod sit se erigere contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

Reflexio. Nunquam legi aut scivi, S. Paulum fuisse excommunicatum, aut anathema injustum passum esse in pace. Deinde, an adeo res vilis est, excommunicari, privari sacramentorum, sacrificii Divini, & commercii cum fratribus communione, ut contemptu quodam stoico excipi debeat? an non omnibus viribus connitendum excommunicato, ut absolvatur, & fidelium communioni restituatur?

Propositio 93.

Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum infligit festinatio, sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

Reflexio. Christus ligandi & solvendi potestatem Ecclesiæ suæ tradidit, una cum potestate clavium; unde non sanat vulnera, per censuram inflicta, præsertim hominis contumacis, & potestati Ecclesiasticæ pervicaciter resistentis; tua inquam Quesnelle, & Sodalium, qui, quemadmodum Lutherus Bullam Leonis X, sic censuras Innocentii X, Alexandri VII, Clementis XI, & Episcoporum Galliæ ridenti sibilo, iisdem insordescentes, exploditis. Talia profecto vulnera Jesus non sanat, quamdiu frontem obduratis, & medicinam respuitis. Certa nempe animalia lapidem ammordent, quo petuntur.

Propositio 94.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam illic dominatum exerceri supra fidem Fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

Re-

Reflexio. Nihil meliorem de Ecclesia debet opinionem ingerere, etiam inimicis ejus, quam si videant, doctrinam fidei & morum conservari integram, & adhiberi cauterium adversus discolos, & abscindi schismaticos ac hæreticos, ne corpus reliquum inficiant. Quis fovet divisiones, nisi qui ab Ecclesiæ doctrina recedunt, & pervicacia sua inflexibili se ipsos ab illa separant? Itane vero? hæreses Jansenianæ & Quesnellianæ nec fidem lædunt, nec mores?

Propositio 95.

Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est idioma velut incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum Fidelium. Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.

Reflexio. An Donatum aliquem hic audimus, Ecclesiam Christi, supra petram fundatam, columnam & firmamentum veritatis, contra quam portæ inferi non prævalebunt, cum qua Christus manet omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, quam Spiritus S. docet omnem veritatem, defectionis accusantem? corruit petra, cecidit columna, eversum est firmamentum veritatis, Christus & Spiritus eam deseruerunt, prævaluerunt portæ inferi, evacuatæ sunt promissiones Evangelicæ. Hæc lingua omnium hæreticorum satis nota est, qui, ut apostasiæ suæ fucum illinant, Ecclesiæ, quæ in doctrina est sine ruga, sine macula, senectutis arguunt.

Ita est, Ecclesia nostra est senex, jam ante 1700 annos a Christo fundata, semper tamen eadem, eodem vigore florescens; vestra autem est valde juvencula, nuper primum abortiva fœcunditate in mundum extrusa.

Propositio 96.

Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.

Reflexio. Per prædicatores veritatis intelligit Jansenistas & Quesnellistas, quibus se opponebant Potestates Ecclesiasticæ & Politicæ ex publico, quod gerebant officio. Quales autem heterodoxi illi fuerint prædicatores veritatis, prolixe ostendit P. Jacobus Fontaine Professor Theologiæ Lovanii, in amplissimo & eruditissimo suo opere de *Constitutione Unigenitus Theologice propugnata*, Tomo præsertim quarto, in quo charactere proprio homines istos signat.

Pro-

Propositio 97.

Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita sunt Ecclesiæ, respici atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus ex fide vivit, & non ex opinione hominum.

Reflexio. Quid hoc aliud est, quam jugum omne abjicere, se ipsum judicem constituere, & adversus omnes Ecclesiæ correctiones & pœnas medicinales, contumaciam ostentare? Cum hac obstinati animi tui pervicacia quomodo potes ex fide vivere, quæ jubet obedire & subjacere præpositis, eos audire, tanquam Christum audirent, & omnia, quæ dixerint, facere? Consolatur hic suos consodales & contribules, ut legitimos suos superiores bona conscientia spernant, omnemque obedientiam denegent.

Propositio 98.

Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

Reflexio. Hoc dicunt omnes hæretici, ab Ecclesia proscripti. Persecutiones appellat justas pœnas, quas potestas Ecclesiastica infligit contumacibus hæreticis, & potestas Politica exequitur. Se ipsum & socios suos, Christi Vicario perduelles, comparat Christo, qui Præpositis obedire jubet. Judicem rursus homo privatus se ipsum constituit. Omnium hæreticorum hic est character.

Propositio 99.

Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere, se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in Ecclesia sua posuit, ut esset in ea odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

Reflexio. Pervicacia, præventio, & obstinatio ad Quesnellum & Symmistas pertinet, non ad summos Pontifices & corpus majorum Pastorum, a quibus propter errores & hæreses fuerunt puniti. Quesnellus est, qui non vult agnoscere (aut potius fateri) se fuisse deceptum, & alios decepisse. *Bonos libros:* nempe Reflexiones Quesnelli in novum Testamentum, hoc est, pestilentum partum, lue, scabie, sanie, toxico scatentem: *Instructiones*, pestiferas in animarum ruinam: *sancta exempla:* O sanctum genus hominum! totum

totum ad ſimulandum, & decipiendum compoſitum. Sub veſtimentis ovium contegere ſe ſatagunt: intus autem &c. imo non tantum intus.

Propoſitio 100.

Tempus deplorabile! quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejusque diſcipulos. Tempus hoc advenit - - - haberi & tractari a Religionis Miniſtris tanquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra ſibi quis blanditur de intentionum ſuarum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea, quod nihil vult examinare; frequenter credimus, nos ſacrificare Deo tanquam impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum.

Reflexio. Crocodilum audimus, gementem, ut devoret incautos; & antiquos ſuos queſtus contra Poteſtates Eccleſiaſticas & ſeculares, hæreſes eliminare, & lupos ab ovili Domini repellere conantes, ingeminantem. Hæccine eſt reverentia, quam mens pia, quæ non modo Chriſtiano, ſed & Catholico nomine vult gloriari, ſummo ſacrorum Antiſtiti, Epiſcoporum Ordini, & Regibus, Dei adminiſtris debet? ſervum Dei immolant diabolo, inquit. At ſinamus ranam, ex palude Batavica, in qua ſe abſcondit, coaxare.

Propoſitio 101.

Nihil Spiritui Dei & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quam communia facere in Eccleſia juramenta; quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.

Reflexio. Hoc apophthegmate Queſnellus rurſus bilem evomit in Romanos Pontifices & Epiſcopos Galliæ, qui *Formulari* notiſſimo ſubſcribi cum juramento juſſerant. *Conſilium impiorum* appellat homo reverens. Quod plures Janſeniſtæ juraverint, & jurando pejeraverint, credo facile. Hauſerunt hoc ex diſciplina ſuorum Magiſtrorum. Æquivocationum alias hoſtes infenſiſſimi, ut apparere volunt, hic largi fuerunt, approbantes juramenta fidei, licet animus diſſentiret. Sed hæc perjuria tam parum obſunt Formulari, quam præceptis Decalogi peccata hominum.

Art.

Art. V.

Innocentius XIII Pontifex. Dulcignotorum rapinæ. Lis de Florentia & Parma. Investitura Neapol. Archiep. Viennensis. Obitus Cosmi III. Succedit Gasto filius.

Altero post mortem Clem. XI mense electus est Michael Angelus Conti, qui *Innocentii XIII* nomen assumpsit. Spinolam dixit Secretarium Status, Orighium Præsidem Congregationis Concilii, Ruffum Legatum Bononiæ, Paolucium Vicarium Generalem, Corradinum *Dataria* Præfectum. Decanus vero Collegii Cardinalium fuit Tanara. Additi tres novi, Contius, frater Innocentii, Dubois, Archiepiscopus Cameracensis, & primus Minister Galliæ, atque Alexander Albanus, Clementis XI nepos, cujus frater Hannibal jam antea dignitate illa fuerat ornatus. Erant autem hoc tempore 68 Cardinales: & hos inter Alberonius, cui post electionem a novo Pontifice interdictum est, ne Roma discederet, donec causa ejus esset finita. 90. Innoc. XIII.

Dulcignoti, Turcicus in Dalmatia populus, rapto vivere assuetus, Venetorum Rempublicam, non procul abfuit, quin novo cum Turcis bello committeret; cum enim pyratæ isti, quod Adriaticum rapinis infestum redderent, à Venetis essent castigati, Turcæ infractionem pacis dicebant. Sed res iterum fuit aliquali satisfactione composita. Dulcignoti.

Genuenses statuerunt, ut nullus in senatum assumatur, qui 35 ætatis annum necdum complesset, & in aliis etiam Reipublicæ muneribus fuisset versatus. Biennio exacto, novus pro more electus est Dux.

Victor Amadeus Rex Sardiniæ, Dux Sabaudiæ, Pedemontii, & Montisferrati, quiete tandem provinciis suis fruebatur. Ejus gener Dux Carignanus, idemque ex linea collaterali proximus agnatus, obortis, nescio quibus, cum socero diffidiis, cum Conjuge in Gallia per aliquot jam annos degit. Carignan.

Mediolanensi in Ducatu inquisitum in fraudatores ærarii publici, ut peculatus crimen eliminetur. Quo pacto camerales proventus ita aucti sunt, ut Cæsar notabilem contributionum summam posset subditis remittere, gaudio exultante populo. Cura ærarii.

Hoc tempore in Academiis agitabatur quæstio, scriptis quoque ventilata, an Hetruria seu Magnus Ducatus Florentiæ sit feudum ab Imperio dependens, quod Cæsar volebat: an vero ab omni nexu feudali sit liber & independens, prout Cosmus prætendebat. Visum Lis de Florentia & Parma.

ſum multis, non aliam eſſe conditionem Hetruriæ ac Inſubriæ, aliarumque provinciarum, quæ ad regnum olim Longobardicum pertinuerant. Similis ferme lis vertebatur, an Parma & Placentia ſint feuda Pontificia, an vero Imperialia. Biennio poſt Dux illa a Pontifice per Marchionem Sachettum, præſtito fidei ſacramento, accepit.

Anno 1722 Alberonius in jus vocatus, in Monaſterium velut cuſtodiam miſſus eſt ad quinque menſes.

Inveſtitura Neap.

Collatum tandem Cæſari ab Innocentio Pontifice feudum Neapolitanum, quod hactenus Borbonii impedierant, dum jus eſſet controverſum. Obſervatus ritus antiquus. Oblatus Pontifici a Colonna, Comite Stabuli, ſonipes cum burſa, 7000 ſcutis, Canone annuo referta. Contigit id pro more 28 Junii, SS. Petri & Pauli Vigilia. Idem Pontifex conceſſit Imperatori, ut Epiſcopatus Viennenſis in *Archiepiſcopatum* erigeretur, Salisburgenſi & Paſſavienſi hactenus obſiſtentibus.

Archiepiſc. Vienn.

In Sicilia Duci de Monteleone Proregi ſurrogatus eſt Marchio Almenara. Copiis præfectus Abumada Hiſpanus, Meſſinæ Walliſius. Neapolis vero Prorex fuit Cardinalis Althanus.

Cornaro Duci Venetorum mortuo ſuffectus Aloyſius Mocenigus, qui generalis Dalmatiæ Proviſoris munere fuerat functus.

Zundedarii Itali defuncti in locum Magnus Ordinis Melitenſis Magiſter electus eſt Almeida Luſitanus, qui Turcicam claſſem Melitæ appulſam, evocatis Equitibus, ſtrenue depulit.

Anno 1723 Rex Sardiniæ *Codicem Juris Victorianum*, ſuo mandato a Juriſperitis compoſitum, ſubditis ſuis promulgavit.

Coſmus III obiit.

Obiit *Coſmus III* Magnus Dux Florentiæ, 82 ætatis anno, Regiminis 53. Conjugem jam anno 1661 duxit Margaritham Ludovicam, Gaſtonis Joannis Baptiſtæ, Ducis Aurelianenſis, filiam, Ludovici XIII ex fratre neptem. Ex ea genuit 1. Ferdinandum, Violanthæ Beatricis Bavaræ maritum, qui jam anno 1713 improlis obiit. 2 Mariam Annam, Joanni Wilhelmo, Palatino Electori nuptam, ſed thoro ſterili. 3 Joannem Gaſtonem, qui jam anno 1697 duxit Franciſcam, Julii, ultimi Ducis Lavenburgici filiam natu majorem, Philippi Palatini viduam: quæ thorum pariter ſterilem nacta a Gaſtone diſceſſit, & in Bohemia reliquum ætatis exegit.

Hos tres ſteriles liberos poſtquam Margaritha Aurelianenſis Coſmo genuit, abiit in Galliam patriam ſuam, ibique ad 30 annos, a viro ſuo ſeparata, vixit ad annum usque 1721, quo deceſſit.

Quanto

Quanto vero tædio aspicere debuerit Cosmus, de sua viventis hæreditate & patrimonio ab exteris disponi, alias dictum fuit. Successit autem ei tunc *Gasto* filius, ultimus Domus Mediceæ surculus, 52 annos natus, qui, a matre in testamento ab hæreditate exclusus, causam in Gallia fuit lucratus. Gasto succedit.

Art. VI.

Gesta sub Pontificatu Benedicti XIII. Cosciam creat Cardinalem. Jacobo Stuart nascitur alter filius. Comachium restitutum. Fleurì fit Cardinalis. Lites cum Sabaudo compositæ. Domus Farnesia. Principes Italiæ Familiæ &c.

Anno 1724 obiit Innocentius XIII tertio Pontificatus, ætatis 69. Vacavit sedes duos menses. Tum vero a 53 Cardinalibus, Romæ præsentibus, electus fuit Cardinalis Vincentius Maria *Orsini*, ex Illustrissimo Prædicatorum Ordine assumptus, qui, ad extinguendam Petri de Luna Antipapæ memoriam, *Benedictus XIII* appellari voluit. 91. Bened. XIII.

Ex nobilissima & antiquissima Orsina, Romana Familia, natus, 75 ætatis annos jam impleverat, & 50 Cardinalatus; Manfredoniæ primum, dein Cæsænæ, Beneventi, in regno Neapolitano, tandem Episcopus, insigni vitæ sanctimonia, supremo Dignitatum apice se dignum reddidit. Quia Cardinalium erat antiquissimus, jam bis eum ordo ad Collegii Decanatum vocaverat, sed quia in Archiepiscopatu suo Beneventano absens erat, post Bullionium Astallo, & Tanaræ is honor obtigit. Et cum hoc anno Tanara obiisset, Decanus sacri Collegii successit Cardinalis de Judice. Paolucius dictus Secretarius Status, seu primus veluti Minister Pontificis. Cardinales creati Altierus, Falconerius, Marefoschius, Petra, Pipia, Dominicanorum Generalis. Pontificis nepotem Ducem Gravina Cæsar S. R. J. Principem creavit.

Edita Venetiis fuit Ferdinandi Ughelli *Italia sacra*, a Nicolao Coleto adeo aucta, ut decem tomos impleret.

Anno 1725 obierunt ex Cardinalibus, 1 *de Judice*, antea pluribus annis potens in Aula Hispanica, tum vero ad partes Cæsareas transiit. Ejus loco Decanus sacri Collegii simulque in annexo Ostiensi Episcopatu successit *Paolucius*. Cardin. mortui.

2. Franciscus *Aquaviva* pariter Neapolitanus, qui constanter Philippo V adhæserat, pluribus annis Protector, & ab anno 1716 apud Sedem Apostolicam Orator Hispaniæ. In quo munere ei successit Cardinalis *Bentivolius*.

3. Cardinalis *Saxo-Citicus*, Archiepiscopus Strigoniensis, & Principalis Commissarius in Comitiis Ratisbonensibus.

4. Valemannus.

Coscia fit Card.

Eorum vero loco creati 1. Nicolaus *Coscia*, Beneventanus, qui singulari apud Benedictum XIII pollens gratia, varia deinceps fata fuit expertus. 2. Nicolaus de Judice, defuncti nepos, Principis Cellemarii frater.

Jac. III alter filius.

Jacobo III Stuarto hoc anno conjux Sobieskya alterum filium genuit, quem ipse Pontifex baptizavit, atque *Henricum Benedictum* nominavit. Mater vero paulo post a conjuge Jacobo in Monasterium secessit; nec persuaderi poterat, ut tunc rediret.

Comachium restitutum.

Restituit Cæsar Pontifici *Comachium*, quod jam anno 1708 Cæsareus miles occupaverat, tanquam esset feudum Imperii. Cum vero per pacem Viennensem Parmæ & Placentiæ Ducatus feuda Imperii essent declarati, Pontifex, celebrato prius Consistorio, est protestatus.

Mortuo Barbarigo Venetorum Patriarchæ successit Grandenicus: Coloredo vero Forojuliensi, Viennam ad munus Aulæ Præfecti avocato, in Gubernatione Mediolanensi Daunius a Præfectura Belgica translatus.

Cardinales 7 mortui.

Anno 1726 ex sacro Cardinalium Collegio obierunt 1 Fabricius Paolucius, Decanus & Secretarius Status. 2. Joannes Baptista Tolomeus S. J. probus ex æquo ac doctus. 3. Julius Piazza, Bruxellensi, Lucernensi, Polonica, Viennensi legatione perfunctus. 4. Laurentius Fieschius, Archiepiscopus Genuensis. 5. Galeacius *Mareschottus* Romanus, 99 annos natus, Protector Ordinis Prædicatorum, quod dein Officium ipse Pontifex in se suscepit. 6. Bernardus Scottus Mediolanensis. 7. Joannes Baptista Bussius Viterbiensis, Episcopus Anconitanus.

Novi.

Novi vero creati sunt 1. Hercules *Fleurius*, toti orbi notissimus, Præceptor olim Ludovici XV, ac dein primus Minister. 2. Nicolaus Lercarius, quem Papa Secretarium Status antea renuntiaverat; sed cum Regum Oratores sua cum eo negotia nollent communicare, Cardinalem fecit. 3. Laurentius Cozza, Ordinis Minorum Generalis.

Jaco-

Jacobum III Hispani in Scotiam ducere conabantur, sed cum Angli Hispaniam invaderent, tota classis re infecta rediit, proprios Penates defensura. - - *Lucensis Episcopatus* in Archiepiscopatum fuit conversus. Cæterum Luccana Respublica quovis bimestri sibi Præsidem eligit, quem *Confalonerium* appellant. Regimen autem est Aristocraticum, sicut Venetiis & Genuæ.

Venetiis obiit Finius, Procurator S. Marci, quod Officium in illa Republica magnæ est dignitatis, adeo quidem, ut Cardinalis Quirinus in vita sua, a se ipso scripta, glorietur, ex familia sua plures fuisse Procuratores S. Marci.

Anno 1727 Cardinales defuncti sunt Sacripantus, pauperum pater, Protector Scotiæ & Hiberniæ: Joannes Patricius, & Fabronius. Novi vero subrogati, Angelus Maria Quirinus, ex Ordine S. Benedicti, Episcopus Brixiensis, peregrinationibus in Germaniam, & epistolis, ad Protestantes zelo optimo scriptis, celebris; Sigismundus Comes Kollonitschius, Archiepiscopus Viennensis, S. R. I. Princeps: Cespedes Hispanus, Archiep. Toletanus. Motha Lusitanus: Sinzendorffius Episcopus Jaurinensis.

Hoc anno Sobieskia ad Jacobum III conjugem rediit, cum eodem reconciliata.

Similiter controversiæ, quæ ab aliquot annis Aulam inter Pontificiam & Sabaudicam, ratione Immunitatis, Beneficiorum Ecclesiasticorum, nominationem Cardinalis, Sardiniæ, ceu feudi Romanæ Ecclesiæ, gliscebant, hoc anno fuerunt transactione compositæ, vacansque diu Ecclesia Taurinensis Archiepiscopum iterum accepit. Sardinia autem per Proregem, qui Sassari degebat, gubernabatur. **Lites compositæ.**

Venetorum Respublica jucunda pace florebat, Schulenburgio adhuc armorum Præfecto, qui visitandis muniendisque variis locis hactenus fuerat intentus. Cunigunda Theresia post mortem Electoris Bavariæ sui conjugis Venetias rediit, reliquumque ætatis ibidem transegit. Filius vero ejus Clemens Augustus Elector Coloniensis Viterbii ab ipso Papa est consecratus Archiepiscopus. Romæ ad Sobieskiam amitinam suam invisit.

Genuenses inter & Regem Sardiniæ vix non bellum exarserat, quia illi navem Oneglianam, merces vetitas vehentem, interceperant: vis ultro citroque illata. Sed Comes Daunius, Mediolani Gubernator, se nomine Cæsaris interposuit, litemque sopivit.

Bucentaurus. Veneti novam fabricarunt navem Prætoriam, quam *Bucentaurum* appellant, auro large obductam, atque ad omnem splendorem vario opere exornatam, quæ tamen magnitudine bellicam nullatenus æquat. Proſtat cum aliis navigiis & omni apparatu bellico, in magno armamentario (*Arſenale* vocant) quod propter amplitudinem juſtæ magnitudinis urbem dixeris. Dux quot annis cum Senatoribus & Legatis feſto Aſcenſionis Domini Bucentauro vectus, demiſſo in mare annulo, Adriaticum ſibi deſpondet, in ſignum apprehenſæ poſſeſſionis atque dominii.

Mantuæ Theodora, Philippi, Darmſtadiani Principis ac Ducatus Mantuani Gubernatoris filia, Auguſtani Epiſcopi ſoror, nubit Antonio Ferdinando Duci Guaſtallæ, qui tamen lapſo biennio improlis obiit.

92. Domus Farneſia. Deceſſit quoque Franciſcus *Farneſius*, Dux Parmenſis, qui duxerat Dorotheam Palatinam, Odoardi fratris ſui viduam, Eliſabethæ, Hiſpaniæ reginæ, matrem. Sed nullos ex ea reliquit liberos. Unde in Ducatu ſucceſſit *Antonius*, Odoardi & Franciſci frater natu minimus, ultimus Farneſianæ maſculinæ ſtirpis ſurculus, qui tamen & ipſe quadriennio poſt exaruit, relicta Henrica Mutinenſi, improli vidua.

Domus Principes. Cæterum, præter Pedemontanos, Parmenſes, Mantuanos, Mutinenſes, Florentinos, multi hoc tempore erant in Italia Duces & Principes, uti 1. *Picus de Mirandola* & Concordia; cujus ditio, quia Gallicas partes fuit ſecutus, anno 1711 Mutinenſi in feudum fuit a Cæſare data. *Urbini* vero Principatus jam ante cum dominio directo Eccleſiæ Romanæ fuit conſolidatus.

2. *Grimaldus* Princeps Monocci, Dux Valentinus in Delphinatu.

3. *Cibo* Dux Maſſæ &槽raræ.

4. *Doria* Dux Melphitanus.

5. *Boncampagnus* Princeps Soranus & Plumbinenſis. Hic autem Principatus (*Piombino*) ab Apiana & Ludoviſia Domo ad Boncampagnam per matrimonia devolutus, a Cæſare fiſco fuit addictus, ſed per pacem Viennenſem reſtitutus.

6. *Spinola* Genuenſis Dux Seſtenſis & Sanſeverinus.

7. *Aquaviva* Dux Atrienſis in regno Neapolitano.

8. Ex Domo *Colonna* Principes Pagliani, Sonnini, Carbanani, Baſſanelli, Paleſtrini.

9. Ex Domo *Sfortia* lineæ collateralis Duces Ceſarini, Segnienſes, Laviniani.

10. Ex Domo *Urſina* Romana Dux de Gravina, & Monte Mileto.

11. Ex

11. Ex Domo *Pignatellia* Neapolitana Dux de Monteleone.

12. Ex Domo *Ottobona* Veneta Dux Fianus in statu Ecclesiastico.

13. Ex Domo *Odoschalco* Dux Braccianus.

14. Ex Domo *Conti* Dux Poli.

15. Ex Domo *Caraffa* Dux de Matalone.

Anno 1728 obierunt Cardinales: *Priulus*, Venetus, Episcopus Pergamensis: *Caracciolus*, Neapolitanus, Archiepiscopus Capuanus: *Gozzadinus*, Bononiensis, Episcopus Fori Cornelii, seu Imolæ: *Gualtierus*, Urbevetanus, qui fuerat Pro-Legatus Avenione, Cardinales. Nuntius Parisiis, Protector Angliæ: cujus Regi Jacobo pretiosa legata reliquit.

Creati vero sunt *Finius*, Romanus, Theologus Pontificius: *Ansideus*, Perusinus, Assessor S. Officii: Prosper *Lambertinus*, Bononiensis, Secretarius Congregationis Concilii, postea Pontifex: *Sellerius*, Perusinus, ex Ordine S. Dominici: *Banchierus* Pistoriensis, Secretarius Status: *Collicola*, Spoletanus, Thesaurarius: *Gottus*, Bononiensis, ex Ordine S. Dominici: *Porcia*, Foro-Juliensis, ex Ordine S. Benedicti: *Accorambonus*, Spoletanus: *Caraffa*, Neapolitanus, Secretarius Congregationis Episcoporum & Regularium.

Neapoli Prorex Althano successit *Harrachius*: Portocarero de Almenara vero *Sastagus* Prorex Siciliæ. Portus Neapolis & Siciliæ ad augendum commercium declarati sunt liberi. Ad Cameram re- Varia. tracta bona, quæ tempore Caroli II fuerant avulsa. Mediolani Copiis Cæsareis præficitur Comes Montecuculus, Daunio Gubernatore. In re monetaria facta est magna mutatio, pretio depresso; unde murmur subditorum.

Antonius Dux Parmensis duxit Henricam, Reinaldi Mutinæ Ducis filiam, præsentibus Jacobo III Stuarto, Duce Guastallæ, & Principe Darmstadio, Gubernatore Mantuæ. Cum autem Dux Antonius debili & infirmo esset corpore, Legatus Hispanus ab eo petiit, ut illa, quæ de ejus provinciis pace Viennensi, & quadruplo etiam fœdere, essent sancita, haberet rata. Sed spe liberorum concepta permoveri non poterat.

Anno 1729 ex sacro Collegio decesserunt Cardinales Cozza, Sellerius, Salernus, *Noallius*, recepta Constitutione *Unigenitus* cum Ecclesia reconciliatus.

Novos autem Cardinales Benedictus XIII creavit, Camillum Cibo, Antonium Borghesium, Vincentium Ferrerium.

Gonzaga. Ex Domo *Gonzaga* obiit Ferdinandus, *Dux Guastallæ*, relicta improli vidua Theodora, Darmstadiensi Principe, Episcopi Augustani sorore, Mantuæ Gubernatoris filia. Successit frater unicus *Josephus Maria*. Ejusdem Gonzaganæ Domus linea *Novellerana* superiore jam anno fuit extincta; unde Imperator possessionem hujus Principatus adiit.

Obiit denique anno 1730 Benedictus XIII, Summus Pontifex, vitæ integritate, & Ecclesiasticæ disciplinæ zelo laudatissimus. Præter complura Beneventana celebravit Romæ Concilium, quod hic interserendum putavi.

Art. VII.

Concilium Romanum, *in Basilica Lateranensi anno Jubilæi 1725 a Benedicto XIII celebratum.*

93. Inter gesta Benedicti XIII celeberrimum est Concilium Romanum, quod, convocatis Provinciæ Romanæ Episcopis, celebravit anno Pontificatus sui primo. Continet 32 Titulos, ad normam Decretalium. Tituli dividuntur in Capita. Quæ pro instituto summatim attingo.

Titulus I.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

Cap. 1. Statuitur, ut Professionem Fidei emittant 1. Episcopi, & Clerici, Beneficiis Eccles. provisi, aut sacris Ordinibus initiati, in Diœcesana Synodo, primo celebranda. 2. Dignitates & Canonicatus obtinentes, post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii, tum in Capitulo intra trimestre. 3. Vicarius Generalis, & Foranei, 4. Procuratores & Promotores Fisci Episcopalis, Cancellarii, aliique ministri curiæ. 5. Novi Concionatores. 6. Confessarii. 7. Docentes publice vel privatim. 8. Medicinam aut Chirurgiam exercentes.

Cap. 2. Constitutio *Unigenitus* Episcopis commendatur. Male de ea sentientes aut loquentes puniant, pervicaces ad Sedem Apost. deferant. Libros contrarios sibi tradi mandent, Papæ denuntiandos.

Cap. 3. Episcopi per seipsos concionentur.

Cap. 4. *Parochorum obligationes*, populum in fide & moribus instruendi, Sacramenta ministrandi, visitandi infirmos, pro populo orandi,

orandi, prælucendi verbo & exemplo, pueritiam catechizandi ex libello Card. Bellarmini, a Clem. VIII præſcripto.

Cap. 5. Quomodo inſtruendi ruſtici & ignorantes adulti intra Miſſarum ſolennia, de Signo Crucis, SS. Trinitate & Incarnatione, Symbolo Apoſt. Oratione Dominica, Salutatione Angelica, præceptis Decalogi, præceptis Eccleſiæ, ſeptem Sacramentis, actu contritionis.

Cap. 6. Theologalis Præbenda, ad Trid. præſcriptum erigenda.

Cap. 7. Cui & quomodo illa conferenda. 40 ſaltem lectiones quot annis in Eccleſia eſſe habendas.

Cap. 8. Sacra Scriptura exponatur.

Cap 9. Cui interſint Canonici, Parochi, Confeſſarii.

Cap. 10. Concionatores conſtituantur docti, eruditi, maturi, fortes, probi, etiam ex Regularibus.

Titulus II.

De Conſtitutionibus.

Cap. 1. Archiepiſcopi ſua in provincia, Epiſcopi in ſua Diœceſi ad Synodos habendas excitantur, exemplo Pontificis, qui in Eccleſia Beneventana 38 Diœceſanas & 2 provinciales habuit.

Cap. 2. In virtute S. obedientiæ præcipitur, ut præter annuas Synodos, quovis triennio provinciales celebrentur.

Cap. 3. Diœceſanæ Synodi ſemel ſaltem in anno celebrentur.

Cap. 4. Eccleſiarum capitula, ſi non habent antiqua ſtatuta, nova conficiant, Tridentino, & Conſtitutionibus Pontificiis conſentanea, ab Epiſcopis examinanda. Conſuetudines non niſi rationabiles tolerentur.

Cap. 5. In Statutis exprimatur, quænam ſint Eccleſiarum origines, fundationes, inſignia, jura, conſuetudines, redditus, onera & munera, nihilque in eis ſit, quod a juris diſpoſitione, Congregationum Decretis, uſuque recepto & approbato exorbitet.

Titulus III.

De Reſcriptis.

Cap. Unic. Quoniam Decreta ſuperiorum tribunalium Epiſcopis ſæpe non ſuo loco & tempore importune & crude obtruduntur, ſtatuitur, ut deinceps non ipſi Epiſcopo, ſed ejus Fiſcali, aut Cancellario extradantur.

Tit. IV.

De supplenda negligentia Prælatorum.

Statuitur, ut Abbates Regulares perpetui ab Episcopo Diœcesano benedicantur.

Tit. V.

De Temporibus Ordinationum.

Cap. 1. Qui habent privilegium, ut possint ordinari a quocunque Episcopo extra tempora, ordinari non possint, nisi a proprio Episcopo.

Cap. 2. Regulares habentes privilegium, sive expresse, sive per communicationem, ut extra tempora ordinari possint, tuto illo possunt uti.

Tit. VI.

De ætate & qualit. Præfic.

Cap. 1. Disquisitio de admittendis ad primam tonsuram.

2. Certæ Ecclesiæ servitio adscribantur.

3. Ad sacros Ordines non nisi vere digni probatique promoveantur.

4. Ordinandi ad Beneficium alienæ Diœcesis, ab Episcopo domicilii examinentur, & litteris testimonialibus ab eo sint instructi.

5. Circa promovendos ad Canonicatus & Beneficia simplicia justitia distributiva observetur.

Tit. VII.

De Officio Judicis Delegati.

Cap. 1. Episcopi diligentem curam suæ Diœcesis gerant, visitent, executioni Decretorum invigilent, & corpore licet absentes, spiritu tamen cum Apostolo sint præsentes.

2. Episcopus in oppidis insignibus Vicarios Foraneos constituat, doctrina, probitate, & prudentia præditos.

Tit. VIII.

De Officio Judicis ordinarii.

Cap. 1. Episcopi quot annis totam Diœcesin diligenter visitent, aut saltem, si ampla sit Dœcesis, singulis bienniis, & quidem per se ipsos, si fieri possit.

2. Epi-

2. Episcopus in Vicarium Generalem non eligat fratrem suum, aut nepotem, vel civem urbis Episcopalis.

3. Pro pauperibus in quavis civitate constituantur procuratores vel advocati, qui gratis eorum causas agant, curentque Episcopi, ut in sua civitate erigant Confraternitatem S. Ivonis, prout Romæ est instituta, magno cum pauperum solatio.

4. Clerici Episcopo solvant Cathedraticum, quod est duorum solidorum, in signum honoris & subjectionis erga Cathedralem Ecclesiam. Nec potest Episcopus illud ex integro remittere.

5. Regulares, in quorum Ecclesiis defuncti tumulantur, parochis quartam funeralium solvant.

Tit. IX.

De Majoritate & obed.

Cap. 1. Episcopi exempti, qui sibi Metropolitanum necdum elegerunt, illum tandem secundum præscriptum Trid. eligant, & provinciali illius Synodo intersint.

2. Non tamen in Metropolitanum eligi potest Archiepiscopus, qui Provincia & suffraganeis caret; quia talis non potest Synodum provincialem cogere.

3. Ut Clerici sub Episcoporum disciplina contineantur, exemptioni modus ponatur.

Tit. X.

De Foro competente.

Ut omnis cupiditatis suspicio a foro Episcopali dimoveatur, in caussarum expeditionibus taxa servetur. Si nulla habetur taxa, in prima Diœcesana Synodo conficiatur, & ad Papam pro confirmatione mittatur.

Tit. XI.

De Feriis & Festorum observantia.

Cap. 1. Dies festi cultui Divino & devotioni impendendi, non vero otio, aleis, choreis, comessationibus, aliisque vanitatibus. Missa sub gravi præcepto audienda, & abstinendum ab opere servili.

2. Messis tamen & vindemiæ tempore, aliaque simili urgente necessitate, cui tunc aliter provideri non possit, potest Episcopus licentiam dare, servile opus faciendi, Missa saltem prius audita.

Tit. XII.

De Fide Instrumentorum.

Cap. 1. Bonorum Ecclesiast. Inventaria infra annum conficienda, atque ab Episcopis recognoscenda.

2. Authenticum Inventarii exemplar unum custodiendum in Archivio Apostolico, alterum vero in Episcopali.

3. Custodiatur Archivium Episcopale, & in ordinem disponatur; ubi vero non habetur, erigatur; atque in eo omnia Instrumenta causarum, processuum, aliaque documenta, ad Diœcesin pertinentia, reponantur.

4. Moriente Episcopo vel peregrinante Archivium bene custodiendum.

5. Decernuntur pœnæ in violantes Archivium.

6. Quælibet Ecclesia Archivium loco tuto habeat & instruat.

Tit. XIII.

De Jurejurando.

Cap. 1. Episcopi servent juramentum visitandi limina Apostolorum.

2. Prohibetur, ne juramentum de veritate dicenda exigatur a criminaliter inquisitis.

Tit. XIV.

De Appellationibus.

Cap. 1. Non deferendum appellationibus, quæ ad injustitias & diffidia fovenda usurpari videntur.

2. Constituitur Romæ Procurator pro Episcopis & Regularibus Superioribus, a quorum sententia in causa criminali a reo fuerit appellatum.

Tit. XV.

De celebratione Miss. Sacramento Euch. & Divinis Officiis.

Cap. 1. In his approbati & præscripti ritus observandi.

2. Observandum Decretum Clementis XI circa usum Altaris portatilis, & Oratoria privata, sublata insuper cuivis in privatis cubiculis, ubi dormiri solet, celebrandi facultate.

3. Refertur Decreti Clementini declaratio, ab Innocentio XIII facta, circa personas Episcoporum, iter agentium.

4. Anni-

4. Anniversarium pro summis Pontificibus infra octavam commemorationis omnium defunctorum celebrandum in Capella Pontificia, & Ecclesiis Patriarchalibus saltem & Collegiatis Urbis.

5. Idem fiat in singulis Diœcesibus pro defunctis Episcopis.

6. Vetatur indecorus concentus musicus, & organorum pulsatio in Missis pro defunctis, item tempore Adventus & quadragesimæ, exceptis Festis.

7. In festi Corporis Christi processione, præter consueta lumina, 4. laternæ accensæ deferantur.

8. Cassinensibus datur facultas super Missarum reductione, certis tamen conditionibus. Eadem facultas datur Episcopis hujus Concilii.

9. Clerus quater saltem in mense conveniat ad discutiendos alternatim Rituum & conscientiæ casus.

Tit. XVI.

De vita & honest. Cleric.

Cap. 1. Episcopi præluceant, & juxta Ordinationis tempus alius alii deferat locum & honorem.

2. Consuetudine Sæcularium Dignitatem suam ne deprimant, præsertim in aulis Principum, quas non oportet accedere, nisi suadente necessitate, pietate, vel utilitate Ecclesiæ, nec iis discumbentibus ipsi stent.

3. Clerici studiis & sacris litteris se exerceant: sacros ritus, rubricas, cantum Gregorianum, ceremonias calleant: Divina munia in Ecclesia obeant cum pietate & majestate: a profanis, venationibus, ludis indecoris, mulierum familiaritate, abstineant.

4. Curialibus laicis toga Clericalis nigra conceditur, non autem collare, clericis proprium.

5. Clerici in sacris singulis 15 diebus confiteantur & communicent intra Missarum Solennia: Clerici vero inferiores quolibet saltem mense.

Tit. XVII.

De Clericis non resident.

Cap. 1. Refertur Decretum Concilii Trid. de Residentia Episcoporum.

2. Episcopi post mensem a sua electione ad Ecclesias suas se conferant.

3. Fa-

3. Facultates Epiſcoporum abſentiæ a *Congregatione ſuper Epiſcoporum Reſidentia* examinentur & corrigantur.

4. Stylus Congregationis Concilii quoad hoc obſervetur.

5. Quid aliud præter teſtimonium Medici pro licentia abſentiæ requiratur, ad Congregationem remittitur.

6. Parochi ultra biduum absque Epiſcoporum licentia non abſint.

7. Ad reſidentiam obligati ne diutius in urbe commorentur.

Tit. XVIII.

Ne Sede Vacante &c.

Cap. 1. Sede vacante Vicarii Capitulares diſciplinæ invigilent.
2. Intra annum Sedis vacantis ne dentur Dimiſſoriæ.

Tit. XIX.

De Rebus Eccleſiæ non alien.

Immobilia Eccleſiarum bona ultra triennium aut quadriennium ne dentur in emphyteuſin aut locentur (niſi evidens Eccleſiæ utilitas id exigeret) absque ſpe renovationis. Ne laudemium pro primo ingreſſu majus recipiatur in præjudicium annui canonis. Completo conceſſionis tempore, ſeu adveniente caſu devolutionis ne fiat amplius renovatio emphyteuſis aut locationis, ſed bona incorporentur rurſus Eccleſiis.

Tit. XX.

De Teſtamentis.

Cap. 1. Teſtamenta, quæ Parochiani coram duobus vel tribus teſtibus a Presbytero ſuo conficienda mandarint, rata ſunt & valida: niſi obſtet Statutum, auctoritate Apoſtolica in forma ſpecifica confirmatum, quo Juris civilis diſpoſitio ſervari mandetur. Teſtes eodem numero adhibeantur, ſi quædam ad pias cauſas coram confeſſario legentur, legansque coram teſtibus dicat, ſe ita velle obſervari.

2. Laudatur conſuetudo, qua Epiſcopi aliquid applicant de hæreditate pro anima defuncti, qui inteſtatus deceſſit.

Tit.

Tit. XXI.

De Regularibus.

1. Regulares ad ſubdiaconatum promovendi authenticum teſtimonium de ſolenni emiſſa profeſſione, & factis exercitiis habeant.

2. Regulares non niſi ab Epiſcopo propriæ Diœceſis ad Ordines promovendi, ſervata forma Decreti Clementis VIII.

3. Tractatur de Monialibus, earumque paupertate. Conſtitutio Clementis VIII de largitione munerum innovatur.

4. De puellis in aſceteriis Monialium pie educandis.

Tit. XXII.

De Statu Monachorum & Eremitarum.

Cap. 1. Eremitarum ſtatus, olim tam florens, reparandus cura Epiſcoporum.

2. Quam in rem præſcribuntur regulæ.

3. Quot annis Epiſcopus eos convocet, de Eccleſiis, quarum ſervitio ſunt deputati, de eremis, eleemoſynis, & in via ſpirituali profectu rationem reddituros.

Tit. XXIII.

De Religioſis Domibus &c.

Cap. 1. Epiſcopi laicorum Confraternitatibus curam ſuam impendant, ut in omnibus Conſtitutionem Clementis VIII obſervent.

2. Epiſcopi rationem adminiſtrationis quot annis ab eis exigant, aut Miniſter ſaltem ejusdem ſit præſens.

Tit. XXIV.

De Jure Patronatus.

Cap. Unicum. Epiſcopi inquirant, quinam Patronatus ſint legitimi, & juſto titulo acquiſiti, atque ad Sedem Apoſt. referant.

Tit. XXV.

De Conſecratione Eccleſiæ &c.

Cap. 1. Curent Epiſcopi, ut altaria, necdum perfecta, perficiantur, & ſolenniter conſecrentur.

2. Atque Encænia ſeu anniverſarium Dedicationis quot annis celebretur.

3. Si dubitetur, an Eccleſia vel altare ſit conſecratum, abſolute conſecrentur.

Tit. XXVI.

De Bapt. & Confirmat.

Cap. 1. Benedictio fontis baptismalis bis in annó perficiatur, & ſolennius miniſtretur.

2. Baptizati candida veſte induantur, in ſignum regenerationis & novæ innocentiæ.

3. Catechiſmus baptizandorum extra Eccleſiæ januam peragatur, baptiſmus vero in Eccleſia miniſtretur.

4. Confirmationis ſacramentum magna devotione & reverentia conferatur & recipiatur.

Tit. XXVII.

De Eccleſiis ædificandis &c.

Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum fabricis fructus dimidii primi anni de quolibet Beneficio applicentur.

Tit. XXVIII.

De Immunitate.

Cap. 1. Confirmatur Conſtitutio *Cum alias nonnulli* Gregorii XIV.

2. Laicos, qui Clericorum immunitatem violare, eos ad ſuum tribunal citando, aut eorum Jurisdictionem turbando, non verentur, Epiſcopi cenſuris Eccleſ. perſtringant.

3. Uti etiam laicos prohibentes, ne juvenes absque ſua licentia ſtatum Eccleſiaſticum amplectantur, & ipſos talem facultatem petentes.

4. Laici Officiorum Divinorum tempore ne ingrediantur intra ſepta presbyteriorum & altarium.

Tit. XXIX.

De Accuſationibus.

In Conciliis provincialibus teſtes ſynodales eligantur, qui in ea, quæ in Diœceſi correctione aut reformatione indigent, inquirant, & ad Epiſcopum deferant.

Tit.

Tit. XXX.

De Magistris.

Cap. 1. Circa Seminaria jam erecta observentur, quæ Trid. ordinavit: circa erigenda vero, quæ Bened. XIII Constitutione peculiari disposuit.

2. Omnes, ad sacros Ordines promovendi, per sex saltem menses continuos in Seminariis vel Episcopiis commorari debent, ubi Theologia Morali, sacris ritibus, Catechismi Romani doctrina, atque sacris Exercitiis sunt imbuendi.

Tit. XXXI.

De Sent. Excomm.

Cap. 1. Ubi alia suppetunt Juris remedia, non est descendendum ad excommunicationem, utpote qua caute utendum Episcopis.

2. Censuras, ab uno Episcopo latas, etiam alii observent, præsertim Regulares.

Tit. XXXII.

De Pœnit. & Remiss.

Cap. 1. Excommunicatur Medicus, si tertio ad ægrotum invisat, antequam sacramentum pœnitentiæ susceperit.

2. Regularibus Episcopus non committat munus Confessarii, nisi a suis superioribus aptitudinis testimonium habeant.

3. Pueri circa sacramentum pœnitentiæ instruantur, sed ita caute, ut nihil mali, quod nesciant, discant.

4. In Cathedralibus constituatur Præbenda pro Pœnitentiario, qui statis diebus & horis in Ecclesia Cathedrali in sua sede Confessionali sit præsens; & tunc, & non alias, si Canonicus erit, fructus integros faciat suos, acsi choro interesset.

Subscriptiones.

Huic Synodo subscripserunt 32 Cardinales. 4 Cardinalium Procuratores. 44 Episcopi. 3 Abbates. 23 Episcoporum, & 5 Abbatum Procuratores. Præter hos interfuerunt Concilio 48 Theologi, 31 Decretalistæ, 7 Historici, Chronologi, & Geographi Sacri. 2 Promotores Fiscales. 2 Secretarii. 7 Magistri Ceremoniarum. 2 Notarii Apost. 3 Scribæ. Cum aliis pluribus officialibus.

Appendix.

Addita prolixa appendix de explicanda doctrina Christiana: De Præbenda Theologali & Pœnitentiaria: De Obligatione Abbatum suscipiendi Benedictionem ab Episcopis, in quorum Diœcesi sunt electi. De Clericis laicali habitu incedentibus. De Quarta funeralium, parochis solvenda a Regularibus: De conficiendis Inventariis: De Archiviis. De Relatione status Ecclesiarum conficienda in visitatione sacrorum liminum.

De Appellationibus: De celebratione in Oratoriis privatis. De conventibus Clericorum hebdomadariis ad casus conscientiæ enucleandos, & sacros ritus. De vita & honestate Clericorum. De locatione & emphyteusi. De eremitis certæ Ecclesiæ servitio addicandis. De mediis fructibus primi anni fabricæ applicandis. De Ecclesiarum Immunitate locali. De Seminariis erectis & erigendis. De instructione puerorum pro sacra Confessione, & Communione.

Hæc omnia una cum Decretis recensitis collecta sunt in libro, anno 1726 Augustæ Vind. edito, juxta Exemplar Romanum.

Art. VIII.

Gesta sub Pontificatu Clementis XII. Cardinales. Motus in Corsica. Abdicatio Regis Sard. Domus Farnesia extincta. Bichi tandem Cardinalis. Cæsarei in Corsicam. Gastonis dispositio de Florentia, invito Cæsare.

94. Anno eodem, quo Benedictus XIII obiit (1730) a Cardinalibus, post varios motus, quos sæculares maxime Principes per suas *exclusivas*, ut vocant, concitaverant, magno tandem consensu electus est Laurentius Corsini Florentinus, *Clementis XII* assumpto nomine.

Mortui autem sunt eodem anno Cardinales: Barbarigus, Venetus, Episcopus Patavinus: Ansideus, Perusinus: Augustinus Pipia, Sardus, qui prius erat Generalis Ordinis S. Dominici: Pamphilius, Romanus: Bernardus Conti, frater Innocentii XIII: Caracciolus Neapolitanus: Collicola Spoletanus: Cusanus, Mediolanensis.

Cardinales.

Creati

Creati vero a novo Pontifice sunt Grimaldus Genuensis, sub tribus Pontificibus Nuntius Apost. Viennæ: Musseus Pedemontanus, Nuntius Parisiis: Aldobrandinus Florentinus, Nuntius Venetiis & in Hispania: Ruspolus Romanus, Secretarius Congregationis de propaganda Fide: Corsinus nepos Pontificis. Allemannum autem Salviati, Florentinum, Benedictus XIII adhuc ante mortem renuntiaverat.

Corsica intestinis turbis miscetur, incolis adversus Genuenses, Dominos suos, insurgentibus. Nam cum Gubernator pecuniam reposceret, quæ Corsis anno superiore ad coemendum frumentum fuerat suppeditata, & alioquin cum jugo suo ægris animis luctarentur, ad 20000 conglobati, ductore *Pampiliano*, Bastiam, urbem Insulæ principem, fusis in tormenta campanis, expugnarunt, Gubernatore Pinello in arcem profugiente. Genuenses efferatos animos mollire satagebant; sed Corsi obstinatis in libertatem pectoribus seditioni suæ institerunt, per 30 jam annos in hanc usque diem continuatæ, ingenti Genuensis Reipublicæ molestia, sumptuque. Turbæ in Corsica.

Aula Taurinensis magnam hoc anno mutationem subiit, quippe *Victor Amedeus II* translato in filium *Carolum Emmanuelem* Regno Sardiniæ & Principatibus, sub nomine Comitis de Tende Camberium in Sabaudiam abiit, privatam ibi vitam acturus, reservatis sibi 25000 thaleris annuis. Abdicatio Amedei.

Verum anno sequenti pœnitere, & repetiturus sceptrum visus, in arce Rivolio fuit custoditus, conjuge Cevam abducta. Filius autem, lectis egregiis Ministris, Regimen sapientissime est auspicatus.

Aliquid tamen controversiæ cum Aula Viennensi incidit, ubi in Ducatibus Sabaudiæ, Pedomontii, & Montisferrati per Solarium Legatum infeudationem petiit, quæ tamen ceremonias modumque magis eam recipiendi, quam substantiam concernebat. Quo situ corporis Legatus eam reciperet, disputabatur, & an minora feuda coram Judicio Aulico?

De aliquibus feudis etiam cum Aula Pontificia mota est quæstio, an Pontifex ea tanquam Dominus directus, an vero Rex conferret. Rex contulit, Roma protestante.

Anno 1731 obiit *Antonius*, *Dux Parmensis*, 52 ætatis, Regiminis quarto, ultimus masculæ stirpis Farnesiæ. Supererat autem ejus ex fratre Odoardo Neptis *Elisabetha*, Regina Hispaniæ, cujus filius Carolus, natu maximus, secundum Fœderis Quadrupli & pacis Viennensis placita tunc successisset, nisi Henrica, Ducis Antonii vidua, 95. Domus Farnesia emortua.

Administratio provisionalis. vidua, Ducis Mutinensis filia, prole gravidam se dixisset. Nam interim Cæsar, donec eventus ostenderet, quid rei subsit, immissis octo armatorum millibus, Ducatum Parmensem & Placentinum occupavit, & per Comitem Stampa administravit.

Cum autem Henricæ imaginatio & spes prolis disparuisset, Caroli jus nemo amplius disputabat. Quia tamen minorennis adhuc erat (15 videlicet annorum) Imperator Dorotheam Sophiam Palatinam, Elisabethæ, Hispaniæ Reginæ, matrem, Caroli Principis Aviam, provinciarum Regentem, Florentiæ vero Ducem Caroli, donec 18 ætatis annos implesset, tutorem constituit, recedente Cæsareo milite, & præsidio nationali locis munitis imposito, cui tamen Cæsar Parmæ Löwensteinium, & Placentiæ Wutgenavium præfecit, Friderico Wirtembergico militiæ præposito.

Clemens XII comperta Antonii Ducis morte, Oddum Parmam misit, utriusque Ducatus, ceu feudi Pontificii vacantis, possessionem capturum. Et favebant cives; sed ubi Stampa, exercitu admoto, vim minabatur, Castri etiam & Roncilionis invadendi mentione injecta, apertis portis, Cæsareum militem receperunt, Oddo solenniter protestante.

Obiit hoc anno 1731 unus tantummodo ex Cardinalibus, nimirum Jacobus Boncampagnus, Ducis Sorani filius. Creati vero sunt, Sinibaldus *Doria*, Vice Legati Avenionensis, & Archiepiscopi Beneventani perfunctus muneribus: Josephus *Firrao*, Neapolitanus, Nuntius in Helvetia & Lusitania: Antonius *Quadagni*, Florentinus, Episcopus Aretinus, Pontificis ex sorore nepos, ex Carmelitano Ordine assumptus: Xaverius *Gentili*, Romanus.

Bichi Cardinalis. Ac tandem Vincentius *Bichi*, Senensis, magnarum contentionum vel auctor vel occasio. Erat quippe Nuntius Apost. in Lusitania. Rex, avocatum licet, noluit dimittere, nisi purpura ornatum: quam tamen Innocentius XIII & Benedictus XIII constanter ei negaverant. Contentio eo usque incaluerat, ut Rex omnes Lusitanos Roma avocaret, commerciumque cum eadem suis interdiceret, neque admitteret Firaum, quem Papa Nuntium Bichio substituerat. Denique Clemens XII cedendum ratus, Bichio Cardinale renuntiato, Regem pacavit.

Cæsarei in Corsicam. Quamvis Genuenses 4000 milites in Corsicam miserint, sopire tamen non poterant turbas. Quare 6000 Cæsareorum, quos Wachtendonchius Tribunus ducebat, in Insulam transportarunt, suis stipendiis alendos. Verum nec decem ista millia sufficiebant; siquidem Corsi, jam fugiendo in montes, jam majori numero reversi, omnem

omnem operam ludebant: nec movebantur, cum oppida sua conflagrare cernerent.

Conditiones tamen dandæ pacis obtulerant, quas Genuenses acceptare non poterant. Petebant etenim, omnia privilegia sibi restitui. Extraordinarias exactiones, quibus ab anno 1715 contra litteras suæ libertatis fuissent pressi, penitus tolli. Sibi dedi eos, qui talium exactionum causa fuissent. Omnia præsidia ex Insula abduci. Adhæc postulabant, magnam ejusdem partem, supremo jure gubernandam, sibi cedi. Corsorum postulata.

Luccana Respublica recusabat, Cervionem, a Pontifice designatum Archiepiscopum, acceptare. Unde Papa ejus Legato accessum prohibuit. Postea tamen cessit quoad personam, & Colloredum eis dedit Archiepiscopum.

Gasto Dux Florentiæ de nulla hactenus conventione circa Ducatum suum mentionem fieri voluit. Jam vero animum ad Carolum, Hispaniæ Principem, ex Margaretha avi sui sorore descendentem, opera P. Salvatoris Ascanii Capucini, Hispaniæ Internuntii, magis applicuit, & pactum velut Familiæ erexit. Gastonis dispositio de Florentia.

In hoc statuitur, ut, si Magnus Dux sine masculo hærede decederet, Princeps Carolus ei immediate succedat, huic vero filius natu maximus, & si tali careret, frater. Si autem nullus talis superesset, Elisabetha, Regina Hispaniæ, Caroli mater: ac desuper Senatus Florentini subscriptio & juramentum exigatur. Ex parte autem Caroli promittitur solutio debitorum status.

Ecclesiasticum & Politicum Regimen in statu quo conservetur, relictis subditis suis privilegiis. Commerciis cum Hispania fruantur, quibus amicissimæ Nationes. Interea autem Dux regat, quamdiu vivit, sicut antea. Post mortem autem illius omnia bona, mobilia & immobilia, feudalia & allodialia, ubicunque sita, Carolo tanquam Magno Duci obtingant, cum aliis juribus, prout ea Domus Medicæa possederat. De bonis autem hæreditariis, ab avia sua Victoria, ultimi Ducis de Urbino filia, relictis, Gasto sibi reservat liberam dispositionem.

Post mortem Gastonis ejus soror Maria Anna, Electoris Palatini vidua, Magnæ Ducis titulum gerat, & ex publico fundo ejus Aula sustentetur, atque usque ad majorennitatem Caroli tutrix regat: imo etiam, postquam Carolus 18 annos impleverit, omnia ejus consilio dirigantur. Horum denique sponsio ab Anglia & Hollandia petatur.

Ad-

Adjectus fuit separatus articulus, quod Princeps Carolus vivente adhuc Gastone Florentiam venire, & ibidem suis sumptibus degere possit, quin tamen Regimini se misceat: simulque Gasto permittit copiis Hispanicis liberum in Parmensem Ducatum transitum, quin tamen in ditione Florentina subsistant.

Quæ displicet Cæsari. Non placuit Cæsari hæc conventio, quod per eam de Imperii feudo velut libera hæreditate disponeretur, contra tenorem Quadrupli Fœderis, & pacis Viennensis. Sed res ista commoda interpretatione salvi juris Cæsarei fuit composita, ita quidem, ut Carolus cum sex millibus Hispanorum in Hetruriam trajiceret.

Violantæ obitus. Obiit hoc anno *Violanta* Beatrix, Ferdinandi Florentiæ Ducis jam ab anno 1713 improlis vidua, Senensis Gubernatrix, ætatis anno 58. Hæredem scripsit Ferdinandum, Ducem Bavariæ, suum ex fratre nepotem.

Art. IX.

Coscia in jus vocatus. Pactio cum Corsis. Carolus Dux Parmæ. Lusitania placata. Sententia in Cosciam. Bellum Italicum. Carolus Neapolim occupat & Siciliam. Pugna ad Bitontum. Papa Investituram negat. Pugna Parmensis, & Guastallana. Mercius occumbit.

96. Anno 1732 continuatæ sunt Controversiæ Pontificem inter & Aulam Taurinensem, ratione Jurisdictionis & Immunitatis Ecclesiasticæ, cum Venetis vero Romæ propter asylum Palatii Veneti Legati.

Coscia in jus vocatus. Cardinalis Coscia, qui post mortem Benedicti XIII Neapolim se receperat, citatus est Romam, ut actorum suorum rationem reddat. Comparuit, atque ad examen tractus est.

Cardinales obierunt, Prosper Marefoschi, Cornelius Bentivoglio, & Emericus Czacky. Creati vero sunt novi, videlicet 1. Trajanus *Aquaviva*, Præfectus Palatii Apost. Ducis Atri in Neapolitanis filius. 2. Agapitus *Mosca*, Pisaurus, Camerarius Apostolicus.

Neapoli Dux Coscia, Cardinalis frater, prædium emit a Cardinale Cibo, sed lite apud Cæsarem mota restituere debuit, eo quod esset

esset Fideicommissum Familiæ. Harrachio Proregi Neapolis suffectus est Julius *Vice-Comes*, primus hactenus Minister Aulæ Bruxellensis.

Cum Corsi tumultuari pergerent, Cæsar, a Genuensibus imploratus, adhuc 6400 militum in Corsicam misit, sub Ludovico Würtembergio & Schmettavio; a quibus, post varia certamina, cum Corsis Conventio sub Cæsarea cautione est inita.

1. Captivi liberentur. 2. Corsi etiam assumantur ad officia militaria, ne quidem suprema belli præfectura excepta. 3. Collatio Beneficiorum sit penes quamlibet Ecclesiam. 4. Præcipuæ regni familiæ Nobilitati Genuensi adscribantur. 5. Quatuor ex octo Episcopatibus Insulæ Corsis conferantur. 6. Corsis fas sit, scholas & seminaria propriis sumptibus erigere. 7. Mediolani sit tribunal, ad quod Corsi appellare, atque ad Cæsarem, ceu sponsorem, possint recurrere, si Genuenses hos articulos non servarent. Pactio cum Corsis.

Quatuor nihilominus seditionis capita, Bastiæ capta, Genuam abducta sunt, quo etiam Würtembergius concessit, relictis sub Wachtendonckio aliquot cohortibus, & 2000 Genuesium.

Aloysio Mocenigo Venetorum Duci successit Carolus Ruzzini, Procurator S. Marci, qui Ultrajectensi & Passarovicensi pacificationi interfuerat, de Republica optime meritus.

Dux Carolus hoc anno Parmæ & Placentiæ magna cum veneratione exceptus est, Duce de Liria, Hispano Viennæ Legato in id incumbente, ut Cæsar Investituram eidem conferret, Roma vero petente, ut feudum Pontificium recognosceret. Florentiæ autem Carolus jam ante homagium receperat, invito Cæsare, ac protestante. Usus etiam est Carolus titulo Principis Castri & Comitis Roncilionis. At Pontifex sua jura reposuit, hæc Romanæ Ecclesiæ feuda dudum cum Dominio directo fuisse consolidata. Carolus Dux Parmæ.

Anno 1733 Galli Avenionem cingebant, quod homines, qui vetitas merces regno intulissent, in illam velut asylum confugissent. At res per Vice-Legatum cum Mallebojo, eorum Duce, brevi fuit composita.

Bichio Cardinale creato, restituta omnino fuerat Sedem inter Apost. & Joannem V Regem Lusitaniæ amicitia. At hoc anno Rex petiit, ut eorum, qui ad Inquisitionem traherentur, bona fisco addicerentur, & appellatio eorum ad Regem deferretur, atque ut Patriarcha Olyssiponensis deinceps semper Cardinalis esset. Prima duo negabantur; ad tertium responsum, modernum Patriarcham ad Cardinalatum promotum iri. Lusitana.

Obierunt Cardinales, Salviati, Borgia, Banchieri, Doria, Grimaldi: creati vero, Dominicus *Riviera*, Urbinas, commendatione Jacobi III Regis Angliæ: Joannes Bapt. *Spinola*, Genuensis, qui hactenus fuerat Gubernator urbis: Marcellus *Passeri*, Auditor Palatii Apostolici.

Sententia in Cosciam. In Cardinalem Coscia lata fuit sententia, ut decennem custodiam in Castro S. Angeli subeat. Beneficiis Ecclesiasticis sit privatus, prout etiam jure eligendi Pontificem. Damnum Cameræ Apostolicæ illatum compenset, & insuper mulctam pecuniariam pendat; quod gratia prioris Pontificis abusus, lucri cupidus, munera acceperit, falsi & Simoniæ reus, injustas opes corraserit &c. Verum rigor hujus sententiæ multum dein est mitigatus, loco carceris Monasterio S. Alexii substituto.

Romæ baptizatus est Princeps Maroccanus.

Sardus investitus. Rex Sardiniæ, compositis utcunque circa ceremonias controversiis, per Comitem Solarium Investituram feudalem in Ducatus Sabaudiæ, Pedemontii, Montisferrati, terras Langharum, & Vicariatum Italiæ, coram throno Cæsareo receperat, cum legatus conqueritur, portam sibi non satis, ut fieri soleret, ad introitum fuisse apertam.

97. Brevi autem post fœdus, cum Gallia & Hispania initum, Rex promulgavit, & edito *Manifesto*, ut vocant, Cæsari bellum indixit.

Bellum denuntiat Cæsari. Gallicus interea exercitus, 40000 constans, Ductore Villario, per Delphinatum & Sabaudiam in Pedemontium profectus, ad Vercellas cum 12000 Sabaudorum se conjunxit. Indeque Rex, supremus, ut tabulæ fœderis statuerant, belli Præfectus in Ducatum Mediolanensem movit: ibique anni hujus expeditione quatuor insignia munimenta, Vigevanum, Paviam, Pizzighetonam, atque adeo

Mediolanum occupat. ipsam permunitam Mediolanensem arcem cum urbe occupavit. Daunius vero, Mediolani Gubernator, comperta hostium irruptione, cum Archivio Mantuam se recepit, indeque Viennam profectus, gratia Cæsaris excidit, quod Ducatui non melius providisset.

Carolus, Dux Parmensis, particeps tripli fœderis, publicari curavit, se, cum 14 ætatis annum attigerit, a Patre suo *Majorennem*, atque Regiminis capacem fuisse declaratum. Quo facto Sophia Dorothea, ejus Avia, & Gasto Dux Florentiæ, qui neutras partes sequebatur, tutelam Caroli posuere, Hispanus autem exercitus, *Montemario* ducente, Liburnum appulsus est.

Sequenti

Sequenti vero anno 1734 ſuis ſumptibus per ſtatum Eccleſia- 98.
ſticum in Regnum Neapolitanum, ipſo Carolo Duce ſupremo Archiſtratego, progreſſus, Traunium, qui vix ultra 3000 ſub ſignis habebat, a finibus S. Germani depulit, & Capuam inter & Cajetam caſtra locari coegit. Propulſo non minus Caraffa, Duce Cæſareo, a tranſitu Mignano, per Cajacium & Averſam proceſſit *Neapolim* usque, quam, expugnatis arcibus, triumphantis more Carolus ingreſſus eſt: Vice Comite Prorege Brunduſio Anconam trajiciente.

Carolus Neapolim expugnat.

Dux Caſtropignanus interea cum Marchione *Minaſio* in Apuliam movens a Caraffa eſt victus ad Bovinum; ſed Montemario cum ſuppetiis accurrente ad *Bitontum* decretoria commiſſa eſt pugna, qua victus Imperatoris exercitus profugit, Pignatellio, Rodoſchio, aliisque captis.

Pugna Bitontina.

Solæ ſupererant Cæſari duæ permunitæ urbes, Capua & Caјeta; verum illam Marſiliacus Traunio, hanc Dux de Liria Tattenbachio extorſit; ut adeo unius æſtatis expeditione totum Regnum Neapolitanum ab Hiſpanis expugnaretur.

Capua & Caјeta captæ.

Imo menſe Auguſto copiæ in *Siciliam* trajectæ, ſub Montemario *Panormum*, ſub Marſillaco *Meſſinam* occuparunt, ſequentibus exemplum capitum reliquis urbibus, Comite Saſtiago Prorege Melitam profugiente. Atque hac fortuna duo regna unius expeditionis fructus fuere.

Et Sicilia.

Hiſpanorum victoriam promoverunt, tum propria virtus bellica, tum paucitas Germani militis, tum etiam non omnium in Domum Auſtriacam fides integra.

Pontifex, ut tanquam Pater univerſalis neutri ex filiis magis favere videretur, tranſitum quidem innoxium per terras ſuas Hiſpanis permiſit, priſtini tamen poſſeſſoris memor, negavit tunc Carolo Hiſpaniæ Principi Inveſtituram Neapolitanam.

Papa Inveſt. negat.

Ex Cardinalibus hoc anno 1734 obierunt, Franciſcus Falconieri Romanus; Didacus Daſtorgas de Ceſpedes, Hiſpanus; Fridericus Comes Althanus, Germanus; Franciſcus Pignatelli, Archiepiſcopus Neapolitanus & Decanus ſacri Collegii. Eorum vero in locum ſuffecti ſunt

1. Pompejus *Aldovrandi*, Bononienſis, Gubernator urbis.
2. Seraphinus *Cenci*, Romanus, Archiepiſcopus Beneventanus.
3. Jacobus *Lanfredini*, Florentinus, Secretarius Congreg. Concilii.
4. Petrus Maria *Pieri*, Generalis Ord. Servorum B. V. M. natione Senenſis.

Corsi rursus tumultuantur.

Corsicani, insuperhabita conventione, qua ipsis insignia privilegia fuerant concessa, & quatuor etiam, qui capti fuerant, rebelles, cum famoso *Raffaele* fuerint liberi dimissi, stipulata plena amnestia, rursus, dum Genuenses tributa consueta exigebant, tumultuari cœperunt, *Ginastro* maxime & *Ornano* auctoribus, interfectis non paucis ex Genuensibus, & Castello Cortensi expugnato.

99. Gallo-Sabaudi, Ducatu Mediolanensi subacto, Mantuano imminebant. Verum Comes *Mercius*, cum 50000 per fines Venetorum, qui neutras partes sequebantur, in Italiam profectus, propulsis hostium stationibus, Padoque superato, *Mirandolam* cepit, atque inter Colornum & Parmam castra metatus est.

Pugna Parmensis. Mercii mors.

29 Junii ad *Parmam* pertinax & cruentum commissum est prælium, quo, ut fertur, 6000 Cæsareorum, 4000 Gallo-Sabaudi ceciderunt. Penes istos, opportuno loco dimicantes, victoria stetit, *Mercio* ipso, supremo Austriacorum Duce cum Principe *Culmbacensi* in acie cæso. Cæsarei versus Mantuam, ut eam defenderent, se receperunt, atque ad *Quistellum* tam opportune se locarunt, ut fœderati eos non auderent invadere; hoste utroque adversam Seciæ ripam occupante.

Königseckius. Broglium fugat.

Venit interea in castra Lotharius Comes *Königseckius*, in suprema belli Præfectura subrogatus Mercio, qui noctu cum parte exercitus, transmissa *Secia*, *Broglium*, Gallorum Ducem, nihil tale suspicantem, oppressit, & in tumultuariam fugam egit, multa præda relicta, captisque non paucis. Quod stratagema omnibus Germaniæ pagellis prædicabatur.

Pugna ad Guastallam.

19. Sept. prope *Guastallam* rursus ventum ad manus, pugnaque conserta acerrima, æquo ferme marte, in qua cum multis aliis cecidit *Ludovicus Würtembergius*. Post prælium Cæsareus exercitus versus Mantuam, servatis tamen ordinibus, se recepit, suppetias ex Tyroli exspectaturus.

Mirandolam Marchio *Mallebois* tentaverat; sed *Neupergius* Comes eum ab obsidione depulit. His utrinque gestis, in hyberna concessum est.

Fœderati Mutinam occupant.

Raynaldus Dux Mutinæ, quamvis se neutrum declarasset, quia tamen Cæsarei Mirandolam occupaverant, fœderati eum suspectum habebant, provinciamque ejus præsidiis tenebant. Ipse autem cum aula sua Bononiam abiit, Princeps vero ejus hæreditarius primo Genuam, dein Parisios.

Parmam & Placentiam Hispanica præsidia occupabant, reliquam ditionem Galli. Carolus vero Dux, post cessionem sui patris, renunciatus est *Rex utriusque Siciliæ*, magna cum solennitate Neapolim, sedem Regiam ibi fixurus, ingressus, singularem in omnes clementiam & liberalitatem exhibuit. Plerique Nobiles fidem ei jurarunt; quibus dein officia distribuit. *Montemarium* vero Principem *Bitontinum* dixit, ad memoriam victoriæ, ibidem relatæ.

Porro Hispanus exercitus, postquam nullus amplius in Neapolitano & Siciliæ regno debellandus supererat hostis, regressus magnam partem in Hetruriam, *Orbitellum*, aliaque, quæ Cæsareis adhuc præsidiis tenebantur, loca expugnavit.

Art. X.

Cæsareus exercitus se recipit in Tyrolin. Præliminaria pacis. Non placent Hispanis & Sardis. Turbæ Rom. Theodorus personatus Rex Corsicæ. Acceptatio Præliminarium.

Anno 1735 Königseckius Vienna, quo per hyemem concesserat, redux in Italiam, trium coronarum grandem exercitum conjunctum invenit, suum vero plurimum imminutum. Cum igitur resistendo non esset, ne reditus sibi in Tyrolin, aut communicatio cum illa intercluderetur, primum in Veronenses fauces, dein vero Roboretum se recepit. Secutus est quidem *Noallius;* sed omnes Tyroleos aditus ita obseptos munitosque invenit, ut penetrare nulla ex parte posset. 100.

Receptus Königseck i.

Hispani interea *Mirandolam*, quam Stenzius defenderat, expugnarunt; solaque in Italia Cæsari Mantua erat reliqua. De hac deliberatum inter fœderatos Duces. Montemarius eam oppugnari volebat, nolebat Rex Sardiniæ. Tandem obsidio placuit. Propugnavit autem eandem *Witgenavius*.

Mirandolæ deditio.

Verum dum hæc aguntur, nuntiantur Induciæ & *Præliminaria* pacis, Cæsarem inter & Galliam Viennæ inita. Constant illa septem Articulis, quorum Italiam quatuor contingunt, secundus videlicet, tertius, quartus, & quintus.

Præliminaria pacis.

2. Statuitur, ut Ducatus *Florentinus* post mortem Gastonis obtingat Duci *Lotharingiæ*, pro cessa *Stanislao*, Regi Poloniæ, Lotha-

 ringia.

ringia. Interim autem eductis ex Tuſcia Hiſpanis præſidiis, Cæſarea introducantur. Liburnus tamen portus liber maneat.

3. *Princeps Carolus* retineat regna Neapolis & Siciliæ; atque Rex utriusque Siciliæ agnoſcatur. Poſſideat etiam Portum Longum, & loca in littoribus Hetruriæ, quæ Pater ejus, Philippus V tempore Quadrupli Fœderis poſſedit. Per generalem amneſtiam omnibus reſtituantur bona & Beneficia Eccleſiaſtica, qui hoc bello alterutri parti adhæſerunt.

4. *Rex Sardiniæ* ex Ducatu Mediolanenſi conſequatur aut Novarram & Vigevanum, cum ſuis diſtrictibus, aut *Novarram* & *Tortonam*, prout elegerit, ſimulque *Langharum feuda*, quæ 56 loca complectuntur, ſed omnia ſub nexu feudali Imperii.

5. Reliqua omnia, quæ ante hoc bellum in Italia poſſederat, reſtituantur Cæſari; ſimulque *Parmæ* & *Placentiæ* Ducatus ei cedentur pro Neapoli & Sicilia. Prætenſionem vero in Ducatum Caſtri, & Comitatum Roncilionenſem non proſequatur. Domui autem Guaſtallæ ratione Mantuæ juſtitiam adminiſtret.

Non placent Hiſpanis & Sardis.

Hæc præliminaris conventio, a Sinzendorffio & Baunio Viennæ confecta, non placuit Hiſpanis, qui Tuſciam, Parmam, & Placentiam deberent dimittere, neque Regi Sardiniæ, qui ad Mediolanum reſpexerat. Unde Hiſpani, induciis cum Gallis jam factis, ab *Hildburgshuſio* ex agro Mantuano propulſi, Portum Herculis & Status præſidii expugnarunt. In Sicilia vero Rex Carolus magna cum ſolennitate fuit coronatus, brevique etiam Siracuſa & Trepanum, quæ hactenus reſtiterant, in poteſtatem Regis venerunt.

Corſi.

Corſi, Principum viribus alio abſtractis, animoſiores facti, jugo omni excuſſo, novum ſibi, qui regnum gubernaret, Senatum conſtituerunt, in quem lecti ſunt *Cicaldus*, *Paolus*, *Giafferus*. *Rivarola* vero præfectus fuit militiæ.

Veneti Ruzzino Duci ſuo mortuo ſubrogarunt Aloyſium *Piſani*, cujus loco procurator S. Marci electus eſt Bragadinus, & loco Vernieri defuncti Zacharias Canale. Patriarcha vero Aquilejenſis ſeu Utinenſis Delphinus conſecravit Cornerum novum Patriarcham Venetum.

Lud. Card. Borbonius.

Obiit Cardinalis Nicolaus Spinola, creati vero ſunt Joſephus *Spinellus*, qui Pignatellio Archiepiſcopus Neapolitanus ſucceſſerat. Alter, quem Papa ad commendationem Aulæ Madritenſis purpuræ honore donaverat, erat *Ludovicus Princeps Hiſpaniæ*, Caroli utriusque Siciliæ Regis frater, dictus ſubin *Cardinalis Borbonius*, etiam Archiepiſcopus Toletanus renuntiatus, quamvis novem tantum

tum esset annorum. Cum autem ad maturiorem pervenit ætatem, nec Galerus, nec Thiara placuit.

Obierunt quoque duæ Reginæ, Sardiniæ & Angliæ, videlicet Polyxena, ex Domo Hasso - Rhenofelsensi, & Clementina Jacobi III Conjux.

Anno 1736 magnus Romæ tumultus fuit concitatus. Cum enim Hispani milites frequentes per terras Status Ecclesiastici transirent, contributiones exigerent, & homines ad militiam adigerent, plebs Romæ palatium Farnesium invasit, fenestras lapidibus impetiit, & insignia Caroli Regis decussa confregit. Accurrerunt Marchio Crescentius, & ipse etiam Princeps a S. Cruce, Cæsaris Orator extraordinarius ad sedandas turbas; cumque aliqui tumultuantes a Cardinale Aquaviva, Hispano Legato, veniam rogassent, res composita videbatur. Turbæ Romæ.

At, cum ad Ostiam quatuor ad militiam coacti Romani, a plebe salinaria, captis officialibus Hispannis, eriperentur, turbo vehementius in Pontificias terras ac subditos incubuit, jussis etiam Cardinalibus Belluga & Aquaviva cum omnibus Hispannis Roma excedere. Obtulit quidem Cæsar, ceu Defensor Romanæ Ecclesiæ, auxilia, sed, recedentibus brevi Hispanis, iis haud opus esse videbatur.

101. Theodorus Rex Corsicæ.

Corsi hoc anno cœperunt exibere comœdiam, satis lepidam. *Theodorus Neuhoff*, natione Westphalus, Anglica navi vectus in Insulam splendido cum comitatu, apparatuque bellico, & duobus, ut fertur, thalerorum millionibus instructus, Rex Corsicæ libero in campo eligitur & coronatur, præmissa tamen Capitulatione: qua decernitur, ut regnum etiam ad posteros ejus transeat, 24 tamen habeat ex Corsis assessores, quorum 12 semper in ejus Aula versentur, & sine eorum consensu nihil gravius statuat: Genuenses, confiscatis eorum bonis, exesse jubeat. Ad honores non nisi Corsos evehat. Ultra 1200 peregrinos milites ne introducat. Academia & Ordo Equestris erigatur. Regi tributum pendatur &c.

Creavit dein Rex Theodorus novos Comites & Barones, atque ex iis Equestrem Ordinem constituit. Cum Genuensibus geminum prælium conseruit. Primo vicit, altero victus est; & cum pecunia jam deficeret, mutato habitu Liburnum evasit, relicto tamen promisso, cum nervo belli novoque apparatu propediem se rediturum.

Rex Sardiniæ hoc anno Præliminaribus Viennensibus subscripsit, extractisque Mediolano, Pizzigethona, & Cremona præsidiis, *Novar-* Sardus acceptat præliminaria.

Novarram & *Tortonam* cum suis districtibus elegit, simulque cum 4 aliis locis Langharum feuda ab Imperatore recepit. Despondit sibi Elisabetham Lotharingam.

Et Hispanus. Hispani, acceptatis tandem & ipsi Præliminaribus, *Parma* & *Placentia* excessere: illius, Cæsaris nomine, possessionem cepit Lobkovitius, hujus Wachtendonckius. Quia tamen cessionis acta necdum fuerant commutata, Hispani adhuc hærebant in Thuscia. Dux vero Mutinensis Bononia ad sua rediit. Quia autem tempore belli ejus ditiones multa sunt perpessæ, Imperator ei Ducatum *Novellaræ*, fiduciali jure possidendum, tradidit, ut ea ratione damnum ipsi compensaretur.

Novellara ad Mutinensem.

Obiit Emmanuel *Vilhena*, Lusitanus, Magister supremus Ordinis Melitensis, 15 anno Regiminis. Altera mox die Equites elegerunt Raymundum de Puig, Nobilem Majoricanum. Si intra tres a morte dies Equites non eligant novum Magistrum, jus devolvitur ad Papam.

Art. XI.

Regis Theodori fata. Nuptiæ Sardi. Stirps Medicæa extincta. Succedit Dux Lothringiæ. Obit Dux Mutinæ

102. Anno 1737 Controversia oriebatur inter Pontificem, & Carolum, Regem Utriusque Siciliæ, qui nominationem ad Episcopatus & Abbatias prætendit, vetuitque, ne quid ultra ad mortuas, ut ajunt, manus deveniret.

Obierunt 4 Cardinales, 1 Renatus Imperiali, Genuensis; in duabus electionibus dignus Pontificatu visus, sed Cæsareis non placuit. 2 Curtius Orighius, Præses Congregationis Concilii. 3 Henricus Bissius Gallus, Episcopus Meldensis. 4 Antonius Zandedari, Senensis.

Creati vero sunt sex. 1 Thomas Almeida, Lusitanus, Patriarcha Olyssiponensis. 2 Josephus Comes *Lambergius*, Episcopus Passaviensis. 3 Casparus *Molinos*, Hispanus, Episcopus Malacensis. 4 Henricus *Turenius d' Auergne*, Gallus, Archiepiscopus Viennensis. 5 Joannes *Lipsky*, Polonus, Episcopus Cracoviensis. 6 Carolus *Rezzonico*, Venetus, natus anno 1693. Dominus conservet Eum!!

Rex

Rex Carolus, accepta cessione Cæsaris, factaque pace, ad decem Hispanorum millia dimisit, regnaque sua sapientissime ordinavit. Consilio bellico præfecit Comitem Charnium, Boncampagnum Aulæ, Corsinum Siciliæ.

Corsi Regem suum Theodorum exspectabant reducem. At ille Amstelodami propter debita in custodiam datus; illis vero solutis liberatus, latuit, ut nemo sciret, quo devenisset. Genuenses novum in Corsicam miserunt Commissarium, qui turbas componeret; sed *Ortoconi* pervicacia effectum nihil. Theodori fata.

Veneti *Eduardo*, Jacobi III filio, ad urbem suam venienti, magnos honores exhibebant; quæ res tam graviter Londini accepta est, ut Legatus Venetus ex regno discedere fuerit jussus. Excusarunt Veneti, se id genus honoris aliis etiam Principibus deferre solitos. Cæterum Respublica a Cæsare permoveri non poterat, ut & ipsa in Turcam arma caperet.

Carolus Emmanuel Rex Sardiniæ tertium hoc anno matrimonium Lunevillæ per procuratorem, Principem Carignanum, agnatum suum, iniit cum Elisabetha Theresia, Francisci Stephani, Lotharingiæ Ducis, sorore. Rex illam in Sabaudia excepit, & mox Camberii Archiepiscopus Benedictionem nuptialem illis impertivit. Nuptiæ.

Imperator, pacificam Mediolani, Parmæ, & Placentiæ possessionem adeptus, omnibus tribus Ducatibus Gubernatorem præfecit Ottonem Ferdinandum *Traunium*, qui prius copiis Cæsareis Neapoli præfectus fuerat.

Florentiæ Acta Cessionis inter Cæsaream & Neapolitanam Aulam fuerunt commutata. Hispanæ copiæ decesserunt; Cæsareæ vero immigrarunt, atque ductore *Wachtendonkio* Pisam, Liburnum, & Portum Ferrarium occuparunt. Francisco Stephano vero Duci Lotharingiæ Investitura in eventum est collata.

At brevi post obiit *Joannes Gasto*, Dux Magnus Hetruriæ, 67 ætatis anno, Regiminis 14, Medicææ stirpis ultimus. Successit (fratre Ferdinando jam mortuo) Cosmo III patri suo 1723. Conjugem, vel quasi talem, habuit Franciscam, Julii Francisci, ultimi Ducis Saxo-Lavenburgici primogenitam, Philippi Palatini viduam, quæ tamen ab eo in Bohemiam ad sua bona jam pridem recesserat, propter impotentiæ, ut putabat, impedimentum. Supererat unica soror Maria Anna, Joannis Wilhelmi Electoris Palatini vidua, pariter sterilis: quæ ætate jam provecta quieti & præparationi ad mortem se dedit, mundo muliebri, regia habitatione, & 40000 scutorum annua pensione contenta. 103. Cum Gastone extincta stirps Medicæa.

Succeffit Dux Loth.

Succeffit igitur fecundum pacta publica in Magno Thufciæ Ducatu *Francifcus Stephanus* Dux Lotharingiæ, Imperatoris gener; & Princeps Marcus *de Craon*, Lotharingus, ejus nomine Acta Inveftituræ populo promulgavit, Ducatusque poffeffionem cepit, homagio & juramento fidelitatis exacto.

Obit Dux Mutinæ.

Obiit quoque *Raynaldus*, *Dux Mutinæ*, ætatis anno 83, Regiminis 44. Commendatione Jacobi I Regis Angliæ, qui ejus neptim habebat conjugem, primum factus eft Cardinalis, fed cum Francifcus II (ejus ex feniore fratre nepos) 1694 fine liberis deceffit, depofita purpura, eidem in Ducatu Mutinenfi fucceffit, ceu hæres proximus.

Anno 1696 duxit Carolinam Felicitatem, Joannis Friderici, Hannoverani Ducis (qui Catholicam Religionem profeffus fuerat) filiam, fororem Imperatricis Wilhelminæ Amaliæ. Propter quam affinitatem Raynaldus femper partes Auftriacas fuit fecutus.

Quapropter a Gallis bis Ducatu pulfus, videlicet 1703 & 1734. Sed bis iterum reftitutus, nempe 1706 & 1736. in compenfationem damni Novellaram a Cæfare accepit, prout etiam Aradum in Hungaria. Ducatum autem Mirandulæ & Concordiæ jam anno 1710 emptione acquifivit a Cæfare, proteftante licet Domo Gonzagana; in Ferrarienfi autem Ducatu infignia bona per hæreditatem, defuncto Marchione Eftenfi agnato.

Succedit Franc. filius.

Succeffit Filius *Francifcus Maria*, natus anno 1698, qui ducta anno 1720 Carolina, Philippi II Ducis Aurelianenfis, Galliæ tunc Regentis filia, ob, nefcio quas, diffenfiones, a Miniftris Aulæ nutritas, a patre Raynaldo fe feparavit, & modo Genuæ, modo Parifiis cum conjuge degebat. Tempore mortis paternæ bello Turcico interfuit; unde provincias interim foror adminiftrabat, donec frater, quem Imperator large Viennæ donatum rei tormentariæ per omnes in Italia Cæfareas provincias præfecit, Mutinam rediret, & habenas capefferet. Filius ejus *Francifcus* Conftantinus priore jam anno fibi defponderat Therefiam, Maffæ & Carraræ Principem.

Art. XII.

Investitura Siciliæ. Nuptiæ Caroli Regis. Galli in Corsicam. Theodorus in carcere. Alberoni spiritus. Obit Cienfuegos Card. Iencin fit Card. Obitus Clementis XII.

Anno 1738 Pontifex, compositis dissidiis, Carolo Regi utriusque *Siciliæ Investituram* contulit, postquam per Cardinalem Aquaviva juramentum fidelitatis deposuit. Recepit etiam a Colonna Comite Stabuli sonipedem cum 7000 aureis annuo canone. Protestati contra hos actus sunt Cardinalis de Judice & Comes Harrachius, Ministri Cæsarei, eo quod Rex Hispaniæ necdum subscripsisset tractatui pacis initæ. 104. Investitura Siciliæ.

Cardinales mortui sunt 4, nimirum 1 Fabius Olivieri, Pisaurus. 2 Hannibal Comes a Schrattenbach, Episcopus Olomucensis. 3 Franciscus Barberini. 4 Josephus Pereira. Suffecti vero tres. 1 Reinardus *Dolci*, Bononiensis, Nuntius Parisiis. 2 Dominicus *Passionei*, Fossombrunensis, Nuntius Viennæ. 3 Valentinus *Gonzaga*, Mantuanus, Nuntius Madriti.

Carolus Rex utriusque Siciliæ duxit *Mariam Amaliam*, Poloniæ Regis & Saxoniæ Electoris filiam primogenitam, splendida ubique veneratione exceptam. Frater ejus quoque, Princeps Electoralis, Romam & Neapolim invisit, sub nomine Comitis Lusatiæ, comitibus Wackerbarthio, & Brühlio. Rex, præter alias solennitates, *Ordinem S. Januarii* instituit; cujus regulæ sunt, defendere Religionem Catholicam: tollere inimicitias: Deo & Regi fidem servare: 19 Sep. Ordinis festo communicare: pro defunctis Equitibus orare: duello abstinere, nec illud acceptare: cultui Divino interesse. In hunc Ordinem, cujus Rex ipse supremus est Magister, primo suscepit Philippum & Ludovicum fratres suos, cum Principe Electorali Saxoniæ, dein præcipuos Nobilitate Proceres 48. Nuptiæ Regis. Ordo S. Januarii.

Inter Cæsarem & Regem Sardiniæ orta controversia ratione *Serravallis*, urbis & transitus in finibus Genuensibus, quem Rex ad Tortonam spectare dicebat, negabat Imperator.

Venit cum sex cohortibus Gallicis Comes *de Boissieux* in Corsicam, pacem suasurus; sed frustra, præsertim, postquam Theodorus cum novo rursus armorum apparatu in Insulam appulsus est. At hortatus incolas, ne Gallos audiant, fidique sibi persistant, Neapolin Galli in Corsicam.

Theod. in carcere. polin abiit, ubi captus, datusque Cajetæ in carcerem, brevi rursus liberatus eſt. *Caſtaneta* interea & Hyacinthus *Paoli* Gallos & Genuenſes vicerunt.

Anno 1739 mortuo Boſſieo Marchio de *Mallebois* ſuccedens, novas in Corſicam adduxit copias, Corſosque ita concidit, ut multi cum *Paolo* & *Giaffero* ſe ſubmitterent.

Dux Magnus in Italiam. Franciſcus Stephanus Dux Magnus Hetruriæ cum conjuge ſua Archiduce in Italiam profectus 20 Jan. Florentiam attigit, rebusque ibi compoſitis, Taurini ad ſororem inviſit. Sereniſſimum hoc par Veronæ, Mantuæ, Bononiæ, Florentiæ, Liburni, Piſis, Mutinæ, Parmæ, Placentiæ, Mediolani, Oeniponti, quo Mater Ducis Nanceio excurrerat, incredibili, ut par eſt, ſolennitate exceptum eſt. Itineris Comes fuit Princeps Carolus, Ducis frater.

Cum Aula Taurinenſi adhuc fervebat diſceptatio de Serravalle, an ad territorium Tortonenſe pertineat; tandem tamen Rex tractatui, Cæſarem inter & Galliam inito, ſubſcripſit.

Franciſcus Maria Dux Mutinæ Inveſtituram *Novellaræ* ab Imperatore accepit. Conjux ejus Carolina Aglais, poſt quinquennem in Gallia, patria ſua, moram, Mutinam rediit.

Alberoni ſpiritus. In parva S. Marini Republica inter ſenatum & populum ortis diſcordiis, hic ad Sedis Apoſtolicæ tutelam recurrit. Quare Cardinali *Alberonio*, Ravennæ Vice-Legato, injunctum eſt, ut cauſam cognoſcat, & pro æquitate componat. At ille, adhucdum Martiis ſpiritibus fervens, armato cum milite in urbem irrupit, & Pontifici homagium præſtari petens juramentum fidei imperavit. At Pontifex, re cognita, omnia in priſtinum ſtatum reponi juſſit.

Cienfuegos obit. Obierunt hoc anno Cardinales tres: 1 Alvarus *Cienfuegos*, Hiſpanus S. J. anno æt. 82, vir profundiſſimæ doctrinæ Theologicæ, prout ænigma ipſius Theologicum de SS. Trinitate ſatis demonſtrat, nec minus tamen politicis artibus clarus. Quapropter eum Cæſar ſuum Romæ Oratorem eſſe voluit. Quamvis autem eidem etiam Montis Realis in Sicilia Archiepiſcopatum attribuiſſet, ſolutis tamen debitis, nihil ſuperfuit. 2 Carolus *Colonna*. 3 Georgius *Spinola*.

Tencin Card. Subrogati vero ſunt quinque: 1 Cajetanus *Stampa*, Archiepiſcopus Mediolanenſis. 2 Petrus *Tencin*, Gallus, Epiſcopus Ebrodunenſis, vir magna probitate & doctrina, quam oſtendit, dum poſtea Romæ Gallici Legati munere fungeretur, & Pariſiis inter intimos Miniſtros aſſumeretur. 3 Marcellinus *Corio*, Mediolanenſis, Gubernator Romæ. 4 Proſper *Colonna*, Romanus. 5 Carolus Maria *Sacripanti*, Narnienſis.

Quan-

Quantum ad Nuntios, Barnius ibat in Hiſpaniam, loco illius Durini in Helvetiam, Archinto Florentiam, Oddi Venetiis in Luſitaniam, Crivelli Coloniam, Creſcentius in Galliam, Stoppani Florentia Venetias. Nuntii.

Anno 1740 obiit *Clemens XII* Pontifex Maximus, ætatis 88, Pontificatus X. Multas Conſtitutiones edidit, quæ Bullarii Romani Tomum XIII & XIV implent: primam conſtituunt Regulæ Cancellariæ, quas more aliorum Pontificum confirmavit, & breviter delibandas cenſui. Obit Clem. XII.

Art. XIII.

Regulæ Cancellariæ.

Et imprimis quidem renovavit & confirmavit 72. *Regulas Cancellariæ*, ſimiles illis, quibus alii Pontifices a longo tempore auctoritatem, & vim legis impertierunt. Pleræque concernunt Beneficia Eccleſiaſtica, Reſervationes nempe eorum, quæ Joannes XXII in Bulla *Execrabilis* Sedi Apoſtolicæ reſervaverat. Item reſervantur Dignitates Pontificales, majores poſt Pontificales, Beneficia vacantia per aſſecutionem pacificam alterius Beneficii, vacantia per obitum Cardinalis, aut ejus familiarium, aut per obitum curialium, Collectorum, aut quæ vacant Romæ in Eccleſiis S. Joannis Lateranenſis, S. Petri, B. Mariæ Majoris: item Menſes Papales, & quæcunque a Prædeceſſoribus ſunt reſervata. 105. Regulæ Cancellariæ

Revalidantur gratiæ, ab Bened. XIII ultimo ejus anno conceſſæ. Revocantur uniones, diſmembrationes, ſuppreſſiones, quæ ſuum non ſunt ſortitæ effectum: item facultates diſpenſandi in gradibus prohibitis matrimonii, aut retinendi plura Beneficia incompatibilia. Traditur modus & forma expediendi litteras Apoſtolicas. *Reg.* 19 traditur *Regula de viginti*, quod videlicet reſignatio ſit irrita, ſi infirmus intra 20 dies poſt reſignationem obeat. Idem de Beneficio adhuc viventis, qui aſſeritur mortuus. In unione exprimendus valor Beneficiorum, & Commiſſio facienda in partibus, vocatis, quorum intereſt: Idem in diſmembrationibus &c. Reg. *de viginti.*

Non valeant Commiſſiones cauſarum, niſi litteris expeditis. Reg. 36 agit de *Triennali poſſeſſione* Beneficii ſuffragante, ſi titulum coloratum habeat, nec Simoniace illud obtinuerit, nec fuerit intruſus. *Reg.* 37 non appellandum ab Interlocutoria, niſi habeat Trienn. poſſ.

vim definitivæ, & per hanc gravamen non poſſit reparari. *Reg.* 49. In diſpenſationem in gradu conſanguinitatis aut affinitatis ponatur in litteris clauſula: *Si mulier rapta non fuerit. Reg.* 50. In diſpenſatione in defectu natalium, quod *non præjudicetur ob inteſtato ſuccedentibus.*

Reg. 52 Nulla diſpenſatio ſuffagetur, niſi in litteris contineatur.

53. In litteris Indulgentiarum ponatur, non valere diſpenſationem, ſi in Eccleſia eadem habeantur aliæ Indulgentiæ, de quibus nulla in petitione facta eſt mentio.

54. Nec expediantur *ad inſtar*, niſi ſpecificentur.

55. In Beneficiis obtinendis exprimatur valor annuus, & qualitas: apponaturque in litteris Cancellariæ Clauſula: *ſi eſt ita.*

67. Sub gravibus cenſuris prohibet Pontifex, ne officiales curiæ pro expeditionibus aliquid exigant ultra taxam.

68. Beneficia Sedi Apoſt. reſervata, ſi vacent Sede Apoſt. vacante, reſervantur Pontifici ſucceſſori.

70. Cardinales in odioſis Regulis non comprehenduntur, niſi exprimantur.

71. Regulis Cancellariæ non derogatur in litteris, conſtitutionibus, & clauſulis derogatoriis, niſi earum fiat expreſſa mentio.

Art. XIV.

Electio Benedicti XIV. Coſcia abſolutus. De Sicilia & Sardinia. Variæ prætenſiones. Maſſa Carrara ad Mutinenſem. Obitus Ducis Veneti.

106. Electio Bened. XIV. 18 Februarii 1740 Cardinales Conclave ingreſſi, Canones, de electione ſummi Pontificis latos, obſervaturos ſe jurabant, & a Fabricio Colonna, Duce Pagliano, Conclavis Gubernatore, juramentum fidei exigebant. Diu vota inter Aldrovandum & Gottum dividebantur. Nec mirum eſt, duas tertias non adeo facile nec ita cito in unum caput convenire.

Poſt ſemeſtre tandem tempus unanimi voce electus eſt Cardinalis Proſper Laurentius *Lambertinus*, Bononienſis, natus 1675, Cardinalis creatus 1728, Archiepiſcopus Bononienſis 1731, & quia a Benedicto XIII purpura fuerat donatus, *Benedicti XIV* nomen aſſumpſit, vir omni litteratura, ſacrorum præſertim Canonum eruditione & doctrina præſtans.

Car.

Cardinalis *Coscia*, qui hactenus Monasterio S. Alexii fuerat inclusus, ad electionem in Conclave fuit admissus, & ab electo Pontifice voce activa & passiva donatus, ad Palatium suum rediit. Coscia absolutus.

Cardinales hoc anno Benedictus nullos creavit, officia tamen distribuit, *Aldrovandus* dictus Secretarius Status, *Passioneus* Secretarius Brevium, *Alberonius* Legatus Bononiæ, *Delcius* Ferrariæ.

Defuncti autem Cardinales sunt septem: Obitus 7 Card.

1. *Davia*, Bononiensis, Præses Congregationis Indicis.
2. Gilbertus *Borromæus*, Mediolanensis, Episcopus Novarræ.
3. Seraphinus *Cenci*, Romanus, Archiepiscopus Beneventanus.
4. Joan. Bapt. *Altieri*, Romanus, in Conclavi morbo correptus.
5. Leander *Portia*, Foro-Juliensis, Episcopus Bergomensis, Ord. S. Benedicti.
6. Petrus *Ottoboni*, Venetus, Jubilæus Cardinalis.
7. Benedictus *Odescbalcus*, qui antea fuerat Archiep. Mediolanensis.

Cum Camillus Paolucius Nuntius Viennæ mortem Caroli VI Imperatoris nuntiasset, communis Romæ erat luctus, & timor futurorum. Mox autem Pontifex Mariam Theresiam Archiducem agnovit hæredem, atque Ducem *Doria*, Camerarium suum, Francofurtum, electionis locum ablegavit Internuntium, adjunctis Mansio & Emaldo, illum, ut Secretarii, hunc, ut Advocati munere fungeretur.

Rex utriusque Siciliæ cum Turcis tractatum commercialem iniit, Neap. misso Constantinopolim Legato, & Hebræis, qui ab anno 1540 in neutro regno tolerabantur, ad 50 annos ingressum concessit, atque Neapoli, Messinæ, Panormi, Synagogam; fore ratus, ut sic commercia, ab Anglis abstracta, magis efflorescerent. Hoc anno Rex neutras adhuc partes fuit secutus, vetuitque, armatas naves suis in portubus recipi.

Rex Sardiniæ, audita Cæsaris morte, litteras patentes Vicariatus sui Italici in omnibus provinciis, ab Imperio dependentibus, Sard. affigi jussit, suaque munimenta reparari. Agnovit tamen Mariam Theresiam hæredem, prout subscribendo Sanctioni Pragmaticæ promiserat.

Henrica Mutinensis, Antonii Farnesii, ultimi Ducis Parmensis vidua, nupsit Leopoldo Darmstadiensi Principi, Philippi Gubernatoris olim Mantuani filio. Mutin.

Anno

Rex Carol. accedit fœderi.

Anno 1741 Carolus Rex utriusque Siciliæ acceſſit fœderi, contra Mariam Thereſiam Archiducem inito; atque munimenta Status Præſidii milite firmavit. Commercia autem adhuc altius provecturus, cum Duce pariter Tripolitano contractum iniit. *Corſino* Duci S. Columbæ Proregem Siciliæ ſubrogavit Ducem *Caſtropignanum*, qui fuerat Legatus Pariſiis. Excepit Neapoli Legatum Turcicum.

Sard. prætenſio in Mediol.

Rex Sardiniæ edidit Deductionem Juridicam prætenſionis ſuæ in Ducatum Mediolanenſem. Fundavit eam in *ordinatione Caroli V* de anno 1549, qua vocaſſet ad ſucceſſionem Philippi II filii ſui maſculos hæredes, iis autem deficientibus illius filias, & earum legitimos maſculos, ſecundum ordinem Primogenituræ.

Jam vero ſe deſcendere recta linea ex *Catharina*, Philippi II filia, Carolo Emmanueli, Duci Sabaudiæ, atavo ſuo nupta; ac proin ſe ante filias Philippi III fuiſſe vocatum, utpote ex filia primi acquirentis deſcendentem. Dum Rex ita diſputat, amiſit tertiam ſuam conjugem Lotharingam eo tempore, quo ipſi peperit filium Benedictum Mauritium.

Et Domus Gonzagæ in Mant.

Traunius autem Gubernator Mediolani nomine Mariæ Thereſiæ homagium recepit: uti etiam Mantuæ, non obſtante proteſtatione Ducis Guaſtallæ, Caroli IV Mantuæ Ducis, anno 1708 in banno mortui, agnati proximi: qui propterea prætenſionem ſuam Electoribus Francofurti propoſuit, uti etiam alii Domus Gonzagæ Principes, quibus Imperator Joſephus, quod in bello Hiſpanico partes Philippi V ſequerentur, Caſtilionis Principatum ademit, Principatum vero Bozolum & Sabionedam in Ducem Guaſtallæ tranſtulit: inde Principum Caſtilionis & Sulferini prætenſiones.

Ducis Mutinenſis Princeps hæreditarius *Hercules Raynaldus* ſibi junxit Mariam, prædivitem hæredem Domus *Cibo*, & cum ea Ducatum *Maſſæ* & Principatum *Carraræ* ad mare Liguſticum, cum pluribus aliis ditionibus. Erat autem Maria Alderandi ultimi Ducis Maſſæ filia, deſponſa antea juniori Principi Eugenio.

Maſſa Carrara.

Bello majori in Germania exorto, Galli magnam partem Corſica exceſſere, reliquis præerat Villemurius Marchio. Baro *Droſtus*, Theodori propinquus, novas turbas concitare molitus, interceptus, & in cuſtodiam datus eſt.

Bouchio Melitenſium Magiſtro defuncto ſucceſſit Emmanuel *Pinto*, Luſitanus, qui hactenus fuerat Cancellarius Ordinis.

Veneta.

Obiit quoque Aloyſius *Piſani* Venetorum Dux, cui ſucceſſit Petrus *Grimani*, Viennæ antea & Londini Legatus Reipublicæ. In locum vero Correri defuncti Patriarchæ Veneti & Dalmatiæ Primatis

tis electus est Aloysius Foscarini. Ad Veronam secundum Athesin locabant Veneti 20000, ut fines defenderent. Iis præerat Emo, Schulenburgio ob ætatem invalido.

Neque hoc anno Papa novos Cardinales creavit, quamvis 5 obierint, videlicet 1. Bartholomæus *Ruspoli* ex Domo Marescotorum. 2. *Lanfredinus.* 3. Laurentius *Altieri* Cardinalis Jubilæus. 4. Marcellus *Passeri.* 5. Melchior *Polignac* Parisiis, de regno Galliæ & Ecclesia optime meritus.

Art. XV.

Hispani prætensio in ditiones Domus Austriacæ. Sardus accedit Austriacis, Mutinensis Hispanis; qui Sabaudiam subigunt. In Italia minus felices. Montemario surrogatur Gagius. Tractatus Wormatiensis. Pugna ad Campum Sanctum. 10 Cardd. mortui, 24 creati.

Anno 1742 Rex Hispaniæ, quia relictam a Carolo VI Cæsare amplissimam hæreditatem sibi *vendicabat*, Italicas præsertim provincias, exercitum sub *Montemario* in Italiam misit, cui copiæ utriusque Siciliæ se conjungebant sub Duce Castropingnano. Quæ tamen, quod classis Anglica Neapolin tormentis impetere minaretur, separare se rursus domumque reverti cogebantur, Rege se neutrum declarante. Reliquit tamen aliquot legiones Montemario, Hispanis stipendiis eas jam inde ab ultimo bello sustentatas asserens. 107. Hisp. prætendit hæred. Austr.

De Rege Sardiniæ magnis studiis certabatur, Austriacis & Gallo-Hispanis eum in suas partes pertrahere conantibus; quia maximum in eo momentum esse non ignorabant. Sed cum Hispani Mediolanum sibi vendicarent, accessit Austriacis. Permovit eum maxime Rex Angliæ, qui, conventione 1 Febr. inita promisit, toto belli tempore pro custodia Italiæ excubituram classem Anglicam. Sard. consilia. Accedit Austriacis;

Igitur Rex copias suas cum Austriacis, quas Traunius Vicarius ducebat, in Placentino & Parmensi Ducatu conjunxit, atque in ditiones Francisci Mariæ *Ducis Mutinensis*, qui contra morem patris sui Raynaldi partes Hispanicas fuerat amplexus, Ferrariam & Comachium, ut fertur, sperans, atque in Venetam ditionem secesserat, exercitum duxit. Mutinensis Hispanis,

Portas *Mutinæ* apertas invenit; at caſtello vim experiri placuit: ſed 1 Julii expugnatum eſt, & præſidium more militari captum. Suo damno. Volebat quidem illud diruere, ſed intercedente hæreditario Principe, qui ibidem remanſerat, reliquit integrum. *Mirandulæ* dein vis admota, quæ 23 Julii ſe dedidit, præſidio dimiſſo libero. Victoribus præſtitum homagium.

Hiſpani, qui ad ſolvendam obſidionem accurrerant, hoc comperto, in territorium Romanum receſſere. Inſecuti fœderati, Auſtriaci & Sabaudi, Neapolin usque propulſuri eos credebantur; cum mutato conſilio in Inſubriam redierunt.

Cauſa inexſpectati reditus erat, tum quia Rex utriusque Siciliæ ſe iterum declaravit neutrum, tum maxime, quia Hiſpani ex altera
108. Hiſp. in Sabaudiam. parte cum novo exercitu (quatuordecim millium cenſebatur) ſub *Philippo*, Regis Hiſpaniæ filio, & Comite *Glimeſio* per Delphinatum in Sabaudiam irruperant, Pedemontium, ut videbatur, invaſuri. Jamque Camberii a Sabaudis juramentum fidei exegerant, cum Rex Sardiniæ per montem, quem *minorem Bernardum* vocant, ſuperveniens, eos ex Sabaudia in Delphinatum expulit.

Diſplicuit Regi Hiſpaniæ hæc præceps ſuorum ex Sabaudia fuga, exauctoratoque Glimeſio, Minaſium (*de las Minas*) qui exercitum regeret, cum ſupplementis miſit. Is Gratianopoli in Sabaudiam movens, ſub finem anni illam ſubegit, Rege, non modica clade affecto, per Alpes in Pedemontium recedente. Hiſpani vero ad lacum Genevenſem ita ſe diffuderant, ut Genevenſes Helvetique non parum commoverentur, atque ſuſpicarentur, eos per Valleſiam in Mediolanenſem provinciam iter molituros. Sed illi, *Montmeliano* etiam occupato, hyemem in Sabaudia exegerunt, Philippo Principe Camberii ſedem figente.

Sicut autem Rex Hiſpaniæ Glimeſium præfectura belli privavit, Montemario ſubſtitutus Gagius. ita etiam *Montemarium* veteranum licet Hiſpanorum Archiſtrategum, ob res minus proſpere in Italia geſtas, quod ſcilicet Mutinam & Mirandulam eripi velut otioſus ſpectaſſet: illique ſubſtituit *Gagium* (Gage) natione Belgam, arte militari virum præſtantem.

Novus hic armorum præfectus, cum tempus rei gerendæ eſſet elapſum, in caſtris ad Bononiam munitis ſe continuit, equitatum Fructus expeditionis. vero Imolam (*Forum Cornelii*) hybernatum miſit. Auſtriaci & Sardi tum in Ducato Florentino, Parmenſi & Mutinenſi, tum ad fluvium Panarum, ad tegendam Mutinam hyberna capiebant. Et hic anno iſto fuit fructus & finis expeditionis: Hiſpani occuparunt Sabaudiam, fœderati Mutinam & Mirandolam.

Porro

Porro Franciscus Stephanus, Florentiæ Dux pro suis provinciis *neutralitatem* professus est; voluitque Gallia, ut Tuscia, titulo admodum oneroso accepta, in hoc bello intacta remaneret.

Quanta autem Status Pontificius hoc & priore anno a tot militibus, illum percursantibus, imo & hyberna in eo figentibus, passus sit, facile est æstimare. Pontifex autem a Carolo Alberto suæ in Romanorum Regem electionis nuntium accepit, quodque ejus opera Articulus IV pacis Risvicensis adhuc integer persistat, non obstante multo Protestantium molimine: id quod Papa in publico Cardinalium Consistorio dilaudavit, per speciale dein *Breve* coronam Imperialem gratulatus, conquerente licet Thunio, Legato Austriaco, Electorem Bavariæ tam facile agnitum Imperatorem; cum Regina sua a voto contra fas exclusa fuerit. Papa agnoscit Carolum VII.

Venit etiam Romam Mansfeldius, extraordinarius novi Imperatoris Legatus, a Pontifice magna cum humanitatis significatione ad alloquium admissus. Ordinarius autem Cæsaris Orator Romæ fuit Pompejus *Scarlati*, & Cardinalis Borghesius Germaniæ Protector. Doria vero, qui ad electionem Cæsaream fuerat ablegatus, jussus est, apud Aulam Imperatoris subsistere.

De Cardinalium Collegio morte abrepti sunt, 1. Vincentius Gotti. 2. Vincentius Ferreri, Episcopus Vercellensis. 3. Cajetanus Stampa, Archiepiscopus Mediolanensis. 4. Marcellinus Corio.

Cardinalis vero Coscia in omnia sua Beneficia fuit restitutus, excepto Archiepiscopatu Beneventano, quem Franciscus Lanti possidebat.

Anno 1743 cum Galli & Hispani cernerent, se difficulter ab Occidente in Italiam evasuros, si Regem Sardiniæ potentissimum haberent adversum, omni conatu promissisque eum lucrari, suisque partibus adjungere laborabant. At ille Domus suæ rationibus magis consentaneum censebat, si Domus Borbonica non nimium potens fieret in Italia; cumque amplissima accederent promissa per tractatum Wormatiensem, totis viribus incumbendum censuit, ut illa ab Insubria & Liguria arceretur. Regis Sard. constantia.

Quoniam autem *Tractatus* ille *Wormatiensis* celeberrimus, a Regina Hungariæ & Rege Angliæ, Wormatiæ 1 Febr. 1743 cum Rege Sardiniæ initus, Italiam potissimum spectat, non fuerit a scopo alienum, illius summam hic interferere. Constat 18 Articulis. 109. Tractatus Wormatiensis.

1. Tres contrahentes mutua ſibi promittunt auxilia.

2. Cavent ſibi invicem de omnibus provinciis, quas poſſident, aut poſſidebunt vi fœderis, anno 1703 Taurini percuſſi; quod renovant, exceptis iis, quæ hic mutantur.

3. Rex Sardiniæ renuntiat prætenſioni ſuæ in Ducatum Mediolanenſem, ſpondetque Auſtriacam Sanctionem Pragmaticam tueri, prout jam anno 1731 ſpopondit, ea tamen conditione, ne Reginæ extra Italiam mittere auxilia debeat.

4. Hinc conjunctæ in Italia copiæ pergant, terras Reginæ tueri.

5. Hunc in finem Regina 30000, Rex vero 45000 alet belli tempore.

6. Rex totius fœderati exercitus ſummus ſit Imperator.

7. Anglia, quamdiu opus fuerit, habebit in Mediterraneo, ad obſequia Auſtriæ & Sardiniæ paratam claſſem.

8. Anglia, quamdiu bellum durabit, quot annis Regi Sardiniæ ſolvat ducenta librarum Sterlingarum millia.

9. Regina de Mediolanenſi Ducatu cedit Regi Sardiniæ 1. *Vigevanum* cum ſuo diſtrictu. 2. Partem illam *Ticinenſem* ſeu Papienſem, quæ inter Padum & Teſſinum ſita eſt, ita, ut Teſſinus ſit limes utriusque ditionis, a lacu Verbano ſeu lacu Majore usque ad locum, in quo cum Pado ſeu Erydano ſe commiſcet: ſola Inſula juxta Ticinum excepta, quam Teſinus efficit.

Inſuper 3 territorium *Bobbienſe* cum urbe *Placentia*, & partem hujus Ducatus, usque ad Nuram fluvium porrectam. 4. ex parte *Anchieræ* terras, quæ cis lacum Majorem porriguntur, una cum dimidio ejus lacus. Has autem terras, partim de Mediolanenſi, partim de Placentino Ducatu decerptas, Rex poteſt unire cum ſuis provinciis ſub feudali tamen nexu cum Imperio.

10. Adhæc Regina cedit Regi omne ſuum jus & prætenſionem ad Marchionatum *Finalenſem* & portum, ſperans, Genuam pretium emptionis recepturam. Ad hoc tamen refundendum nec Regina, nec Rex ſe obligat. Portus autem Finalenſis, ſicut Liburnus, ſit liber.

11. Tres contrahentes nullam pacem aut inducias ſe inituros promittunt, niſi ceſſiones iſtæ, Regi Sardiniæ factæ, & reſtitutio omnium ablatorum, in iis comprehendantur.

12. Contra

12. Contra vero Rex promittit, se constanter fidem servaturum, donec bellum non tantum in Italia, sed etiam Germania finitum fuerit.

13. Bello in Italia finito, Regina non potest tantum copias suas ex Italia in Germaniam avocare, sed etiam petere, ut Sardiniæ copiæ sibi ad tutelam Longobardiæ cedantur.

14. Nullus omnino tractatus cum hostibus ineatur, nisi consciis & approbantibus omnibus fœderatis. Hic tractatus etiam post pacem conclusam ad securitatem fœderatorum persistat.

15. Angliæ promittuntur commoda & prærogativæ commerciorum.

16. & 17. Ad hunc tractatum invitentur Hollandi, & omnes, quibus securitas Europæ, Germaniæ, & Italiæ cordi est.

18. Ratificationes intra sex hebdomades commutentur.

Wormatiæ 13 *Sept.* 1743.

Hunc tractatum conceperunt, nomine Reginæ Baro *Wasner*: nomine Regis Angliæ *Carteretus*: nomine Regis Sardiniæ *Osorius*. Ita tamen clam fuit conclusus, ut articuli illius non innotescerent, nisi postquam sub initium anni sequentis Parlamento Angliæ erat proponendus.

Cum Gallia videret, Regem Sardiniæ nullo pacto a Regina Hungariæ posse abstrahi, decem suorum millia cum Hispanis, quorum viginti circiter millia sub Philippo Infante & Minasio militabant, in Delphinatu conjunxit. Omnis industria eo collimabat, quomodo in Italiam penetrare possent. Igitur cum fauces & angustam vallem Augustæ Prætoriæ Rex haberet obseptam, atque per montem Jovis & Simplonium Vallesiani ac Helveti negarent transitum, per Salutias aditum tentarunt. Verum ad *Castrum Delphini*, cum iniquo loco pugnandum esset, a Rege prælio victi atque repulsi sunt, 8 Octobris. Hyberna dein rursus in Delphinatu & Sabaudia capta.

310. Conatus penetrandi in Italiam.

Certamen ad Castrum Delphini.

Alter Hispanorum exercitus, sub Joanne Bapt. *Gagio*, quem Montemario substitutum diximus, jam 2 Februarii ex hybernis Bononiensibus egressus, superato Panaro flumine, in Mutinensem provinciam irrupit. At *Traunius* Austriacorum, & *Aspremontius* Sardorum ductor, quamvis necdum receptis, quæ exspectaverant, supplementis, obviam ad *Campum Sanctum* processerunt.

Pugna ad Campum Sanctum.

Commiſſum ibidem vehemens prælium. Equitatus fœderatorum in fugam jam ferme actus fuerat, cum peditatus, phalangis inſtar Macedonicæ firmiter conſiſtens pugnam reſtituit. Pars utraque victoriam ſibi attribuit. Verum ſi ex effectu illa æſtimanda venit, facile, penes quam partem ſteterit, judicabitur. Nam fœderato exercitu in acie adhuc perſiſtente, Hiſpani viam relegentes, Bononiam, unde venerant, redierunt. Fœderati vero recedentes inſecuti, eos ex Ferrarienſi primum agro, dein ex Romaniola ſeu Flaminia quoque ad mare usque Adriaticum propulerunt, ibique circum Ariminum hyemem exegerunt, utroque exercitu terras Pontificias premente, quæ alimenta eis præbere cogebantur.

Traunio ſuccedit Lobkovitius.

Cæterum in cruento ad Campum Sanctum prælio lethaliter vulneratus eſt *Aſpremontius* Sardorum Ductor, Comite de *Manta* ei ſubſtituto. Traunio vero in Germaniam avocato ſubrogatus eſt Princeps *Lobkovicius*, qui Taurinum abiit, de futura expeditione cum Rege collaturus. Conqueſtus ſæpius eſt Pontifex apud Cardinalem Aquaviva, Hiſpanum Romæ Miniſtrum, de territorio ſuo oppreſſo; at excuſatione neceſſitatis contentus eſſe debuit.

Pozzobonellius.

Mortuo Stampa Archiepiſcopo Mediolanenſi Regina ceu Dux Mediolanenſis Pontifici tres propoſuit, ſed is, cum nullus ex iis placeret, Joſephum *Pozzobonellum* inſtituit, cui Regina, id graviter ferens, reditus temporales ſubtrahi voluit.

Nuntiorum mutatio.

Durinus Mediolanenſis Lucernam miſſus eſt Nuntius Lutetiam, ad Helvetos vero *Acciajolus* Florentinus; *Stoppanus* Mediolanenſis Venetiis Viennam: Venetias *Caracciolus* Neapolitanus: *Simonettus* a Nuntiatura Neapolitana revocatus, factus eſt Gubernator urbis; *Gualtierus* vero in ejus locum ſucceſſit Neapoli. *Emaldus* poſt viſitata Seminaria & Alumnatus Pontificios, quibusdam ſuppreſſis, Romam rediit. Quidam Epiſcopi a Pontifice petierunt, ut aliquot Feſta abrogarentur, & impetrarunt.

10 Card. mortui.

Cardinales obierunt hoc anno omnino decem: 1 *Camillus Cibo* Malaſpina, ultimus ſuæ Domus. 2 Petrus Maria *Pieri* ex Ordine ſervorum B. V. M. 3 Andreas Hercules *Fleury*, primus Galliæ Miniſter. 4 Nicolaus de *Judice*. 5 Marcellinus *Corradini*. 6 Ludovicus *Belluga*. 7 Proſper *Colonna*. 8 Antonius *Fini*. 9 Ludovicus *Pico* de Mirandola. 10 Damianus Hugo Comes de *Schönborn*, Epiſcopus Conſtantienſis & Spirenſis.

Sub Pontificatu Benedicti XIV jam 27 Cardinales obierant, nec tamen ullum hactenus ſubrogaverat; tandem vero 24 creavit: videlicet 1 Hieronymum *Burdi*, Florentinum. 2 Joannem Bapt. *Barni* Lodenſem, qui fuerat Nuntius in Helvetia & Hiſpania, virum ſumma in omnes facilitate, cui Rex ipſe Galerum impoſuit. 3 Joachimum *Beſozzi*, Mediolanenſem, Generalem Procuratorem Ciſtercienſem Congregationis Longobardicæ. 4 Marium *Bolognetti*, Romanum, Theſaurarium Cameræ Apoſt. 5 Carolum *Calcagnini* Ferrarienſem, Decanum Rotæ. Creati 24.

6. Carolum *Cavalchini* Tortonenſem, Sacræ Inquiſitionis Præſidem. 7 *Hieronymum Colonna*, Romanum, Ducis Pagliani filium, Aulæ Pontificiæ Præfectum. 8 *Proſperum Colonna*, Ducis Anticoli ex tertia linea hujus Domus filium ſupremum Camerarium Apoſtolicum. 9 Marcellum *Creſcenti*, Romanum, Legatum Pariſienſem. 10 Georgium *Doria* Genuenſem, Legatum ad electionem Cæſaream, cui ipſe Imperator Carolus VII Galerum impoſuit. 11 Coſmum *Girolami*, Florentinum. 12 Franciſcum *Landi*, Placentinum, Archiep Beneventanum.

13. Marcellum *Lanti*, Romanum, agnatum Principis de Belmonte. 14. Ludovicum *Lucini*, Comenſem. 15. Philippum *Monti*, Bononienſem, Secretarium Collegii Cardinalium. 16. Jacobum *Oddi*, Peruſinum, variis Legationibus perfunctum. 17 Dominicum *Orſini*, Ducem de Gravina, viduum. 18 Camillum *Paolucci*, Legatum Viennæ. 19 Joachimum *Portocarrero*, Marchionem de Almenara. 20 Joſephum *Pozzobonelli*, Archiepiſcopum Mediolanenſem. 21 Franciſcum *Ricci*, Romanum, Gubernatorem urbis. 22 Antonium *Ruffo*, Neapolitanum. 23 Fortunatum *Tamburini*, Mutinenſem. 24 Alexandrum *Tanara*, Bononienſem, Auditorem Rotæ.

In Corſica necdum quies. Theodorus, Anglica navi Olyſſipone advectus, ad regnum ſuum phantaſticum inviſit. Sed quia Genuenſes caput ejus magno pretio fuerant licitati, mox rurſus diſparuit. Baſtiæ obiit Dominicus Spinola, Vicarius Regni, & olim Dux Genuæ, cui ſucceſſit Petrus Juſtiniani. Theod. inviſit ſuum regnum.

Genuenſes proteſtati ſunt contra articulum 10 Tractatus Wormatienſis; nec permoveri poterant, ut portum Finalenſem cederent Regi Sardiniæ, titulo valde oneroſo adquiſitum.

Art. XVI.

Castra ad Veletras. Philippi Principis progressus, superato Varo. Genuenses Gallo - Hispanis accedunt. Bastia a Corsis expugnata.

311. Castra ad Veletras. Anno 1744 continuatum bellum Italicum. Carolus, Rex Utriusque Siciliæ, ex castris ad Veletram, opportuno admodum loco, positis, Romam profectus ad Pontificem invisit, a quo amicissime fuit exceptus. Redux ad exercitum, *neutralitate* sublata, Hispanum se declaravit. Austriaci, ut eum ex Velitrensibus permunitis castris prolicerent, in Neapolitanas ditiones irruperunt; sed inde repulsi sunt, sollicitatis frustra incolarum animis. Tandem vero, cum tota æstate exercitus ad Veletras adversi stetissent, absque re magna gesta, Lobkovicius in agrum Bononiensem se recepit, Hispani in Ducatum Spoletanum, Neapolitani in suum regnum.

Rex Sardiniæ, traditis sibi Placentia, Vigevano, aliisque locis, per tractatum Wormatiensem superiore anno promissis, omnem curam intendit, ut Gallo Hispanos, prout hactenus strenue fecerat, ab ingressu in Pedemontium arceret. At vero, cum Hispani anno priore frustra ex Sabaudia aditum in Italiam per Alpes tentassent, relictis in Sabaudia sub *Sadio*, qui illam defenderent, tribus millibus, Antipoli cum Gallis, quos *Contyus* Princeps ducebat, conjuncti, *Varumque* transgressi, qui Provinciam ab Italia separat, Nicæam, Turbiam, Montem Albanum, Villam Francam expugnarunt, traditis Philippo Principi clavibus, Pedemontanis ad naves Matteusii propulsis, & Onegliam deductis.

Philippus Princeps Varum superat.

Philippus fugientes terrestri itinere insecutus, *Onegliam* quoque cepit. Verum cum Rex angustas valles, montes & colles valida manu obsessos haberet, armata etiam agresti pube, penetrare ulterius per tot juga & claustra, arduum omnino opus, imo, nisi exercitum immolare vellent, impossibile videbatur. Relictis igitur, quos occupaverant, locis, solisque Nicæa & Villafranca retentis, in Provinciam redierunt, alia ex parte irruptionem tentaturi. Expugnatum impetu *Castrum Delphini*, non levi tamen cum jactura; prout etiam *Demontium*, insigne monumentum. A Cuneo, quod Baro Leutrum defendebat, cum clade repulsi, Demontio diruto, in hyberna concesserunt, quæ Hispani in Sabaudia & Comitatu Nicæno, Galli vero in Delphinatu & Provincia ceperunt. Contyus Parisios, Philippus Camberium abiit.

Castrum Delph. & Demont. occupata.

Sicut

Sicut Austriaci, Sardi & Angli Venetos in partes suas trahere nitebantur, ita Galli & Hispani Genuenses. Sed hoc anno nihil impetratum, Matteusio, qui cum classe sua mare Genuese oberrabat, pilas ferreas minitante, si per suam ripam hostibus transitum permitterent. A Republica Luccensi Menses Romani nomine Cæsaris postulabantur; sed excusabat, eos nunquam fuisse præstitos. In Ducatu Florentino optime Oeconomia ordinabatur, reductis ad ærarium publicum proventibus, qui neglecti fortassis antea fuerant. Rex Theodorus mandata in Corsicam mittebat ex Senensi agro, sed agebat in distans. Dux Mutinæ extorris tum Venetiis, tum in castris Veletrensibus apud Regem Carolum versabatur.

Obierunt, 1 Cardinalis Gaspar de Molina Madriti. 2 Cardinalis Josephus Firraus. 3 Leo de Gevres Gallus Card. 88 ætatis anno. 4 Josephus Sfortia Cesarinus, S. R. I. Princeps, Dux de Lavinia & S. Flora, Grandis Hisp. & Eques A. V.

Genuenses Gallo-Hispanis accedunt.

Sereniori anno 1745 vultu Gallo-Hispanis in Italia fortuna arrisit, postquam Genuensis Respublica fœdus cum illis pacta est, ut portum & Marchionatum Finaliensem, in Tractatu Wormatiæ Regi Sardiniæ quodammodo addictum, servaret. Sic enim illis facilior erat in Insubriam transitus. Patuit mox fructus.

Nam a Regno Neapolitano removebatur periculum, quia bellum trahebatur in Longobardiam. Gagius Hispanorum Ductor, fortis & prudens, cum exercitu ex Ducatu Spoletano Genuam movit, ubi cum Gallis, quibus hoc anno *Mallebœus* præerat, & Philippi Principis se conjunxit copiis.

Eorum progressus in Insubria.

Pauciores erant Austriaco-Sardinienses copiæ, quam ut in aperto campo tantis viribus resisterent. Ad urbes igitur expugnandas versa hostium consilia. Capta Arx *Serravallis*, *Tortona*, *Placentia cum Castello*, *Parma*, *Pavia*, *Valentia*, *Casalis cum arce*, *Asta Pompeja*, ac denique Insubriæ caput *Mediolanum*, quod Princeps Philippus cum Duce Mutinensi gloriose ingressus est.

Austriaci, quibus primum *Lobkovicius*, tum *Schulenburgius*, denique *Lichtensteinius* imperabat, numero impares, ad tantos hostium progressus *ad Novaram* attoniti stabant, Rex vero Sardiniæ in Pedemontium se receperat, ubique hybernabat, Hispani in Mediolanensi Ducatu, & Galli in Monferratensi.

Genuenses, portu Finaliensi aliisque locis munitione & præsidio firmatis, decem armatorum millia tribus Borbonicis Regibus adduxere, magnum in occupandis Mediolanensi, Parmensi, Placentino, Monferratensi Ducatibus adjumentum. At Rex Sardiniæ,

Bastia capta. infensus propterea Reipublicæ, *Corsis*, qui sub Comite *Rivarola* rursus arma arripuerant, suam fœderatorumque suorum opem & protectionem adpromisit. Nec inanis fuit promissio. Nam Angli sub Kopo classis Præfecto mari, Rivarola vero terra, *Bastiam*, urbem Regni Principem, tam vehementer infestabant, ut ad deditionem fuerit compulsa, sequentibus exemplum locis pluribus.

Casus Venetus. Cum Henrieta, Antonii Ducis Parmensis vidua, atque Leopoldi dein Darmstadiani conjux, Venetiis cum fratre suo Duce Mutinensi per fenestram prospiceret, a Nobili quodam Veneto, sclopum purgante, in brachio leviter perstricta est, atque deliquio prolapsa. Accusabat quidem Franciæ Legatus Nobilem de culpa, si non Theologica, saltem Juridica; at, quia Judices casum fortuitum interpretabantur, a graviori pœna absolutus est reus.

Romam venit Marchio Prieus, Orator Cæsareus: Gallicus vero Rupefocaldius Archiepiscopus Bituricensis. Obierunt, Cardinalis Lucinus, & Dominicus Aquaviva, Dux Atriensis, in Hispania Minister Regius: quos secutus est Marchio de Ormea, primus Minister Status Regis Sardiniæ.

Art. XVII.

Insubria ab Austriacis recuperata. Vincunt ad Placentiam & Rottofredum. Genuam capiunt. Sed ejiciuntur. Borbonii Italia expulsi &c.

112. Bellum æstui marino sæpe est persimile: fluunt refluuntque ab uno extremo ad alterum armati exercitus; quod vel hoc bello in Bohemia, Bavaria, Germania, Italia videre non raro fuit. Gens Borbonia anno superiore totam Italiam inundare videbatur: hoc autem accidit refluxus, quo Galli & Hispani tota Italia pellebantur; quin ipsam in Galliam fluctus sese effundebant.

Insubria recuperata. Quippe Imperatrix & Regina, *anno* 1746 confecta cum Borusso pace, validas sub *Nadastio & Bernclavio* in Italiam copias misit: Sardus vires magnas contraxit; Anglus classibus immissis communem causam fortiter adjuvabat. Quibus sane præsidiis factum, ut hi fœderati *Astam Pompejam*, munitam ad Tanarum in Pedemontio urbem, *Aqui* in eodem agro, *Casalin*, Monferrati caput, occuparent, atque conjunctis dein Lichtensteinii, Brunii, aliorumque Du-

Ducum copiis, cum *Pizzigitona*, *Mediolanum* quoque reciperent, liberata arce, quam Hispani corona cinctam hactenus tenuerant.

Eadem dein felicitate capta *Guastalla*, *Parma*, *Valentia*. Cum autem Placentiam obsiderent Austriaci, hostes obsidium soluturi, instructa acie imminebant. Dextrum cornu tenebant Hispani, lævum Galli; Neapolitani & Genuenses medium occupabunt locum. Austriaci, quamvis copiæ Regis Sardiniæ necdum advenerant, in aciem dispositi aggressionem exspectabant.

Consertum igitur haud procul *Placentia* memorabile *prælium*, quo victi Fœderati magna cum strage, in castra ad Placentiam munita se receperunt. Unitis dein copiis ad Trebiam, quibus Rex Sardiniæ præerat, ad *Rottofredum* commissa est altera vehemens *pugna*, qua Austriaci rursus victores, Placentiam & Serravallem cum aliis locis præmium retulerunt. Quin imo Borbonicus exercitus ita attritus est, ut deserta Insubria in *Liguriam* ejusque caput Genuam se reciperet.

Austriaci victores ad *Placentiam* & *Rottofredum*.

Secuti sunt Austriaci sub *Brunio* & *Botta*, superatisque tandem montium jugis (*Bochettam* appellant) Genuæ imminebant; Hispani vero, (substituto in locum *Gagii Minasio*) ea fato suo relicta, cum Gallis Nicæam usque profugerunt, Sardo interim Savonam & Finariam, Genuensium urbes, obsidente.

In Liguriam penetrant.

113. Genuam capiunt,

Genua resistendo impar, Capitulatione inita, Austriacis se dedidit, jussa, grandem pecuniæ vim pendere. Missus Viennam *Marius* ad rogandam aliqualis remissionis gratiam, non est auditus. Verum subitus Genuæ casus accidit, qui omnia invertit. Nam, cum Austriaci rem tormentariam in Provinciam ad suum exercitum vellent abducere, jamque omnia in suburbio, quod a *S. Petro de Arena* nomen habet, essent parata, (quod hæc potestas in Capitulatione non esset comprehensa) orta est plebis seditio, quæ a jurgio cum machinatoribus & vectoribus cœpit. Conglomeratus magis magisque populus armatus: accurrit miles. Conferitur promiscua pugna eo eventu, ut Botta cum suis 6000 Austriacis urbe excedere, & per Bochettam in Insubriam se recipere coactus fuerit.

Sed rursus deserunt.

Et hoc sane tantæ mutationis Genuensis obstaculum magnam partem fuit, cur Brunius cum exercitu, ex defectu machinarum, non admodum multum in Provincia profecerit, atque redire coactus fuerit.

Progressus Regis Sard. Interea autem, dum Austriaci cum Genuensibus, & Gallis in Provincia conflictabantur, Rex Sardiniæ Genuenses urbes, agrosque strenue demessuit, occupatis omnibus usque ad Varum, ut adeo Borboniis in Italia nihil superesset (regno utriusque Siciliæ excepto) *Tortona* & *Savona*, quæ fortius restiterant, in Sardorum pariter protestatem redactis. En *fluxum* & *refluxum*! quo etiam rapiebantur decem illa millia, quæ Rex utriusque Siciliæ sub *Vievillio* in Lombardiam miserat. Nam prælio Placentino & Rottofredensi haud leve damnum passa, cum Gallo-Hispani in Galliam se reciperent, in patriam redierunt, ut eam defenderent. Vievillius vero, eorum Ductor, dictus est Prorex Siciliæ, Duce *Castropignano* copiis præfecto.

Borbonii pulsi Italia.

Florentina. Imperator, ceu Dux Magnus Florentiæ, cum Borboniorum arma in Italia prævalerent, castra undecim millium sub *Chateleto* Marchione ad Pisas locavit, ad securitatem Tusciæ, quamvis neutræ. Postquam autem inversa est fortunæ rota, periculumque disparuit, hæc castra soluta sunt. Cæsar autem Annam Charlotam sororem suam, Gubernatricem Magni Ducatus renuntiavit.

Joan. Theodorus Card. Benedictus XIV summus Pontifex, qui superiore anno Carolo VII Imperatori parentaverat, ejusque ac totius Domus Bavaricæ Religionis zelum, & in Sedem Apostolicam observantiam publico in Cardinalium Consistorio dilaudaverat, hoc anno Ejusdem Imperatoris fratrem, *Joannem Theodorum*, Ratisbonensi, Frisingensi, & Leodiensi Episcopatibus jam antea ornatum, S. R. E. Cardinalem dixit. Per Cardinalem vero Sinzendorffium, Episcopum Uratislaviensem, Regi Borussiæ pacem initam gratulatus est, eique Ecclesiam Silesiam commendavit; quod gratum Regi accidisse legimus. Ex sacro Purpuratorum Collegio obierunt, Carolus *Cavalchini*, & Joannes *Lipsky*, Cracoviensis in Polonia Episcopus.

Domus Gonzaganæ fata. Ex Domo Gonzaga obiit Josephus Maria *Dux Guastallæ*, *lineæ hujus ultimus*. Cum infirmus esset, jam anno 1733 administrationem Ducatus detulit Eleonoræ Conjugi, ex Familia Holsato-Wisenburgensi natæ. Ducatus autem Guastallæ, cum Principatibus Sabionedæ, & Bozoli, atque Marchionatu Ostiano, ab Aula Viennensi Ducatui Mantuano rursus unitus est, brevi iterum dividendus. Porro ex Familia Gonzagana quatuor adhuc supersunt lineæ, *Vescovatana*, *Luzarana*, *Castilionensis*, & *Solferina*, acerbitate temporum multum passæ.

Art.

Art. XVIII.

Obitum Card. Sinzendorffii Rex Borussiæ nuntiat Pontifici. Bellum Genuense. Borbonii rursus in Pedemontium. Bastia recepta. Anno 1747.

Septem omnino S. R. E. Cardinales anno 1747 purpuram posuere. 1 Carolus *Marini* Genuensis æt. 80. 2 Trajanus *Aquaviva* Neapol. æt. 52, Archiep. Monrealis in Sicilia, Hispaniæ Orator. 3 Vincentius *Petra* Neapol. æt. 58, libris de Jure Ecclesiastico editis clarissimus. 4 Jos. *Accaromboni*, Spoletanus, æt. 75. 5 Oswaldus de *Toure*, Cardinalis Arvenus appellatus, Gallus, æt. 75. 6 Joannes de *Motta* Lusitanus, primus Minister Status Olyssipone, æt. 63. 114. Card. 7 mortui.

7. Philippus Ludovicus Comes *Sinzendorffius*, Germanus, Episcopus Uratislaviensis, & Vicarius Generalis omnium Catholicorum in terris Regis Borussiæ, æt. 48. Idem Rex Pontifici per Francolinum, suum Romæ negotiorum Administrum, hunc obitum nuntiari jussit, adjuncta assecuratione protectionis erga Catholicos, in suis provinciis degentes, prout etiam illis potestatem fecisset, in urbe sua Regia Ecclesiam construendi, sumptusque pro ea in suis terris colligendi. Inter quos Sinzendorffius, Cujus obitum Rex Borussiæ Pontifici nuntiat.

Cum dein Catholici per Marchionem Bellonum pro subsidio ad hanc structuram institissent apud Pontificem, is negotium, non sine largo effectu, Cardinalibus commendavit, cum laude benevolentiæ Regiæ.

Novi Cardinales creati 12. 1 Alvarus de *Mendoza* Hispanus, Patriarcha Indiarum. 2 Daniel *Delphinus*, Venetus, Patriarcha Aquileiæ. 3 Fridericus *Rupefacaldius*, Franciæ Regis Romæ Orator, Archiep. Bituricensis. 4 Armandus de *Rohan*, Princeps Subisius, Coadjutor Argentinus. 5 Ferdinandus Comes de *Troyer*, Tyrolensis, Episcopus Olomucensis in Moravia. 6 Jos. *Attalaya*, Præpositus Ecclesiæ Patriarchalis Olyssipone. Creati 12 Card.

7. Cajetanus *Albani*, Romanus, frater Principis Soriani. 8 Marius *Mellini*, Romanus, Decanus Rotæ. 9 Carolus *Lanzeus*, Pedemontanus Abbas. 10 Reinerus *Simonetti*, Mediolanensis, Gubernator Romæ. 11 Joan. Bapt. *Mesmerus*, Mediolanensis, Thesaurarius Pontificis. 12 Henricus Benedictus *Stuart*, Jacobi III Regis Angliæ, quem Prætendentem vocant, filius junior.

Cardinalis *Valenti Gonzaga*, Secretarius Status, dictus Camerarius Apostolicus, postquam Hannibal Albanus hoc officium resignavit: Imperialis Gubernator urbis.

115. Bellum Genuense. Italicum hoc anno bellum *Genuam* potissimum exercuit; cum enim illa, quo dictum, modo, in liberatem se restituisset, in omnem fortis defensionis partem curas suas exporrexit. Munimenta reparata, suggestus tormentis instructi, Bochetta valido firmata præsidio, cive, plebe, agresti turba, ingenti ardore pro Republica se armante, manifesto argumento mitis & temperati Regiminis. Attulit etiam ex Gallia, Anglis nequidquam mari excubantibus, suppetias Bufflerius, haud aliter ac cælestis quidam genius exceptus Genuæ, qui animos ita accendit, ut pluribus velitationibus Austriacos aggressi, non levia illis damna inferrent.

Marchio de Botta, quod minus circumspecte egisse videretur, Imperium cedere jussus est *Schulenburgio*; qui tamen, licet Bochetta jam esset superata, Genuam aggredi non est ausus, donec Brunius ex Provincia rediisset, & Rex Sardiniæ, qui initio bello Genuensi se miscere recusaverat, donec nova cum Regina conventione *Finaria* & *Savona* sibi addicta, copias suas jungeret.

Genua liberata. Verum, cum *Bellilius* in Pedemontium irrupisset, revocatus est miles Sardus; Schulenburgius vero abruptis omnibus, quæ ad invadendam urbem præparaverat, recessit, Brunio quoque cum exercitu suo reduce in Pedemontium movente. Rustici autem Genuenses recedentes ex insidiis aggressi, plures eorum mactarunt; palatio etiam Suburbano Doriæ ab eis exusto, atque Spinola crudeliter obtruncato, quod hostibus favisse existimarentur.

Obiit interea Genuæ *Bufflerius* variolis; cui magnifice parentatum. Successit eidem primo *Bissius*, dein vero *Richelius* Gallorum, Hispanorum, & Genuensium Ductor, qui omnia, si hostis denuo irruere tentaret, ad eum excipiendum solerter apparavit. Brignole autem Dux Genuensium, & seniores de senatu, qui futurorum metu suspensi, neutros quodammodo se gesserant, eventu tam fortunato animati, omnem operam junxerunt.

Borb. rursus invadunt Pedemontium. Genuensibus saluti fuit propria animositas; quæ tamen adversus hostium potentiam non fuisset in longum suffectura, nisi Galli & Hispani Brunium, ex Provincia digressum insecuti, Pedemontium invasissent; tum enim ad domesticum restringuendum incendium accurrere necesse fuit. Quippe illi Duce Bellilio *Nicæam*, *Montalbanum*, *Villafrancam*, *Turbiam*, *Vintimiliam* jam occupaverant, simul

ſimulque ſub Vilmurio & Bellilio Equite, Ducis fratre, inter Exillas & Feneſtrellam penetrare conati ſunt, ſed repulſi a Rege cæſo cum multis aliis Bellilio Equite.

Connitebantur quidem tum Rex & Brunius, amiſſa loca maritima recuperare, atque in Provinciam aut Delphinatum rurſus irruere, ſed hoſtis ita ſeſe obvallaverat, ut re infecta in Lombardiam redire, appetente jam hyeme fuerint compulſi. Philippus Princeps vero cum Duce Mutinenſi rurſus Chamberium hyematum conceſſit, Minaſius, Hiſpanorum poſt Gagium Ductor, Madritum, Bellilius Pariſios, Mirepöſio in Comitatu Niſſenſi & ora maritima ad Vintimiliam usque excubante.

Genua non modo ſe ipſam, opitulantibus Gallis, ab hoſte liberavit, ſed *Baſtiam* quoque, eorundem opera, in Corſica Rivarolæ extorſit. Turbarum etiam aliquid Genuenſibus interceſſit cum Florentinis & Luccenſibus, quod neutralitatem non ſatis obſervaſſe ſint viſi. Sed motus ſunt rurſus compoſiti. Baſtia recuperata.

Carolo utriusque Siciliæ Regi, quiete hoc anno fruenti, ad ſummum ſolatium natus eſt filius, qui Philippus Antonius *Princeps Calabriæ* dictus eſt, applaudente non modo utraque Sicilia, ſed & Hiſpania, Gallia, Polonia, Saxonia. Dux Medina-Cœlius, Legatus extra ordinem, pretioſa Infanti Hiſpaniæ attulit, cum aſſignatione annuorum proventuum. Natus Princeps Calabriæ.

Obiit Veronæ Mathias Comes *Schulenburgius* 87 æt. anno. 31 annis apud Venetos armorum Præfecti functus munere. Vitam cœlibem cum duxiſſet, ſororis ſuæ filium, rei Venatoriæ apud Electorem Hannoveranum Præfectum, hæredem inſtituit. Cæterum Domus Schulenburgica, ex Geldria oriunda, atque in Albam & Nigram lineam diviſa, late per Marchiam Brandeburgicam, Saxoniam, aliasque provincias diffuſa eſt. Schulenburgii obitus.

Mediolani eandem 87 annorum ætatem clauſit Hannibal Vice-Comes, Cæſareus Mareſchallus, & Gubernator arcis Mediolanenſis.

Art.

Art. XIX.

Pax Aquisgr. ejusque executio. Philippus Parmæ possessionem adit. Nuptiæ Amadei Princ. Sard. Obitus Muratorii. Causa Aquilejensis.

116. Per pacem Aquisgranensem Principibus Italiæ ditiones suæ sunt restitutæ, videlicet Regi Sardiniæ Ducatus Sabaudiæ, & Comitatus Niceæ, cum omnibus locis, hoc bello ereptis: retinetque, Vigevanum, partem Ticinensis ditionis, & Anchieram. Placentiam vero urbem, aliaque, quæ in eo Ducatu Tractatus Wormatiensis eidem addixerat, Principi Philippo relinquere debuit: prout etiam Savonam & Marchionatum Finariensem cum portu, omnibusque, quæ ante bellum possederant, Genuensibus. Restitutus quoque suis provinciis Dux Mutinæ. Ducatus autem Parmæ, Placentiæ & Guastallæ Philippo Hispaniæ Principi obtigerunt, Regis Franciæ genero.

Executio pacis Aquisgran.

Hujus Avia *Dorothea Sophia*, Philippi Wilhelmi Electoris Palatini filia Parmæ obiit, 78 ætatis anno. Ex primo conjuge, Odoardo II Duce Parmensi, genuit Elisabetham Philippo V Hispaniarum Regi nuptam, Caroli, Philippi, & Ludovici matrem, quæ hæreditatem in Hispaniam asportari jussit.

Anno 1749 Papa Jubilæum universale indixit, atque in pervigilio Nativitatis Domini, ipsemet portam Ecclesiæ S. Petri, aureo malleo ter illam pulsando, aperuit, Cardinalibus Ruffo, Corsino, & Colonna ad Ecclesias S. Pauli, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris, eandem ceremoniam peragentibus. Cardinalis vero Simonettus, Mediolanensis, Episcopus Viterbiensis portam æternitatis aperuit.

Regi utriusque Siciliæ Pontifex facultatem impertiit, reducendi plura Festa, & donum gratuitum a Clero recipiendi.

Corsi. Marchio Cursæus cum copiis suis Gallicis, quæ post ultimum bellum in *Corsica* remanserant, omni ope contendit, ut gentem reluctantem Genuensibus tandem subjiceret. At illa sub protectione Regis Galliæ recipi petiit; quod tamen eidem negatum. Interea autem Cursæus Bastiæ, urbe regni principe, Academiam instituit.

Cæterum Corsi Legatum Aquisgranum ad pacificationis locum miserant, ubi querelas suas contra Genuenses proposuere: Nobilitatem suam penitus deprimi: a muneribus publicis se excludi,

omnes

omnes Epiſcopatus Inſulæ a Genuenſibus occupari, juſtitiam male adminiſtrari, omni cum exteris commercio ſibi interdici. Rogabant igitur Legatos, ut ſub protectionem Galliæ ſibi liceat concedere; alias enim turbas nunquam finiendas.

Quia circa executionem pacis variæ adhuc difficultates ſe opponebant, inſtitutus eſt Niceæ congreſſus, quo deſſidia Statuum Italiæ componerentur.

Carolus Emmanuel Rex Sardiniæ portu Finarienſi Genuenſibus reſtituto, alios tres inſtruxit, atque ut commercia magis ſemper magisque efflorefcerent, liberos declaravit; & ut vinculum cum Hiſpania magis firmaretur, Victorem Amedeum primogenitum ſuum cum Maria Antonia, Regis Philippi V filia deſpondit. **Nuptiæ.**

Philippus, jam Dux Parmæ, Placentiæ, & Guaſtallæ, provinciarum iſtarum poſſeſſionem ſolenni ingreſſu adiit, atque conjugem ſuam Ludovicam Eliſabetham, quam bellum per aliquot annos ab eo abſtraxerat, cum filia Eliſabetha Maria, ex Gallia ad ſe accerſivit. **Parma.**

Dux Mutinæ, in provincias ſuas redux, Saſſoli ſedem fixit, ac ſubditos ſuos, belli calamitates paſſos, pecuniæ ſubſidio ſolabatur.

Princeps Marcus de *Craon*, poſtquam 12 annis Regimini Florentino, Magni Ducis nomine præfuit, abdicato propter ſenectam munere, primum Viennam, dein Commercium in Lotharingiam patriam ſuam conceſſit, reliquum ibi ætatis tranſacturus. Succeſſit Marchio *Steinvillius*, pariter Lotharingus, Magni Ducis antea Pariſiis Miniſter.

Anno 1750 pridie Natalis Domini Pontifex Bened. XIV januam Baſilicæ S. Petri rurſus ſolenni ritu clauſit, & Jubilæum per reliquum orbem Chriſtianum indixit.

Cardinales vero duo vitam clauſerunt: Vincentius Bichi Senenſis anno æt. 82, famoſus antehac Nuntius in Luſitania: & Nuntius d'Acunha, Luſit. æt. 85.

Rex utriusque Siciliæ Carolus, pacis fructus lecturus, urbes portusque maritimos provide reparavit, muniitque. Curſæus Marchio cum Gallicis ſuis copiis hoc etiam anno permanſit in Corſica, habuitque incolas ſatis ſibi obſequentes. Venetos cum Aula Romana Patriarchatus Aquilejenſis colliſit, prout in annum ſequentem referetur. Cæſari Cattaneo, per biennium pro more Ducis Genuenſis munere perfuncto, ſuffectus eſt Auguſtinus *Viale*. Jacobus *Durazzo* Legatus Viennæ Reipublicæ offenſam incurrit, quod Auſtriacam duxerit conjugem, eique pingue dotalitium aſſignarit ex Banco

co Viennensi. Revocatus propterea Genuam, ut gestæ Legationis rationem redderet, non comparuit, sed Austriacis obsequiis se addixit.

Sponsa Hisp. *Taurini* insigni cum celebritate & applausu excepta est Hispana Princeps Maria Antonia, Victoris Amadei Regii Principis conjux. Pactis dotalibus, præter magnam auri vim allatam, & navibus Pedemontanis promissa privilegia, Hispania cessit sua prætensione in Ducatum Mediolanensem. In contradotem vero sponsæ pro Vitalitio assignatum est Cuneum (*Coni*) opulenta & permunita civitas, in amœna regione monti imposita.

Harrachio Mediolanensi Gubernatori successit Pallavicinus, patria Genuensis, Austriacarum per Italiam copiarum Præfectus. Mantuanus Ducatus a Mediolanensi rursus fuit separatus. Hujus Gubernator renuntiatus Leopoldus Princeps Darmstadius, Comes Christiani Cancellarius Longobardiæ Austriacæ, Vice-Gubernator.

Muratorii obitus. Mutinæ obiit Ludovicus Antonius *Muratorius*, Ducis Bibliothecarius, anno æt. 78, per libros suos magnum apud eruditos nomen adeptus. *Italia Illustrata* ab omnibus celebratur. *Moderamen Ingeniorum in Religionis negotio* videtur immoderatum. Qui profitetur moderamen, non debet sectari extrema. *Votum sanguinarium* non est satis reverens in Conceptionem Immaculatam B. V. Mariæ, & Ecclesiæ de ea sensum. De rebus Paraquariæ relationem, uti animosam, ita veram scripsit.

117. *Anno* 1751 composita est *controversia Aquilejensis*. Quamvis Patriarchatus Aquilejensis (qui Schismati, propter *tria* famosa *Capitula* exorto, suam originem debet) in Austriacæ Domus & Venetorum ditiones late fuerit exporrectus, soli tamen Veneti Patriarcham, qui Primas erat Istriæ, constituendi privative sibi jus vendicabant; atque, ut semper Venetus promoveretur ad eam dignitatem, nec ordo providendi ad Domum Austriacam deveniret, cuivis Patriarchæ a multis jam annis copiam fecerunt, Coadjutorem sibi assumendi, cum jure successionis.

Causa Aquilejensis.

Indignum hoc videbatur Austriacis, eo etiam ex capite, quod Aquileja in sua ditione esset sita: quare causam ad Sedem Apost. detulerunt, petieruntque, ut alternatio saltem decerneretur, opponentibus se acriter Venetis. Unde Papa ordinavit, ut Spiritualis Jurisdictio in terris Austriacis non per Patriarcham, sed per Vicarium Apostolicum exerceretur. Neque hoc placuit Reipublicæ. Cum autem Pontifex sententiæ inhæreret & Carolum Comitem de Attymis Vicarium renuntiasset, jussus est Capellus

Legatus

Legatus Roma discedere, protestatione relicta, quam tamen Cardinalis Valenti, Status Secretarius, ei remisit. Nuntius quoque Apost. Venetiis Ferrariam discessit.

Tandem Cardinalis Rezzonicus (modernus Pontifex Clemens XIII) Benedicto XIV transactionem obtulit, quam Viennæ Ulefeldius Cancellarius Aulicus cum Trono Reipublicæ Legato conceperat. Conventum per illam, ut Patriarchæ Aquilejensis nomen & dignitas penitus extingueretur, Cardinali Delphino, quoad viveret, titulo relicto; loco Patriarchatus autem duo erigerentur Archiepiscopatus, alter Gorizii in ditione Austriaca, alter Utinæ in Veneta: hujus reditus & suffraganei sint ex ditione Veneta, illius ex Austriaca. Ad hunc nominet Respublica, ad illum Archidux, neuterque ab altero dependeret. Pontifex edita Bulla hanc conventionem approbavit, ut infra dicetur. Capellus vero ad Legationem Romanam rediit.

Præter Kollonitsium, supra memoratum, obiit Cardinalis Hannibal Albani, Episcopus Portuensis, anno æt. 70, Cardinalatus 40, quem a Clemente XI patruo suo fuit consecutus. Hæredem instituit Horatium Albanum, Principem Soranum, nepotem suum.

Carolo, Regi utriusque Siciliæ natus est tertius Princeps Ferdinandus Antonius. Idem Rex Capuæ erexit Academiam, ad instituendam juventutem in arte maritima & navali, uti etiam Neapoli Hospitale Regium, & societatem commercialem; atque ut ea magis floreret, cum Hollandis tractavit.

Corsi hoc anno, opera Gallorum, Genuensibus, tanquam legitimis Dominis suis, se subjecerunt. Sed constantia eos destituit.

Victori Amadeo Sabaudiæ Principi ex Philippi V Hispaniæ Regis filia natus est filius, cui nomen avi Caroli Emmanuelis fuit impositum. Similiter Philippo Parmensi Duci ex Galliæ Regis filia Ferdinandus Ludovicus Philippus, magna cognatarum Domuum lætitia, quam auxit Ludovica, eodem adhuc anno Philippo nata. Natales.

CAPUT III.
Status Galliæ
SÆCULO XVIII.

Art. I.

Partitiones Hiſpaniæ. Teſtamentum Caroli II. Bullionius Card. Regis gratia excidit. Bellum Italicum Univerſale. Prælia in Italia. Imperator, Imperium, Anglus, Hollandus, Luſitanus, Sabaudus in fœdus.

Quia Gallia in Italia, Germania, ad Rhenum, in Belgio, in
118.] Hiſpania, in Luſitania bellum geſſit, boni conſulet lector, ſi in brevem hic epitomen contraham, quæ propriis locis dicta ſunt aut dicentur, ut rerum connexio oculis clarius ſubjiciatur.

Anno 1698 Hagæ initus Partitionis tractatus, quem vide *in Hiſpanicis.* Delphino deſignata Sicilia, Neapolis, Sardinia, portus Hetruſci, Marchionatus Finalenſis, Guipiſcoa, &c. Archiduci Carolo Ducatus Mediolanenſis, reliqua Hiſpaniæ Monarchia Principi Electorali Bavariæ, qui anno ſequenti Bruxellis obiit.

Igitur anno 1700 altera facta eſt a Gallis, Anglis, & Hollandis Hagæ diviſio, qua addita Delphino Lotharingia, Mediolanum vero Joſepho Duci Lotharingiæ aſſignatum: reliqua Monarchia Carolo Archiduci. Quidam Scriptores exiſtimant, omnes iſtas partitiones merum fuiſſe ludibrium, artemque arcanam Ludovici, qua Europæ Principes inter ſe committat; cum prope ſciret, Hiſpanos Proceres ab omni Monarchiæ diviſione abhorrere, neque Imperatorem, ad Italiam maxime reſpicientem, eidem aſſenſurum.

Succeſſio Hiſp.

Eodem anno 1700 1 Novemb. obiit Carolus II Hiſpaniarum Monarcha, nulla relicta prole. Aperitur *teſtamentum*, quo memorabatur, Annam Auſtriacam Amitam & Mariam Thereſiam ſororem Caroli non renuntiaſſe ſucceſſioni, niſi ad evitandum, ne regnum Hiſpaniæ uniretur Francico. Hoc fundamentum renuntiationis cum non ſubſiſtat, jus ſucceſſionis eſſe penes proximos conſanguineos ſecundum leges Regni; in caſum igitur, quo Carolus ſine prole decederet, coronam Hiſpaniæ debitam fore Philippo, Duci Andegavenſi, Delphini ſecundo genito, ſecundum ordinem ſanguinis & curſum naturæ, hunc proin a ſe nominari ſucceſſorem, cum mandato,

Teſtamentum Caroli II.

dato, ut omnes subditi eundem recipiant & recognoscant pro suo Rege ac Domino.

In casum, quo Dux Burgundiæ Ludovicus obiret improlis, & Philippo regnum Franciæ obtingeret, Carolus Philippo substituit Ducem Bituricensem, tertio genitum Delphini. Post istos tertio loco ad hæreditatem vocat Carolum Archiducem, & quarto Ducem Sabaudiæ; hortaturque subditos, ne vel minimam sectionem divisionemve Monarchiæ patiantur. Ita *d'Avrigny Hist. Prof. ad an.* 1700, additque, Carolum propria manu signasse, ac declarasse, hanc ultimam suam esse voluntatem; subscripsisse Ministros Status & Justitiæ: missumque illico cursorem ad Regem Ludovicum, qui hæc nuntiaret: deliberasse illum, quam sibi rationem ineundam putaret: conquestum Philippum Ducem Aurelianensem, Regis fratrem, se ex Anna Hispana natum in testamento fuisse præteritum: Delphinum declarasse, sibi quidem soli jus successionis competere, sed cum Imperator, & Principes Germaniæ atque Italiæ Tractatui Partitionis nolint assentiri, Hispani autem nolint Monarchiam dividi, abdicare se jus suum in favorem filii secundo geniti, ut possit cum solatio dicere: *Rex pater meus: Rex filius meus.*

Non desunt ex Scriptoribus etiam Gallis, qui hic prudentiam Ludovici Regis requirant, quod deserto partitionis tractatu, quo grandia incrementa accessissent coronæ Franciæ, testamentum acceptarit, quo Gallia nihil lucaretur, immensos vero sumptus faciendos prævideret, tantumque sanguinis fundendum fore. Sed voluit sui sanguinis Principem esse Regem Hispaniæ; quamvis non ignoraret, ejusdem stirpis & familiæ Principes non semper in idem consentire.

Hoc anno Cardinalis Bullionius a Consilio Status omnibus suis officiis, dignitatibus, & reditibus fuit privatus. Vitio ei datum, quod, dum Legati munere Romæ fungeretur, non satis urgeret condemnationem libri, quem Fenelonus Archiepiscopus Cameracensis de *Regulis Sanctorum* ediderat, & Bullam eligibilitatis pro Abbate Subisio ad Episcopatum Argentinensem impetrare neglexisset, sed quodque Roma avocatus non statim discessisset, sed adhuc tanquam Decanus sacri Collegii electioni Clementis XI interfuisset. Unde Regis gratia excidit, tandemque Romæ in Domo Probationis S. J. pientissime obiit.

Bullion. gratia Regis excidit.

Anno 1701 abiit Philippus in Hispaniam, reservato tamen sibi & successoribus suis jure ad Coronam Galliæ pro casu, quo Ludovicus frater senior sine liberis decederet, aut ejus progenies deficeret. Hollandi Anglique eum Regem agnoverunt, missisque litteris sunt gratulati. Elector Bavariæ Belgii urbes tradidit, & in patriam rediit. Mediolanum, Sicilia, Sardinia Philippo homagium præstant, quin & Dux Mantuæ præsidium Gallicum recipit.

Eugenius in Italiam.

Eugenius Princeps cum viginti quinque armatorum millibus ad *Carpos* Gallos cædit, Castilionem Stiverorum occupat. Villaregius Catinato succedit, sed non majori fortuna belli. Mox enim ad *Clarium* magna cæde profligatus est, cæsis duobus Gallo-Hispanorum millibus, quingentis captis. Vix passum faciebant Galli, quem Eugenius non præverteret. Initum jam erat fœdus cum Victore Amedæo Duce Sabaudiæ, qui promisit suppeditare pro Philippo, cui Ludovicam Gabrielam filiam secundo genitam despondit, octo millia peditum, & duo millia quingentos equitum. Angli & Hollandi petebant, ut Belgium ipsis tradatur in depositum, & Imperatori satisfiat.

Tractatu Hailbrunnensi inter Moguntinum, Coloniensem, Bavarum, & Circulos, Suevicum atque Franconicum conventum de *neutralitate*. At non diu hæc tenuit. Interim vero Angli & Batavi Hagæ cum Cæsare in fœdus eunt. Ludovicus vero mortuo Jacobo II ejus filium Jacobum III Regem magnæ Britanniæ proclamat. Quare Parlamentum Londinense Annam hæredem denuntiat, eique Sophiam substituit. Ne Carolus XII Sueciæ Rex Gallo-Hispanis faveat, Angli & Hollandi fœdere cavent. Coloniensis Gallica recipit præsidia, tanquam auxilia circuli Burgundici adversus Hollandos, qui armati imminebant, ut electorem in partem trahant. Et decorum visum, Philippum nepotem defendere. Exigebat tamen a præsidiariis juramentum, quod nemini, nisi sibi parere velint, nihil hostile contra Imperatorem & Imperium sint acturi: atque sint recessuri, cum Electori placuerit. Scripsit dein primum Comitiis Ratisbonensibus, dein etiam Cæsari, se nihil egisse, quod non sit conforme libertati Germanicæ, Bullæ Aureæ, & constitutionibus Imperii. Colonia contra præsidium Hollandicum recepit.

In Italia, postquam uterque exercitus per bimestre ad Ollium consedit, Eugenius, ut ampliorem pro hybernis haberet locum, occupat Ustacum, Burgum, Governolum, Guastallam, Luzaram, Brixellum, Mirandulam. Neapoli multi Nobiles, Domui Austriacæ faventes pro Archiduce Carolo advocando conspirarunt: sed de-

detectis conatibus Eugenius expeditionem Neapolitanam, magnis difficultatibus obnoxiam, & Romæ ingratam, intermiſit.

Anno 1702 commune icitur fœdus inter Cæſarem, Anglos, Batavos, Brandenburgum, Palatinum, Hannoveranum, & Ludovico Regi bellum denuntiatur. Undique igitur claſſicum inſonat. Dux Burgundiæ cum Bouffierio Cliviam & Juliacum, Tallardus & Montrevilius ſuperiorem Rhenum infeſtant. Quibus Cæſar opponit Ludovicum Badenſem, Naſſovium, Tillium, Athlonem, cum Imperialibus, & Franconiæ, Sueviæ, ſuperioris & inferioris Rheni circulorum, in fœdus recens attractorum, legionibus. Occupantur ab iis varia loca, interque illa Leodium & Landavia, præſente Joſepho Romanorum Rege. Bellum univerſale.

In Italia Eugenius totum ferme Mantuanum agrum occupaverat, urbe principe excepta, quam aliquamdiu obſeſſam tenuerat. Mutinenſis Berſelli Cæſareum recepit ultro militem. Opportuna autem admodum fuiſſet *Cremona*, celebris ad Padum civitas. Hinc aſtu eam intercipere conabantur Cæſarei. Nam 1 Febr. per canalem, unde ſordes ex urbe egerebantur, proditione curionis, per cujus cellam canalis ductus fuerat, immiſſi milites, præſtolantibus extra urbem copiis portas apperuerunt. Nox erat concubia. Strepitu excitantur Galli, hoſtemque, qui urbem jam pene ſubegerat, retrudunt, ope potiſſimum Hibernorum. Cæſi captique ſunt utrinque multi, & inter alios ipſe Villaregius, quem urbem obequitantem Germani interceptum primum Oenipontum, dein Græcium abduxerunt. Dici poteſt, hoc ſtratagema utrinque aliquid honoris habuiſſe, & aliquid dedecoris: altera pars facinus aſtute aggreſſa, decemque horas fortiter pugnans urbem pene oppreſſit, Ducemque primum hoſtium vel victa & fugiens ſecum abduxit captivum, ſed tamen victa fugit. Altera ſe opprimi paſſa propemodum victa vicit, ſed jactura Ducis, multorumque militum: illi initium felicius, huic finis. Aſtus felicem creditur habiturus fuiſſe exitum, ſi Valdemontius cum altera copiarum parte ſatis mature potuiſſet adeſſe. Cremonæ attentatio.

Plus damni Cæſareis Vendomius ad *Croſtollum* intulit; perque hanc victoriam Mantuæ obſidionem ſolvit, per Albergottum Mutinam & Rhegium expugnat. Secutum eſt prælium ad *Luzzaram*: pars utraque triumphum cecinit. Et quamvis plures Galli ceciderint, Vendomius tamen Luzzaram & Guaſtallam recepit, Teſſæus autem Borgofortum, cum aliqua Germanorum clade. Prælia.

Philippus

Philippus Andegavensis hoc anno venit Neapolim & Mediolanum, ubi homagium recepit; inde vero Genua solvens in Hispaniam rediit; ubi triste nuntium accepit, classem Indicam, auro argentoque onustam a Rookio, Angliæ Archithalasso, fuisse interceptam; Ruremundam, Venlonam, Landaviam & Leodium esse occupatum a Fœderatis. Solata tamen est victoria *Fridlingana*, quam Galli suam, Germani ancipitem dixerunt. Certe illa Villario Franciæ Mareschalli dignitatem, & armorum Imperium ad Rhenum contulit.

Tallardus Treviros & Trarbachium capit, Elector Bavariæ Ulmam, Memmingam, Biberacum, Ehingam, Pfullendorffium: Reges Fœderati ei Belgium attribuunt.

Anno 1703 Villarius, Rheno transmisso, Kehlam occupat, & per Hercyniam progressus, Dutlingæ cum Electore Bavariæ se conjungit. Villaregius Tungros, Marleburgus vero Bonam expugnat; Tallardus Brisacum & Landaviam, Fœderati Limburgum, & Geldriam.

In Italia copiæ Cæsareæ, quas Guido Stahrenbergius ducebat, cum nulla supplementa mitterentur, in magnas angustias sunt redactæ, fervente in Germania belli incendio.

Lusitanus & Sabaudus ad fœdus.

Auctum tamen magnis accessionibus est magnum fœdus, Lusitaniæ nempe Regis, & Ducis Sabaudiæ. Arctis hic licet per duas filias illigatus vinculis duobus generis, ac fœdere etiam inito; quia tamen ab Imperatore Montisferrati ei Ducatus, in quantum ad Mantuanum spectabat, ac præterea Alexandria, Valentia, cum terris, intra Padum & Tanarum sitis, aliaque plura offerebantur, ditionis incrementum sanguini & affinitati præhabuit. Galli jam pridem suspectam ejus fidem habebant; at postquam animus patuit, Vendomius ejus copias exarmavit; Dux vero Gallis, quantum potuit, vices reddidit.

Eadem ferme ratio erat Petri Regis Lusitaniæ; initio Gallo-Hispanis favebat, dein autem tractus a fœderatis in societatem fuit sub conditione, ut Lusitaniæ regno accederent Pax Augusta, Alcantara, Albuquerca & Valentia in Extremadura: Bayona, Vigo, Gardia in Gallicia, pluresque regiones in America.

(*D' Avrigny ad an.* 1703.)

Art.

Art. II.

Belli per Europam facies. Gallorum clades. Vervæ cruenta expugnatio. Calvinistarum in Occitania rebellio. Fœderatorum progressus. Pugna Höchstadiana pro Germania, Ramiliaca pro Belgio, Taurinensis pro Italia decisiva. Neapolis quoque amissa. Frustra tamen tentata irruptio in Galliam: quam etiam pugna ad Alamancam aliquantum recreavit. Causa Ferrariæ & Comachii. Oranum amissum.

Anno 1704 in Sabaudia Fevillada Nizzam & Susam capit, Vendomius Vercellas, Juream. Peculiare fœdus Dux cum Anglis percussit. 119. Quo illi promittunt 4000 armatorum, & annuatim 40000 Sterlingarum. In Lusitania, postquam Philippus V Regi, in fœderatorum partes jam transgresso, bellum denuntiarat, varias illius urbes occupat, multosque captivos abducit. Sed advenientibus fœderatorum copiis ablata Rex recepit; ac insuper Fœderati Gibraltariam, male custoditam, facile expugnarunt. In Belgio atque ad Rhenum vix aliquid memorabile hoc anno actum, quia tota belli procella Danubio incubuit. At victoria *Höchstadiana* Germaniam bello liberavit. 20000 qua cæsos qua captos fatentur ipsi Galli. Conspecta mox est inscriptio: *agnoscat Ludovicus XIV, neminem ante obitum debere aut felicem aut magnum vocari.*

Accessit pugna navalis, qua victores pariter erant Fœderati, favente illis maxime vento. Hoc certum, multum utrinque sanguinis fusum & damni allatum; prout etiam in prælio ad *Vervam*, Gallis fortiter resistentem; quæ tandem Vendomii arbitrio se permittere coacta est. A sæculo non est audita tam diuturna, aut tam cruenta oppugnatio; nec tam urbem, quam bustum & lapidum congeriem Galli ingressi sunt. Verva.

Ad calamitates anni 1704 nihil Gallis deerat, quam ut domestico etiam bello premeretur. In Languedociam ac Cebennarum præsertim montes vallesque multi Calvinistæ penetraverant. Hi tributorum collectores suspendio necarant, confractis crematisque sacris imaginibus, vasis sacris profanatis, Ecclesiis incensis, sacerdotibus ad altare jugulatis, exempla Majorum suorum instaurarunt, Calvin. rebellio.

bello graviſſimo, quo Francia opprimebatur, confiſi. Nemini jucundius hoc erat ſpectaculum, quam Anglis & Hollandis, qui fanaticos iſtos rebelles fratrum nomine honorabant.

Major erat mali vis, quam ut præſidiarius locorum miles compeſcendo ſufficeret; ſed nec Montrevelius Franciæ Mareſchallus, cum novis miſſus copiis par erat. Quare Villarius ſuppetias ferre coactus alios nece, alios exilio multavit. Sæpius poſtea regreſſum tentabant, ſed Ludovicus maluit vires ſuas atteri, quam religionis officiis deeſſe.

Hiſp. Anno 1705 Fevillada Villafrancam cepit. Ad Gibraltariam vero quinque Gallorum bellicæ a Leackio Anglo aut captæ aut deſtructæ ſunt. Valentia & Alcantara Gallovæo deditæ. Exercitæ in illis Anglorum & Hollandorum in ſacra inſolentiæ animos Hiſpanorum adhuc magis alienarunt. Expugnarunt tamen Fœderati Barcinonem, quo pacto duas provincias, Cataloniam & Valenciam ſunt adepti; acceſſit brevi cum Cæſarauguſta Arragoniæ regnum. Ex altera parte Luſitani, occupata Albuquerca, Extremaduram apertam habebant. Nec Teſſæus, ut reſiſteret, ſufficienti milite erat inſtructus.

Ital. Princeps Eugenius, Germania liberata, cum novo exercitu in Italiam rediit, ubi expugnata a Gallis *Mirandola*, vix quidquam Cæſareis erat reliquum. At Eugenius plura mox loca occupat. Ad *Caſſanum* haud procul Adda fluvio ventum ad prælium, admodum cruentum. Pars utraque victoriam ſibi attribuit: ſed utraque jactura gemebat. Summi utrinque Archiſtrategi Eugenius & Vendomius receſſere vulnerati. Galli tamen ultimi perſtitere in campo Martio. Galli Montmelianum rupi impoſitum demoliuntur, uti etiam Nizzam.

Belg. In Flandria Baro de Monte Gubernator Lovanienſis ſe & præſidium captivum tradidit Fœderatis, antequam iſti tormenta in ſuggeſtibus collocarent. Captum etiam ab illis Tillemontium. Cæterum Elector Bavariæ, Villarius, & Villaregius ex una, & Marleburgus atque Fœderati ex altera parte mutuis militaribus artibus ſe in Belgio circumduxerunt.

Nullus annus majorem Galliæ calamitatem attulit, quam 1706; geminam ſiquidem cladem, eamque immanem perpeſſa eſt in Belgio & Italia: quippe in illo Villaregius cum Marleburgo Anglo, & Owerkerkio Hollando ad pagum Ramiliam (*Ramillies*) prælio congreſſus, tanta clade fuit affectus, ut completa Fœderatorum victoria deciderit omnino ſtatum Belgii Hiſpanici, ſicut Höchſtadiana

Ramiliaca

Ger-

Germaniæ. Scribitur, tum in prælio, tum in fuga tot Gallos esse cæsos captosve, ut ex 60000 vix tertia pars evaserit salva.

Magnitudinem victoriæ loquuntur fructus, qui fuerunt ingentes; nam Galli mox ultro deseruerunt urbes multas insignes, Mechliniam, Lieram, Bruxellas, Gandavum, Brugas, Daman, Aldenardam, quæ omnes Carolo, ceu Hispaniarum Regi se subjecerunt; Flandrique dein Ordines tanquam legitimum Dominum suum eundem promulgarunt.

Antverpia sex Hispanicis & sex Gallicis cohortibus defendebatur. Cum autem per dies aliquot arcte premeretur, Hispani armis positis Gallos quoque ad deditionem permoverunt. Mox Ostenda, trium illud annorum olim cruentum opus, octidui spatio ab Oberkercio est expugnata. Excessere 5000 Gallorum. Idem fatum subierunt aliæ urbes munitissimæ, Dendermonda, Athum, Menina.

Alterum lethale vulnus Gallo-Hispanis inflictum est in *Italia.* Pug. Taurin.
Læta erant anni initia. Vendomius 3000 Germanorum ceciderat, totum Pedemontium, Taurinum si excipias & Cuneum, erat subactum, cum Rex Ludovicus, ut prostratas Belgii res erigeret, novosque militi animos inspiraret, Ludovicum Vendomium (Henrici IV pronepotem) quo meliorem Ducem Gallia non habuit, Italia extraxit, & Villaregio, viro probo artiumque bellandi gnaro, sed infelici, substituit: Vendomio vero in Italia Philippum Ducem Aurelianensem, suum ex fratre nepotem, & Marsinium Mareschallum.

Hi, ut conceptas de se spes implerent, *Taurino* oppugnando exercitum admovent. At Eugenius superveniens eos aggressus tantam stragem edidit, ut Aurelianensi vulnerato, Marsinio occiso, tum in acie, tum in fuga confusa, multa Gallorum millia occumberent, aut ad hostem transirent, relicto in castris 255 tormentorum, 108 mortariorum, alioque apparatu bellico prorsus immani.

Completæ victoriæ fructus erat Italia: partus Ducatus Pedemontanus, Mediolanensis, Mutinensis, Mantuanus, cum permunitis urbibus, Pavia, Soncino, Castilione, Pizzigitona, Alexandria, Novarra, Tortona, Chiva, Casali, Asto. Quin & regnum Neapolitanum huic victoriæ debetur. En, quantum momenti sit in uno secundo prælio! *Höchstadianum* Germaniam, *Ramilianum* Belgium Hispanicum, *Taurinense* Italiam evacuavit. Fructus

Atque ut nulla provincia ſit expers cladis, Galli obſidionem *Barcellonæ* ſolvere coacti ſunt, relictis omnibus impedimentis, 106 tormentis bellicis, 47 mortariis, 2000 globis ignivomis, alioque apparatu ſane plurimo. Philippus ipſe ad Pyrenæos fugit. Acceſſit jactura Balearium.

Barcino.

Ludovicus Rex, ante hoc ſæculum perpetuo victor terrorque Europæ, tantis undique cladibus & calamitatibus preſſus pacem petiit; ſed frigide & ſuperbe reſponſum ab Anglo - Batavis.

Et Italia liberata.

Anno 1707 cum, acciſis viribus, Longobardiam recuperandi ſpes non eſſet, velletque ſaltem Hiſpaniam nepoti ſervare Ludovicus, Mediolani cum Eugenio *Evacuationis tractatum* iniit, quo Gallis liber abitus ex Italia concederetur, qui alias fuiſſent perditi. Eugenius hoc pactum ineundum putavit, quia alias per biennium bellum per varia munimenta arcesque, quas Galli inſederant, adhuc circumferendum fuiſſet; hac autem ratione partæ Italiæ gloriam, exercitusque, alibi mox impendendi, conſervationem eſt conſecutus.

Neapolis occupata.

Quippe Gallis ex Italia digreſſis Daunium cum decem millibus armatorum ad occupandum Neapolitanum regnum ablegavit. Capta in itinere Capua, ſuperveniunt Legati Neapolitani, claves urbis Daunio oblaturi, totumque regnum, principis urbis exemplum ſecutum, ſui deditionem fecit. Comes Martinitius datus ei Prorex, Duce de Aſcalone, qui ea dignitate fuerat ornatus, Gaetam aufugiente, quam urbem Daunius tertio obſidionis menſe impetu cepit, prædamque, aliquot millionibus æſtimatam, reperit. Eam quippe in urbem, præclare munitam, tum Prorex, tum alii dynaſtæ bona ſua, tanquam aſylum tutiſſimum, deportarant. Aſcalona vero, Cellemarius, præter alios e prima Nobilitate complures cum 2000 gregariis capiuntur.

Daunius inde cum expedita ſuorum manu Florentinis portubus imminens Plombinum & Orbitellum, quod commodam navibus ſtationem præbet, Gallo - Hiſpanis eripuit.

Irruptio in Gall.

Eugenius interea cum Victore Amedæo Duce Sabaudiæ in ipſam Galliam expeditionem arduam ſuſcepit, cumque Theſſius omnia in Delphinatum itinera valido occuparet præſidio, in Provinciam irrupit, ibique Telonem Martium (Toulon) obſidebat; ſed obſidionem ſolvere coactus viam repetiit, & in reditu Suſam expugnavit. Schovelius Anglus mari Telonem oppugnavit, ſed re pariter infecta diſceſſit. Mirum videri poſſet, quantumvis undique

que Gallus contundatur, nunquam tamen in Gallia theatrum belli figi posse.

Tandem hoc anno post diuturna densa nubila Phœbus Borboniis aliquantum resplenduit; quippe Philippus multo firmatus milite Fœderatos, quos Gallowæus ducebat, ad *Alamancam* adeo cecidit, ut plenam eamque insignem victoriam *Bervickii* Ducis opera reportaret, cæsis, ut fertur, 6000 fœderatorum, totidemque captis. Altera die ab hac victoria Dux Aurelianensis in castra venit, ac usus victoria, a Bervickio parta, sex intra dies totum Regnum Valenciæ & Arragoniæ in Philippi fidem adegit; tanti refert vel unius pugnæ felix an infelix alea. Pug. ad Alamancam.

In Belgio, Vendomio bellum pro rerum præsenti articulo prudenter administrante, tota expeditio variis itineribus & aliquot velitationibus stetit. In Germania Villarius in Sueviam & Palatinatum procurrit, a Mercio dein ultra Rhenum retrusus.

Anno 1708 in *Belgio* Bellona acerbius sæviit. Duces Burgundiæ & Biturigum, Philippi fratres, centum millium exercitum adduxerant, amissa ut recuperent. At spes sua eos fefellit; quippe Eugenio cum triginta millibus Marleburgo se conjungente, tanta ad *Aldenardam* clade affecti sunt, ut 3340 Francorum in acie ceciderint, ad 9000 capta sint, 3000 transfugerint. Galli hunc numerum valde imminuunt; imo dicunt, suos usque ad noctem in acie stetisse, & in receptu damnum aliquod passos; paremque utrinque fuisse jacturam. Insulæ (*L'Isle*, *Ryssel*) victoriæ præmium fuerunt, a fœderatis expugnatæ, quamvis a Bouflerio defensæ. Accessit *Wynendalis* Gallorum clades. Visi sunt Galli malle perire, quam Vendomii consilia aut ductum sequi. Ille pertæsus rerum privatus vixit, donec in Hispaniam fuit avocatus. Ad Aldenard.

In *Italia* Dux Sabaudiæ suis receptis denuo in Galliam irruit, atque Fenestrellam, Perousam & Exillas occupavit. Imperator ei Investituram Montisferrati contulit, ea lege, ut in fœdere permaneat usque ad universalem pacem; certam pecuniæ summam pendat Mutinensi, donec possessionem Ferrariæ obtineat. Cæsariani occuparunt *Comachium*, & alia loca, ab Ecclesia Romana, jam inde a Pipini, & Aistulphi Regis Longobardorum temporibus possessa. Carolus M. eandem possessionem & proprietatem Ecclesiæ confirmavit. Ineunte sæculo XIV Ferraria & Comachium collata Domui Estensi in feudum, Principesque illius Familiæ tanquam Vasalli Ecclesiæ, dominium ejus directum agnoscentes homagium præstabant. Comaclum captum.

Anno 1597 Alphonfo II Ferrariæ Duce fine liberis defuncto Clemens VIII feudum Ecclefiæ apertum declaravit, & dominium utile Ducatus Ferrariæ & Comachii cum directo confolidavit, proteftante licet Cæfare Eftenfi, Mutinæ Duce.

Caufa. Continua dein fuit Ecclefiæ poffeffio ultra centum annos, usque ad annum videlicet 1708, quo Belliduces Jofephi Imperatoris Ferrariam obfederunt, & Comachio præfidiarium militem immiferunt. Caufæ narrantur 1. quod Clemens XI caufæ Borbonicæ addictior videretur, nolletque Carolum Archiducem Hifpaniarum Regem publice declarare. 2. Quod Imperator Mutinæ Ducis, qui toto hoc bello partes ejus fuerat fecutus, prætenfioni faveret. 3. Quod quidam Jureconfulti Germaniæ quoddam *Reunionum* fyftema Imperatori propofuiffent, non modico terrore Principibus Italiæ injecto, ne libertatis jacturam incurrere cogerentur.

Clemens XI cum miles Germanus infolentius in ditionibus Ecclefiæ fe gerere videretur, nec arma fpiritualia formidaret, vim vi repellendam ratus, milites conduci juffit, fuppetias a Catholicis Helvetiæ Cantonibus petiit, atque ad defenfionem impigre fe præparavit, acceptis ex caftro S. Angeli belli fubfidiis.

Sed cum plures hinc ex Ducatu Mediolanenfi, inde ex regno Neapolitano Romæ imminerent legiones, imparem tantæ potentiæ fe fore facile profpiciens, has tandem conditiones inire coactus eft.

1. Ut copias fuas Pontifex ad 5000 reducat, Cæfareæ vero ex Statu Ecclefiaftico difcedant, exceptis fex millibus, quibus fua Sanctitas fuftentationem præbeat. Pax cum Pont.

2. Ut Papa abdicet Gallos & Hifpanos, quos fuo fervitio addictos habet.

3. Ut controverfiæ inter Pontificem & Ducem Mutinæ arbitris committantur.

4. Ut non affiftat hoftibus Imperatoris aut ejus fœderatorum, nec Neapolitanis transfugis.

5. Ut Comachium interea in poffeffione Cæfaris permaneat, donec per Commiffarios conveniatur de feudis Cæfareis, ficut etiam de Parma & Placentia.

Quanquam autem in his articulis non fuerit expreffum, ut Pontifex Carolum Archiducem agnofcat Regem Hifpaniæ; quia ad Cardinalium Congregationem hoc negotium erat remiffum; Marchio tamen de Prie Legatus Cæfareus id præcife exigebat; alias totum Tractatum nullum fore.

Opor-

Oportuit igitur opponente se licet Tessæo, Legato extraordinario Galliæ, ad cavenda majora mala Nuntium Apostolicum Barcinonem mittere cum Brevi Apostolico. Sed hujus inscriptio: *Nostro Dilectissimo Filio Carolo Catholico Regi in Hispania*, Cæsareis displicuit. Igitur hic erat ponendus titulus: *Nostro Dilectissimo Filio, suæ Majestati Catholicæ, Hispaniarum Regi.*

Graviter Hispani tulerunt hoc *Breve* Pontificium Madriti. Amandatus Nuntius Apostolicus: prohibitum Episcopis commercium cum *Dataria* Romana: discessit Roma Legatus Hispaniæ, quin Papæ valediceret: Cardinalis del Judice, Coronæ illius Protector Genuam abiit. Nec placabantur, quantumvis Pontifex declararet, nullatenus suæ fuisse intentionis, ullatenus præjudicare Philippo V, etiam Regi Catholico & Hispaniarum. Refert se hic Clemens XI ad Clementinam *summus Pontifex* 4 *de Sentent. Excomm.* ubi Clemens V ait, licet Papa novum dignitatis titulum cuidam tribuat, per hoc illum in dignitate non approbari, neque novum ipsi jus tribui. (*Franciscus Durenas in continuat. Hist. Eccles. Abbatis Fleuri ad ann.* 1708. *d' Avrigny Hist. Prof. ibid.*) Postmodum Carolus VI pientissimus Imperator tempore Benedicti XIII Comachium Ecclesiæ restituit. Offensa Hisp.

Hispania, efflictim Catholica, hoc anno magnum damnum incurrit, dum *Oranum*, munitissimam in Africa urbem, amisit. Hæc anno 1509 opera & consilio Cardinalis Ximenez barbaris Algerianis fuerat erepta, at durante hoc de Hispanica successione bello, Anglorum consilio & auxilio Mahometani eandem post semestrem oppugnationem expugnarunt, cum probro non exiguo Christiani nominis, nec ante annum 1732 ad Hispaniam rediit. Oran.

Archithalassus Leackius *Sardiniam* & *Minoricam* cum munimento S. Philippi & Portu Mahonis expugnat, contra vero Hispano-Galli Tortosam, Deniam, Alonam (*Alicante*) recuperant. Ne Galli, quod consueverant, in Germaniam ad prædas agendas possent excurrere, Germani occupati erant in ducenda *Etlingensi linea.*

Art.

Art. III.

Hagenſes pacis articuli Galliæ duri. Belli proſecutio. Malplaquetana Laniena. Cæſus Mercius. Galliæ calamitas. Gertrudenbergenſis Conventus ſolutus &c.

120. Artic. Hagenſes. Anno 1709 *Hagæ* Marchioni Torſyo, quem Ludovicus eo legaverat, propoſiti ſunt 40 pacis articuli, quorum hæc ſumma. Rex Chriſtianiſſimus Carolum III agnoſcat Hiſpaniarum Regem. Dux Andegavenſis intra duos menſes eidem reſtituat omnia loca, quæ tenet occupata. Hoc ſi non faciat, Ludovicus XIV ſe conjungat confœderatis, & cum iisdem armis nepotem cogat. Argentinam, Kehlam, Briſacum, Landaviam Imperatori tradat. Alſatiam non alio quam titulo Protectoris poſſideat, nec aliud, quam jus Præfecturæ in decem Imperiales Alſatiæ civitates habeat, ſecundum Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ. Demoliantur ſuis ſumptibus omnia munimenta, quæ conſtruxit a Baſilea Philippoburgum usque, nominatim Hüningam, novum Briſacum, munimentum Ludovicianum (*Fort Louis*) Electorem Brandenburgicum agnoſcat Regem Boruſſiæ, & Principem Neoburgi (*Neuf-Chatel*) Ducem Hannoveranum Imperii Electorem: Annam Reginam Magnæ Britanniæ, exigatque Francia perſonam, quæ prætendit, ſe eſſe Regem Angliæ; cedatque huic coronæ, quæ poſſidet in inſula terræ novæ.

Dunkercam demoliatur, & portum illius ſubruat. Hollandis pro limitum ſecuritate cedat Furnas, Meninam, Ipras, Inſulas, Condeum, Tornacum, Malbodium: Duci Sabaudiæ Ducatum hujus nominis, Exillas, Feneſtrellam, Chaumontium &c. Hos autem articulos tantum præliminares eſſe volunt, ſingulisque confœderatorum extendere ſuas prætenſiones. Cauſam Electorum Coloniæ & Bavariæ in generali pacis tractatione diſcutiendam, Electori tamen Palatino ſalvum fore Superiorem Palatinatum, cum Comitatu Cham, quo jam ſit inveſtitus. Namurcum, Montes, Caroloregium, Luxemburgum, Neoportus, Malbodium, Tornacum, Ipræ mox evacuentur. Arma autem non ceſſabunt, donec hæc omnia fuerint completa. (Graves.)

Quamvis autem Ludovicus, continuis cladibus bellique infelicis calamitatibus eſſet attritus, provinciæ milite & pecunia exhauſtæ, præſensque Galliæ ſtatus pacem omnino depoſceret, acerbiores tamen erant, quam ut omnes acceptare poſſet, præſertim ut nepotem

ſuum

suum propriis armis ab Hispania depelleret, omnes prædictas urbes ante pacem restitueret, & nihilominus post hæc omnia executioni data liberum cuilibet fœderatorum esset, quæ vellet, in pacificationis tractatu deposcere.

Quidam Galli scriptores referunt, Eugenium & Marleburgum, Hagæ præsentes, tam arduas conditiones suasisse, quas Borbonii non possent acceptare, ut victoriarum gloriam ad summum apicem possent provehere, Galliamque priori sæculo toti Europæ tantopere formidandam, ad eum statum redigere, unde non posset resurgere. Et sane non erant ita comparatæ res Galliæ, ut cum spe emolumenti bellum continuare posset, maxime cum fœderatorum exercitus supra centum armatorum millia in Belgio excresceret, multique per Europam Principes in partem victoriarum in illo Martis campo sub Eugenio & Marlebourgo, summis ea tempestate Ducibus, mereri vellent, Galli vero multo essent inferiores numero.

Bello igitur resumpto, expeditionem Fœderati inchoarunt ab expugnato Tornaco. Secutum est prælium celeberrimum ad pagum *Malplaquet*, haud procul Montibus Hannoniæ, Ducibus hinc Eugenio & Marleburgo, inde Villario & Bouflerio, commissum. Victoria iterum penes illos stetit. Primi quippe campo excessere Galli, ordinibus quamvis non turbatis. De numero occisorum & vulneratorum nihil dico, quia Scriptores in infinitum quodammodo variant, quolibet augente vel minuente cæsorum numerum, prout partium studium suggerit. Quidam scribunt, 16000 Gallorum cæsos, captos, aut vulneratos fuisse, Galli vero, multo plus damni Fœderatos quam Gallos fuisse perpessos. Hoc certum, toto hoc bello non fuisse pugnam magis pertinacem magisque cruentam, imo non tam pugnam quam lanienam. Villario propter vulnus in genu acceptum ex acie deportato, Bouflerius præerat. Eugenius etiam vulneratus scribitur. Jacobus III Rex Angliæ inter Gallos primos ordines duxit, editis præclaris bellicæ virtutis argumentis.

Ad Malplaquet.

Expugnati mox ab Wilhelmo Nassovio, Frisiæ Gubernatore, *Montes Hannoniæ*, testes & fructus victoriæ Malplaquetanæ.

Non tam secundo rerum cursu ibant res fœderatorum in *Germania* & Hispania; nam in illa cæsus fuit a Gallis *Mercius*, qui cum 7000 per agrum Basileensem in Superiorem Alsatiam progressus, ab Harcurio & Bourgo ita exceptus est, ut suorum 3000, vel, ut Galli scribunt, 5000 suorum amiserit, vel cæsos, vel captos, vel Rheno submersos.

Mercius cæsus.

In Hiſpania vero Marchio de *Bay* cum Luſitanis, aliisque confœderatis acie congreſſus, ultra tria illorum millia aut cecidit, aut cepit. Galli 5000 occiſa ſcribunt.

In Sabaudia Daunius expugnavit Anicium, Duce hoc anno quieſcente, quia alieniore ab Imperatore erat animo, quod is Langharum in Ducatu Mediolanenſi feuda, aliaque a Leopoldo M. ut putabat, promiſſa, ſibi vendicaret.

Privatus hoc anno tractatus Anglos inter Batavosque eſt initus, quo ſucceſſio Hannoverana in regnis Magnæ Britanniæ fuit ſtabilita, Batavis vero titulo repagulorum, ſeu ſecuritatis limitum vix non tota Flandria fuit conceſſa, in præjudicium Domus Auſtriacæ & ipſius etiam Angliæ.

Obiit hoc anno Henricus Julius Princeps Condæus, uti etiam Ludovicus Contius, Candidatus olim coronæ Polonicæ, & P. de la Chaiſe Regis Confeſſarius anno ætatis 84, cui ſucceſſit P. Tellier S. J. non ſine invidia.

Galliæ calamitas.

Anno 1710 Ludovicus rurſus pacem petiit, quam vidit regno ſuo ſummopere neceſſariam; quippe ſtatus Galliæ nunquam erat miſerior. Commercium jacebat, populus erat exhauſtus, copiæ ſine ſtipendio. Obtulit proin ſe paratum ad omnes conditiones, ſuperiore anno ſibi propoſitas acceptandas, implendasque, id unum ſi excipiatur, ne contra naturam cogatur, propriis armis Nepotem de throno Hiſpanico dejicere. Sed erectis in ulteriores victorias Fœderatorum animis, pacemque in Galliæ viſceribus quærendam eſſe dicentibus, Conventus *Gertrudenbergenſis* ſolutus eſt. Jactanda igitur Franciæ brachia, quantumvis laſſa, ni perire vellet.

Galliæ populi, qui diuturno graviſſimoque onere preſſi ante murmuraverant, pacemque importune poſtulaverant, ubi viderunt, ſeptuagenarium Regem ſuum eo usque deſcendiſſe, ut gloriam ſuam publicæ tranquillitati immolaret, atque conditiones, licet graviſſimas, ab Anglo-Batavis acceptare paratus fuerit, quod paupertas reliquum fecerat, libenter contribuerunt, exacerbati etiam ab Hollandis, dum Polignacus & Uxellius, Galliæ ad Congreſſum Gertrudenbergenſem Legati conqueſti ſunt, fidem publicam & jus Gentium eſſe violatum, dum velut captivi detinerentur Gertrudenbergæ, litteræ eorum aperirentur, & acceſſus ad eos fuiſſet prohibitus. Fœderati expeditionem hujus anni ab expugnatione *Duaci*, quod Albergottus propugnaverat, ſunt auſpicati; tum vero ad *Bethunium*, *S. Venantii fanum*, *Comineum & Ariam* protulerunt victoriam.

Convent. Gertrud. ſolutus.

In

In *Hispania* Archidux Carolus duas a Duce Andegavensi reportat victorias, primam ad *Almenaram*, pleniorem alteram ad *Cæsar-Augustam*, quæ mox capta est. Ductus inde Carolus, Stanhopii consilio prævalente, Madritum, Philippo fuga dilapso. At cum Vendomius & Noallius novas ex Gallia copias adducerent, Stanhopius cum octo cohortibus captivum se tradere coactus est, frustra in auxilium accurrente Stahrenbergio, cujus eximia ars virtusque bellica effecit, ne Gallo-Hispani ad *Villam vitiosam* plena potirentur victoria. Hisp.

Art. IV.

Obitus Delphini, ac Cæsaris. Rerum mutatio. Præliminare Londinense pacis. Pugna Deniana. Regiæ Domus funera. Pax Ultrajectensis. Villarii ad Rhenum progressus. Pax Badena.

Anno 1711 14 Aprilis obiit *Ludovicus omnium Sanctorum*, Delphinus Franciæ, quinquagesimo ætatis anno, Regis filius, Regis pater, Regis avus, nunquam Rex. Nullum tantæ ætatis Delphinum vidit Gallia. Connubio sibi junxit Mariam Annam, Ferdinandi Mariæ, Bavariæ Electoris filiam, anno 1680, ex qua genuit, Ludovicum Ducem Burgundiæ, moderni Galliarum Regis patrem. Philippum Ducem Andegavensem, Regem postea Hispaniæ, moderni Regis patrem: Carolum Ducem Bituricensem. Commendatur in eo maxime ingenua morum probitas, & filialis in Ludovicum XIV & Parentem & Regem observantia. Vidit illum in apice gloriæ, vidit, ut rerum humanarum fert conditio, depressum & cum acerba fortuna luctantem. Vidit filium corona redimitum, sed spinis horrente, & tum adhuc nutante. 121. Obit Delphinus.

Cum Fœderati novas palmas cogitarent demetere, mors Imperatoris Josephi consilia eorum disturbavit. Marleburgus, expugnato Buchaino jussus cursum sistere; inita Londini pacis præliminaria. 1 Ludovicus Annam agnoscet Reginam. 2 Gallia & Hispania nunquam uniantur sub eodem capite. 3 Commercium restituatur. 4 Hollandis cedantur muniti limites. 5 Munimenta Dunkercæ subruantur. 6 Prætensiones fœderatorum discutiantur. Prælim. Londinens.

Hos articulos Regina sociis communicavit, eosque Ultrajectum ad pacificationem invitavit. Carolus inter hæc Archidux, relicta Barcinone sua Conjuge, Francofurtum abiit; Stahrenbergius vero bellum strenue est prosecutus; quamvis cessantibus Anglis & Lusitanis modicæ ipsi superessent copiæ. Victor Amedeus Camberium recipit, cum tota ferme Sabaudia, Bervico ob paucitatem copiarum non valente resistere.

Anglia recedit.

Obierunt hoc anno celebres Franciæ Mareschalli, Bouflerius & Catinatus, hujus tamen mortem alii ad annum sequentem referunt.

Rerum mutatio.

1712. Elector Bavariæ recepit homagium a Ducatu Luxemburgico & Comitatu Namurcensi, quos Philippus ei tanquam proprios cesserat; nam hos solos Fœderati necdum expugnaverant. Adjecit Rex Ludovicus de suo Ipras, Meninam, Duxmudam, munimentum Knock, Hollandorum præsidio tenendas, si Regi restituantur Bethunium, Aria, Duacum, Buchainum, S. Venantii Fanum; atque ad demoliendam Dunkercam se offert, si sibi reddantur Insulæ & Tornacum. Verum ex his plura, ut mox videbimus, fuerunt immutata, maxime cum Anglia copias suas abduxisset; nam tunc Villarius plures in Belgio urbes brevi tempore recuperavit, uti Duacum, Quercetum, Buchainum, Marchicanam. Depulsus Albermarle cum Hollandis ab obsidione Atrebatensi, manifesto documento, quantum momenti prius fœderi addiderint Angli. Celeberrima autem est victoria *Deniana*, quam Villarius a Germanis & Hollandis reportavit, quos *Albermarlius* duxerat. Ex 17 cohortibus vix 400 milites evaserunt. Inter captos erat Dux ipse Batavorum Albermarlius, Principes insuper Nassovius, Holsatus, Anhaltinus. Galli hoc certamine gloriam suam reparatam dicunt. Defuit Eugenius. Quid dixissent, si illum vicissent?

Pugna Deniana.

Quamvis autem hæc læta fuerit Gallis rerum conversio, nescio tamen, an ullus toto hoc bello fuerit Familiæ Regiæ annus luctuosior. Eodem quippe morbo Versaliis obiit Ludovicus Dux Burgundiæ, 30 ætatis anno, hæres coronæ, cum sua conjuge & filio, Duce Britanniæ sexto ætatis anno, in proximam post patrem spem regni natus, superstite fratre bienni, qui tamen & ipse eodem morbo tunc periculose laborabat, & quamvis bimus duntaxat esset, dicere tamen poterat, se quatuor Delphinos vidisse. Volebat quippe cælum propitium Ludovicum XIV per adversa ad se trahere.

Obitus Principum.

Lu-

Luctum auxit funus Ludovici Josephi, Ducis Vindocinensis (*Vendome*) qui in apparatu novæ expeditionis in Hispania ad aliam eamque perpetuam vocatus est anno ætatis 58. Fuit Pronepos Henrici IV ex Estrea, bello in Italia, Belgio, & Hispania Præfectus: Princeps, uti indole mansuetus, popularis, ac militi acceptus, sic consilio, arte & virtute militari Eugenio & Marleburgo, summis ea ætate belli Imperatoribus, suppar. Quamvis enim Gallia annuas hoc bello acciperet clades, nullam tamen, quando ille ceu supremus belli moderator exercitum solus gubernabat: expertus tamen & ipse infidas humanæ gratitudinis vices. Obierunt insuper Marchio Noallius armorum Præfectus, Cardinalis frater. Item Franciscus de Rohan Princeps Subisius, Dux pariter militaris inclitus, relictis tribus filiis; quorum unus Cardinalis & Episcopus Argentinensis. Vendomii.

Renuntiavit hoc anno Philippus successioni in regno Franciæ, Dux Bituricensis autem & Aurelianensis in Regno Hispaniæ; quo facto Anglia penitus est conciliata.

Anno 1713 Pax Ultrajectensis fuit conclusa. Rex Christianissimus abdicavit causam Jacobi III Regis Angliæ, in Gallia hactenus exulis, sicut in pace Risvicensi patris Jacobi II. Excessit igitur ex Gallia in Lotharingiam, protestatione Ultrajecti interposita. At Angli apud Lotharingum institerunt, ut eum ditione sua expellat; quasi vero non sufficeret amisisse coronam patrum suorum, nisi & omnis commoratio in orbe Christiano ei interdiceretur. Accepit tandem asylum in communi Christianorum patria. Felicius protestati sunt Status Leodienses contra præsidia Hollandorum. Jacobus III exul.

Dux Sabaudiæ uti cœpit titulo Regis Siciliæ, per pacem ipsi tributæ, & Panormum profectus coronam suscepit, contradicente Carolo VI Imperatore, atque in Decreto, quo ejus Legatum Vienna dimisit, allegante, quod sanguine Germanorum servatus sit sæpius a totali ruina, & nihilominus, nulla Imperii & Imperatoris ratione habita, in particularem cum Gallo tractatum descendisset contra fœdus & factas promissiones. Verum non omisit Dux causam suam defendere. Sabaudus Rex Siciliæ.

Villarius Landaviam & Friburgum in Brisgovia expugnat; jamque in Germaniæ viscera erat penetraturus, cum etiam Imperator & Imperium ad pacem cœpit respicere, Eugenio & Villario Rastadium ad Præliminaria componenda se conferentibus. Hæc autem & pacem Badensem anno 1714 subsecutam supra in Germanicis retulimus; Pacem vero Ultrajectensem opportunius recensebimus,

cum de ſtatu Hiſpaniæ tractabitur, eo quod in ea pace præcipue actum ſit de diſmembratione Monarchiæ Hiſpanicæ.

Art. V.

Conventus Cleri Gallicani damnat 4 propoſitiones Janſeniſtarum. Juvencii Hiſtoria Societatis male accepta. Moleſtia ob dimiſſos e Societate. Diſſertatio in Cap. 6. de ſtatu Monachorum.

122. Epiſcopi Galliæ ſingulis quinquenniis celebrare ſolent Comitia Generalia, quæ vulgo dicuntur *Conventus Cleri Gallicani*, & ſunt inſtar Conciliorum Nationalium. Hi ſimul in unum opus, in ſex Tomos diſpertitum, collecti, anno 1675 Pariſiis in lucem ſunt editi ſub hoc titulo: *Collectio Actorum, Titulorum, ac Documentorum, Clerum Gallicanum ſpectantium.* Congregati autem ſunt eum in finem, ut extirpentur ſectarum reliquiæ, ut obtineant promulgationem Regiam Concilii Tridentini, ut errores emergentes & laxa morum doctrina proſcribantur, atque Eccleſiæ diſciplina inſtauretur, aut conſervetur, ut vindicetur ac ſtabiliatur auctoritas & Jurisdictio Eccleſiaſtica, ut denique rerum temporalium inſtituatur apud clerum recta adminiſtratio, Regique præbeantur ſubſidia.

Celebris eſt Conventus, anno 1700 in Regio palatio in ſuburbio S Germani habitus, in quo 127 laxas propoſitiones, ab Alexandro VII & Innocentio XI jam proſcriptas, cenſura perſtrinxit, una cum theſibus, a Janſeniſtis ſparſis.

Prima ex his damnatis ſic habet: tandem Eccleſiæ & Regnorum Principes ex hoc clariſſimo argumento agnoſcunt, phantaſma Janſenii quæſitum ubique, ſed nusquam inventum, præterquam in laborante quorundam phantaſia.

2da: Conſtitutione Innocentii X nihil aliud actum, quam ut renovarentur, & exacerbarentur diſputationes. - - - In eandem viam pertractus eſt Alexander VII, ut homo ab hominibus facile impellendus in eas res, quæ parum ejus officio convenirent &c. Innocentius quoque XII cum ex officio teneretur, claram proferre ſententiam, generalibus, æquivocisque verbis adhibitis, dat locum exiſtimandi, non auſum eſſe clarius loqui, tanquam errare metuentem &c. atque illud *in ſenſu obvio* ejusdem Pontificis, magis adhuc

huc generale est & vagum, quam verba Alexandri VII : *In sensu, a Jansenio intento &c.* Episcopi denique Gallicani libertates Ecclesiæ Gallicanæ, sub earum asserendarum specie, labefactarunt super suscipienda Constitutione Innocentii X contra Jansenium.

3tia: Aliquam huic malo attulisse medicinam videbatur Innocentius XII in Brevi suo die 6 Febr. 1694 &c. verum mitigationem illam præsumptam non parum extenuavit Brevi dato 24 Nov. 1696, ubi Pontifex diserte negat, Constitutionem aut Farmularium Alexandri VII Brevi suo alteratum aut reformatum &c. in aliqua minima ejus parte.

4ta: Circa condemnationem Augustini Jansenii opus esset collatione regulari, vel coram Judicibus, a Romano Pontifice, vel a Rege datis &c. Nondum interierunt omnes, qui sciunt deliberationes (de Janseniano negotio) quas nunc Episcopi ut regulas suarum hodiernarum deliberationum sumunt, Cleri Gallicani æternum fore præjudicium.

Quatuor hisce propositionibus Jansenistarum Clerus Gallicanus hanc censuram inussit: „ Hæ quatuor propositiones, quibus „ inquieti homines Innocentii X, & Alexandri VII Constitutiones, „ Innocentii quoque XII Brevia æquissima, & ab omnibus approbata, aperte contemnunt, Episcopos Gallicanos, rebus judicatis adhærentes, incessant maledictis, & causam hanc de integro „ retractari postulant; tanquam tot Constitutionibus Apostolicis, „ etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum finita „ fuerit, *falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in clerum Gallicanum, summos Pontifices & universam Ecclesiam, Schismaticæ, & erroribus damnatis faventes.*

Reprobavit etiam propositionem, semipelagianismum olentem, quæ causam discernendi inter justos & injustos in opera mere naturalia refert: & alteram, quæ pactum comminiscitur inter Christum & Patrem conferendi gratiam facienti quod est in se viribus naturæ. Verum illi, qui principium illud, Deus facienti, quod est in se, non denegat gratiam, sobrie explicant de faciente viribus naturæ, hæc duo non dicunt: sed, quod Deus etiam facienti per vires naturæ, quod est in se ex misericordia & bonitate sua non deneget gratiam supernaturalem, per quam actus supernaturales ponat, & justificetur, respiciendo opera naturalia ut merum terminum, nullatenus vero ut meritum aut conditionem, sine qua non.

Pro-

Proſcripſit denique propoſitiones aliquas nimium laxas, quod ſufficiat attritio, ex metu gehennæ concepta, absque ullo ad Deum offenſum reſpectu. Requirit autem conventus initialem & inchoatam dilectionem Dei in pœnitente, qua videlicet, ut loquitur Tridentinum, *incipit diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem*. Denique hortatur omnes, ne doctrina de uſu opinionum probabilium abutantur, & in laxas ſententias declinent, ſed id, quod eſt tutius, ſectentur.

Hiſt. Juvencii reprehenſa. Editus fuit anno 1710 a *Joſepho Juvencio* Hiſtoriæ Societatis Jeſu *Partis V Tomus Poſterior*, eo ſermonis nitore, qui ſæculum aureum referat. Sed quantum ſtylus placuit, & concatenata narrationis ſeries, tantum Gallis quibusdam diſplicuit, quod author non ſatis, ſe in Gallia natum eſſe meminerit: eaque ſcripſerit, quæ plures ante eum innoxie litteris mandarant.

Tria autem reprehenſione digna ſunt viſa. 1 Quod laudaſſet Gregorium XIV ob miſſa *Ligæ* Catholicæ in Galliam adverſus Henricum IV, tunc adhuc Hugonotum, auxilia: per quod *Ligam* ipſam approbatam interpretabantur. 2 Quod narrando Jeſuitarum exilium & mortem P. Guignardi arguere Judices videretur. 3 Quod *Defenſionem fidei*, a P. Suarez contra Regem Angliæ compoſitam, & in Gallia male exceptam, excuſare cenſeretur.

Parlamentum ultra ſimplicem ſuppreſſionem libri procedere volebat; ſed Rex, qui Societatem æſtimabat & amabat, vetuit ulterius progredi: unde Parlamentum acquievit Patrum declarationi, quod auctori aliqua verba exciderint, quæ in malam partem accipi poſſent, ſe legibus & uſibus regni addictos, ſupremam Regis auctoritatem agnoſcere.

123. Alia moleſtia major, & quæ ipſum Societatis Inſtitutum tangit, eandem anno 1715 exercuit, & quidem occaſione Nobilis cujusdam Juvenis, qui fuit dimiſſus e Societate. Repetiit is a conſanguineis ſua bona: illi reſtituere detrectabant. Inde lites in Parlamento.

De Scholaſticis Societatis. Habet hoc Inſtitutum Societatis Jeſu, a pluribus ſummis Pontificibus, & ipſo adeo Concilio Tridentino approbatum, ut ii, qui tria vota *ſimplicia* poſt Novitiatum emiſerunt, fiant quidem vere Religioſi, poſſint tamen poſt plures etiam annos usque ad profeſſionem ſolennem dimitti a Patre Generali, & ſolutis votis ſuis religioſis ad ſæculum redire, ibique bonis ſuis uti frui, ac etiam, ſi Ordines ſacros necdum receperint, matrimonium inire; neque enim Societas ſe obligat ad eos retinendos, quamvis illi ſe obligent So-

cietati ad remanendum, & Gradum acceptandum, *omnia intelligendo secundum Societatis Constitutiones.*

Ut proin liberius dimitti possint, qui Societati non satisfaciunt, voluit S. Fundator, ut dominium bonorum retineant, donec fiant professi; nihil tamen de iis disponant, sine facultate superiorum. Jesuita itaque per votum simplex paupertatis neque dominium neque possessionem bonorum suorum abdicat, sed solum usum eorum liberum, a superiorum voluntate non dependentem: sicut pupillus, *licet sit dominus omnium, sub tutoribus tamen & actoribus est usque ad præfinitum tempus.*

Omnes Europæ Catholicæ Principes introduxerunt aut receperunt Societatem sub eo modo, ut possit juxta suum Institutum & Constitutiones vivere. Nec alia ratio erat in Gallia, usque ad calamitosa illa tempora, quibus a Parlamento Parisiensi proscripta fuit.

Volebat quidem Henricus IV, ut absolute restituatur in integrum; at tandem id dedit adversantium importunitati, ut Societa- Edictum anni tis Scholasticis (ita appellamus eos, qui votis simplicibus ligati 1603. necdum certo stabili Gradui sunt adscripti) & Coajutoribus spiritualibus ac temporalibus, jus successionis hæreditarium adimeret, sic tamen, ut, si a Societate dimitterentur, in omnia sua jura restituerentur; prout Edicto anni 1603 cautum erat: neque ullum in Gallia extat Decretum, huic Edicto contrarium.

Nihilominus tamen *Aubercourtio* (hoc nomen dimisso e Societate Nobili) injecta est molestia. Parlamentum etenim hac occasione anno 1701 Regi supplicandum decrevit, ut Edictum anni 1603 explicaret, certumque tempus figeret, post quod dimissis e Societate non amplius esset integrum redire ad bona & jus hæreditarium, ne per ejusmodi regressum turbentur familiæ.

Rex noluit causam decidere, sed jussit Parlamentum partibus debitum jus dicere. In longum protractum est negotium. Societas initio se non miscuit; nec deerant, qui dicerent, non esse e re ipsius, ut per spem regressus ad bona, juvenum tentationes, quibus cupiditas, tædium, inconstantia eos incursat, augeantur, iisque ad egressum porta velut aperiatur.

Sed ratio in oppositum, Instituto ac fini Societatis magis consentanea, visa est potior. S. Ignatius velut punctum substantiale respexit, ut sui Instituti homines bonorum proprietate se non spoliarent ante professionem, ut minori cum molestia noxia aut inutilia membra possit abscindere. Porrecto igitur libello Regem rogarunt

 Patres

Patres, ut dimiſſos a Societate ad bona ſua redire permittat, ſicut in tota Chriſtianitate eſſet conſuetum.

Duo autem maxime capita repræſentabant: & quod Edictum anni 1603 adhuc ſubſiſtat, & quod ejus executio nullam inſolitam moleſtiam, nedum injuriam afferat familiis, aut regno præjudicium; non alias nunc verſari rationes, ac illas, quibus diſcuſſis, Henrico IV viſum ſit durum & inhumanum, inſontibus ſuum adimere patrimonium, aut eos veluti exhæredare, quamvis nunquam bonis ac juribus ſuis renuntiarint.

De dimiſſis. Ex adverſis principiis ſecuturum, parentem viduum non poſſe ad ſecundas tranſire nuptias, ne liberorum primi matrimonii portio hæreditaria minuatur. Eum, qui cœlibem vitam ducit, non poſſe de rebus ſuis diſponere, ſed conſanguineis debere illas relinquere ad exaltandam ditandamque familiam, & ſic omnes perſonas Eccleſiaſticas patrimonio ſuo & jure hæreditario privandas.

Rationem Jeſuitarum in hac parte in Gallia non eſſe ſingularem, ſed Presbyteris Oratorii & S. Lazari communem; Equites Melitenſes longo ſæpe tempore differre profeſſionem Religioſam; & ante illam retinere dominium ſuorum bonorum, atque ſucceſſionis hæreditariæ eſſe capaces, quin tamen quis jure poſſit conqueri, hoc cedere in præjudicium familiæ aut Reipublicæ.

Religioſos, retinentes dominium usque ad tempus Profeſſionis, comparari poſſe peregrinantibus, qui longiori tempore domo abſunt. Redeuntes recipiunt poſſeſſionem ſuorum bonorum, nec excluduntur ab hæreditatibus, imo poſſeſſionem ſaltem civilem ſemper retinuerunt, dum velut depoſitum bona ſua cuſtodienda tradiderunt, recepturi poſſeſſionem etiam naturalem illius, poſtquam redierint; nec tamen propterea dicturum quenquam, turbari hoc pacto familias, aut Reipublicæ incommodari. Et licet in peregrinas regiones profectus crederetur jam mortuus, licet etiam hæreditas jam diviſa eſſet inter alios, reduci tamen legitima ſua reſtitui debet. Et quid fieri oportet, ſi pater jam habeat filium, & poſt multos annos ei ſupernaſcatur alius? an hic privari debet portione hæreditatis, quam integram prior jam ſpe devoraverat?

Videbatur Rex pronus ad reducendam Societatem in eum ſtatum, quo fruebatur juxta Inſtitutum ſuum ante exilium. Nam ſæpius conceſſit, ut Jeſuitæ poſt edita vota ſimplicia ad hæreditatem admitterentur. Ut tamen ſtabile quid decerneretur, negotium

Declaratio Regia. Commiſſariis demandabat; qui Edictum anni 1603 confirmarunt, ea adjecta declaratione, ut dimiſſi e Societate ante 33 ætatis annos com-

completos, bona sua & jura hæreditaria recuperarent; si vero post eos annos essent dimittendi, bonis suis renuntiasse censendi sint.

Illud non raro, qui ad decempedam aliorum Religiosorum Ordinum Societatem metiuntur, objectare solent, per vota simplicia Jesuitas aut non fieri Religiosos, aut incapaces reddi omnis proprietatis. Votum paupertatis & abdicationem proprietatis pertinere ad substantiam religionis, atque in ea (juxta Canones) neque Papam dispensare posse. *Cap. cum ad Monasterium 6 de statu Monach. in fin.*

Diversa Ordinum & paupertatis ratio.

Sed indubitatum est, Jesuitas per vota simplicia Scholasticorum fieri vere Religiosos, & nihilominus bonorum dominium retinere posse usque ad professionem solennem, vel vota publica Coadjutorum formatorum, prout per plures Bullas Pontificum fuit clare definitum, uti per Bullam *Ascendente Domino* Gregorii XIII &c. neque in hoc ulla apparet impossibilitas. Quid enim aliud est Religio, nisi certus modus colendi Deum? hic autem modus potest esse varius, prout ab Ecclesia ordinatum fuerit. Potuisset status Religiosus institui, quem duo vel quatuor vota constituerent.

Potest diversimode paupertas voveri, prout nempe vel strictius vel laxius ab Ordine præcipitur secundum cujusque constitutiones. Franciscani, Capucini, Domus Professæ Societatis Jesu, ne quidem in commune habent dominium: alii Ordines habent. Religiosi Ordinum Equestrium, uti Teutonici, Melitensis &c. non tam strictam paupertatem vovent ac alii: prout etiam Episcopi, aut ipse summus Pontifex, ex Religioso Ordine assumpti. Religiosi Societatis Jesu, quamvis ante solennem Professionem retineant dominium, nulla tamen re (in quo perfectio paupertatis consistit) tanquam propria uti possunt, sed in omni usu, & dispositione, a superiorum voluntate penitus dependent.

Religiosus status, seu certus modus colendi Deum atque vovendi certas virtutes, non est Juris Divini aut naturalis, sed Ecclesiastici. Votum equidem, legitime factum, jure Divino obligat; sed hoc jus non præcipit, hoc vel illud, hoc vel illo modo vovere. Ad Ecclesiam spectat, hos vel illos cultus, has vel illas Religiones approbare, improbare, abrogare, mutare, prout ad gloriam Dei videbitur.

Scholastici Societatis aut Coadjutores, qui post biennium Novitiatus emittunt vota simplicia, per votum paupertatis non abdicant bonorum dominium, sed tantum liberum eorum usum. Et ratio hujusmodi voti a Sede Apostolica est approbata. Mirum proin est,

aliquos eo provectos audaciæ, ut præfracte impugnent, quod Sedes Apostolica sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibuit impugnari, asserantque, per prædictum votum paupertatis voveri, quod non vovetur, abdicari dominium, quod neque ex intentione voventis, neque ex Instituto sensuque Societatis, neque ex Constitutionibus Apostolicis abdicatur: imo hæc abdicatio positive excluditur, dum expresse vovetur *Juxta Societatis Constitutiones.*

Sed tales sunt incapaces proprietatis, inquiunt. Hoc jam audivimus. Unde, quæso! ista incapacitas? ante votum fuerunt capaces. Voti vis dependet ab intentione & voluntate voventis. Neque ab hac intentione, neque a mente Ordinis aut Ecclesiæ hunc effectum incapacitatis importat. Sed neque contradictionem ullam importat, habere dominium, & eo non posse sine superiorum licentia uti, prout patet in pupillo, minore, prodigo, cui administratio est interdicta. Aliud est, habere jus, & aliud eo uti. Reservato jure proprietatis potest quis promittere eo non uti, nisi sub certa conditione.

Ad cap. 6 de statu Mon.

At obstat, inquiunt, *cap. cum ad Monasterium 6 de statu Monach.* quod ita habet: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa est regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Respondetur, Innocentium III *cap. cit.* locutum fuisse in *sensu composito*, quod scilicet Pontifex non possit licentiam indulgere, ut quis agat contra votum (quia hoc esset intrinsece malum) aut, quod non possit cum Monachatu, seu regula Monachali, ut præcipiente abdicationem proprietatis, conjungere proprietatem. Sive, quod Papa non possit facere, ut quis habeat proprietatem & simul Monachatum ut constitutum per regulam abdicationis illius, cum abdicatio proprietatis sit de essentia Status Monachalis, ut includentis abdicationem; alias enim idem esset, & non esset; seu daretur abdicatio proprietatis, & simul in sensu composito proprietas, quod contradictionem involvit. Verbo: fieri non potest, ut quis conjungat proprietatem cum Monachatu, per regulam excludente proprietatem.

Dispensare tamen absolute, & necessitate publica exigente, potest Pontifex in *sensu diviso:* hoc est: ut quis proprietatem acquirat, sed hoc ipso amittat Monachatum, ut constitutum per abdicationem proprietatis. Quia potest de plenitudine potestatis tollere votum, etiam solenne, paupertatis, quo abdicationem proprietatis vovit, sicut contingere posset, si talis Monachus fieret Papa, ut multoties

con-

contigit, aut ſi Rex fieret, ut de Ramiro, Arragoniæ Rege, legimus, atque ſic jus proprietatis acquireret.

Et ratio eſt, quia ſummo Pontifici ſubjectæ ſunt voluntates fidelium, actusque, quibus voverunt, in quantum ad rectam Eccleſiæ gubernationem eſt neceſſarium, revocare igitur tanquam Vicarius Chriſti poteſt hos actus, ſicut parens vota filiorum impuberum; & tunc per ſe ceſſat obligatio voti.

Quamvis autem abdicatio proprietatis fuerit de eſſentia Status Monachalis, ut conſtituti per tale votum & talem regulam, hodieque ſit de eſſentia ſolennis profeſſionis Religioſæ, taliter conſtitutæ; non tamen repugnat alius Monachatus, ſpecie diverſus, per alias regulas, aliaque vota conſtitutus, quæ proprietatem non tollerent. Certe nullatenus repugnat alius ordo Religioſus, qui aliter ſit conſtitutus, cujus votum paupertatis non quidem ipſam bonorum proprietatem, ejus tamen liberum uſum excludat. Cum conſtet, diverſas Religioſorum Ordinum eſſe regulas, vota, eorumque effectus diverſos, prout de Equeſtribus quibusdam Ordinibus diximus: quorum aliqui in Hiſpania caſtitatem tantum conjugalem vovere dicuntur. Unde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25 *c.* 1 *de Reg.* ait, vota & regulas Ordinum Regularium *ad eorum reſpective eſſentiam*, obſervandas eſſe. Ubi manifeſte ſupponit, diverſas eſſe Ordinum Religioſorum eſſentias.

Sic Societatis Jeſu Scholaſtici ſunt vere Religioſi, ut per plures Pontificum Bullas definitum fuit, & tamen illi non vovent actualem abdicationem proprietatis, ſed tantum abdicationem uſus liberi, & a ſuperiorum voluntate independentis; quia ad finem, quem intendit Societas, id genus voti eſt aptiſſimum.

Ratio autem eſt, quam ſupra attigi; quia indroductio Status Religioſi, ejusque ordinatio, forma, regulæ, non deſcendunt a jure naturali aut Divino, ſed Eccleſiaſtico; unde pertinet ad ſummum Pontificem ſupremum Eccleſiæ ac ſacrorum Antiſtitem, diverſos Religioſos Ordines auctoritate ſua approbare, regulare, formamque, quæ ad finem intentum apta videbitur, præſcribere. Ad finem autem Societatis, qui eſt, non modo ad propiam perfectionem, ſed proximi quoque ſalutem per multa diverſaque officia incumbere, viſum eſt medium aptiſſimum, ſi ſuos diu multumque probet, minus idoneos rejiciat, eosque retineat, quibus propria ſibi munera tuto poſſit confidere. Ut autem dimiſſi habeant, quo ſuſtententur, neceſſarium erat, ut bonorum ſuorum proprietatem retineant, nulla tamen re, quamdiu in Societate vivunt, tanquam pro-

propria utantur, ſed in omni uſu & diſpoſitione a ſuperiorum voluntate dependeant, atque parati ſint, quocunque tempore P. Generali placuerit, proprietatem bonorum abdicare, & in pauperes aut alios pios uſus erogare. Sæpius hic aliqua erant repetenda; quia aliqui nolunt capere.

Art. VI.

Obitus Ludovici XIV. Elogium. Teſtamentum. Hujus mutatio in cauſa Maynii & Toloſani. De Maintenonia.

124. Anno 1715 obiit Ludovicus XIV ob res præclare geſtas cognominatus *Magnus*, anno ætatis 77, regni 72, quot in regno annos nullus unquam Princeps explevit: dies ejus boni & mali; nam dotibus naturæ fuit excellentibus, magnanimus, liberalis, litterarum bonarumque artium protector, Religionis amator cultorque eximius; utraque fortuna heros exercitatus; priori ſæculo bellis felix; unus contra omnes, Europæ terror. At ſæculo iſto ſe hominem ſenſit, nihilque in rebus humanis eſſe tam magnum firmumque, quod deprimi non poſſit. Unde quidam hoc Chronoſtico annum mortis ejus expreſſit: *DIV VICI, DIV LVXI, DIV VIXI, IVI.*

Obit Lud. M.

Grandibus virtutibus defectus immiſcuit, geminos maxime, continentiæ & pacis.

Regni hæredem reliquit Ludovicum XV quinquennem tunc Principem, Pronepotem ſuum, voluitque teſtamento, pupillarem ejus ætatem regnumque dirigi a Conſilio, ex Ducibus Aurelianenſi, Borbonio, Mainio, Comite Toloſano, Cancellario, Mareſchallis, Villaregio, Villario, Uxellio, Tallardo, Harcurio, quatuor Secretariis Status, compoſito; juſſitque, omnia ad votorum pluralitatem concludi. Educationi Regis impuberis præfecit Mainium & Villaregium; Fleurium Foro-Julienſem in Provincia Epiſcopum, inſtructorem; P. Tellierum S. J. confeſſarium; qui & ipſi a ſacris confeſſionibus fuerat. Tutelam Religionis ſummopere commendavit. At vero, cum poſtridie mortis in pleno Parlamento coram Ducibus & Paribus Franciæ teſtamentum aperiretur, tutela Duci Aurelianenſi fuit delata, cum Regimine, ceu jure ſanguinis debita proximo agnato. Dux etenim Bituricenſis Regis patruus & ipſe nuper obierat.

Teſtamentum.

Ante mortem actu solenni natalibus restituit Ducem Maynium & Comitem Tolosanum filios suos, statuitque, ut inter Principes sanguinis Regii ultimum locum occupent, ante omnes tamen alios Principes, atque successionis in regno sint capaces, aliisque prærogativis gaudeant, indignantibus licet Aurelianensi, Condæa & Contia Familiis; quibus tres filias, ex Montespana pariter susceptas, collocaverat. Causa Maynii & Tolosani.

Verum post mortem Regis Maynio & Tolosano gravis mota fuit controversia status a Principibus Borbonio, Carolesio, & Contio. Courtenacenses etiam Domini, qui a Ludovico VI descendere prætendunt, Regii sanguinis Principes declarari petierunt.

Cæterum Ludovicus cum *Maintenonia* matrimonium conscientiæ habuit, illamque publice declaraturus fuisset Reginam, nisi Principes obstitissent. Fuit hæc fœmina nata in America, indeque in Europam translata Scarroni Poetæ nupsit. Hoc autem mortuo per Montespanam Regi innotuit. Post cujus mortem Asceterium, a Ludovico pro illustribus puellis fundatum, ingressa est. Maintenon.

Art. VII.

Ducis Aurelianensis cura ærarii publici. Fœdus Triplum, & Quadruplum. Lavvsii fraudes, ut Galliam emungat. Chartaceum commercium. Mentiti montes aurei Missisippici. Pestis Massiliæ. Cartouchius. Obitus magnorum virorum. Turbæ ob Bullam Unigenitus, sponsalia tergemina. &c.

Ludovicus XV per septennium a Ventadouria educatus, anno 1716 Villaregii curæ commissus est. 125.

Dux Aurelianensis, qui Galliam regebat, omnem curam intendit, ut immensa, quæ Rex reliquerat, debita exsolverentur. Primum aggressus est quæstores, collectores tributorum, dardanarios, & annonæ flagellatores, qui Regis conniventia abusi multos librarum milliones malis artibus corraserant, iisque privatam bursam infarserant. Unde cusa moneta dicitur, quæ una ex parte Ludovicum XIV repræsentabat cum epigraphe: *esurientes implevit bonis*, ex altera parte effigiem Regentis, cum inscriptione: *& divites dimisit inanes.* Certe tam severa erat inquisitio & executio, ut 284 familiæ Inquisitio in fraudatores ærarii publici.

miliæ intra menſem ad incitas reductæ ſcribantur, ex Iris Cræſi, & ex Cræſis iterum Iri; eaque ratione ultra ducentos librarum milliones collecti, atque in ærarium publicum illati. Miſerrima eorum fuit conditio, qui opibus male partis ſtatum illuſtrem, ſibi indebitum, compararant. Multi occulta largitione dedecus redemerunt.

Fœdus Triplex. Anno 1717 initum eſt *Fœdus Triplex* inter Galliam, Angliam, & Hollandiam, his capitibus.

I. Sit perpetua pax inter tres nationes.

II. Prætendens illico Avenione amandetur, nec in Galliam aut Lotharingiam redeat. Gallia illi nec directe nec indirecte aſſiſtat.

III. Nullus fœderatorum alterius rebelles toleret.

IV. Portus Dunkercæ diruatur, nec ullus alius in vicinia conſtruatur.

V Omnes articuli pacis Riſvicenſis, in quantum cedunt in commodum Fœderatorum, & præſertim ſucceſſionem in Anglia Proteſtantium, & in Gallia Regentis, ſi Rex ſine liberis decederet, concernunt, firmi maneant.

VI. Si quis ex tribus fœderatis invaderetur, reliqui duo ſuccurrant, & quidem Gallia cum 8000 peditum, & 2000 equitum: cum totidem Anglia: Hollandia vero cum parte horum dimidia.

VII. Subſidia iſta poſt requiſitionem duos intra menſes mittantur, ſumptibus mittentis, poſt ſopitas tamen turbas refundendis. Si autem hæc ſubſidia non ſufficerent, augeantur, vel aggreſſori bellum indicatur.

VIII. Intra quatuor ſeptimanas ſequatur ratihabitio.

Ex hoc fœdere ſatis elucet, quemlibet ex his ſociis timuiſſe; Gallum, ne Hiſpanus ſucceſſionem in Gallia prætenderet, ſi Regem mori contingeret: Anglum, ne Jacobus ad thronum evehatur: Hollandum ſuis commerciis.

Cum dein Alberonius Europam Italiæ invaſione turbaſſet, & Galli, neſcio qua, conſpiratione detecta, Cellemarium Legatum Hiſpaniæ expuliſſent e Francia, novum Fœdus *Triplex* initum eſt inter Cæſarem, Gallum, & Anglum, quod poſtea, accedente Hollando *Fœdus Quadruplex* eſt appellatum; & accedente etiam Sabaudo, Fœdus *Quintuplex* dici potuiſſet; ſed prior nomenclatio manſit.

Fœdus Quadruplex.

In Præliminaribus hujus fœderis continebantur ea, quæ Imperatorem & Regem Hiſpaniæ contingunt, videlicet, ut Hiſpanus a Sardinia abſcedat: coronæ Galliæ & Hiſpaniæ nunquam uni capiti imponantur; Domus Auſtriaca Hiſpaniæ renuntiet, atque Philippum

pum V Regem Hispaniæ & Indiarum agnoscat. Contra vero Philippus abdicet provincias Italiæ & Belgii, quæ olim ad Monarchiam Hispaniæ pertinuerant. Ducatus Florentinus & Parmensis feuda Imperii agnoscantur, eaque filiis Philippi V ex conjuge Parmensi susceptis, conferantur, sic tamen, ut Rex Hispaniæ nunquam eos possideat. Cæsari Sicilia cedatur; pro ea vero Sabaudo Sardinia tradatur. Cæsar agnoscat jus successionis Hispanicæ, quod Sabaudus habet in casu, quo posteritas Philippi V esset defectura.

Secutum dein est ipsum Fœdus Quadruplex, quod Londini contractum exhibebo infra, ubi de Angliæ statu tractabitur.

Interea vero Regens Galliæ, ad extinguenda residua adhuc magna coronæ debita, ut pecuniam compararet, usus est opera *Lawsii* hominis Scoti, qui varia illi consilia suggessit; atque inter alia, ut omnis pecunia subditorum ad Regentem deferretur, & recudatur sub effigie & nomine Ludovici XV. Recipiebatur pecunia minuto admodum pretio, & reddebatur chirographum, accepti testimonium. Hoc papyraceum negotium graviter afflixit Galliam, alias per bella exhaustam. Accessit pestis, Massiliæ præsertim, Telone Martio, Aquis Sextiis, aliisque Provinciæ locis sæviens, ac multa mortalium millia depascens. Tertium malum inferebant prædones, qui duce *Cartouchio*, famoso grassatore, Galliam infestabant.

Laws.

Calamitas Galliæ.

Parlamentum Edicto Monetario Regentis vehementer se opponebat, illudque approbare actisque inserere recusabat. Unde Regens in Parlamentum secum duxit Regem, eumque throno imposuit, Parlamento parere jusso: cumque obstreperent quidam, eos in exilium misit, reliquis mandato obtemperantibus.

Regens Parlamentum coercet.

Obierunt hoc anno 1718 Mater Jacobi III, quem Prætendentem dicunt. Item Stephanus *Baluzius* 88 ætatis anno, libris eruditis clarus: & Henricus Dux Harcourtius, Mareschallus Franciæ, non ex Lotharingica, sed Normanica stirpe oriundus. Franciscus Daguesseau vero Cancellarius & Sigillifer gratia Regentis excidit, & muneribus suis, quæ vix annum possederat.

Anno 1719 cum Hispani adhuc Italiam infestarent, Cæsarque & Angli contra eos bellum gererent, Galli quoque illos aggressi, Fontarabiam & Fanum S. Sebastiani in Guipiscoa expugnarunt.

Miram his annis comœdiam aut potius tragœdiam in Gallia lusit Joannes Laws, cujus supra mentio injecta est, Regentis, cui varia comparandæ pecuniæ systemata proposuit, favore subnixus. Nam societatem erexit *Missisippicam*, montesque aureos, in America septentrionali ad fluvium Missisippi detectos mentiebatur, regionem

Lawsii fraudes.

nem insuper spatiosam, paradyso non absimilem. Qui pecuniam daret, plusquam centuplum recepturum.

Spes ista ingentem attraxit, etiam exterorum, multitudinem, ex societate ista lucrari volentium, præsertim cum Regens magna privilegia eidem contulisset. Pro pecunia 500 librarum dabantur a societate litteræ, quibus cavebatur de pecunia sibi credita: has litteras licitum erat alteri vendere (unde appellabantur *Actie*). Ascendebat autem vel descendebat earum pretium pro variis rerum & temporum circumstantiis. Licebat vero plures ejusmodi pro lubitu litteras emere.

Actie.

Certatim pro hac papyro ab opulentis & ignobilibus offerebantur pecuniæ, ut proin incredibilis summa coacervaretur, præsertim cum vetitum esset, nequis ultra 500 libras in parata pecunia possideret. Eo usque denique unius litteræ pretium ascendebat, ut 2080 libris emeretur.

Tandem vero ejusmodi papyracea nundinatio multis cœpit esse suspecta, cadebatque magis magisque litterarum pretium, donec innumeri homines se delusos, atque ad paupertatem redactos experirentur. Unde tanta in Lawsium, auctorem hujus comœdiæ, exarsit indignatio, ut plebs eum fuisset discerptura, nisi in palatio Regentis asylum quæsiisset, ibique per mensem delituisset, donec militari custodia protectus e regno evasit.

Lawsii fuga.

Obierunt hoc anno 1719 viri celebres; 1. P. Michael Tellier S. J. Ludovici XIV Confessarius, & ab eo etiam destinatus Ludovico XV, Apostolicæ Sedis contra Jansenistas strenuus defensor.

2. Elias Dupinus scriptor eruditus, sed cum cautela legendus.

3. Tres præstantes Mathematici, P. Mariote, & de la Hir, pater & filius.

4. Henricus a S. Ignatio, famosus tubicen.

5. Paschasius Quesnellus Prior Ordinis Jansenistici.

6. Maintenonia in Monasterio S. Cyri, fœmina versutissima, quam Ludov. XIV in senectute conjugem habuit.

1720 adacta fuit Hispania, ut Quadruplici Fœderi subscriberet. Unde indictus est Congressus Pacis Cameracensis. (*vid. Hispanica.*)

Cum Principatus Arausicus adhuc esset in Protestantium potestate, Hugonoti frequentes in illum confluxerant; at vero, postquam a Rege Borussiæ in pace Ultrajectensi pro Geldria Regi Galliæ fuerat cessus, atque Principi Contio priore anno donatus, templum eis hoc anno ereptum est.

Arausium purgatum.

Dux

Dux Aurelianensis filiam suam Mutinæ Duci collocavit. Abbatem vero *du Bois*, qui anno 1718 Londini Fœdus Quadruplex inierat, ad Archiepiscopatum Cameracensem præsentavit, Cardinalem proxime futurum, & primum Aulæ Ministrum. Abbas vero *Tencinus*, qui famosum Laws converterat, ad Episcopatum Gratianopolitanum fuit promotus.

Non eadem gratia Parlamentum Parisiense a Regente fuit exceptum; nam cum mandatis parere nollet, omnes Senatores in exilium misit, non revocandos, donec imperata facerent, & Bullam *Unigenitus* reciperent, atque *Registro* insererent. Quod postquam promiserunt, a semestri exilio Lutetiam redierunt. Bulla Unigenitus registrata.

Obiit P. Bartholomæus *Germon*, S. J. vir eruditus, qui de re diplomatica diu multumque cum doctissimo Mabillonio disputavit. Certe amica eorum concertatione studium istud criticum non parum est illustratum. Sicut autem P. Germon cum collegis suis pro Constitutione *Unigenitus* laboravit, sic appellationi suæ immortuus est Ludovicus Hideux Doctor Sorbonicus.

Anno 1721 Europæ facies non parum mutabatur per sponsalitium consilium, quo Ludovico XV destinabatur conjux Anna Victoria, Regis Hispaniæ filia, quamvis tres duntaxat annos esset nata; Principi Asturiæ vero & Carolo ejus fratri Ducis Aurelianensis Galliæ Regentis filiæ. Quæ tamen provide concepta consilia non habuerunt constantiam; quamvis destinatæ sponsæ, ut moribus nationis assuescant, ad sponsos fuerint missæ. Sponsalia tergemina.

Ludovicus XIV equidem testamento disposuerat, ut P. Tellier esset Ludovici XV Confessarius, sed post ejus mortem ad hoc officium lectus est Abbas *Claudius Fleury*, ab Historia Ecclesiastica scriptor celebris, diversus ab Hercule Fleury, Episcopo Foro-Juliensi, postmodum Cardinale & primo Ministro. Hoc autem anno suffectus est in munere Confessarii P. Lignieres S. J. contradicente licet Cardinale Noallio, Archiepiscopo Parisiensi, & approbationem revocante.

Obiit hoc anno litteratorum decus Daniel *Huetius* prope nonagenarius, libris doctissime scriptis celebratissimus. Postquam tempore Ludovici XIV fuerat Præceptor Delphini, factus est Episcopus Suessionensis; ingravescente autem ætate abdicato Episcopatu reliquum vitæ inter doctos viros transegit Parisiis in Domo Professa S. J. ubi etiam mortuus est. Huetii obitus.

Hunc ſecutus eſt Franciſcus Mailli, Cardinalis & Archiepiſcopus Rhemenſis, Bullæ Unigenitus adverſus Quesnellianos zeloſus protector.

Tertius Petrus *Couſtant*, Congregationis S. Mauri, editis ſcriptis ſanctorum Patrum, & litteris Romanorum Pontificum clariſſimus.

Quartus Franciſcus *Pagius*, qui Antonii Pagii, agnati ſui, jam anno 1699 mortui, Hiſtoriam Criticam in Annales Baronii continuavit.

Viris iſtis, de republica litteraria optime meritis, ſubjungi non meretur Cartouchius, famoſus Prædonum dux, hoc anno pro merito rota contritus.

Art. VIII.

Coronatio Regis. Villaregius ab aula dimiſſus. Obitus Regentis, ejusque Matris Palatinæ, du Bois primi Miniſtri, aliorumque magnorum virorum. Nuptiæ Lud. Ducis Aurelianenſis cum Badenſi Principe.

126. Regis coronatio.

Anno 1722 Cameracenſi pacificatione diverſas inter diſceptationes hærente, Gallia cum ingenti pompa Regem ſuum Rhemis coronavit. Ingens erat hominum, etiam exterorum, affluxus, quos inter quatuor Bavariæ Principes, & plura Anglorum millia. Fœminis, etiam Principibus, intereſſe non licuit, excepta Regentis conjuge, & ſorore, Duci Lotharingiæ nupta. Excluſi etiam ſunt Cardinalis Noallius, & Dux Maynius cum fratre, Comite Toloſano. Comitabantur autem Regem Principes Regii ſanguinis, Aurelianenſis cum filio, Duce Carnutenſi, Borbonius cum fratribus Caroleſio & Claromontano, Princeps item Contius.

Unctionis ceremonias peregit pro more Archiepiſcopus Rhemenſis, accepto ex ſacra ampulla oleo, eoque caput, pectus, & ſcapulas inunxit. Tum vero Rex ſacram ſynaxin percepit pro hac vice ſub utraque ſpecie, & quidem omnino jejunus; quia diſpenſatione uti noluit. Coronatione dein peracta, ad duo millia ſtrumoſorum hominum ad eum accedebant, quos manu attingens dicebat: *Rex te tangit: Deus te ſanet.* Ab eo tempore Rex Verſaliis degebat; cum antea Pariſiis fuiſſet educatus, a Moderatore potiſſimum

tiſſimum ſuo Duce *Villaregio;* qui jam octogenarius, virque integerrimus, experiri debuit, fidem, induſtriam, curamque Regis, dimiſſione propera ab aula, & exilio, Rege invito, compenſari. Suffectus ei in Regii Moderatoris munere Bethunius. Cardinalis autem Dubojus primus Miniſter eſt renuntiatus. Villaregius dimiſſus ab Aula.

Duæ hoc anno fuerunt erectæ Academiæ: altera Divione in Burgundia, altera Pali in Bearnia.

Obiit hoc anno *Carolina Eliſabetha*, Philippi II Ducis Aurelianenſis, Galliæ Regentis, mater, ſoror unica legitima Caroli, ultimi Electoris Palatini ex linea Simmerenſi, ſine liberis defuncti; unde prætenſio Carolinæ & Domus Aurelianenſis in Palatinatum, ſecutumque inde grave bellum, & urbium vaſtatio. (*Videantur Germanica.*) Obitus Eliſ. Aurelianenſis.

Anno 1723 matrem in domum æternitatis ſecutus eſt filius *Philippus II* Dux Aurelianenſis, anno ætatis quinquageſimo, ſubitanea propemodum morte extinctus, poſtquam ab anno 1715 per octo annos Galliam cum magna auctoritate gubernaverat. Conjugem habuit Franciſcam patruelem ſuam, Ludovici XIV filiam; atque ex ea genuit Ludovicum, Ducem hactenus Carnutenſem, jam vero poſt obitum patris Aurelianenſem, Principem integerrimum; Ludovicam Duci Bituricenſi, Carolinam Mutinenſi, Eliſabetham Principi Aſturiæ, Franciſcam Principi Contyo nuptam, & Philippinam Carolo Hiſpaniæ Infanti deſponſam. Et Regentis filii.

Eodem anno obiit Cardinalis *Du Bois*, qui olim erat Informator Ducis Aurelianenſis qui clavo rerum admotus ejus opera graviſſimis in negotiis eſt uſus; nam per eum patre Chirurgo natum anno 1717 Fœdus Triplex, Galliam inter, Angliam, Hollandiam, anno vero ſequente Fœdus Quadruplex Londini confecit. Anno 1720 creatus eſt Archiepiſcopus Cameracenſis, anno 1721 Cardinalis, anno 1722 primus Miniſter, anno 1723 funus, poſtquam 66 ætatis annos inter vivos fuit. In dignitate primi Miniſtri illi ſucceſſit *Condeus Dux Borbonius*, indignante licet Ludovico, Duce Aurelianenſi, primo ſanguinis Regii Principe. Dux vero Maynius & Comes Toloſanus non parum fuerunt depreſſi, atque a ſucceſſione in regno in perpetuum excluſi. Obit Dubois Card.

Obierunt hoc anno 1 Princeps Turenius Ducis Bullionii filius, in ipſo cum Sobieskia nuptiarum apparatu Argentinæ extinctus, nuptiali thalamo in lectum funereum, & epithalamio in leſſum repente mutato.

Fleuri. 2. Claudius *Fleury*; quem celebrem faciunt plures lucubrationes, maxime vero Historia Ecclesiastica, ad Concilium usque Constantiense perpetua serie deducta, ab aliis dein ulterius continuata. Titulum Confessarii Regii jam ante abdicaverat, obtento senio, quod ad 83 annos produxit.

3. Memmius Comes Avallius, supremus Parlamenti Præses, insigne Jurisprudentiæ decus. Successit Novionus: qui tamen sequenti anno hoc munus rursus abdicavit, illudque Portello cessit.

4. Pelletierus Status & rei numariæ Director & Regentis Cancellarius. Successorem habuit Dargensonum.

Anno 1724 Rex, præter Equites S. Spiritus, septem creavit Mareschallos Franciæ, puta, Broglio, Roquelaurum, Medavium, Bourgum, Alegrium, Fevilladam, Grammondum.

Nuptiæ Ducis Aurel. *Ludovicus* Dux Aurelianensis duxit Mariam, Ludovici Badensis, celebratissimi Herois filiam: Princeps vero Turenius Sobieskiam, fratris sui, Argentinæ in ipso nuptiarum apparatu defuncti sponsam, dispensante Pontifice in impedimento publicæ honestatis.

Obit Alex. Natalis. Obiit 1 P. *Natalis Alexander*, Ordinis Prædicatorum, Doctor Sorbonicus, anno ætatis 86. Præter alia doctissima opera edidit Historiam Ecclesiasticam, quæ plus habet eruditionis, quam venerationis erga Romanam Ecclesiam, summosque ejus Antistites, Indici librorum prohibitorum insertam propterea. Prodiit postea hoc opus cum notis Censorum Sacri Ordinis, & observationibus Constantini Roncaglia, ut aconito opponatur antidotum.

2. Amelotus Consiliarius Status, multis Legationibus commendatus.

3. Abbas Timoleon, ab Historia Ecclesiastica & Politica, Gallice scripta, celebris.

Art.

Art. IX.

Mutatio sponsæ. Rex Stanislaus cum filia Regina in Galliam. Inversio theatri Europæi. Pax Viennensis. Fœdus Hannoveranum. Dux Borbonius Primus Minister ab Aula dimissus. Rex Aulam ordinat. Præliminare pacis. Fleury Card. Tractatus Hispalensis. Natus Delphinus. Mors Card. Noallii.

Annus 1725 vidit magnam mutationem in Aula Gallica & Hispanica. Septennium jam agebat Maria Victoria, quo sponsalia cum Rege contrahi poterant. At Consilium aliud iniit Rex, atque destinatam sibi sponsam, post triennem in Francia commorationem in Hispaniam ad parentes remisit. 127. Mutatio Sponsæ.

Magna tunc erat exspectatio, quam sibi thori consortem eligeret. Sors bona cecidit in Mariam, Stanislai Lescynski, Poloniæ Regis, filiam, quæ anno 1703 nata præclara corporis & animi ornamenta in dotem afferebat. Contractum proin fuit matrimonium primum Argentinæ per Ducem Aurelianensem, procuratorem Regis, dein vero Fonte Bellaqueo, Cardinale Rohanio benedictionem nuptialem impertiente.

Stanislaus quoque Reginæ pater, postquam e Polonia exul, primum Stetini, dein in Bipontino Ducatu, denique Weissenburgi in Alsatia commoratus fuerat, filiam in Galliam cum familia sua comitatus, ac regio honore exceptus Chamborensi in castro prope Blesas domicilium fixit. Rex Stanisl. cum filia in Galliam.

Postquam autem hæc in Hispaniam fuerant perlata, sorores quoque Ducis Aurelianensis, Ludovici Regis vidua, & Caroli sponsa in Galliam sunt remissæ, indignante Hispania maxime Condæo, Duci Borbonio, primo Ministro, quem ex æmulatione cum Domo Aurelianensi repudii illius auctorem suspicabatur.

Inversum tunc theatrum Europæum. Cæsar & Rex Hispaniæ hactenus Cameraci maxime inter se dimicabant; cum mox litibus compositis privatam Viennæ pacem, fœdusque Commerciale inierunt. Solutus mox Cameracensis Congressus, & Gallia cum Anglia, & Borussia, conflato Hannoverano fœdere, in partem adversam ibat. (*Videatur Status Germaniæ.*) Pax Viennensis. Fœdus Hannoveranum.

Obiit 1 Theſſeus, Mareſchallus Franciæ, cum Fevillada, Grammondo, & Medavio.

2. Dionyſius *Sammarthanus* Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri, ejusque ſuperior, ab edita *Gallia Chriſtiana* notus.

3. Carolus Ruæus S. J. Orator eloquens, qui præter ſermones ſacros, Virgilium in uſum Delphini edidit, & tragœdias, prorſus excellentes. Vixit 82 annos.

Annus 1726 rurſus exhibuit illuſtre exemplum, quæ ſit indoles humanarum rerum. Ludovicus Henricus de Conde Dux Borbonius, qui poſt mortem Ducis Aurelianenſis clavo rerum agendarum admotus primi Miniſtri titulo Galliam per triennium gubernaverat, ſubito gratia Regis excidens, officioque dejectus, ab Aula Chantillum fuit amandatus. De cauſa tam repentinæ mutationis varius rumor. Quidam Hiſpaniæ & Domus Aurelianenſis offenſæ id datum exiſtimabant. Alii paratum Fleurio locum dicebant. Id ſolum Borbonio inſinuatum, Regem ipſum deinceps habenas regni moderaturum.

Condeus ab Aula dimiſſus.

Erectum mox novum Status Conſilium, cui Rex ipſe præſideret, aſſiſtentibus, Aurelianenſi, Contyo, Maynio, Toloſano, Villario, Berwickio, Uxellio, *Fleurio*, quem Papa hoc anno Cardinalium numero adſcripſit.

Obiit Maria Badenſis, Ducis Aurelianenſis Conjux, in flore ætatis, poſtquam genuerat Ludovicum Philippum, Ducem Carnutenſem, modernum Ducem Aurelianenſem.

Anno 1727 cum Europa per pacem Viennenſem & Tractatum Hannoveranum adhuc in partes eſſet diſtracta, Gallia pacem reducere contendit, inter Angliam præſertim & Hiſpaniam. Præliminares articuli, quos ſupra in relatione de Statu Germaniæ retuli, a Cæſare, Gallia, Anglia, Hollandia, jam erant ſubſcripti; ſola adhuc hærebat Hiſpania, Minoricam cum Portu Magonis & Gibraltariam, quam tunc obſidebat, conſtanter repetens.

Prælim. pacis.

Obiit 1. Ludovicus Armandus Conty, ex regio ſanguine Princeps, 32 ætatis anno. Per tres annos litem habuerat cum ſua Conjuge, Ludovici Henrici Ducis Borbonii ſorore, quæ a marito ſe ſeparavit, & in monaſterio Sancyrano fuit commorata; tandem vero reſipuit, & cum viro ſuo rurſus fuit conjuncta. Filium reliquit Ludovicum Franciſcum, virtute militari inclitum, & copiis ad inferiorem Rhenum hodiedum præfectum.

2. Phi-

2. Philippus Dux Vendomius, ultimus ſuæ ſtirpis, ab Henrico IV deductæ: frater magni illius herois, qui in Italia, Hiſpania, Belgio exercitibus præfuit.

Anno 1728, poſtquam Rex Hiſpaniæ Præliminaribus ſubſcripſerat, cœptus eſt Congreſſus *Sueſſionenſis.* Aderant legati, Cæſareus, Gallus, Hiſpanus, Anglus, Hollandus, Ruſſus, Danus, Suecus, Bavarus, Palatinus, Lotharingus, Mutinenſis, Parmenſis. Conabantur quidem Proteſtantes in Comitiis Ratisbonenſibus evincere, ut ex ſuo corpore Sueſſionem mittatur; ſed Sinzendorffio ab Imperatore & Imperio delegata eſt tractandi poteſtas. Idem & Fleurius oratione eloquenti ſeſſionem inchoarunt. **Congreſſus Sueſſionenſis.**

Galli, Angli, Hollandi volebant abolitam ſocietatem Oſtendanam. Hiſpanus, præter ſucceſſionem Caroli Principis in Thuſcia & Parma, petiit reſtitutionem Minoricæ & Gibraltariæ, cum compenſatione damni ereptarum navium, alii alia. Cum igitur tot controverſiæ componi non poſſent, Hiſpania anno ſequenti Hiſpalenſem Tractatum cum Gallia & Anglia iniit, quo introductio Caroli ſtipulabatur; opponente ſe Cæſare, atque ad Fœdus Quadruplum & pacem Viennenſem atque ad Jus ſuum ſupremum feudale, appellante. Miſſæ propterea in Italiam copiæ, ut exſcenſionem impedirent. Fœderi Sevilienſi acceſſit Hollandia. Congreſſus vero Sueſſionenſis eſt diſſolutus. **Tract. Hiſpalenſis.**

Dux Borbonius duxit Carolinam Haſſo - Rhenofelſenſem Principem. Obierunt autem 1 Camillus Comes Tallardus, 77 æt. anno, a prælio Höchſtettenſi & captivitate Anglicana notus. 2 Claudius Le Blanc, Status Secretarius. 3 Argenſonus Burdegalenſis, & Demaretus Auſcianus Archiepiſcopi. 4 P. Gabriel Daniel S. J. 81 æt. anno, libris doctiſſimis editis & Hiſtoria Franciæ clarus.

Summum vero gaudium attulit *anno* 1729 Univerſæ Franciæ nativitas Ludovici *Delphini*, congratulantibus undique Europæ Principibus, Legatis vero Franciæ Natalem illum feſtive celebrantibus. **Natus Delphinus.**

Obiit Ludovicus Antonius Cardinalis *Noallius*, & Archiepiſcopus Pariſienſis, poſtquam anno ſuperiore Bullæ *Unigenitus* tandem ſubſcripſerat. Ætatem usque ad 78 annos perduxerat. Matignonius vero Mareſchallus Franciæ & Gubernator Rupellæ ad 83 annos. **Obit Card. Noallius.**

Anno 1730 natus eſt Galliarum Regi alter filius, Dux Andegavenſis. Eodem anno præcipui quidam Duces & Principes Galliæ

Cardinalem Fleurium a rerum clavo depellere nitebantur; muneribus ſuis privati, & ab Aula dimiſſi propterea.

Dux Lotharingiæ Inveſtituram Feudalem in Barri Ducatum Verſaliis a Rege accepit, præſentibus, Aurelianenſi & Borbonio, hujusque fratribus Comite Charoleſio & Clarimontano, Principibus, Contyo & Dombenſi, Comitibus Augenſi (*Eu*) & Tholoſano, Regii Sanguinis Principibus.

Varia. Ad commercia domi foriſque magis perficienda Rex Conſilium Commerciale erexit, cui Aurelianenſem & Fleurium præfecit.

Obierunt, 1 Princeps Courtenacenſis (*de Courtenay*) ultimus ſuæ Familiæ, ex Regio Sanguine oriundæ. 2 Franciſcus Dux Villaregius, notiſſimus Franciæ Mareſchallus, qui filios, nepotes, & pronepotes vidit. 3 Marchio Richelius, relicto filio Armando Ludovico.

Anno 1731 nuntiatus fuit tractatus, Cæſarem inter & Angliæ Regem initus. Non diſplicebat, quia Hiſpalenſi non fuit contrarius. Id ſolum minus placebat, quod adjungeret acceptationem & ſponſionem Sanctionis Pragmaticæ.

Anno 1732 ſoror Ducis Aurelianenſis nupta eſt Ludovico Franciſco Principi Contyo, cui Rex Principatum Auriacum donavit, & Ordinis S. Spiritus inſignia impertiit. Mallebæus & Bellilius ſupremi copiarum Præfecti, Luxemburgus ex familia Mommorantia, & Tremollius Mareſchalli Franciæ ſunt renuntiati, Ludovicus Conſtantinus, Ducis Rohanii frater Coadjutor Argentinenſis.

Cum Fleurius propter ſenium laboribus Primi Miniſtri eſſet impar, adjunctus eſt ei Chauvelinus, ſigilli cuſtos.

Rex Pariſiis fundavit Academiam Chirurgicam, 70 membris conſtantem, in quam etiam exteris ingreſſus patet. Calvinismus novo Edicto vetitus, proſcriptis ſectatoribus.

Art.

Art. X.

Bellum Polonicum. Chauvelinus exul. Nuptiæ Philippi Principis cum Primogenita Regis Franciæ. Obit Fleurius Card. Tencinus ſuccedit, extincto tamen Primi Miniſtri titulo.

Anno 1733 Novum belli theatrum, mortuo Rege Poloniæ, ſeſe aperuit. Stanislaus Leſcynski, ſocer Regis, mutato habitu ex Gallia in Poloniam evaſit. Cum autem Imperator copias ſuas in Sileſiam mitteret, Gallus petiit ab Anglo ex lege Conventionis Hiſpalenſis auxilia. Sed negavit iſte, hunc eſſe caſum fœderis; neque enim Sileſicam illam militis profectionem pro invaſione aut pacis læſione haberi poſſe; cum Principi cuivis integrum ſit, copias per provincias ſuas pro arbitrio diſtribuere, maxime, quod Cæſar conteſtetur, ſe pacem ſancte ſervaturum. Minus grata cum eſſet Galliæ hæc reſponſio, Hiſpaniam & Sardiniam in partes ſuas pertraxit. 128. Bellum Polonicum

Suſcepta expeditio, junctis ſociorum viribus, in Italiam, cui præfectus *Villarius* Ludovicus Hector, anterioribus jam bellis omnibus notus: Legati eidem adjuncti, Asfeldius, Coignius, Broglio, Malleboeus; manipulorum Ductores, Buflerus & Luxenburgus. Exercitus, in Germaniam miſſi, Imperator Bervicus. Directa quoque claſſis, ut Gedano ſubveniret, in Balthicum. Reliqua, quæ ad hoc bellum pertinent, videri poſſunt in relatione de Italia, Germania, & Polonia, in quibus geſtum eſt.

Nata eſt Regi filia, & alia denata. Sed luctum non levem induxit Dux Andegavenſis, Regi ante biennium natus, hoc vero anno mortuus. Mœrorem temperavit tamen nata brevi filia, quæ *quinta* dicebatur (*Madame la cinquieme*) ſicut priori anno nata appellata eſt *quarta*. Kehlæ expugnatæ præfectus Fittæus. Antinus & Eſtreus in Conſilium arcanum aſciti. Anianus Delphino quinquenni, e gynecæo extracto, datus Moderator; Epiſcopus Sylvanectenſis Præceptor.

Eidem Delphino ab urbe Pariſina pro more veteri oblata ſunt arma, gladius, fiſtula, duo ſclopeta manualia, quorum pretium ad centum thalerorum millia aſcendiſſe dicitur.

Principi Contyo natus eſt ex Diana Aurelianenſi filius Ludovicus, cui titulus Comitis de Marchia (*de la Marche*) fuit adjectus. Obiit autem Philippina Aurelianenſis, ante 12 annos Carolo Hiſpaniæ Principi deſponſa, ſed iterum remiſſa.

Ad continuandum bellum Status Eccleſiaſticus contulit 12 milliones librarum, totidemque ordo S. Spiritus. Huic adſcripti Bellilius, Memmius, Ravignanus, Periganus, agnatus Fleurii: in Ordinem vero S. Ludovici Cadrieus, ob rem in pugna Guaſtallana fortiter geſtam: & Marchio Valcurtius. Renuntiati Generales locum-tenentes 25, Mareſchalli Campi 61, Manipulorum Ductores (*Brigadiers*) 83. Rothenburgo ſuffectus Vaugrenanus Legatus in Hiſpania. Marchio de Monti in deditione Gedani a Ruſſis captus. Javelierus Philippoburgo præfectus. Seneterranus Legatus ad Aulam Sardicam, Fenelonus Hagam.

Villarius obit.

Obiit Ludovicus Hector Dux *Villarius* Gubernator Provinciæ, 82 æt. anno; natus quippe fuit anno 1652 Taurini, ubi pater legatione fungebatur, inter præcipuos, quos Gallia habuit, Heroes numerandus. Jam octogenarius adhuc expeditionem Italicam belli Imperator ſuſcepit. Sed ſenio & morbis confectus redire debuit, & fato ſuo caput, quod tot balliſtis & catapultis obtulerat, tandem concedere. Filium reliquit unicum Honoratum, paternæ virtutis & fortunarum hæredem. Obiit pariter Baſſompetrius, Marchio, ſuæ familiæ ultimus. Carolus autem Subiſius Princeps, ex Illuſtri Rohana Familia, matrimonio ſibi junxit Ludovicam Bullionii Ducis filiam. (*Anno* 1734.)

Anno 1735 promicabant aliquæ pacis ineundæ ſcintillæ. In vindicando Stanislai honore verſabatur difficultas. Propoſitum Syſtema de cedenda illi ad tempus vitæ Lotharingia, & poſt ejus mortem unienda Galliæ, Lotharingiæ vero Duci deſtinanda Thuſcia. Non diſplicuit Aulæ propoſitio: ſancitæ induciæ: concepta Præliminaria. (*Videantur Germanica, Lotharingica, Italica.*)

Obiit Alexander Comes Rothenburgus, Mareſchallus, & Legatus olim in Hiſpania. Cum cœlibem vitam duxiſſet, inſtituit hæredes Eccleſias & pauperes.

Anno 1736 Rex Stanislaus ex Polonia redux, Verſaliis ſalutavit generum & filiam, atque inde *Meudonem* ad palatium, ſibi deſtinatum, conceſſit, ubi reliquum anni exegit præparando ingreſſum in Lotharingiam. Donec autem ea in poſſeſſionem miſſio eſſet confecta, morabantur Galli, Kehla, Philippoburgo & Treviris excedere.

Do-

Domus Regia aucta eſt ſexta filia, minuta vero Ludovico Mayennæ (*du Mayne*) Ludovici XIV filio, qui obiit anno æt. 66, relictis ex Ludovica Condea duobus filiis Principe Dombenſi & Comite Augi. Anno ſequenti ſecutus eſt frater, Comes Tholoſanus Archithalaſſus Franciæ, anno ætatis 59; filium reliquit hæredem Ludovicum Ducem de *Penthievre:* cum autem hic 12 duntaxat eſſet annorum, Rex munus Archithalaſſi Duci Antino, officium vero ſupremi venatorum Præfecti Principi Dombano commiſit, donec Ludovicus adoleſceret. Hujus autem tutelam geſſit Dux Aurelianenſis.

Anno 1737 Delphino nomen Ludovici, & tribus ſenioribus ſororibus ſua pariter fuerunt impoſita, patrinis ex Regio ſanguine Principibus. Acceſſit nova ſoror, *Madame la Septieme* appellata interim, donec maturiori ætate, ſuppletis ceremoniis, nomen aliud ſortiretur.

Chauvelinus, ſigilli cuſtos & Miniſter Status, hoc anno gratia Regis excidens, ab Aula fuit relegatus. Cauſas, quæ ferebantur, nolo memorare. Chauvelin exul.

Gedano in compenſationem damni, quod propter Stanislaum paſſum eſt, Rex quingenta librarum millia ſupra millionem tranſmiſit.

1738 plures in Parlamento mutationes a Rege ſuſceptæ ſunt, Conſilii autem Regii Status Secretarius renuntiatus eſt Comes de *Maurepa*: ex 55 manipulorum Ductoribus creati totidem Campi Mareſchalli: & 32 Generales locum-tenentes; qui prius erant Campi-Mareſchalli, ſeu caſtrorum Præfecti.

Obiit 1 Carolus Joachimus Colbertus, Epiſcopus Montis Peſſulani, 71 æt. anno, 42 Epiſcopatus, pertinaciter Conſtitutioni *Unigenitus* obluctatus. 2 Ludovicus Bonacus, ex variis Legationibus notus. Principes, Lichtenſteinius Cæſareus, & Cantimirus Ruſſicus Legatus venerunt Pariſios.

Godefredus Bullionius Regi vendidit Vice-Comitatum Turenium quatuor millionibus librarum Gallicarum.

Annum 1739 illuſtrem fecerunt nuptiæ inter Philippum, Regium Hiſpaniæ Principem, anno 1720 natum, & Ludovicam Eliſabetham, Galliarum Regis primogenitam, natam 1727. Marchio Minaſius, Hiſpanicus extra Ordinem Legatus, nomine Philippi illam in ſponſam petierat. Dux Aurelianenſis procuratorio nomine eandem Philippo deſpondit, benedictionem nuptialem impertiente Cardinale Rohano, tota Aula, & tribus aliis Cardinalibus, Arverno, Fleurio, & Polignaco præſentibus. Deducta dein in Hiſpaniam nuptiale fœdus Nuptiæ Philippi.

 cum

cum Philippo præſente renovavit. Incredibile dictu, quanta in utraque Aula ſollennitate hæc acta ſint. Solus ornatus ſponſæ dicitur 1500000 libris conſtitiſſe.

Obit Dux Borbonius.

Anno 1740 obiit Ludovicus Henricus Dux Borbonius, æt. 47, ab anno 1723 ad 1726 Primi Miniſtri munere perfunctus. Reliquit quadrimum filium, Principem Condeum hactenus appellatum, ſub tutela Comitis Charoleſii patrui. Burgundiæ vero gubernatio Aniano interim, donec majorennem ætatem attingeret, fuit commiſſa.

Petrus Guerinus *Tencinus* ab Ebrodunenſi Archiepiſcopatu ad Lugdunenſem fuit translatus. Illum obtinuit Bellilius ex Familia Fouquetana. Villenovano Conſtantinopoli Legatus ſuffectus eſt Marchio Caſtellanus.

Regina Hungariæ nuntiavit Regi mortem Patris ſui, eumque ſanctionis Pragmaticæ admonuit; ſed ex dubio reſponſo apparuit, nubes ſe in tempeſtatem contrahere. Interim Gallia, cum audiret, Portum Bellum ab Anglis obſideri, claſſem Breſto & Telone Martio in Americam miſit, quæ Hiſpanos adjutura videbatur, ſed anno ſequenti rediit.

Anno 1741 Rex geminum exercitum adverſus Domum Auſtriacam, quam diviſam volebat, miſit, alterum in Italiam, alterum in Germaniam & Bohemiam, ſed non eo, quem ſperaverat, eventu: prout alias dictum.

Fleurio, cum vires fatiſcerent, adjuncti Cardinalis *Tencinus*, & *Argenſonus*, qui in partem laborum venirent.

Cum Principes Regii Sanguinis in Gallia naſcuntur, privatim baptizantur; quando autem ad rationis uſum pervenerunt, publice magna cum ſolennitate ſupplentur Ceremoniæ, atque nomina imponuntur; prout hoc anno contigit cum Principe Condeo ſeu Borbonio ſeptenni, qui Ludovicus Henricus eſt cognominatus, & Comite Marchiæ, Principis Conty filio, pariter ſeptenni, qui Ludovici Franciſci nomen accepit.

Obit Card. Fleurius.

Anno 1743, ſicut dierum, ſic meritorum plenus, ætatem 90 annorum clauſit Andreas Hercules Fleurius, anno 1653 Lutevæ in Occitania natus, primum Foro-Julienſis (*Freius*) in Provincia creatus Epiſcopus, ſubin Præceptor Regis, anno 1726 loco Ducis Borbonii primus Regni Miniſter, ac Cardinalis. Hæreditatem, quæ fuit modica, reliquit Duci Fleurio, ſuo ex ſorore nepoti. Dicuntur, proventus primi Miniſtri in ſingulos menſes ad 50000 libras aſcendere. Pingue hoc ſalarium Fleurius recuſavit. Laudes ſummi hujus viri in ſolennibus exequiis P. Neuvillius S. J. prædicavit.

Quam-

Quamvis autem titulus Primi Miniſtri ſupprimeretur, Cardinalis tamen Tencinus magna apud Regem valebat gratia, & in rebus gerendis auctoritate. Negotiorum molem augebat graviſſimum bellum, quod minus proſpere in Germania ſuccedebat; quippe Galli e Bavaria pulſi, & Dettingenſi clade attriti, ultra Rhenum ſe recipere ſunt coacti, & proprios fines defendere.

Succedit Tencin Card.

Dux Carnutenſis (*de Chartres*) Aurelianenſis Ducis filius Ludovicus Philippus duxit Henrietam, Principis de Conty filiam.

Art. XI.

Rex Angliæ & Auſtriæ bellum denuntiat, cum Auxiliares tantum copias hactenus Bavariæ præbuiſſet. Morbo, quo Metis correptus fuerat, liberatus, Auſtriacos ex Alſatia pellit, Friburgum expugnat. Delphino ſponſam Hiſpanam jungit. Glorioſam expeditionem in Flandria animat. Stuartum in Scotiam dirigit. Auſtriacos Provincia depellit. Anglos mari vincit.

Anno 1744 cum Galli ex Bohemia, Bavaria, atque omni prope Germania eſſent expulſi, immanem hominum & pecuniæ jacturam paſſi, jamque ceu bello victi haberentur contemptui, Rex Chriſtianiſſimus id non ferendum ratus, ut orbi, quantæ Francis ſupereſſent vires, demonſtraret, Angliæ & Auſtriæ bellum denuntiavit: illi quidem 15 Martii, huic vero 26 Aprilis. 129.

Angliæ quidem objiciebatur; licet Rex Franciæ poſt mortem Cæſaris nihil ſibi vindicaſſet, tentatisque fruſtra omnibus amicæ tranſactionis remediis, debitas duntaxat fœderatæ Bavariæ auxiliares copias miſiſſet, ab Anglia tamen Aulam Viennenſem a pacificis fuiſſe conſiliis abſtractam, turbata contra ſolennia tot pacta publica, contraque jus gentium Galliæ commercia. Initum 1741 *neutralitatis* tractatum, poſt Gallorum ex Weſtphalia diſceſſum, a Rege Angliæ ruptum, in omnem occaſionem intento, qua plures in Galliam hoſtes concitare poſſet. Portum Toulonenſem ab Anglis clauſum, direptas ſpoliatasque naves. His motum Regem, ut Regi Angliæ & Electori Hannoverano bellum terra marique denuntiaret.

Angliæ bellum denuntiatur.

Anglia 9 Apr. indicto pariter bello vices reddidit. Gallia tres exercitus expedivit, primum ad Rhenum ſub Coignio, alterum in Flandriam ſub Noallio, tertium in Hannoniam ſub Harcurtio. Immenſis hi ſumptibus ſtabant. Sed Rex ex ſolis reductis officiis 126 librarum milliones comparſiſſe dicitur.

Et Auſtriæ. Indicti Auſtriæ belli hæ cauſæ allegabantur. Licet Rex, ſi partem belligerantem facere voluiſſet, facile fines ſuos potuiſſet protendere, aut conditiones ab Auſtria oblatas acceptare, niſi ſanctior ſibi fuiſſet fides, Bavariæ data. Quo major autem fuerit Regis moderatio, eo acerbius cum Gallis proceſſum, captivos dure habitos, virulenta ſcripta ſparſa, Alſatas ad defectionem ſollicitatos, contemptum Regem, &c. atque per hæc adactum ſe, Reginæ Hungariæ bellum denuntiare. Simulque per ſuum ad Comitia Imperii Francofurtenſia Legatum Ordines hortatus eſt, ut Imperatori ſuo adverſus Reginam aſſiſterent.

Aula Viennenſis indicto viciſſim bello querebatur, Galliam toto hoc bello ad id tota vi incubuiſſe, ut Domus Auſtriaca everteretur, prout Circularibus ſuis Reſcriptis abunde ſit demonſtratum. Cum Fulgida Porta moveri non potuiſſet, in Septentrione excitatum incendium. Haslangianas prioris anni propoſitiones non fuiſſe tales, ut acceptari potuiſſent. Galliam anno 1738 per Tractatum Definitivum ad defendendam Sanctionem Pragmaticam ſe obligaſſe, & Imperium jam anno 1732 per R. I. fidem deſiderari &c.

Interea vero Anglicæ claſſes Galliæ littora circumibant, quantumque poterant, vaſtabant, exili ad rei ſummam momento. In America naves & oppida ultro citroque rapta, nullo tot ſumptuum & operæ pretio.

Expeditionem Belgicam Rex ipſe ſuſcepit, cujus uberes fructus in Belgicis repræſentabimus. In caſtris ad Meninam Rex creavit Mauritii ſupremi Ducis Legatos Richelium, Momorancium, Ponſium, Eſtræum, cum 4 aliis, & 12 caſtrorum Præfectis: Mauritium de Saxonia Mareſchallum Franciæ: Argenſonum Status Secretarium loco Ameloti, præfecit.

Friburgi expugnatio. Cum nuntiatum fuiſſet, Auſtriacos transmiſſo Rheno in Alſatiam irrupiſſe, Rex cum parte exercitus e Belgio accurrit; ſed cum Metas perveniſſet, periculoſo morbo correptus fuit. At poſtquam convaluit, Argentinam, indeque ad oppugnationem Friburgi conceſſit, eaque urbe in poteſtatem redacta, Verſalias glorioſus rediit, atque futuram expeditionem ſolerter ordinavit.

Anno

Anno 1745 venit in Galliam Delphini sponsa Maria Theresia, Philippi V Hispaniarum Regis filia. Post celebratas autem maxima cum solennitate & apparatu nuptias, Rex rursus expeditionem Belgicam suscepit, cui summa cum potestate præfecit Comitem Mauritium, Regis Poloniæ fratrem naturalem, totaque æstate in Belgio substitit, tot expugnationum testis, & Archistrategi sui contra invidiam protector, subactaque tota Flandria Austriaca 1 Sept. Versalias rediit. (*vid. Belgica*) Delphini nuptiæ.

Incidit in hunc annum trajectio Principis Caroli Eduardi in Scotiam, cui pater Jacobus Stuartus, quem *Prætendentem* vocant, jus suum in Magnam Britanniam cesserat. Jam anno priore tentata fuerat hæc transportatio, sed tempestatum procellis impedita. Hoc vero anno cum classicula, cui 360 tantummodo personæ (Galli, Scoti, Hiberni) erant impositæ, ex portu S. Lazari solvit 14 Julii cum Comite Murra Scoto. Ex Insula Bella dein adjuncta est ipsis pro tutela navis bellica cum 600 viris. Occurrerunt autem illis tres Anglorum Bellicæ 20 Jul. Cum his dum pugnat Gallica, evasit classicula, atque feliciter appulsa est ad littus Lochabriæ, Scoticæ provinciæ. Noluit tamen videri Gallia, in hac trajectione partem habuisse. (*Quid autem in Scotia actum, in Anglicis referetur*). (*De captivitate vero Bellilii dictum in Germanicis*). Stuartus in Scotiam.

Obiit Dux de *Broglio*, Mareschallus Franciæ & Gubernator Argentinæ anno ætatis 74. Grammondus autem pariter Franciæ Mareschallus in prælio Fontenacensi cecidit. Villenovanus quoque Marchio, humili genere natus Marsiliæ, defunctus est æt. 70. Fuit multis annis Gallicus Cpoli Legatus, & an. 1739 pacem inter utrumque Imperatorem conciliavit, ab utroque donatus propterea. Carolus Princeps Subisius tertiis nuptiis duxit Victoriam Hasso-Rheinfelsensem. Löwendahlius Marchionatum Cressy emit.

Anno 1746 captis Bruxeliis, Rex, comitante Henrico Benedicto, Juniore Jacobi Stuarti Angliæ Regis filio, ad Belgicam rursus expeditionem profectus est, atque Antverpiam, Montes, Carolo-Regium, Namurcum &c., per Duces suos expugnavit. Redux in Galliam Eduardum Walliæ Principem, ab infelici expeditione Scotica, cum pluribus Milordis Gallicis navibus advectum clementissime excepit, & utrique fratri annuam pensionem liberaliter assignavit.

Austriaci ex Italia, superato Varo flumine, in Provinciam irruperunt; sed tentata frustra ob defectum rei tormentariæ Antipoli, accurrentibus pluribus Galliæ copiis, ac deficientibus alimentis, Austriaci in Galliam.

viam in Italiam relegere coacti sunt, amissis rursus munimentis S. Honorati & S. Margarethæ, quæ ope classis Anglicanæ occupaverant. (*vid. Ital.*) Mallebæo, quod Austriacis transitum Vari permisisset, abrogatum imperium & delatum Bellilio.

Mari bis victi sunt Angli a Gallis; Insulam tamen *Capitis Bretonici* seu *Regiam* recuperare non poterant, classe non tam ab Anglis quam ventis & tempestatibus Brestam redire coacta.

Art. XII.

Obit conjux Delphini. Nuptiæ cum Josepha Saxonica. Belgicæ victoriæ. Pax Aquisgranensis. Stuartus Avenionem. Natus Delphino Dux Burgundiæ, pluresque postea Principes.

130. Luctum Aulæ indixit obitus Mariæ Theresiæ, anno superiore Delphino nuptæ; quæ femellam enixa in puerperio extincta est. Ut stirps Regia propagaretur, conjecti oculi ad Aulam Saxonicam, quæ præstantes animo & corpore viragines educabat.

Bellefondo Archiepiscopo Parisiensi defuncto, Rex ad hanc dignitatem nominavit Christophorum Bellomontium (*Beaumont*) virum cordatum, & intrepidum Jurium Ecclesiasticorum Defensorem, qui prius erat Archiepiscopus Viennensis.

Obierunt præterea 1. Joan. Bapt. *Colbertus* Marchio de Torcy, Status Minister, Cancellarius Regius, Postarum omnium Præfectus, octogenario major. 2. Marchio Fenelonus de Salignac, a legatione sua Hollandica omnibus notus, ex vulnere, in pugna Leodiensi accepto. 3. Princeps Tingrius Mareschallus Franciæ, Gubernator Valencenis. 4. Damwillius, dum classem in Americam duceret. 5. Cæsar Phœbus de Bonneval, infelicis ad Turcas transfugæ frater, copiarum Ductor.

Nuptiæ alteræ Delphini.

Anno 1747 Regia solennitate celebratæ sunt nuptiæ secundæ Delphini cum Maria Josepha Poloniæ Regis tertia filia, Principe, quam admirari non satis poterant Galli. Hac celebritate peracta Rex in Belgium rursus abiit, anima sui exercitus, qui, cum Hollandi copias suas ab Anglis & Austriacis nollent separare, totam Flandriam Batavicam occupavit, reportata insigni ad *Laffeldam* in Leodiensi agro victoria, cujus fructus Bergæ ad Zomam, quamvis cruenta expugnatio.

pugnatio. (*vid. Belg.*) In mari autem Americano Angli aliquot bellicas Gallis ademerunt.

Argenſono Status Secretario eſt ſubrogatus Puiſſæus, a legatione Hollandica avocatus, quam Abbas Villanus ſuſcepit. Mauritius Saxo ob res fortiter geſtas renuntiatus Gubernator Belgii conquiſiti.

Anno 1748 Rex ſingulari uſus moderatione pacem Aquisgranenſem compoſuit, redditis, quæ in Belgio occupaverat, in eo tamen, quem tunc obtinebant, ſtatu, dirutis videlicet pluribus munimentis, id unum aſſecutus, ut Philippus gener tres in Italia Ducatus obtineret. **Pax Aquisgranenſis.**

Princeps Eduardus Stuart e Gallia vi pacis migrare juſſus, Friburgum Helvetiorum primum ſedem ſibi deſtinaverat, proteſtante licet Anglo; at conſilio mutato Avenionem, Pontificiæ ditionis in Gallia urbem, abiit. **Stuart pulſus e Gallia.**

Quamvis autem pax eſſet reducta, quia tamen immenſis ſumptibus bellum conſtiterat, ut debita extinguerentur, pars vigeſima proventuum exigebatur, cum antea decima fuiſſet tribuenda.

Albemarlius Legatus Angliæ dicitur cum Rege luſiſſe, & duos librarum Gallicarum milliones perdidiſſe.

Anno 1751 natus eſt Delphino Princeps Lud. Joſ. Xaverius, quem Rex Ducem Burgundiæ compellavit. Tota Gallia gaudio exultabat. Nec minorem lætitiam ad exteras Aulas Legati publica ſolennitate ſunt conteſtati. Nox ignibus feſtivis illuminata, cuſa nova moneta, ſparſa in vulgus pecunia, remiſſa ſubditis pars tributorum, hymnus undique Divinus perſonuit. Sed quantum in nativitate hujus Principis erat gaudium, tantus decennio poſt, cum moreretur, luctus. **Natus Dux Burgundiæ.**

Sicut Ludovicus XIV grande noſocomium *Invalidorum*, pro infirmis videlicet militibus ingenti ſumptu conſtruxit, ita Ludovicus XV Academiam Regiam militarem pro 500 Nobilibus, ut arte bellica imbuantur, erexit, Academiam item Chirurgicam, & Marinam ad ediſcendam rem nauticam & claſſiariam. Vires autem maritimas ita adauxit, ut 76 bellicis conſtarent, ultra quatuor tormentorum millia inſtructis. **Rex ornat Regnum.**

Cardinali Tencino, & Puſſiæo Status Secretario, ab Aula recedentibus, ſuffecti ſunt Status Miniſtri Comes Florentinus, Marchio Vrillierus, cum Rovilæo, & Conteſto, qui Legatione Hagæ fungebatur. Dagenſonus autem, Franciæ Cancellarius & ſigilli cuſtos

cuſtos octogenarius obiit, cum Comite Seguro, ex ultimo bello Bavarico noto, & Mommorantio, Franciæ Mareſchallo.

Funus Mauritii Saxonis Franciæ Mareſchalli Argentinam deductum eſt, ut more Lutherico ibidem ſepeliatur. Hæres ejus Comes Bellegardus, Regis Poloniæ Taurini Orator, Chambordi hæreditatis poſſeſſionem adiit.

Ab anno 1751 ad 1760 numeroſa ſobole augebatur Domus Regia, quippe ex Ludovico Delphino, ejusque ſereniſſima conjuge Maria Joſepha Poloniæ ac Saxoniæ Principe nati ſunt 1. Ludovicus Auguſtus *Dux Bituricenſis* anno 1754, baptizatus ſolenniter 1761. 2. Lud. Stanisl. Xaverius *Comes Provinciæ* 1755, bapt. 1761. 3. Carolus Philippus *Comes Arteſiæ* 1757, bapt. 1761. 4. Clotildis Xaveria 1759, bapt. 1761, & hi quidem hodiedum ſunt ſuperſtites, Deusque conſervet ſoſpites. Ante hos vero lucem aſpexerunt quatuor proles, 1. Maria Thereſia. 2. Maria Zephyrina. 3. Dux Burgundiæ. 4. Dux Aquitaniæ. Quos tamen vernantes flores præmatura falx demeſſuit.

Anno 1756 colliſa eſt Gallia cum Anglis gravi bello, quod ſeptem annis in omnibus quatuor orbis partibus varia ſorte geſtum eſt, prout poſtea prolixius aliquantum narrabitur. Fortunatum Gallis initium: ejectus prope in Oceanum ex Germania hoſtis: expugnata a Richelio Inſula Minorica, res aliæ proſpere geſtæ. Sed progreſſus initiis minus reſpondit; amiſſis in America præſertim pluribus locis, quorum tamen aliqua per pacem recepta ſunt.

Art. XIII.

Concilium Ebrodunenſe, anno 1727.

131. Concilium hoc Provinciale celebravit Petrus *Tencinus* Archiepiſcopus tunc Ebrodunenſis, præſentibus 15 ſuæ Provinciæ Epiſcopis. Præter ſtatuta ſaluberrima de doctrina & diſciplina Eccleſiæ, agitata eſt cauſa *Sanicenſis Epiſcopi*, qui 80 annorum ſenecio litteras Paſtorales ediderat, quibus Reflexiones Quesnelli approbabat, Conſtitutionem vero *Unigenitus* confutare præſumpſit. Citatus propterea ad ſynodum, ſolitis appellantium tergiverſationibus & effugiis ſe ſubtraxit.

CAPUT IV.
Historia Janſeniana & Quesnelliana
SÆCULI XVIII.

Originem & Progreſſum Janſeniſmi in Belgio & Gallia Parte VIII recenſuimus ad Sæculum usque XVIII, nunc ea, quæ hoc, quod vivimus, ſæculo acta ſunt, breviter perſtringemus.

Art. I.

Coddei, Archiepiſcopi Sebaſteni, Apoſtolici in Hollandia Vicarii, ſuſpenſio a ſacris. Quesnelli, Brigodi, & Gerberonis captivitas. Eorum effigies.

Anno 1702 *Coddeus*, Archiepiſcopus Sebaſtenus, *Vicarius Apoſtolicus in Hollandia*, a ſacris functionibus fuit ſuſpenſus. Res ita habet. 132.

Coddeus, Oratorii Berulliani Presbyter, anno 1686 Nercaſſelio mortuo in Vicariatu per unitas provincias Batavicas fuit ſuffectus, datusque Catholicis Epiſcopus, lupus ovibus. Quippe Janſeniſtarum capitibus ſingulari amicitia illigatus, novellas eorum opiniones diſſeminare omni ope adlaboravit, nunquam ſe adduci paſſus, ut formulæ Alexandri VII & Cleri Gallicani ſubſcriberet. Codde Romam.

Sub tali paſtore quomodo proviſum fuerit ovili Chriſti inter hæreticos, facili conjectura eſt aſſequi. Sacerdotes plures, ventri ſervientes, adminiſtrabant ſacramenta, & preces Eccleſiæ recitabant lingua vernacula, talisque corruptio invaluit, illamque Miſſionem turbavit adeo, ut Catholici magno numero querelas ad Sedem Apoſtolicam deferre cogerentur.

Innocentius XII cauſam 12 Cardinalium Congregationi examinandam commiſit, quæ Coddeum Romam citavit, ut per ſe ipſum accuſationi reſpondeat. Nihil non egit *Vaucelius* Janſeniſtarum Ordinarius Romæ Legatus, cum aliis in Gallia & Belgio Coddei amicis, ut Congregationem diſturbaret, fulmenque averteret. At illa conſtans denuntiavit, niſi veniret, alium Vicarium ſuffectum iri. Vaucel.

Delbec. Ingressus igitur iter est anno 1700 cum P. *Delbecque* Dominicano amico zeloso. Bruxellis transiens noluit conferre cum Gerberonio, ut Romæ possit dicere, nihil sibi esse cum illo commercii. At vero cum Patavium venisset, invisit ad eum Hiacynthus Serry, magnam Quesnelli æstimationem præseferens, totiusque sanctæ Familiæ; qui favor spes ejus auxit, præsertim cum intellexisset, mortuum esse Innocentium XII, eique subrogatum Cardinalem Albanum.

Et sane non omnis eum spes fefellit. Nam Clemens XI cum magna benevolentiæ significatione ipsum excepit, si Novellis Hollandicis fides. At cum Cardinalium Congregatio 26 accusationis capita ei diluenda proponeret, conscientia mordente territus, cœpit causæ diffidere.

Suspensio. Ultima Congregatio habita fuit præsente Papa 7 Maji 1702, omniumque suffragia suspensionem ab officio decreverunt. Vix autem ea, quæ Romæ contigerant, in Hollandiam nuntiata fuerant, cum de Clero quidam, doctrinæ rigidæ, & vitæ laxæ, cui sub tali Rectore jam assueverant, homines, atque Jansenismi tabe jam infecti, sæcularem adversus executionem Hæreticorum potestatem implorantes, Heinsium Pensionarium & Consules Amstelodamenses convenerunt, qui in vota supplicum faciles, *Cockio*, quem Papa interim Vicarium substituerat, omni functione & administratione interdixerunt: contra vero *Hussenum*, quem Coddeus Provicarium constituerat, officio fungi voluerunt.

Quesnelli consilium. Hic, cum a Papa esset subjectus Interdicto, dubitavit, an eo teneretur. Consultum Oraculum (*Quesnellus*) e Delphico velut tripode respondit: pergeret ire vias suas, sine respectu ad ea, quæ Romæ essent acta. Sebastenum Archiepiscopum contra omnes æquitatis regulas esse condemnatum: judicium de hac causa ad Generales Ordines pertinere: Romam majorem dominationis amplificandæ quam Religionis rationem habere: Antichristum unum ex Romanis fore. An hæc vox hominis, qui se Catholicum & Ecclesiæ filium profitetur? Lutherum aliquem aut Calvinum audimus blaterantem.

Pontifex de omnibus informatus scripsit ad Catholicos, in Batavia & vicinis regionibus degentes, hortatusque est, ne seduci se paterentur a tumultuantibus: hos esse pastores, non ad custodiendas, sed mactandas & perdendas oves intentos, ad scindendam inconsutilem Christi togam, ad potestatem Ecclesiasticam funditus evertendam: affectari ab illis existimationem severæ doctrinæ, at satis patere, quo consilia & conatus eorum tendant.

Seba-

Sebastenus remissus quidem est in Hollandiam, sed ab officio Vicariatus penitus depositus. Quod sectarios adeo in furorem egit, ut *Breve Pontificium* infame & seditiosum dicerent, atque, ut supprimeretur, ab Hollandis peterent. Credi vix potest, quot quamque insolentes libelli mox prodierint, quibus absque pudore decidebatur, Coddeum non obstante Romana depositione pollere plena authoritate, quam Innocentius XI eidem tribuisset, dum Vicarium Apostolicum denuntiavit. Cusa in ejus honorem numismata, incisa æri imago, quæ exhibebat S. Petrum in cælos eundem recipientem. Furor Jansf.

Obiit mirabilis hic sanctus anno 1710, an autem S. Petrus clavibus suis cælum eidem aperuerit, non constat. Qui claves contempsit, credo, cæli janitorem tam promptum non invenit. Certe successor S. Petri pro ejus anima orare prohibuit, ut qui suæ obstinationi & errori fuisset immortuus. Obitus Coddei.

Tanta autem erat Jansenistarum in omnes hominum ordines, atque potestates, sibi adversantes, impudens petulantia, ut anno 1703 tres eorum principes, Quesnellus, Gerberonus, & Brigodus Bruxellis merito sint comprehensi & in custodiam dati.

P. *Paschasium Quesnellum* Oratorii Berulliani Sacerdotem, Jansenismi veneno plenis visceribus hausto, adversus superiores suos contumacem, pœnarum metu jam anno 1685 in Belgium, ubi liberiorem auram se captaturum crediderat, profugisse, ibique, Religioso exuto habitu, veste laica latitasse, supra diximus. Et quidem initio Bruxellis cum Arnaldo se occuluit. Inde 1690 Lugdunum Batavorum, tum in agrum Leodiensem, ac dein rursus Bruxellas secreto concessit, ibique grandem libellorum numerum conscripsit, quorum plerique Romæ, in Gallia & Belgio fuerunt condemnati, plures manu carnificis in ignem projecti. Quesnelli acta.

Labores ipsius crescebant, ubi mortuo Arnaldo succedens patriarchatum iniit, commercium litterarum cum omnibus Jansenistis, per curias, aulas, Academias, Religiosas domos, Monialium claustra, communitates sæculares, per Europam distributis, sedulo nutriens, ac partibus suis augendis ubique intentus.

Archiepiscopus Mechliniensis, cum tot sparsos ab eo noxios libellos, animarumque crescentem in dies ruinam cerneret, de mediis sistendi impetum apud se deliberavit. Jam anno 1702 ad Congregationem S. Officii eum detulerat. At Roma parum poterat adversus homines, sacra Vaticani fulmina omnemque authoritatem Ecclesiæ cachinanti sibilo explodere assuetos. Brachium igitur sæculare

culare implorandum ratus, a Rege Catholico obtinuit, ut Marchioni Bedmario, qui pro Electore Bavariæ Belgium administrabat, Quesnellum ac socios capiendi mandatum daretur.

Captus. Comprehensus igitur anno 1703 Bruxellis a militibus in suo cubiculo, in Archiepiscopalem custodiam ductus est. At ecce! nobilis quidam Gallus perfosso noctu muro illum liberavit: fuissetque plenum gaudium, si litteræ etiam illius & scripta per eandem rimam potuissent evadere. Ex his scriptis multa fuerunt detecta iniquitatis mysteria, Ecclesiasticis & Politicis Potestatibus summe injuriosa, fraudes, cuniculi, machinationes, totiusque sectæ insanæ substructiones, ipsa adeo maligna animorum errantium sensa, eorum quoque, qui pro sinceris Catholicis habebantur.

Evadit.

Scripta. Quamvis autem summum Jansenistarum in Jesuitas odium alias plurimis argumentis manifeste fuerit proditum, ex scriptis tamen istis multa in lucem fuerunt producta, quæ tenebris alias mansissent involuta, collusiones etiam cum Catholicis in Societatis exitium.

Profecto, si Quesnellus ejusque socii cum scriptis suis arcanis non fuissent comprehensi, nesciret orbis obligationes, quibus Societatis Jesu adversarii, etiam Catholici, Jansenistis sunt obstricti, nodumque, quo cum illis erant constricti. Quis e. g. sciret, quantum Hiacynthus Serry iis debeat, ut Historia Congregationum de *Auxiliis* poliretur & ederetur? quis, Seminarium Missionum externarum Parisiense usum Quesnelli calamo ad denigrandas Ceremonias Sinenses & Jesuitas?

Vix e custodia Quesnellus eruperat, cum nimbum injuriarum effudit, in Archiepiscopum maxime Mechliniensem, captivitatis suæ auctorem. An S. Petrus, e custodia liberatus, vel in Herodem sic egit?

Hæ calumniæ, multaque crimina, de quibus ex propriis aliorumque ad eum litteris erat convictus, Mechliniensem Archiepiscopum permoverunt, ut publice eum citaret ad respondendum; cum non compareret, contumaciæ condemnatus, & excommunicatus per solennem sententiam est denuntiatus.

Brigodi dolosa conversio. Cum Quesnello eodem in loco & tempore comprehensus fuit Arnoldus Josephus *Brigodus*, qui post semestrem carcerem ea conversi animi dedit indicia, ut visæ sint tenebræ lucem affudisse; nam Archiepiscopo libellum supplicem porrexit, in quo fassus est, præcipuum suum fuisse officium a pluribus jam annis, curare, ut libri Jansenistarum imprimantur & distribuantur.

Petiit

Petiit veniam, exemplo usus Divinæ in pœnitentes misericordiæ. Archiepiscopus liberavit captivum ea lege, ut ederet professionem fidei, formulæ subscriberet sine distinctione, sacris exercitiis 15 dies impenderet, generali confessione animum expiaret, his præstitis e Diœcesi Mechliniensi exulatum discederet. Nequam omnia promisit: servavit nihil. Sed quid aliud a Jansenista exspectes?

Tertius Bruxellis interceptus est P. *Gabriel Gerberon*, ex Congregatione S. Mauri Religiosus, qui plures in Gallia libellos sparserat, hæresi faventes, dandus propterea mandato Regis in custodiam, ad Corbeiense Monasterium jam anno 1682 profugit. Inde Sanctissimo suo Ordini rebellis, in Hollandiam evadens, Roterodami substitit, assumptoque nomine Augustini *Kergre*, Unitas Provincias Flandriamque diluvio libellorum de gratia inundavit. Jansenismi non alius defensor ardentior; ut adeo inter Patriarchas Janseniani Ordinis censeri sit meritus: spesque affulsisset, post mortem Arnaldi Abbatem fore, nisi singularibus opinionibus inhærens suos non raro contribules invasisset, Arnaldum adeo & Quesnellum. Id maxime vitio illi dabant, qui ejusdem mentis erant, quod sensa sua nimis aperte proloqueretur, majori arte & circumspectione proponenda rati, ut verba ambigua, prout occasio tulerit, in omnem partem circumagi queant. Gerberoni effigies.

Postquam interceptus fuerat, clementiæ Archiepiscopi se submisit, paratus, ut asserebat, ad omnes, quas irrogare placuerit, pœnas. Institutus juris Processus; 29 *Interrogatoria*, ut vocant, proposita: convictus docuisse hæresin, præsertim postquam abjecto Religioso habitu laicum induisset; proscidisse Papam contumeliis, Principes, omnesque, quos adversari sibi credidisset: condemnatus est ad emittendam professionem fidei, signandam formulam, abjurandam 5 propositionum doctrinam, ad regressum in suum Monasterium, ubi inclusus maneat, donec Ecclesiæ sit satisfactum, & de emendatione vitæ & doctrinæ constet.

At quamvis ante submissionem promiserat, post sententiam tamen latam doctrinam suam retractare & formulam signare noluit sine restrictione. Quæ pertinacia Regem Christianissimum permovit, ut eum ceu subditum suum ex Belgio reposceret, ac primum in Ambianum, dein Vincennarum carcerem mitti juberet.

Ergastuli rigor emollire non poterat pluribus annis induratum pectus senis octogenarii; tandem vero gratia Dei potentior flexit pervicaciam.

Quippe anno 1710 obtulit se ad signandam formulam: retractavit doctrinam erroneam, fassus, defensas a se propositiones damnatas. Eandem retractationem habuit ratam, postquam ex Vincennensi carcere liberatus in Monasterium S. Germani ad fratres suos fuerat translatus. Paucis vero post mensibus lethali morbo correptus pœnitens obiit, postquam dimidium & ultra sæculum rebellis fuerat, Ecclesiæ plene subjectus.

Art. II.

Clementis XI Constitutio Vineam Domini Sabaoth *adversus Jansenistas.*

Anno 1705 Clemens XI occasione *Casus Conscientiæ*, quem
133. Parte VIII retulimus, & a 40 Doctoribus approbatum diximus, edidit Bullam adversus Jansenistas celeberrimam, cujus initium *Vineam Domini Sabaoth* (cujus Synopsin subjicio.) In hac memorat, ab Innocentio X quinque famosas propositiones, ex libro Jansenii excerptas, fuisse confixas, atque hanc Constitutionem, *ad publicæ tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas*, ab Alexandro VII confirmatam, novarumque declarationum accessione constabilitam.

Insertis dein horum Pontificum Constitutionibus Clemens XI prosequitur: *Causam equidem esse finitam, non tamen sic, ut par erat, finitum errorem, Apostolico toties mucrone percussum. Neque enim defuisse & adhuc deesse homines, veritati non adquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis, ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare conantur, quodque deterius est, ipsamet Apostolicæ Sedis Decreta, præsertim Clementis IX, & Innocentii XII in erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu, non erubescunt, perinde, acsi memoratus Clemens aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam se unquam fuisse admissurum protestatus fuit, re ipsa admisisset, Innocentius XII vero, dum prædictas 5 propositiones in sensu obvio, quem verba ipsa exhibent, damnatas esse pronuntiavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro babent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac ab Innoc. X & Alex. VII damnatus fuerat, sed de alio quodam diverso sensu cogitasset, dictasque Constitutiones temperare & restringere voluisset iisdem ipsis litteris, quibus eas in suo robore fuisse & esse, seque illis firmiter inhærere verbis apertissimis asserebat.*

Præ-

Præterea iidem inquieti homines, inquit porro Pontifex, *sparsis undequaque scriptionibus ac libellis, exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Sedis Apostolicæ injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam, Constitutionibus Apostolicis debitam, non requiri, ut quis Janseniani libri sensum, in dictis 5 propositionibus damnatum, interius ut hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de re* obsequiosum Silentium *(ut ipsi vocant) teneatur. Quæ quidem assertio, quam absurda sit, & animabus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur: vulnus tegitur, non curatur: Ecclesiæ illuditur, non paretur, & lata denique filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresin, dum ipsam Jansenii hæresin, quam a Sede Apostolica damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare detrectant.*

Quin etiam eo impudentiæ nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, formulæ, ab Alexandro VII præscriptæ, subscribi licite posse, etiam ab iis, qui interius non judicant, in Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri, quasi vero liceat Ecclesiam jurejurando decipere; dum loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt, seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc est, quod nos ad opportunum & efficax tam exitialis morbi, qui ut cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum - - - primo quidem præinsertas Innocentii X & Alexandri VII Constitutiones, omniaque & singula, in eis contenta auctoritate Apostolica confirmamus, approbamus, & innovamus.

Ac insuper, ut quævis in posterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impii in tenebris conticescunt) sed & interius obsequendo, quæ vera est hominis orthodoxi obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura Constitutione obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus Apostolicis debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in 5 propositionibus Jansenii sensum, quem verba illarum præseferunt, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supra dictæ formulæ subscribi licite posse, ita, ut, qui secus aut contra, quoad hæc omnia & singula, senserint, tenuerint, aut prædicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tanquam præfatarum Constitutionum Apostolicarum transgressores omnibus illarum censuris & pœnis omnino subjaceant, eadem auctoritate Apostolica decernimus & declaramus.

Tametſi autem hæc Bulla adeo clara ſit atque dilucida, ut ſolis radiis ſcripta videatur, non tamen deerant excæcatæ mentes, quæ obſcuritatis eandem accuſarent, dicerentque, circa punctum principale nihil fuiſſe deciſum. Alii ex Janſeniſtis, cum omne aliud effugium ſibi præcluſum viderent, ad vituperia, calumnias, Sedisque Apoſtolicæ contemptum verſi ſunt. Ex illis Withus Licentiatus Lovanienſis non exhorruit petulanti ore effutire, opus eſſe tenebrarum, Antichriſto dignum, quo vera Chriſti gratia deſtruatur, & Pelagianiſmus ſtabiliatur.

At, ringentibus hæreticis, alius multo ſenſus erat orbis Catholici, qui Bullam, ut par eſt, ſumma veneratione recepit. Rex Chriſtianiſſimus illico juſſit, eandem in Acta Parlamenti referri, ac toto Regno promulgari, additis litteris, executionem imperantibus.

Solus Epiſcopus S. Pontii in Occitania tergiverſatus eſt, allegans exemplum 23 Epiſcoporum, qui anno 1667 pro obſequioſo ſilentio ſtetiſſent. At mandatum ipſius, ad Diœceſanos miſſum, anno 1709 fuit condemnatum, cum epiſtola ad Atrebatenſem ſcripta.

Quamvis autem Epiſcopi Galliæ receperint Conſtitutionem, diſplicuit tamen Pontifici modus. Nam (præterquam quod Noallius dixiſſe feratur, Eccleſiam non eſſe infallibilem in decidendis quæſtionibus facti, etiam dogmatici, ſi non ſit revelatum) Archiepiſcopo Rothomagenſi duce conventus Cleri pronuntiaſſe dicitur, Conſtitutiones ſummorum Pontificum obligare totam Eccleſiam, poſtquam fuiſſent acceptatæ a corpore Paſtorum, atque hanc acceptationem ex parte Epiſcoporum fieri per viam Judicii.

Hac clauſula offenſus Papa anno 1706 ad Regem ſcripſit, quod Epiſcopi non tam fuerint congregati ad recipiendam Bullam, quam ad reſtringendam auctoritatem ſanctæ Sedis, aut potius evertendam.

Quomodo Bulla ſit acceptata in Gallia.

Cum igitur Rex vellet, ut Papæ ſatisfieret, Cardinalis Noallius, qui conventui præſederat, cum aliis ſex Archiepiſcopis & 5 Epiſcopis, qui omnibus deliberationibus interfuerant, 1710 explicationem proceſſus ſui verbalis Romam miſit. Addidit epiſtolam anno ſequenti, in qua magno cum dolore ſe intellexiſſe ait, Sanctitatem ſuam judicare Conſtitutionem contra errores Janſenianos non fuiſſe cum debito reſpectu & ſubmiſſione, quæ eidem debetur, receptam; cum tamen conventus anni 1705 crediderit, ſe eandem re-

recepisse cum eadem veneratione, qua Antecessores sui Bullas priorum Pontificum super illa ipsa materia.

Quando Conventus dixit, quod Constitutiones summorum Pontificum obligent totam Ecclesiam, *postquam acceptatæ fuerint a corpore Pastorum*, non intendisse dicere, acceptationem esse necessariam, quæ sit *solennis*, neque alio fine id dictum, quam ut Jansenistis omne præcludatur effugium, quo elabi essent conaturi. Neque eam fuisse mentem, ut Conventus velut Judex Constitutionem examinaret, aut tribunali suo subjiceret, sed ut conformitatem suæ doctrinæ cum Apostolica, magno cum gaudio accepta, significaret.

Conventum habuisse sibi persuasissimum, nihil deesse Bullæ, quo minus totam Ecclesiam obliget; nullaque ratione ab ea appellari posse, neque ulli mutationi esse obnoxiam.

Sub finem rogat, ut sua Sanctitas bene sentiat de Ecclesia Gallicana, sicut S. Bernardus, qui Innocentio II scripsisset, quod illa sit firma in fide, pacifica in unitate, semper submissa & obediens Sedi Apostolicæ. Talem adhuc hodie esse animum omnium Episcoporum. *Quantum ad me*, addit Noallius, *semper primus ero in exhibenda obedientia debita. Religio, gratitudo, & respectus, quo ex imo corde feror erga Romanam Ecclesiam, frequenter in memoriam mihi reducunt obligationes, quibus Apostolicæ Sedi obstrictus sum: neque est, quod me obfirmem in hoc proposito perfectæ obedientiæ; sufficit aspicere purpuram, qua me placuit vestire.*

Hæ litteræ argumento manifesto sunt, quod Episcopi Galliæ non prætendant judicare judicium summi Pastoris, conformiter iis, quæ Zosimus Papa olim scripsit ad Episcopos Africæ, quod *traditio & Patres tantam attribuerint Sedi Apostolicæ auctoritatem, ut nemo disputare debeat de ejus sententia.*

Eodem tempore Rex quoque scripsit Pontifici, eumque certum esse jussit, se semper paratum fore, auctoritate sua tueri venerationem, Capiti Ecclesiæ, & Jesu Christi in terris Vicario debitam.

Acad. Lovan. judicium.

Academia Lovaniensis, recepta Bulla *Vineam Domini*, iterum damnavit Casum conscientiæ, a Jansenistis propositum, declaratque 1 Ecclesiam infallibiliter judicare posse de sensu librorum.

2. Doctrinam de gratia intrinsece efficace & prædestinatione gratuita esse plurium scholarum, & etiam suam; sed eam defendi posse modo hæretico, prout faciant Jansenistæ, qui negant gratiam sufficientem, per quam observatio præceptorum fiat possibilis.

 3. Agno-

3. Agnoſcunt obligationem, omnes actiones virtualiter referendi ad Deum; improbant tamen opinionem, quod detur præceptum particulare, quamcunque actionem referendi ad Deum *per amorem actualem*.

4. Opinionem eorum, qui exigunt contritionem perfectam ad ſacramentum pœnitentiæ, ſibi non videri conformem principiis fidei, neque naturæ ſacramenti.

5. Aſſiſtere ſacrificio Miſſæ in peccato mortali non eſſe novum peccatum mortale.

6. Sibi videri, quod fautores Janſeniſtarum parum faveant cultui B. V. ejusque immaculatæ conceptioni.

7. Rejiciunt libros, quorum lectionem 40 Doctores, de quibus ſupra, approbaverant.

8. Prout etiam verſionem S. Scripturæ in linguam vulgarem, præſertim novi teſtamenti Montenſem.

Papa ſumma voluptate accepit hæc Acta Univerſitatis Lovanienſis, laudavitque ſcriptis litteris; hortatus ſimul, ut pergerent eſſe defenſores & ornamentum Eccleſiæ Belgicæ. Nec novas atque peregrinas opiniones patiantur doceri.

Art. III.

De Abbatia Portu - Regia Janſeniana.

134. Frequens hactenus facta eſt mentio Portus - Regalis, ejusque incolarum, Janſenianis erroribus effliſtim faventium. Unde fortaſſis lector in hoc Eruditionis Apparatu exſpectabit enucleatiorem hac de re explicationem.

Fuit igitur Portus Regalis Abbatia Ordinis Ciſtercienſis Monialium, ſex milliaribus Pariſiis diſtans, anno 1204 fundata. *Angelica* Arnaldina Abbatiſſa, celeberrimi Doctoris Antonii Arnaldi ſoror, anno 1626 communitatem ſuam Lutetiam tranſtulit, ibique ſub directione Joannis Vergerii, Abbatis San - Cyrani, novum domicilium fixit, quod *Portus Regius Pariſienſis* appellabatur, ad diſtinctionem a Portu Regio *Campeſtri* ſeu rurali, ad quem locum vacuum variæ conditionis homines, doctrina etiam conſpicui, ſe receperunt.

Anno 1647 quædam Moniales ex Portu Regali Parisiensi in Campestrem cum consensu Archiepiscopi migrarunt, ea tamen lege, ut Abbatissæ Parisiensi manerent subjectæ.

Erat autem Cœnobium utrumque a viris eo confugientibus fœde corruptum, atque Janseniana tabe infectum. Quippe formulæ pure & sine distinctione subscribere noluerant; licet Harduinus de Perefixo Archiepiscopus Parisiensis fidem tantum humanam circa factum requireret. Quin scriptum eidem obtulerant, in quo iis, quæ ad fidem pertinent, assensum promittebant; circa ea autem, quæ sunt facti, silentium tantummodo.

Archiepiscopus proin Abbatissam Parisiensem aliasque 12 Moniales abduci jussit, & in varia claustra divisit, reliquisque in utroque Monasterio Sacramentorum usu interdixit; donec tandem anno 1669 compositio aliqua fuit inita, sororibus exemplo 4 Episcoporum Clementis IX declaratione abutentibus. Cumque aliquæ absolute ac pure subscripsissent formulari, aliæ vero cum restrictione, ortum est eas inter schisma ac discordia, ut necesse fuerit, utrumque Cœnobium cum bonis & reditibus omnino separare, data utrique Antistite, ab altera independente.

Constitutioni *Vineam Domini* anno 1705 se rursus opposuerunt, atque Abbatissis suis inobedientes Pontificis & Regis mandato, iterum per varia monasteria sunt dispersæ, Domo Campestri penitus sublata, & cum Parisiensi unita.

Fœminæ istæ, tum indole sua refractariæ erant & novitatum cupidæ, tum a viris, quorum directioni se commiserant, pietatis specie seductæ sunt. Hos inter erant Abbas Sancyranus, Arnaldus (qui plures Jansenistas ad Portum Regium, magna patrimonii sui parte a se ditatum, adduxerat) Petrus Nicolius (alias sub nomine Guilielmi Wendrockii latens) Theologiæ Baccalaureus, Arnaldi socius, qui plures famosos libellos penna virulenta conscripsit. Blasius Paschalis, Litterarum Provincialium consarcinator, & calumniator notorius, intimus Arnaldi amicus. Godefridus Hermant, quia Arnaldo adhærebat, a Sorbona exclusus, Jansenianos errores pluribus scriptis defendit. Claudius de S. Martha, confessarius Monialium Portus Regalis: Ludovicus le Nain de Tillemont, famosi pariter scriptores Jansenistæ, qui omnes sub nomine *Dominorum aut Doctorum de Portu Regali* compellantur.

Art.

Art. IV.

Papa damnat Reflexiones Morales *Quesnelli in* Novum Testamentum, *a Noallio approbatas. Turbæ propterea ortæ. Bulla Unigenitus, qua* 101 *propositiones Quesnelli damnantur.*

135. Quesnellus tacito nomine suo librum edidit famosum, in 4 tomos divisum, sub hoc titulo: *Le nouveau Testament avec des reflexions morales sur chaque verset &c.* Qui sermonis Gallici elegantia & pietatis specie multos decepit, magnisque deinceps in hanc usque diem motibus Galliam Belgiumque concussit. Auctor illum dedicavit anno 1693 Noallio, tunc adhucdum Episcopo Catalaunensi, postmodum ad Archiepiscopatum Parisiensem & S. R. E. Cardinalatum assumpto, qui opus hoc splendenti elogio exornavit, & approbavit.

Quesnellus projicit pomum discordiæ.

Noallius, cum audisset, librum a multis reprobari, Theologis illum de novo examinandum tradidit, notandumque, si quid correctione indigeret. Verum tot erroribus scatebat, ut quacunque correctione & interpretatione adhibita, multum adhuc veneni superesset.

Multis interim editionibus opere recuso, eo usque in dies crescebat malum, ut querelæ Romam deferrentur. Cardinales & Theologi, quibus Papa librum examinandum commisit, post exactam discussionem, lectionem illius prohibendam censuerunt, quod textus, ad imitationem versionis Montensis, multis locis essent corrupti, notæ vero & reflexiones textibus appositæ qualibet pagina exhiberent doctrinam seditiosam, temerariam, perniciosam, erroneam, jam condemnatam, & manifeste Jansenianam.

Hoc fuit fundamentum Decreti, per quod Papa non tantum prohibuit sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, lectionem, impressionem & distractionem libri; sed insuper jussit, omnia exemplaria deferri ad Ordinarium loci, aut Inquisitores, ut publice comburantur.

Ubi hoc Decretum, anno 1708 editum, in Galliam pervenit, auctor *de la Clef du Cabinet des Princes*, seu Diarium Verdunense, ut honorem Quesnelli, ejusque Approbatorum defenderet, finxit, opus per editiones, Protestantium in terris factas, fuisse corruptum, ac proin merito condemnatum. Displicuit ipsis etiam Jansenistis

fenistis tam apertum mendacium, cum constaret, nunquam a Protestantibus fuisse recusum. Igitur in malignas curiæ Romanæ affectiones retulerunt, & factionem Cardinalis Fabroni, qui magis esset Jesuita, quam ipsi Jesuitæ, opus tenebrarum, & attentatum scandalosum appellantes Decretum.

Quamvis autem hoc decretum (ex respectu credo erga Cardinalem Noallium, qui *Novum Testamentum cum Reflexionibus Moralibus* Quesnelli approbaverat, & grandi, quod diximus, elogio honoraverat) non fuerit statim universaliter receptum in Gallia, plures tamen Prælati *Reflexiones Morales* proscripserunt; alios authoritas Noallii retinuit.

Cum autem hoc negotium in dies agitaretur ferventius, Rex Christianissimus Papæ supplicabat, ut de libro Reflexionum solenniter & modo maxime authentico pronuntiaret, propositiones, censura dignas, assignando; &, cum obtinere a Noallio revocationem suæ approbationis non potuisset, anno 1711 per Decretum sanctioris sui consilii prohibuit novam libri editionem, ejusque distractionem.

Præterea tres Episcopi, Lucionensis, Rupellensis, & Gapensis, Instructionem Pastoralem in Diœcesibus suis promulgarunt, qua eædem Reflexiones Quesnelli Morales in novum Testamentum fuerunt condemnatæ. In hac ordinatione dicebatur, quinque famosas propositiones clare contineri in libro Jansenii, easque omnes renovari in Reflexionibus Quesnelli: S. Augustinum autem longe remotum esse ab hac doctrina, ejusque textus, a Jansenistis adduci solitos, doctissime explicarunt, quin tamen Scholæ ulli Catholicæ præjudicium inferrent.

Contra hanc trium Episcoporum Ordinationem Card. Noallius anno 1711 *Instructionem Pastoralem* edidit, in cujus principio ait, relatum sibi esse, in Ordinatione illa trium Episcoporum contineri plura contraria fidei & puritati doctrinæ moralis, &, quamvis velint oppugnare errores Jansenii, tertiæ tamen ejus propositioni, & quibusdam Bajanis eos favere; de S. Augustino autem contemptim loqui. Peccatores absolvi, antequam se probent; sub prætextu ignorantiæ invincibilis excusari scelera, juri naturæ opposita: hac via si procedatur, brevi renovatum iri omnes laxas propositiones, a Pontificibus & clero Gallicano damnatas anno 1700.

Noallii Instructio Pastoralis.

His præmiſſis Noallius prohibet lectionem dictæ ordinationis, additque, quod ſine acceptatione perſonarum proſcripſerit e ſua Diœceſi omnes novitates, uti 1696 *Expoſitionem fidei :* 1699 Quietiſmum: 1700 laxam doctrinam moralem: 1703 Caſum conſcientiæ: 1706 Inſtitutiones Theologicas P. Juvenini ex Oratorio, & noviſſime Moniales Portus Regalis.

Dum ſic fervebat contentio, & Noallius nollet acceptare compoſitionem a curia oblatam, Rex iterato apud Papam inſtitit, ut Reflexiones Quesnelli diſtinctius damnaret: ſimulque Delphinus, qui Romam, acſi faveret Quesnello, delatus fuerat, doctiſſimam pro ſe apologiam ſcripſit.

Tandem Clemens XI anno 1713 celeberrima Bulla *Unigenitus* condemnavit 101 propoſitiones, ex Reflexionibus Moralibus Quesnelli extractas, prohibetque illas defendi ſub cenſura Eccleſiaſtica, ipſo facto incurrenda.

Bulla Unigenitus.

In hac Pontifex Conſtitutione ait, *Unigenitum Dei Filium ſaluberrimo documento nos admonuiſſe, ut attenderemus a falſis prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium, & ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine ſanctitatis. Utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ legis ſententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum verbis, quæ multipliciter in ſuam aliorumque perniciem depravant, nequiter abutuntur; antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſunt, mendacii parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam ut Divinorum verborum prætendatur authoritas.*

Memorat dein Pontifex, ſe cum intimo dolore accepiſſe, librum quendam, Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament* &c., tametſi alias jam a ſe damnatum, ac Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem haberi a pluribus, fidelium manibus paſſim obtrudi, etiam latine redditum, ut pluribus noceat.

Quapropter ſe non minus Paſtoralis curæ ſuæ ſtimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium Galliæ Epiſcoporum litteris ac precibus excitatum, gliſcenti morbo validiori modo obviam ire decreviſſe.

Cum igitur conſtet, ſummam hujus libri perniciem ideo potiſſimum invaleſcere, quod eadem intus lateat, & velut improba ſanies non niſi ſecto ulcere foras erumpat, legentes vero ſpecie quadam pietatis primo aſpectu illiciat, nihil ſalubrius præſtari poſſe,

posse, quam si fallax libri doctrina, generatim solummodo hactenus indicata, pluribus singillatim excerptis ex eo propositionibus, distinctius & apertius explicaretur, atque fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponerentur.

Id ipsum e re Catholica maxime futurum, non modo præfatos Episcopos, sed & ipsum etiam Regem Christianissimum pro eximio suo in Catholicam Religionem zelo, sæpius contestatum fuisse, repetitis propterea vere piis officiis & ardentibus votis a Sede Apostolica efflagitantem, ut animarum necessitati censura consuleretur.

Hinc plurimas e prædicto libro propositiones extractas a compluribus in S. Theologia Magistris, primo quidem coram duobus Cardinalibus accurate discussas; deinde vero coram ipso summo Pontifice, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis congregationibus, expensas fuisse & examinatas.

Recensitis dein 101 propositionibus, subjungit Pontifex: *Auditis itaque, tum voce tum scripto Nobis exhibitis, præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, Divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus implorato præsidio, omnes & singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresin ipsam sapientes, nec non hæreticis & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum* illas, *quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo* hæ *damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, innovantes; respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus & reprobamus.*

Additur mandatum, ne quis de dictis propositionibus sentire, prædicare, docere aliter præsumat, quam in hac Constitutione continetur, ita, ut, quicunque illas, vel illarum aliquam docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputative tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis ipso facto absque alia declaratione subjaceat.

Per expressam autem dictarum propositionum reprobationem alia, in eodem libro contenta, nullatenus approbantur; cum præsertim in decursu examinis complures aliæ deprehensæ sint propositiones, damnatis illis similes & affines, iisdemque erroribus imbutæ, nec sane paucæ, sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam & pervicaciam nutrientes, easque falso patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singillatim recensere nimis longum foret, & minime necessarium; ac demum ipsum Novi Testamenti textum damnabiliter vitiatum, a vulgata vero editione, quæ tot seculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem & aberrantem, pluresque in alienos, exoticos, & sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate, detortum auctor exhibet.

Ac propterea Papa eundem librum, quocunque titulo inscriptum, iterum prohibet ac damnat, ejusque lectionem, retentionem & usum sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, omnibus & singulis fidelibus interdicit, adhibendis contra rebelles omnibus juris & facti remediis.

Datum Romæ ad S. Mariam Majorem anno 1713.

Art. V.

Noallii & aliorum tergiversatio in recipienda Bulla. Registratur a Parlamento. Aliorum zelus. Litteræ Pastorales Noallii. Clamores Quesnellistarum. Turbæ in Sorbona. Decreta Apostolica.

136. Quam primum Bulla *Unigenitus* pervenit in Galliam, Rex convocavit magnum Episcoporum numerum Lutetiam, atque Cardinali Noallio reliquit electionem Commissariorum, sic tamen, ut Cardinalis de Rohan eorum esset Præses: brevique acceptationis negotium ex integro fuisset confectum, si Noallius dicere voluisset: *Petrus locutus est per os Clementis*, sicut antea dixerat de Bulla Innocentii.

Verum ille putavit, se non teneri consensu suorum Confratrum. Quamvis enim improbaret plures Quesnelli propositiones, & sibi subreptum diceret ad eliciendam approbationem *Observationum* ejusdem

Noallii relactatio.

eiusdem *Moralium*, impetrare tamen a ſe non poterat, ut cum aliis Bullam abſolute acceptaret; traxitque exemplo & authoritate in ſuas partes, Archiepiſcopum Turonenſem, Epiſcopos Virodunenſem, Catalaunenſem, Sanitienſem, Bayonenſem, Bononienſem; qui conteſtati ſunt equidem, ſe Obſervationes Morales Quesnelli nullatenus approbare, ſed in Diœceſibus ſuis easdem proſcripturos, exceptionem tamen contra Bullæ ſolennem acceptationem opponebant. Et aliorum.

Ad Clementem quippe Papam anno 1714 epiſtolam confecerant, in qua memorabant, ſe zelum ſuum demonſtraſſe in oppugnandis erroribus, maxime Janſenii, ſuumque ardorem pro defendenda veritate, pro conſervanda unitate & honore Sedis Apoſtolicæ; atque in hoc ſuos in Epiſcopatu collegas ſibi inferiores eſſe, ſeque paratos librum damnatum proſcribere. Vani prætextus

Verum Bullam iſtam audaciores reddituram hæreticos, & conturbaturam fidem recens converſorum, aliorumque magna probitate hominum, qui teneræ eſſent conſcientiæ. Totum corpus Eccleſiæ & Status politici offenſum iri.

Petebant igitur explicationem propoſitionum damnatarum, quam ſibi negandam præſciverant, aut nunquam talem fore, ut contra eam rurſus cavillari aut tergiverſari nequeant.

Rex prohibuit, ne epiſtola hæc ad Papam mitteretur, juſſitque Bullam publicari, librum vero Quesnelli, & omnia in ejus defenſionem ſcripta ſupprimi, atque hoc mandatum Bullamque in Regiſtrum Parlamenti referri. Quam in rem Fleurius, Advocatus Generalis, facundam in Senatu Orationem habuit, id maxime contendens, Bullam a Rege expetitam neque in materia neque forma quidquam continere, quo minus acceptari & in acta referri poſſet; ut tamen omnis abuſus & ſiniſtra interpretatio præcluderetur, addi poſſe clauſulam, generalem & ordinariam, qua reſerventur jura coronæ, libertates Eccleſiæ Gallicanæ, poteſtas & jurisdictio Epiſcoporum: ea vero, quæ de excommunicatione dicuntur, Novatores dixit reſpicere, qui ſuos docent fulmina Eccleſiaſticæ poteſtatis contemnere. Acceptatur a Rege. A Parlamento.

Epiſcopi 40 Pariſiis congregati unanimiter Bullam acceptaruut; quibus brevi acceſſerunt 40 alii. Illi communi nomine mandatum Paſtorale, quod ſubditis ſuis promulgarent, conceperunt, ſignaruntque. Secuti ſunt in eo ordinem Bullæ, oſtendentes, ſingulas ex damnatis propoſitionibus eſſe aut erroneas, aut captioſas, aut hæreticas, ac proin aliquam ex cenſuris meritas. Ab 80 Epiſcopis Galliæ.

In Epiſtola dein ad Pontificem data, ſe eodem ac Præceſſores ſuos ſpiritu & zelo pro Sede Apoſtolica animatos, exemplumque ſecutos, inquiebant: Bullam *Unigenitus* eadem promptitudine ac veneratione a ſe receptam. Uniforme inſtructionis paſtoralis decretum a ſe communiter conceptum, ut omnis diverſitas tollatur, & maleſanis ſpiritibus cavillandi occaſio adimatur. Hoc mandatum ad alios etiam Epiſcopos a ſe miſſum, ut omnes Sedi Apoſt. fideles, ſicut idem ſentiunt, ſic etiam uno ore loquantur.

His addiderunt, dici cum veritate poſſe, quod ſua Sanctitas ſepelierit doctrinam Novatorum hujus temporis, atque feliciter detexerit venenum, quod nequiter ad fallendum doctrinæ ſuæ miſcuerant.

Epiſtola hæc erat ſignata a Cardinale de Rohan Epiſcopo Argentinenſi, Archiepiſcopis, Burgenſi, Rhemenſi, Burdegalenſi, Rothomagenſi, Aquenſi, Toloſano, Auſconenſi, multisque Epiſcopis.

Singulariter zelum ſuum demonſtravit Archiepiſcopus Cameracenſis, dum oſtendit, Novatores non poſſe contradicere Conſtitutioni, a maxima in Gallia Epiſcoporum parte expreſſe, & ab aliis Eccleſiis, ad quas error non penetravit, tacite acceptatæ, cum Quesnellus ipſe in ſuo libro de *Traditione Eccleſiæ Romanæ* inſtar principii irrefragabilis poſuerit, quod omne judicium dogmaticum Sanctæ Sedis, cui pars notabilis Eccleſiarum ſuæ communionis poſitive, & reliquæ tacite acquieſcunt, cenſendum ſit judicium totius Eccleſiæ.

Eorum zelus.

Doluit ſummopere magno huic Prælato contemptus Romanæ Eccleſiæ, unde exclamavit: *O Eccleſia Romana! O civitas ſancta! O chara & communis patria omnis veræ Chriſtianitatis! unde provenit, quod hodie tot filii degeneres non agnoſcant ſuam matrem? inſurgant contra illam? velut novercam odierint illam? unde provenit, quod ejus authoritas tot vanas ſuſpicionum umbras eis projiciat? O Eccleſia, in qua Petrus confirmat fratres ſuos! manus mea dextra prius oblivifcatur ſui, quam ego tui unquam oblivifcar! lingua mea palato adhæreſcat, & fiat immobilis, ſi tu non eris ad ultimum usque ſuſpirium vitæ meæ principale objectum meæ lætitiæ, & mei cantici!* Ita hic cygnus paulo ante mortem cecinit.

Idem Religionis zelus ardorque inflammabat Rohanium & Biſſium S. R. E. Cardinales, excellenti fide, integritate, probitate, virtute, doctrina, ſapientia viros, qui pro Sede Apoſtolica omnem authoritatem ſuam Janſeniſtis objecerunt, etiam poſt mortem Ludovici

vici XIV, ubi res, in deterius lapſæ, Novatoribus amplius graſſandi ſpatium indulſerant.

Aliam longe viam ſibi incundam putavit Cardinalis Noallius, qui *Mandatum Paſtorale* anno 1714 publicavit, in quo renovavit quidem condemnationem Novi Teſtamenti Quesnelliani, anno ſuperiore editam, ſimul tamen ſub pœna ſuſpenſionis, ipſo facto incurrendæ, prohibet, ne quis Eccleſiaſticorum ſuæ Archidiœceſis Bullam Unigenitus absque ſua auctoritate recipiat, aut actum aliquem jurisdictionis reſpectu illius exerceat.

Sapientiſſimum ſibi videri, ſi recurratur ad Papam, & eidem proponantur difficultates, cum ſupplicatione, ut provideret de mediis, quibus quies reddatur conſcientiis turbatis; libertas relinquatur Scholis Catholicis, & pax in Eccleſia conſervetur.

Noall. mandato Paſtorali Bullam recipi vetat.

Hanc partem ſe non ante fuiſſe amplexum, quam poſtquam fuiſſet convictus, quod ſit erga S. Sedem reverentior, veritati magis propria, reducendæ ſuis Diœceſanis paci, tanto jam tempore exuli, quam vel vita ſua vellet redimere, opportunior. Neque abſterreri ſe debere per apparentem diviſionem, aut potius per diverſitatem ſententiarum, quæ ſint inter Epiſcopos; hanc enim non attingere ſubſtantiam fidei, nec rumpere vinculum charitatis; cum nullus ex congregatis Epiſcopis amplexus ſit errorem, aut veritatem impugnet. Denique omnium piarum animarum precibus ſe commendat.

Et hoc eſt famoſum illud *Mandatum Paſtorale*, hæc tuba diſſenſionis, & fax diſcordiarum, contra Conſtitutionem Apoſtolicam, maxime authenticam, quæ unquam facta eſt in Eccleſia extra Concilia. Primus fortaſſe in Gallia ex Epiſcopis fuit Noallius, qui ſub pœna ſuſpenſionis prohibuerit acceptari Conſtitutionem Apoſtolicam adeo ſolennem, a tanto Epiſcoporum numero receptam, munitam Regis auctoritate, in Parlamento actis publicis inſertam. Certe, qui Bullam ſimpliciter & abſolute receperant, hoc mandatum tanquam opus monſtroſum execrebantur, quod acceptari nequeat ſine lapſu in Apoſtaſiam & Schiſma.

Quia autem Cardinalis iterum damnabat librum Queſnelli, quem ante approbaverat, ſimulque reverentiam erga Sedem Apoſtolicam profitebatur, atque Epiſcopos, qui Bullam receperant, ab errore immunes declaravit, neque Janſeniſtis ſatisfecit, qui propterea illum ceu hominem inconſtantem, verſatilem, ſine fide, ſine religione, traducebant.

Libel-

Furor Quesnelli.

Libelli famosi, quos Quesnelliani post damnatas 101 propositiones in vulgus sparserunt, numerari non possunt. In eorum uno ita Quesnellus ipse tubam inflat: *Venit tempus, quo Apostolorum exemplo supra omnes terrores oportet assurgere, super omnes minas magni Presbyteri, super omne genus sacerdotale.* Addit, a Papa in 101 propositionibus 101 veritates fuisse profligatas, quarum plures ad essentiam religionis spectent: veritates, quæ negari non possint, quin renuntietur fidei, clare in Scriptura & Traditione contentæ.

Concinuerunt Quesnelli socii ac defensores, adversus summum Pontificem sanctamque Sedem frendentes eodem spiritu, eadem audacia, eodem furore ac rabie, qua olim Lutherus in Leonem X, a quo damnatus fuerat.

Quodque magis mirum, Sorbona quoque, altrix illa tot Doctorum Sacerdotum, quæ Religionem Sedemque Apostolicam tam acriter hactenus adversus hæreticos, etiam Jansenianos, defenderat, spectaculum mundo dedit, ab illius fundatione inauditum, post mortem Ludovici XIV potissimum.

Rex ille magnus, uti hostium domitor, ita Religionis vindex, per Cardinalem Rohanium postulavit, ut Sorbona quoque Constitutionem *Unigenitus* expresse acceptaret, & *Registro* suo inferret, ad eum modum, quo Bulla *Vineam Domini* fuerat illata.

Sorbonæ discordia.

Ingredientibus in magnam Theologicæ Facultatis aulam ad deliberandum Cardinalis Noallius, ut partes suas augeret, distribui jussit suum mandatum, quo sub pœna suspensionis Bullam acceptari prohibuerat, nec sine effectu. Quamvis enim per se notum ipsis esse debuisset, ubi Papa imperat aliquid, Episcopus vero contrarium, illi potius tanquam superiori & capiti obtemperandum esse; & aliunde Doctores Sorbonæ a jurisdictione Archiepiscopi essent exempti; nihilominus tamen plures ex illis, cum aut Quesnelli aut ejus doctrinæ essent amici, aut Noallii partibus adhærerent, ac propterea Bullam haberent exosam, ne illam acceptare & actis inferere deberent, obtenderunt, nolle se periculo suspensionis exponi; atque sic suffragia divisa sunt, sic tamen, ut, multo majori parte pro pura & simplici acceptatione stante, Bulla 5 Martii 1714 fuerit acceptata & Registro illata, Decano Facultatis conclusum his verbis pronuntiante omnium nomine: *Censet Facultas Constitutionem suscipiendam cum reverentia, & Commentariis una cum duabus litteris Regiis inscribendam.* 10 Martii hoc Conclusum fuit approbatum sine ullius contradictione. 14 ejusdem duodecim Doctores deputati Versalias profecti sunt, nuntiatum Regi, ejus voluntati fuisse obtemperatum.

Acceptat Bullam.

Exem-

Exemplum Sorbonæ secutæ sunt aliæ per Galliam Academiæ omnes. 5 Aprilis Doctores aliqui hoc negotium reassumi volebant, sed aliis reclamantibus vehemens tumultus est concitatus.

Rex certior de eo factus, Habertum aliosque tres renitentes relegavit, aliis quinque ingressu in conventum interdixit. Usque ad mortem dein Ludovici XIV omnia in Sorbona satis erant tranquilla. At vero anno sequente 1715, quo obiit, tragica & turbulenta mota est scena; nam metu discusso, Rex defunctus velut tyrannus, exules vero ceu fidei Martyres a Quesnellistis pingebantur, Decretum autem, per quod recepta in Facultate fuit Bulla, impugnabatur, & tanquam falsum, corruptum, suppositum, metu extortum accusabatur: Doctores vero, qui his violentiis se opponere conabantur, appellantes contra eas ceu abusum, conventu Facultatis arcebantur, Principe Regente ad ista connivente. **Cum aliis Acad. omnibus.**

Romæ a S. Congregatione mandato Pontificis expresso editum fuit Decretum contra litteras pastorales Cardinalis Noallii & Archiepiscopi Turonensis, qui pariter Constitutionem proscripsit tanquam captiosam, scandalosam, temerariam, nulla tamen adjecta pœna suspensionis.

Affixum quoque Romæ Decretum contra mandata Episcoporum Catalaunensis, Bayonensis, Bononiensis. Primus suum conformavit Noalliano, protestatus tamen, quod non caro & sanguis persuaserit, ut fratris sui sententiam præferret 40 Episcoporum sententiæ, sed amor veritatis & justitiæ. Prohibuit nihilominus librum Quesnelli, non quod malus esset, utpote ex quo Diœcesani sui magnum fructum retulissent, sed quia ejus lectio post condemnationem Pontificiam scandalum posset parere. **Renitentes Romæ damnati.**

Bayonensis putavit, diversas Episcoporum sententias non attingere fidem. Bononiensis propositiones damnatas ambiguitatis & obscuritatis accusavit, ut adeo nesciatur, quid sit damnatum.

Papa 1 Maji 1714 Breve ad Regem direxit, in quo ostendit, quantum doleat, quod aliqui obedientiam Constitutioni subtrahant, volentes plus sapere, quam oporteat sapere; & docere magis quam instrui. Laudat simul Regis zelum, semper intentum ad eliminandam e regno suo doctrinam corruptam, & proscriptam, atque rebelles compescendos. Implorat denique ulteriorem Regis operam; non agi particularem Romanæ Ecclesiæ causam, sed causam Dei, causam fidei, causam unitatis Catholicæ, quæ nequeat subsistere, nisi sub uno in terris capite.

Alias litteras dedit ad Cardinalem Rohanium, omnesque Prælatos, qui in ultimo cleri conventu præſentes erant. In his graviter conqueritur de Epiſcopis, qui ſe a Confratribus ſuis ſeparaverant, ſub vano prætextu petendi novas explicationes, ut novas ſine fine quæſtiones & tricas injiciendo, obedientiam, Sedi Apoſtolicæ debitam, poſſint eludere. Statutum ſibi eſſe, omnes nervos intendere, ut unitas fidei conſervetur integra.

Art. VI.

Bulla acceptata ab Academiis, & Epiſcopis.

137. Promptior quam Pariſienſis in acceptanda Conſtitutione *Unigenitus* fuit Facultas Theologica *Duacenſis*; quippe hujus Doctores declararunt, quod illam recipiant pure & ſimpliciter, ſine ulla diſtinctione, explicatione, aut interpretatione: omnes fideles ſub gravi peccato ſchismatis & hæreſis eſſe obligatos eidem ſe conformare. Non minus illam eſſe claram, quam editas contra Wicleffum, Huſſum, Lutherum, Bajum, Janſenium, Molinos, & laxos Caſuiſtas: mori ſe paratos pro tuenda illius authoritate, æquitate, & veritate: eos, qui nolunt illam recipere, niſi prius explicetur, non recipere Conſtitutionem ipſam, ſed ſuam explicationem propriam, privatis ſuis præjudiciis ac ſenſibus conformem; conſequenter eos non obedire voci Paſtoris, ſed privatæ ſuæ opinioni.

Iidem Doctores, poſtquam ex Conciliis & Patribus demonſtrarunt neceſſitatem, in fide ſe uniendi S. Petro ejusque ſucceſſoribus, ſcripſerunt Facultati Theologicæ Lovanienſi, eamque hortati ſunt, ut confundat Novatores, qui in Gallia ſparſiſſent, Lovanienſes Conſtitutionem rejeciſſe.

Reſcripſit Facultas, perſuaſum ſibi eſſe, circa condemnationem Reflexionum Moralium, omnia legitime & ex ordine eſſe acta, omnesque ac ſingulas propoſitiones damnatas fuiſſe vere condemnabiles, & merito condemnatas. Neque publico hoc teſtimonio contenta, anno 1718 alio inſtrumento maxime authentico Bullam ſolenni ritu acceptavit.

Primam autem Duacenſis exemplum ſecuta eſt 11 Jan. 1715 Academia Colonienſis, & 1716 Muſſipontana, quæ, tametſi virus in Lotharingiam penetrare non potuerit, nihilominus declaravit, Conſtitutionem eſſe judicium irrefragabile, & regulam dogmaticam penitus

penitus immutabilem : simulque formulam singulis Doctoribus subscribendam proposuit, ut eo certior esset de submissione.

Idem fecit Universitas Conimbricensis 1717, cujus juramentum hac forma fuit conceptum : *Ego me submitto penitus Constitutioni Apostolicæ N. S. P. Clementis XI de 8 Sept.* 1713, *quæ incipit* Unigenitus Dei Filius. *Ego rejicio, condemno, & anathematizo omnes propositiones, quæ fuerunt condemnatæ, & in eo sensu, in quo sunt condemnatæ. Sic juro : sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.*

Huic formulæ subscripserunt 103 Doctores aut Professores Theologiæ : 12 Professores Juris Canonici : 10 Professores Juris Civilis : 7 Professores Medicinæ : 9 Deputati de Universitate. Acceptatio fuit unanimis & uniformis.

Idem sensus circa Bullam fuit Academiarum omnium extra Galliam, in Italia, Germania, Polonia, Hispania, imo in ipsa etiam Gallia ab omnibus fuerat recepta.

Similiter Bulla promulgata & acceptata fuit in Archiepiscopatu Coloniensi, Moguntino, Trevirensi, in Episcopatibus Leodiensi, Namurcensi, Hildesiensi, Ratisbonensi, Spirensi, Basileensi, Herbipolitano &c. Chamberii etiam senatus eandem expresse recepit, & *Registro* suo inseruit : prout etiam Taurini, non obstantibus cum Pontifice dissidiis, sine omni oppositione est publicata, imo etiam in toto Belgio Catholico, excepta sola Diœcesi Atrebatensi.

Soli Gallorum aliqui se plus omnibus illuminatos putabant, rerum novarum cupidi. Quod scriptor quidam Gallicus (*D' Avrigny*) in magnum gentis suæ dedecus vergere censuit. Nemo tamen sibi persuadere debet, totam Galliam pervicaciæ fuisse consortem ; cum octoginta, quod diximus, Episcopi, cum reverentia & obedientia debita Constitutionem receperint & promulgarint, cum Parlamentis, Academiis, majorique parte Parochorum, communitatum Regularium, ac populi.

Suessionensis Episcopus, cum aliqui ex suis Parochis ad Concilium appellassent, in secunda sua admonitione demonstravit, quod ii, qui subjicere se Constitutioni detrectant, ab Universali se Ecclesia separent, quam errasse contendunt. Quasi vero Christi Ecclesia esset contracta ad novem Galliæ Episcopos, sine capite extravagantes, ad aliquot sacerdotes, suis Pastoribus rebelles, ad aliquot fœminas non minus ignorantes, quam cerebro suo læso inhærentes, aut aliquot laicos seductos, quorum separationem longe major pars suorum popularium cum fidelibus omnium nationum exterarum amare deplorat.

Neque ſufficit dicere cum Quesnelliſtis, quod propoſitiones damnatæ deſumptæ fuerint ab earum auctore ex SS. Patribus, Traditione, aut Scriptura; nam hoc omnes Hæretici dixerunt. Omnes varios textus, aut corruptos, aut male intellectos atque in ſiniſtrum ſenſum detortos, compilarunt. Julianus Pelagianiſmum ex S. Chryſoſtomo probare nitebatur. S. Auguſtinus Calviniſta, & Janſeniſta erit, ſi harum ſectarum auctoribus fides eſt. Poſſunt quandoque propoſitiones aliquæ in uno ſenſu acceptæ innocentes eſſe, in altero noxiæ; ſi jam in hoc uſurpentur a Novatoribus, prudenter agit Eccleſia, ſi eas prohibeat. Plures credo propoſitiones cenſuram effugiſſent, ſi nulli fuiſſent Quietiſtæ, nulli Phanatici, nulli Novatores, qui ad errorem ſuum ſtabiliendum doctrina ambigua abutuntur, eamque in malignum ſuum ſenſum detorquent.

Art. VII.

Noallii aliorumque Renitentium tricæ. Mors Regis inſolentes reddit. Appellatio 4 *Epiſcoporum, Sorbonæ, & aliarum Academiarum. Studia pacis fruſtranea. Mors Clementis XI.*

138. Poſtquam Conſtitutio *Unigenitus* recepta fuerat a tota Europa Catholica, & etiam in ipſa Gallia ab 80 (quod dictum) Epiſcopis, a Parlamentis, Academiis, majorique parte cleri ac populi, Clemens Pontifex per Internuntium ſuum Regem rogavit, ut authoritate ſua renitentes octo Epiſcopos compelleret ad præſtandam obedientiam, & conſentiret, ut Cardinalis Noallius tanquam membrum Sacri Collegii Romam citaretur.

Quantum ad Parlamentum Pariſienſe optabat Pontifex, ut clauſula, quam receptioni Bullæ adjecerat, pro ſalvandis privilegiis Eccleſiæ Gallicanæ & independente Regis auctoritate, temperamentum acciperet.

Noallii tricæ. Noallius metuens, ne Romam a Rege mitteretur, per Rohanium Nuntio Apoſtolico ſignificari curavit, Conſtitutionem ſe recepturum, dummodo bimeſtre ſpatium ſibi indulgeretur pro conficiendo acceptationis inſtrumento. Indultum fuit: ſed indulſiſſe pœnituit, ubi animadverſum fuit, nihil aliud quæri, quam ut negotium in longum protrahatur.

Tres autem erant eorum classes, qui huic causæ se immiscebant; in prima erant ii, qui puram ac simplicem Constitutionis acceptationem urgebant, atque ut Papa per viam Canonicam adversus renitentes procedat; in secunda, qui se opponebant, & explicationem Bullæ postulabant; in tertia Conciliatores seu mediatores, qui neque per pœnas Canonicas, neque per explicationem Bullæ procedi volebant.

Rex omnes attente audivit, cumque cerneret, Noallium, cui, ut novas Pastorales litteras Romam mitteret, injunctum fuerat, moras ex moris nectere, Romam ipsummet mittere decrevit, secundum Canones puniendum. At intercessit Cardinalis Polignacus; misitque Rex Amelotum, qui de Concilio Nationali in Gallia congregando cum Pontifice tractaret. At hic suam Regisque auctoritatem ad compescendos Ecclesiæ rebelles sufficere respondit, misitque duas ad Regem epistolas, unam severiorem, qua Noallio minabatur, se cum eo secundum rigorem Canonum processurum, nisi pure & simpliciter se submitteret, alteram mitiorem, qua eundem ad submissionem sine minis hortabatur, Regi vero optionem fecit, quam vellet, Noallio traderet. At Rex intentioni suæ de Concilio cogendo institit, nisi alia via Noallius & alii renitentes ad obedientiam reduci possent; & sane reducti fuissent.

Verum dum hæc anno 1715 maxime aguntur, mors Regis Ludovici XIV omnia immutavit. Vivente illo hæresis non est ausa caput aperte attollere. At mortuo illo palam se ostentare, roborare, veritati insultare. Vidisses despectos imperantes, populos excitatos adversus Principes, Judices a subditis judicari, Episcopos & Academias discordiis in se ipsas conversas, diluvium libellorum inundare provincias, triumphare errorem, omnia ad exitiale schisma vergere.

Mutatio post mortem Regis.

Dux Aurelianensis, qui pro quinquenni Rege Ludovico XV regnum gubernabat, litteras dedit ad Clementem Pontificem, quibus eum venerationis erga Sanctam Sedem, animique addicti, quem Rex defunctus gessisset, securum reddebat, se intra mensem vel uno ictu radicem mali excisurum pollicitus. Noallius honoribus & benevolentiæ significatione ab eo delinitus receptionem Bullæ promisit, sed promisso non stetit. Jansenistæ vero omnia in favorem suum, a Duce Regente facta, interpretabantur. Quamvis famosi duo Jansenistarum libri, *Hexapla*, & *Testimonium veritatis*, eodem tempore a Clero Gallicano & Parlamentis fuerint condemnati.

Infinita foret narratio omnium, quæ deinceps in hac caufa acta funt. Plures Cardinales cenfebant, Noallium, omnes admonitiones eludentem, privandum purpura. Papa vero hortabatur omnes Epifcopos obedientes, ut fe unirent contra renitentes, volebatque fufpendere privilegia Sorbonæ. (*anno* 1716) At Aurelianenfis Regens vetuit acceptari Romanas Conftitutiones, quæ non fuerint Regiftro curiæ illatæ. Idem omnia Regni Parlamenta vetuerunt. Quibus cognitis Papa Nuntium fuum Parifiis difcedere juffit.

Eodem anno 1716 Univerfitates Rhemenfis & Nannetenfis, exemplum Parifienfis fecutæ, Decretum, quo Conftitutionem ante receperant, revocarunt. Parifienfibus Jefuitis vero Noallius prædicatione verbi Divini, & confeffionali interdixit, quod P. Ferte per Adventum in Aula Regia prædicaffet. Et quamvis Dux Regens Confeffarium ex Societate retineret, uti etiam Principes, amoto tamen P. Tellier Confeffarius Regi datus eft Abbas Claudius Fleury, celebris Hiftoriæ Ecclefiafticæ fcriptor.

Sorbona desciscit.

Anno 1717 Sorbona 150 Doctores deputavit ad Cardinalem Noallium, qui eidem fignificarent, totam Facultatem Theologicam ejus caufæ effe penitus addictam, unaque faluti patriæ, Ecclefiæ & Religionis confulturam. Decanus ipfe orationem blandientem ad Cardinalem habuit.

Noallius cum reliquis Epifcopis renitentibus, tanto Doctorum acceffu contumacior, palam declaravit, 26 de 101 propofitionibus damnatis, in fenfu proprio ac naturali acceptas effe innocuas, nec ullam cenfuram mereri. Quatuor vero Epifcopi, Mirepincenfis videlicet, Monpelienfis, Bononienfis, & Sanicienfis, ad futurum Concilium Generale appellarunt in ipfo Conventu Sorbonæ, cujus 97 Doctores eidem appellationi adhæferunt, cum omnibus Parochis Diœcefis Parifinæ, pluribusque communitatibus, fecularibus & Religiofis. Acceffit Rector totius Univerfitatis Parifienfis, quatuor Facultatum nomine, pluribus regni Academiis exemplum fequentibus. Auro quoque & argento in appellationis focietatem tracta multitudo, ejusque, ut terrori effet, grandis contextus catalogus.

Appellatio ad Concil.

Ducem Regentem exorbitantes hi paffus non parum irritarunt; quapropter Notarium, qui acta appellationis confcripferat, exilio multavit, omnemque appellationem prohibuit acceptari. Crevit nihilominus appellantium numerus, iisque accenferi etiam voluit Noallius, totius factionis caput. Propofuit is quidem Schema aliquod acceptationis, fed Apoftolicæ Sedis auctoritati adeo inimicum, ut ab obedientibus Prælatis tanquam intolerabile fuerit rejectum.

Nihil

Nihil intentatum reliquit Pontifex, quo Noallium flecteret, & qua minis qua blanditiis doceret ſapere, propria etiam manuſcriptis ad eundem litteris. Sed ille ſequacium multitudine confiſus, nec Papam amplius nec Regentem audivit.

Quamobrem Regens, ſuadente Tremolio Cardinale, Franciæ apud Sedem Apoſtolicam Legato, ſeverum de Bulla *Unigenitus* indixit ſilentium, cum mandato, ne quis de illa loqueretur aut ſcriberet, donec res eſſet compoſita. Quod tamen mandatum appellantes non obſervarunt.

Anno 1718 appellatio quatuor Epiſcoporum aliorumque a Congregatione ſacri officii Romæ fuit proſcripta, tanquam ſchiſmatica & continens propoſitiones hæreticas, appellatio vero Noallii tanquam ſchiſmatica & proxima hæreſi. Mirum, quantum laborarint Cardinales de Rohan, Biſſi, & Tremoulle, ut Noallio perſuadeant acceptationem Bullæ. Formulæ plures, plura temperamenta, plures ideæ pacis propoſitæ, ſed nullum apud obſtinatos effectum ſunt conſecutæ; unde tandem Pontifex tanta obſtinatione commotus, edita Conſtitutione *Paſtoralis Officii*, Cardinalem Noallium a communione fidelium removit. Ille vero ab hac pariter Bulla appellavit ad Concilium, aſſerens, poſt interpoſitam appellationem a Conſtitutione *Unigenitus* Papam eſſe Judicem incompetentem, jure decidendi ad Concilium Generale devoluto. Parlamentum quoque Pariſienſe Decretum edidit contra Bullam *Paſtoralis Officii*, quod tamen Regens ſuſpendit, & quosdam appellantes in exilium miſit, atque Parlamentis mandavit, ut aſſiſterent Epiſcopis contra Clerum ſecundi Ordinis.

Noallius excommunicatus.

Anno 1719 appellantes varia inter ſe agitabant conſilia; modo enim conſtitutum erat, omnes Reges Catholicos interpellare, ut explicationem Bullæ a Papa petant, modo de unione cum Eccleſia Anglicana loquebantur; cujus pulchri conſilii auctor ferebatur Dupinus, per ſcripta ſua famoſus Doctor; cujus chartæ fuerunt ſublatæ, & in palatium Regium deportatæ. Cogitabat autem introducere *Presbyteraniſmum* Angliæ. Eo usque cum nondum omnes appellantes eſſent prolapſi, decreverunt, ut omnes Quesnelli Sectatores arcte ſe unirent, conceptis 12 Articulis, qui ad omnes ſuperiores locales, & qui novos facere Profelitos nitebantur, fuerunt miſſi.

Conſilia appellantium.

Facultas Theologica Cadomi in Normania appellantium numerum auxit, declaravitque, quod opinio de infallibilitate Pontificis ſit erronea. Idem fecit Sorbona. Et quamvis Aula iterato ſilentium

tium indixerit, mox tamen illud a Sorbonicis ruptum eſt. Quare vehementer commotus Regens mandavit, ut omnia oblitterentur, quæ a Sorbona contra Bullam *Unigenitus* acta fuerant, atque præſente Decano & Syndico eradi debebat concluſio, quæ erroris accuſabat ſententiam de infallibilitate Pontificis.

Edidit hoc anno Noallius novam Inſtructionem Paſtoralem, quæ cum pejor eſſet prioribus, Romæ pariter fuit damnata; & ſic creſcebant utrinque vulnera, quibus ſanandis tanto conatu laborabatur. Vacabant eo tempore plures in Gallia Epiſcopatus; at negabat Papa Inſtitutionem, niſi ſufficienter ſibi cautum fuerit, Conſtitutionem pure & abſolute in Diœceſi obſervatum iri. Quæ res terrorem aliquem appellantibus, qui promotionem ſperabant, incuſſit.

Poſtulata explicatio.

Annus 1720 ſimiles inter tricas fuit exactus. Noallius mandato Aulæ inſtrumentum acceptationis confecit, ſed adjecta iterum conditione explicationis, imo adjectis etiam notis & obſervationibus in explicationes. Pontifex, probe gnarus, non eſſe ex uſu Eccleſiæ, Conſtitutionibus ſuis, quibus certæ propoſitiones damnantur, explicationes addere, cernensque, novas ex illis objectiones & lites orituras, atque tam facile ac ipſam Bullam a refractariis rejiciendas, adduci non potuit, ut conſentiret. Sed ſimplicem ac puram obedientiam Mandatis Apoſtolicis præſtari conſtanter voluit, nullamque ac irritam declarari appellationem, cum omnibus, quæ contra Bullam fuiſſent ſcripta.

Dum Clemens XI ita laboraret pro Religione & Sedis Apoſtolicæ auctoritate, anno 1721 19 Martii pie in Domino fuit defunctus, ipſo feſto S. Joſephi, cujus officium compoſuerat. Pontifex fuit vere magnus, qui patrem fidelium cum majeſtate throni Apoſtolici miſcere ſapientiſſime noverat, adverſus totum mundum, ſummasque difficultates imperterritus. Caveam ſibi conſtruxerat, cui corpus ſuum inferri voluit cum hac inſcriptione: *hic jacet Joannes Franciſcus Albani.* Obiit anno ætatis 71, Pontificatus 21.

Art. VIII.

Quesnellistarum molimina. Bulla a pluribus recepta. Obitus plurium. Concilium Romanum. Noallius contumax. Concilium Embrodunense. Sanitiensis Episcopus depositus.

Innocentii XIII, qui Clementi XI in Cathedra S. Petri fuit suffectus, prima cura fuit, ut pacem & quietem Ecclesiæ redderet in Gallia; firmus tamen institit Prædecessoris vestigiis, nolebatque Constitutionis explicationem admittere, quam tamen ipse etiam Cardinalis Rohanius, ut Noallium reduceret, perurgebat. 139.

Mortuo Romæ Cardinale Tremollio, Abbas Dubois, Minister Status, negotium Constitutionis tractabat, anno 1721 ab Innoc. XIII in Cardinalium Collegium adlectus, simulque Archiepiscopus Cameracensis renuntiatus: Linierus vero S. J. Confessarius Regis, quamvis Noallius approbationem illi negarit; quam tamen dedit Rotomagensis Archiepiscopus.

Anno 1722 septem Episcopi renitentes ad Papam Innocentium dederunt epistolam, quæ Romæ fuit condemnata, ceu continens plures propositiones, Episcopis Catholicis injuriosas, nominatim Gallis, Clementi XI & Sanctæ Sedi: a Regio vero Consilio ceu præjudiciosa sacerdotio & regno. Eo nihilominus impudentiæ devenerunt Quesnellistæ, ut spargerent, ab Innocentio XIII improbari acta Clementis XI ipsamque Bullam *Unigenitus*. Ad eos confundendos Rex jussit imprimi litteras Papæ, damnarique denuntiationem, qua Cardinalis Bissi Instructionem Pastoralem accusaverant. Papa quoque condemnavit litteras Episcopi Antisiodorensis, Ordinationem Rutenensis, Mandatum Bajocensis.

Litteræ 7 Episcoporum renitentium.

25 Oct. 1723 Rex ingressus 14 ætatis annum, declaratus major, ab Archiepiscopo Rhemensi ceremoniis consuetis fuit consecratus. Ab eo tempore appellantes, aliquanto modestiores facti, non paucos suorum amiserunt. Quippe anno 1723 Presbyteri Missionis, *Lazaristæ* in Francia appellati, Constitutionem acceptarunt, exclusis a Congregatione, qui detrectarunt. Capitulum Generale Carthusianorum eodem anno per Decretum omnibus suis Religiosis injunxit, ut eandem acceptent. Parlamentum edidit quidem Sanctionem contra hoc Decretum, sed Consilium Regis intimum cassavit hanc Parlamenti

lamenti Sanctionem. Cum eodem anno a Patribus Oratorii Congregatio Generalis fuiſſet indicta, Dux Aurelianenſis appellantes excludi præcepit, voluitque, ut Præſes Politicæ ſit præſens in Conventu, tanquam Regis Commiſſarius. 29 tantum aderant Deputati, excluſis 23 appellantibus. Obtulerunt quidem excluſi ſcriptum conventui, quo omnia ejus acta declarabant irrita; ſed nulla eorum ratio eſt habita.

Obiit 20 Aug. 1723 Cardinalis Dubois. Primi Miniſtri dignitatem a Rege recepit Dux Aurelianenſis; qua tamen non diu frui licuit; quippe 2 Dec. ejusdem anni apoplexia tactus obiit. Falluntur, qui eum aut appellantibus aut Janſeniſtis faviſſe putant; quin imo poſt ejus mortem audacius illi caput extulere. Obiit eodem anno Abbas Fleurius, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor celeberrimus 84 ætatis anno.

Secutus eſt anno 1724 Innocentius XIII Papa; eique ſucceſſit vetuſtiſſimus Cardinalium Vincentius Maria Urſini ex Illuſtriſſimo Prædicatorum Ordine, Benedicti XIII nomine aſſumpto, ad abolendum nomen Antipapæ Petri de Luna, qui idem nomen uſurpaverat.

Noallio, dignitatem gratulanti, benigne reſpondit, ut ad unionem eum retraheret; cumque ille ſcholarum libertatem per Bullam Unigenitus fuiſſe læſam crederet, Papa Conſtitutione edita declaravit, opinionem de gratia per ſe ipſam efficaci, & prædeſtinatione gratuita ad gloriam, & independente ab omni præviſione meritorum, nihil habere commune cum erroribus per Bullam damnatis. Verum Noallius nova inſtructione contumaci per Diœceſin ſparſa ſpem pacis ademit. Inſtructio illa continebat 12 Articulos, quos Roma miſſos appellantes fingebant, tanquam explicationem Bullæ. Fraude detecta Rex ſcriptum illud ſupprimi juſſit.

Benedictus Papa anno 1725 Romæ Concilium celebravit, in quo inter alia declaravit, quod Conſtitutio Unigenitus ſit regula fidei; ſimulque proſcripſit omnia, contra illam acta. Verum cum ad omnia remedia obduratos haberet, ſeveritate exprompta, quosdam Eccleſiaſticos Hollandiæ cenſura perſtrinxit. 40 Catholicorum millia adhuc erant in Unitis Provinciis; verum plures paſtores illius gregis moribus & contumacia adverſus Sedem Apoſtolicam ſcandalo erant, atque jam a Sebaſteni tempore in ſchiſma prolapſi.

Noallio nova acceptationis idea anno 1726 fuit propoſita, ſed permoveri non potuit, ut illam reciperet.

Car-

Carthusiani, in capitulo congregati, Bullam acceptarunt; sed contra eam acceptationem renitentes appellarunt ad Parlamentum Parisiense, tanquam abusum, quod eis syngrapham appellationis prosequendæ impertiit. At Rex negotium ad suum Status Consilium avocavit, & confirmavit Decretum Capituli. Alterum eorum Capitulum pœnas Canonicas contra refractarios decrevit: tertium in aliquos pervicaces excommunicationis sententiam pronuntiavit.

At tantum abfuit, ut resipiscerent, ut 26 eorum in Hollandiam fugerent; ubi aliis Religiosis appellantibus conjuncti, malam suam causam male defenderunt. Jansenistæ & Calvinistæ grandia eis elogia, ceu primæ Christianitatis heroibus, scripserunt. At Parlamentum Parisinum apologiam, pro eis consarcinatam, suppressit. Aliqui redierunt, cæteri flecti non poterant, ut contumaciam ponant.

Crescebat interim appellantium multitudo; unde Conventus Cleri querelas ad Regem detulit, qui tamen mederi malo, tam late serpenti, sine concussione status, non satis poterat. Credi enim nequit, quanta audacia, impetu, furore hæc pestis sit grassata, quot petulantia in omnes potestates scripta sint edita. Prohibita, suppressa, cremata non raro sunt illa, sed velut hydræ capita identidem sunt renata.

Anno 1727 Tencinus Archiepiscopus Ebrodunensis (postea Cardinalis & Archiepiscopus Lugdunensis) Concilium Provinciale convocavit adversus Episcopum Sanitiensem, qui tamen obedire detrectavit, asserens, postquam ad futurum Concilium Generale appellasset, non agnosci a se Concilium suæ provinciæ Judicem, neque suum, neque scriptorum suorum.

Huic Episcopo crimini dabatur, quod in sua instructione pastorali Constitutionem Unigenitus nigris coloribus depinxerit, librum vero Reflexionum Moralium miris laudibus extulerit. Non erat ab ipso concepta hæc instructio, sed suam esse videri volebat. Assumpti autem licet essent decem Episcopi ex vicinis provinciis ad hoc Concilium, Sanitiensis tamen comparere detrectavit ad primam & secundam citationem, ad tertiam comparuit quidem, sed suo & Episcopi Monpeliensis nomine protestationem opposuit. **Sanitiensis contumacia.**

Examinatum nihilominus est Pastorale, & unanimi voce condemnatum a Concilio Embrodunensi, tanquam temerarium, scandalosum, seditiosum, injuriosum Ecclesiæ, Episcopis, authoritati Regiæ, schismaticum, plenum spiritu hæretico & erroribus.

Sanitienſis autem declaratus fuit ſuſpenſus ab omni poteſtate & Jurisdictione Epiſcopali, ab exercitio Sacerdotali, atque relegatus in Monaſterium, in quo paucos poſt annos fuit mortuus; Diœceſin vero ejus gubernabat Vicarius Generalis.

Aliam lucubrationem damnavit hoc Concilium, tractantem de valore ordinationum, factarum ab Epiſcopis Anglicanis. Auctor, Religioſus S. Genovevæ, in Angliam fugit.

Benedictus Papa Concilium Embrodunenſe approbavit, & Tencinum dilaudavit. Regi quoque hæc acta ſunt probata. Appellantes autem ad Pariſienſes Advocatos recurrerunt, qui numero 50 *Conſultationem* habuerunt ad infirmanda Acta Concilii. Rex Epiſcopos, qui Lutetiæ erant, congregari voluit ad ferendum judicium de conſultatione Advocatorum: quam temerariam, injuſtam, authoritati Regiæ, & venerationi, Epiſcopis ipſique ſummo Pontifici debitæ, præjudicioſam pronuntiarunt. Rex vero eandem per Decretum ſui Conſilii ſuppreſſit; & querelas appellantium, hac ſuper re ad ſe delatas, improbavit.

Advocatorum conſultatio.

At illi ingenio prompti novam ſcenam aperuerunt. Hominem quendam ceu Vicarium Generalem Diœceſis Sanitienſis ſubornarunt, qui Concilium condemnavit, legitimum Vicarium depoſuit, omniaque per Diœceſin pro authoritate egit, ſed non diu perſonam. Nam larva detracta Rex eum in carcerem dari mandavit. Bulla vero per Diœceſin Sanitienſem fuit promulgata. In ſe ipſam etiam verſa eſt factio; quippe Janſeniſtæ in Hollandiam profugi acriter inter ſe dimicabant. Quidam, ut celebrare poſſent Concilia, certum Epiſcoporum numerum conſtitutum volebant, aliis contrarium viſum: quidam probabant uſuram Hollandicam, alii damnabant: formabant proin peculiarem ſectam, atque *Figuriſtæ* dicebantur, quia non aliter, niſi per figuras loquebantur.

Art.

Art. IX.

Noallii conversio. Ejus exemplum multi secuti, præsertim Sorbona. Regis zelus. Fraudes appellantium circa sanctitatem Paris Diaconi. Parlamentum favet appellantibus. Episcoporum zelus.

Felicior Ecclesiæ Gallicanæ illuxit annus 1728, quo Noallius Cardinalis, tot annorum contumacia posita, Constitutionem *Unigenitus* acceptavit, atque per totam Diœcesin Parisiensem acceptari præcepit, & quidem pure, sine omni conditione, aut restrictione, revocata Instructione Pastorali anni 1719; Quesnelli insuper Reflexiones Morales, quas olim approbaverat, in eo sensu condemnavit simpliciter, quo eas per Bullam Clemens XI condemnaverat, atque 101 propositionibus eos errores attribuit, quos Papa censura affecit. 140. Conversio Noallii,

Fuit sane hoc Divinæ miserationis illustre exemplum; nam anno sequenti Noallius, cum Ecclesia plene conciliatus, pientissime obiit. Aliud nempe est, ex humanis rationibus & vano respectu in discordia cum Ecclesia vivere, aliud in eadem mori.

Prælatus fuit optimæ de se mentis, sed falsis amicis nimium fidens, & decipi facilis: nec minus toto corporis habitu, modesto & exemplari, ad fallendum compositus, dum factioni ducem se præbuit. Successit illi in Archiepiscopatu Parisiensi Comes du Luc, Archiepiscopus Aquensis; qui cum cerneret, infinitam libellorum multitudinem effræni licentia dispergi, litteras Pastorales edidit, in quibus declaravit, Constitutionem *Unigenitus* nihil continere contra veritatem dogmatum, opiniones scholarum, & jura regni, eamque ceu legem Ecclesiæ exigere perfectam submissionem ab omnibus fidelibus.

Hac ordinatione & instructione novi Archiepiscopi permoti sunt multi, integri cœtus & numerosæ communitates, (torrente renitentium ante abreptæ) ut Bullam acceptarent, atque ad unitatem & veritatem redirent. Exemplo præluxit Capitulum Cathedrale Parisinum anno 1729. Secuta est brevi *Sorbona*; quæ post plures congressus declaravit, quod Constitutionem jam receperit anno 1714, & illam rursus acceptet, ceu legem non tantum Ecclesiæ, sed etiam regni; misitque Deputatos ad Regem. Horum caput, celeberrimus tot doctissimis lucubrationibus *Tournelius*, contestaba- Et Sorbona.

 tur,

tur, recognitam a Facultate ſacra veritatem Decreti de anno 1714; hoc ratihaberi & confirmari, omniaque contra illud acta ex Commentariis Facultatis eſſe eraſa. Bullam recipi cum profunda veneratione & plena ſubmiſſione, tanquam judicium dogmaticum Univerſalis Eccleſiæ: revocari appellationem, omniaque acta contraria: ſi quæ membra ſe ſint oppoſitura, ea de corpore Facultatis fore reſcindenda, neminemque deinceps admiſſum iri ſine certa aſſecuratione ſubmiſſionis erga Bullam.

Acta hæc Sorbonæ typis fuerunt impreſſa, atque ab omnibus Europæ Academiis approbata, ab ipſo etiam ſummo Pontifice per *Breve* peculiare confirmata. Firma deinceps huic Decreto ſuo inhæſit Facultas, non exiguo omnium recte ſentientium ſolatio, & unitatis in Gallia reſtaurandæ emolumento.

Nihilominus tamen 25 parochi Pariſienſes Archiepiſcopo ſcriptum obtulerunt, plenum obſtinationis & inobedientiæ. Cum juſta indignatione illud recepit, atque ad Regem detulit, qui ad com-

Regis zelus. peſcendos contumaces omnem ſuam authoritatem obtulit, ſi via lenitatis, inquiens, & charitatis non ſufficiat ad reducendam publicam tranquillitatem, ſeveritate legum extorquendam ab iis, qui turbare niterentur.

Cum igitur renitentes benignitate flecti nollent, Rex novum mandatum dedit ſuper executione Conſtitutionum Apoſtolicarum contra Janſeniſmum, & ſuper Bulla *Unigenitus*; quod dein mandatum Parlamentum ingreſſus, & inſidens ſuo *Lecto juſtitiæ*, ut vocant, monumentis illius ſenatus inferri curavit, & paulo poſt Seminarium Janſeniſtis ademit anno 1730, quo obiit Benedictus XIII Papa cum fama peculiaris ſanctimoniæ.

Per vota unanimia electus eſt Laurentius Corſini, qui nomen Clementis XII aſſumpſit. Animum is illico applicuit ad reddendam pacem Gallicanæ Eccleſiæ, implorata Regis auctoritate, ut mandatum ſuum exequeretur. Verum juſtiſſimæ Regis intentioni Parlamentum ſe oppoſuit, admiſitque appellationes renitentium. Rex, delatis ad ſe querelis Epiſcoporum & Cleri congregati, id genus cauſas ad ſanctius ſuum Conſilium avocavit. Parlamentum vero petiit a Rege, ne via avocationis frequentius uteretur, movitque Epiſcopis controverſiam de Jurisdictione Eccleſiaſtica, quam iſti immediate a Deo deſcendere prætendebant.

Fraudibus etiam actum, & impoſturis a Janſenianis, ut improvidis fucum facerent, plures ſuæ factionis homines ſanctos proclamabant. Sed miracula deerant. fingenda igitur. Diaconus *Paris*,

Ap

Appellationi suæ pertinaciter inhærens, anno 1728 obiit, pro sancto a suis habitus. Varia ad ejus tumbam miracula patrata dicebant. Quæ inter fuit altiori clamore promulgatum, impressa etiam panegyri dilaudatum, quod cæcæ puellæ visum reddiderit, postquam novenam devotionem ad ejus sepulchrum peregisset.

Paris ficta miracula.

Archiepiscopus Parisiensis ex forma juris rem examinavit; omnia conficta deprehendit, testes corruptos, puellam nunquam cæcam. Falsum igitur & suppositum miraculum fuit declaratum, panegyris condemnata, omnisque cultus hujus Paridis prohibitus. Feliciores tamen appellantes in patrandis miraculis fuerunt Calvino; nam illi tantum mentiti sunt visum puellæ videnti restitutum, hic vero ex vivente mortuum fecit.

Appellantes, hac impostura detecta ferociores, acrius in Pastores suos insurgebant, moxque in lucem protruserunt scriptum, cui titulus: *vita D. Paris Diaconi.* Verum Archiepiscopus illud condemnavit tanquam hæreticum, illiusque lectionem sub pœna excommunicationis prohibuit. (*anno* 1732)

Spargebant nihilo secius Appellantes, quotidiana ad tumbam hujus Paridis fieri miracula, omnemque Lutetiam testem nominabant. Qui ad ejus sepulchrum auxilia petebant, *Convulsionarii* appellabantur. Abusus & superstitio eo processit, ut portam cæmeterii claudere, & interposita Regis auctoritate concursus dissolvere necesse fuerit. Convulsionarii autem in duas potissimum classes erant partiti. Alii quippe eorum dicebantur *Mitigistæ*, alii *Melangistæ*, Ultrajecti ad Rhenum nati, atque in varios errores prolapsi.

Per totam interea Europam Novellæ sanctitatem & miracula Diaconi Paris diffundebant. At Archiepiscopus censura illas perstrinxit, opponentibus se 21 parochis, qui mandata Archiepiscopi ad Parlamentum detulerunt. Sed Rex vetuit, ne quid illud statuat de causis Ecclesiasticis. Quid deinceps in causa Constitutionis *Unigenitus* Episcopos inter, Parlamentum, & Appellantes actum sit, melius tacetur, quamvis multorum libris orbi sit proditum. Hoc certum, Ludovicum XV Regem Christianissimum, Proavi sui exemplo, & Episcopos plerosque, quantum poterant, Quesnellianis furoribus restitisse.

Anno 1735 Gallicanam Ecclesiam afflixit Episcopus S. Papuli in Occitania, qui ad Episcopos Appellantes transiit, per mandatum revocatis omnibus, quæ pro Bulla *Unigenitus* scripserat. At Rex mandatum illius supprimi jussit; & acerbius actum fuisset cum hoc Præ-

Prælato in Comitio Cleri, nisi Cardinalis Fleurius obstitisset, metu majorum motuum; prout etiam propterea ad querelas Episcopi Laudunensis nihil responsum est. Pontifex ejus doctrinam approbavit, laudavitque zelum, quo Appellantes a communione sua removit, atque opera Episcoporum, Altissiodorensis, Sanitiensis, & Monpeliensis (Montis Pessulani) sub pœna excommunicationis legi prohibuit.

Non desierunt autem Episcopi, ii præsertim, qui recens erant instituti, per instructiones suas & mandata Pastoralia zelum suum pro Constitutione, ceu Judicio Dogmatico & irrefragabili Ecclesiæ ad extirpandum Jansenismum & Quesnellismum explicare, Regisque protectionem implorare. Nec defuit ille, judicans sapientissime, causas Ecclesiasticas ad Ecclesiasticum forum pertinere, nec a laico Senatu petendam credendi regulam.

Episcopus Carpentoractensis 1736 in mandato suo Diœcesano non modo Bullam pure & absolute recepit tanquam regulam fidei (eo quod de fide sit, Ecclesiam quoad doctrinam fidei & morum esse infallibilem) sed insuper declaravit, quod neminem sit admissurus ad Ordines, Beneficia & Officia, qui non sincere & absolute se submiserit; Appellantes vero ad futurum Concilium ceu schismaticos, hæreseos & tenebrarum filios respiciebat.

Renitentibus negatur absolutio.

Anno 1737 Instructionem Pastoralem edidit Episcopus Laudunensis, qua prohibuit, ne Confessarii absolvant eos, qui Bullam *Unigenitus* non recipiunt, aut scripta contra illam retinent, declaravitque ipso facto suspensos sacerdotes, qui non dicunt Canonem Missæ voce demissa & secreta. Similiter Episcopus Aquis Augustis negavit Sacramenta & sacram sepulturam Bullæ adversariis. Idem fecerunt anno 1739 per epistolam, Ipris impressam, septem Galliæ Episcopi, videlicet Amianus, Marsiliensis, Laudunensis, Nannetensis, Bononiensis, Catalaunensis, Dolensis, contra omnes appellantes. Sed hæc epistola a Parlamento Parisiensi, sicut alia id genus scripta, suppressa fuit.

Laudunensis nihilominus aliam Instructionem Pastoralem edidit, in qua decidit, Appellantes esse hæreticos, etiam in morte privandos Sacramentis Ecclesiæ, & sacra sepultura, atque in vita communione cum fidelibus.

Parlamentum proposuit Regi 4 articulos. 1 Non esse tolerandum, ut Pontificis *Brevia* in regno executioni mandentur, nisi a Parlamento, cujus esset, illa exequi, sint acceptata, in *Registrum* relata, & litteris patentibus munita. 2 Nihil mutandum circa

circa consuetudinem, vi cujus Universitas Parisiensis immediate sit subjecta Jurisdictioni Parlamenti. 3 Quidquid in contrarium ageretur, pugnare cum principiis regni. 4 Si introduceretur simplex & pura acceptatio Bullæ, eversum iri modificationem, a defuncto Rege appositam. Respondit Rex Deputatis, se non indigere monitionibus in hac materia, sed res in statu suo relinquendas. (1739)

Postquam anno 1740 Prosper Lambertini Bononiensis sub nomine Benedicti XIV suffectus est Clementi XII, Episcopus Laudunensis pro ardenti suo zelo & reverentia erga Constitutiones Apostolicas novam Diœcesanis suis Instructionem Pastoralem promulgavit, quid agendum cum iis, qui notorie Constitutioni sunt rebelles. Sed Parlamentum prohibuit negare sacramenta aut sepulturam Ecclesiasticam titulo appellationis.

Anno 1746 Rex Patres Oratorii, inter quos non pauci erant Appellantes, monuit, ut Constitutionibus Apostolicis obtemperent, neque ullum ad Congregationem Generalem admittant, qui non esset paratus pure & simpliciter subscribere Formulæ Alexandri VII, seque plene submitteret Bullis Apostolicis, nominatim Constitutioni *Unigenitus*. Renitentes autem Officiis suis esse privandos. Monitionem secuti sunt Patres, quantumvis aliqui se opponerent, & aliqui etiam Institutum desererent. Idem fecerunt Fullienses Patres in Capitulo Generali, condito Decreto, quo voce activa & passiva privantur, qui intra tres menses non subscripserint Formulæ, & Bullam *Unigenitus* pure receperint.

Huic puræ acceptationi Parlamentum anno 1747 minus favens Decretum edidit; sed Rex per Sanctius suum Consilium Status illud irritum declaravit, mandavitque, ut Bulla in toto Regno recipiatur & observetur cum veneratione, judicio Ecclesiæ Universalis in materia doctrinæ debita.

Quamvis autem Parlamentum Parisiense varia opera, in favorem Bullæ scripta, suppresserit, condemnavit tamen etiam duo folia, quorum unum contra Constitutionem *Unigenitus*, alterum contra Bellefondum, qui de Luco Vintimillio in Archiepiscopatu Parisiensi successit, scriptum fuerat.

Sequenti anno 1748 idem Parlamentum hanc Sedi Apostolicæ & Benedicto XIV confessionem edidit, tam Illustri senatu sane dignissimam: *Ecclesia Gallicana omni tempore demonstravit, quod inviolabiliter adhæreat Cathedræ S. Petri, centro unitatis, illique Ecclesiæ, in qua traditio Apostolica perpetuo est conservata. Veneratur in persona Papæ Vicarium Christi & caput visibile Universalis Ecclesiæ: quæ veneratio novum a-* Sapientissima Parlamenti Contestatio erga Sedem Apost.

cipit incrementum a virtute & profunda ſapientia Pontificis, qui hodie adeo digne replet Sedem Apoſtolicam.

Quæ vero Parlamentum inter & Epiſcopos, qui ſuſpectis de Janſeniſmo aut Quesnellismo ſacramenta negarunt, ultimis his annis ortæ ſint Controverſiæ, notius eſt, quam ut narrare neceſſe ſit.

Art. X.

Obſervationes de Charactere Janſeniſtarum, & Quesnelliſtarum.

141. Janſeniſtæ, ut in Catholicorum animos fraudulentius blandiusque illaberentur, rejecerunt plures abhorrentes Calvini propoſitiones, uti, quod Deus ſit auctor peccati, quod figurate duntaxat Corpus Chriſti ſit in Euchariſtia, quod duo ſolummodo exiſtant ſacramenta novæ legis, quod Miſſæ ſacrificium ſit abominatio, cultus ſanctorum & invocatio idololatria, quod nullum detur purgatorium, quod Papa ſit Antichriſtus.

Effigies Janſeniſt. Quin imo, diſciplinæ rigorem zelumque præſeferentes, ferventes Catholicos ſimulabant, agnita ad ſpeciem Hierarchia Eccleſiaſtica. Unde in hominum cœtus, fœminarum maxime, & Religioſas domos tecte ſeſe inſinuantes, pietatis ſpecie fallunt multos.

Scribere litteras, libellos ſpargere, criminari, quos adverſarios habebant, aut habere putabant, Semipelagianismi, laxitatis, corruptæque morum doctrinæ accuſare, illis ſollenne. Errores ſuos Auguſtini eſſe doctrinam, ab Eccleſia approbatam, mentiuntur. Quinque propoſitiones Janſenii publice damnant, clam in corde retinent, &, quantumvis obſequens ſilentium promittant, ubi ubi ſe dat occaſio, easdem diſſeminant; ſummorum Eccleſiæ Antiſtitum Conſtitutiones eludunt, geminum aſpectabile caput comminiſcuntur, tergiverſantur, effugia quærunt, ad altius tribunal provocant, Sedem Apoſtolicam per ſæculum integrum cum umbris & phantasmatis depugnaſſe criminantes.

Coram populo ſanctimoniæ famam affectare, attenuata coma, talari veſte, diuturna in templis genuflexione uti, inter loquendum frequenter oculos ad cælum erigere, trahere ſuſpiria, de laxitate & abuſibus ingemiſcere, illis conſuetum; cum tamen, ut in tot famoſis libellis obſequioſum eorum ſilentium altum clamat, pleni

pleni sint superbia, arrogantia, fastu, invidia, odio, maledicentia, calumniandi convitiandique libidine, culicem excoriantes, camelum autem glutientes, lupi in vestimentis ovium, Pharisaica turgentes hypocrisi, toti ad fallendum compositi.

Collatitio ære non modico emissarios alunt, qui venenum per provincias incautis instillent, donec paulatim corde receptum Catholicas de sacramentorum usu, prædestinatione, gratia, libertate, morte Christi, veritates extinguant. Initio quidem meram pietatem & devotionem spirant, sensim vero de cælesti illa sua & terrena delectatione victrice dicere exorsi auram pestilentem afflant. Exemplo esto Joannes Vergerius Abbas Sancyranus, Jansenistarum præcursor, dicere solitus: *Secretum meum mihi propter metum Judæorum*, illud solum in Calvino arguens, quod causam quidem bonam propugnasset, nimis tamen aperte de illa locutus fuisset.

Et quantus in eis contradictionis Spiritus! Quesnellus decidit, quod quis sine periculo perjurii formulæ Alexandri VII absolute subscribere possit, & condemnare 5 propositiones in sensu Jansenii, quamvis non credat, eum esse sensum Jansenii. An sic loqui possunt, qui tantos clamores excitarunt contra æquivocationes & restrictiones mentales? an sic ludendum cum juramentis, & quidem in materia dogmatica? Contradictionis spiritus.

Alias vero (*in litteris Episcopi ad Episcopum*) idem Quesnellus scripsit, a 30, aut 40 annis nihil esse actum, nisi ut extorquerentur perjuria, mendacia, falsa juramenta, hypocrises. An hæc concordant? libellum Gerberoni contra Card. Noall. nunc mirifice dilaudat, nunc criminatur: nunc cognitum sibi auctorem, nunc incognitum dicit, calidum & frigidum uno ore efflans; prout nimirum res ejus exigebant, & contradictionis spiritus impellebat.

Dicunt Jansenistæ, quod Christus pro solis prædestinatis sit mortuus: simul tamen dicunt, quod pro omnibus sit mortuus; quia sanguis ejus fuisset sufficiens pro omnibus, si voluisset pro illis mori. Quanta contradictio? condemnarunt 5 propositiones tanquam hæreticas; & tamen in variis scriptis illas defendunt.

Credunt, mandata Dei quandoque justis observatu esse impossibilia. Simul tamen etiam dicunt, quod illa semper possint observare; sed hanc potentiam esse similem potentiæ equitandi sine equo. Quanta ludificatio!

Credunt cum Jansenio, gratiæ resisti non posse. Simul tamen sæpe asseruerunt, semper illi resisti posse, si homo velit. Quando

urgentur, admittunt gratiam ſufficientem, in ſenſu tamen, ut ajunt, Thomiſtarum acceptam. At ſimul dicunt, gratiam ſufficientem Thomiſtarum re ipſa non eſſe ſufficientem, eamque ceu Chimæram explodunt.

Quesnellus proteſtatur, ſe inviolabili nexu addictum eſſe S. Sedi ejusque Apoſtolicæ authoritati. Simul tamen integros in Pontifices convitiorum torrentes effundit, eorumque Conſtitutiones & mandata refractarius deridet.

Antonius Arnaldus, antequam a Sorbona condemnaretur, coram Deo fuit proteſtatus, quod ſe ſubjiciat judicio Sorbonæ ſuæ matri. Poſtquam autem fuit ab ea condemnatus, proteſtatus eſt aperte contra illius judicium.

Antequam 5 propoſitiones fuerant damnatæ, a Janſenii ſectatoribus Romæ & Pariſiis habebantur pro Janſenii doctrina. At poſt condemnationem non amplius erant Janſenii. Poſtquam autem oſtenſum ipſis eſt, eas contineri in libro Janſenii, obtendebant, eas fuiſſe damnatas in ſenſu Calvini, qualis nequaquam fuiſſet ſenſus Janſenii. Janſenius aſſerit, doctrinam de gratia ante S. Auguſtinum fuiſſe Eccleſiæ incognitam, poſt S. Auguſtinum vero Eccleſiam per 500 annos in errores circa gratiam rurſus fuiſſe prolapſam, usque dum a ſe rurſus fuerit reſtituta. Confitetur igitur, ſe 500 annis incognitam introduxiſſe in Eccleſiam doctrinam.

Quando illius liber illatus fuerat Flandriæ ac Franciæ, inflammavit illico diſcordias in Univerſitatibus, Communitatibus, familiis. Quapropter 88 Epiſcopi Galliæ librum Pontifici denuntiarunt. Decem anni, inquiebant, lapſi ſunt, ex quo liber poſthumus Janſenii graviſſimas in Francia turbas concitavit. Poſtquam autem Urbanus VIII & tot alii Pontifices doctrinam libri condemnarunt, omnes Epiſcopi ſecuti ſunt. Novella igitur fuit illa doctrina, & contraria veritati, apud corpus Paſtorum depoſitæ.

Dixit Lutherus: Auguſtinus *meus eſt*; Wiclefus: *meus eſt*; Calvinus: *meus eſt*; Janſenius: *meus eſt*. Audiant novi S. Auguſtini Diſcipuli, quid S. Auguſtinus ad Julianum ſcribat: *redite ad nos: vos non eſtis nati de parentibus, qui id crediderunt, quod vos docetis: ſed eſtis regenerati in Eccleſia, quæ contrarium credit.*

Janſenius opera ſua publice ſubjecit judicio Sanctæ Sedis. Judicavit ergo, hoc judicium præferendum eſſe perſuaſioni ſuæ, qua credebat, doctrinam ſuam eſſe conformem S. Auguſtino, aut ſaltem,

tem, S. Augustinum potuisse decipi. Si Jansenistæ credunt, hanc Magistri sui subjectionem fuisse seriam, imitentur: si fraudulentum deceptorem judicant, eum detestentur.

Quando Jansenistis objicitur, quod impugnent Constitutiones Apostolicas, respondent, id a se fieri ideo, ut sistantur querelæ Calvinistarum. Mira sane eorum, qui Catholici haberi volunt, responsio! Vellent, Romæ Bullam cudi, quæ sit ad gustum Ministrorum Genevæ, & Amstelodami. Grande paradoxum! ne murmurent hæretici, prætensi Catholici cum illis murmurant contra Constitutiones Catholicæ Ecclesiæ.

Jam ipse Jansenistarum fundator in Gallia Abbas Sancyranus scripsit: *Bene sensit Calvinus, male locutus est* (in materia de gratia & libero arbitrio.) Commissi equidem inter se Arnaldus, & Petrus Jurius, ille Jansenistarum, hic Calvinistarum Calypha, vehementer rixati sunt, ut patet ex libro, quem Jurius de *Spiritu Arnaldi* scripsit; de nomine tamen (in quantum ad materiam de gratia) potius, quam de re ipsis erat contentio. Scandalosa doctrina.

Quam abominandum utriusque partis systema de Deo! derelinquit, abdicat justos, amicos suos, quamvis omnes vires suas impendant, ne eum offendant. Facientibus, quod est in se, denegat gratiam. Præcipit ipsis res impossibiles. Damnat ad æternos ignes, quod non fecerint id, quod facere non poterant ex defectu auxilii. An benignissimi & misericordissimi patris, an vero tyranni hæc idea est? hæccine reverentia, quam mens Christiana Deo O. M. debet?

Sine gratia omnis conatus resistendi malis inclinationibus est inutilis & frustraneus, imo ipse conatus est impossibilis: cum gratia vero impossibile est, tentationi succumbere: habere gratiam aut non habere, nullo modo dependet a nobis. Si hæc tria Jansenistarum principia subsistant, quid superest, nisi ut in peccato tranquille vivas, & gratiam patienter exspectes? Vana est omnis exhortatio, vana comminatio, quamdiu non habes gratiam *victricem*; & quando adest hæc gratia, rursus vana est exhortatio & comminatio; nam etiam sine illa necessario te convertes. Cum gratia omnia sunt necessaria, sine gratia omnia impossibilia, nec ullo modo tuæ est potestatis habere vel non habere gratiam. Quid ergo facias, nisi ut currum suo permittas cursui, & fatum tuum otiosus exspectes?

Si Christus pro me non est mortuus, quid creatio mihi prodest, nisi ut me relinqueret in massa perditionis? si Christus pro me non magis oravit, quam pro salute diaboli, ut inquit Jansenius, desperata sunt omnia. Ad quid ergo præceptum amoris? ad quid observatio mandatorum? ad quid cura salutis? inutilia sunt hæc omnia, imo impossibilia.

Lupi sub ovina pelle.

Vah detestandas consequentias, quæ ex talibus principiis pleno alveo fluunt! ne tamen nimis aperte in oculos incurrant, oportet eas obvelare larva severitatis. Laxam disciplinam deplorant; cum tamen nemo magis illam inducat, dum doctrina sua abominabili curam salutis extinguunt, observationem præceptorum impossibilem faciunt, libertatem arbitrii tollunt, confessionis & communionis usum penitus ferme convellunt, atque peccatores in lethargum præcipitant.

Hinc videas ipsa etiam factionis capita, quamvis externo rigore & affectata morum severitate multos decipiant, & in casses suos pertrahant, levato tamen velo vitiorum, superbiæ maxime, sordibus fœtere.

Certe de Jansenio Abbas ad S. Germanum, primus Reginæ Mariæ Medicææ Eleemosynarius, testis exceptione major, epistolam edidit, in qua inter alia ait, Jansenium Iprensem sibi apprime esse cognitum, cumque omni veritate se posse dicere, quod nunquam viderit hominem magis superbum fastuque turgidum, qui gloriosius de se ipso, & contemptibilius de aliis senserit, iis præsertim, quos umbram sibi facere putarat. Contra Regem Franciæ & Hispaniæ gravissimas ab eo disseminatas calumnias. Ecce ideam primi Sancti tam sancti Ordinis!

Sancti Jansenìani.

Libri Arnaldi pleni sunt atrocibus injuriis. Convictus sæpe fuit de mala fide, totus ad fallendum compositus. Obiit rebellis Ecclesiæ ac Regi suo; prout etiam Quesnellus. Inventum est inter scripta Monialium Portus Regalis Calendarium, cui cum Abraham, Jeremia, Elia, Amos, & aliis quibusdam, soli inserti fuerant *Sancti Janseniani*, uti Jansenius, S. Cyran, Arnaldus, mater Angelica, cum infante trium annorum, quem nominabant Infantem Portus Regalis.

Calumniandi libido.

Quanto furore & calumniandi libidine Jansenistæ insurrexerint adversum Patres Societatis Jesu, ex infinitis eorum famosis libellis constat. Sed quid hoc mirum? impune istos lacessi posse credebant. In ipsos summos Pontifices, Regem suum, Episcopos, omnemque Ordi-

Ordinem Ecclesiasticum petulantes linguas & calamos acuebant. An sic debacchati sunt Apostoli?

Jansenistæ nunquam voluerunt accenseri Calvinistis, ne quidem in materia de gratia, quin imo illos tanquam teterrimos hæreticos sunt detestati. Sed audiamus aliquot Calvinistas hac de re loquentes.

Et imprimis quidem Drelincourt, famosus Præco, in *Responsione ad Landgravium Hassiæ p.* 340, Videtur, inquit, quod Jansenismus sit hæresis abominabilis; sed non est ita: purum continet Evangelium de gratia Dei, quam prædicarunt Paulus & Augustinus.

Reipsa sunt Calvinistæ in pluribus.

Lambadius vero Minister Genevensis, qui antea fuerat Jansenista, in epistola, ad Jansenistas scripta, sic loquitur: doctrina de prædestinatione & gratia, prout illam Jansenius explicat, est pura doctrina Ecclesiæ Reformatæ: & quantumcunque laborarint, ut discrimen assignarent, in substantia tamen doctrinæ nullum invenerunt. Non igitur opus, ut Jansenistæ se uniant cum Reformatis, sed tantum ut declarent, quod re ipsa jam sint.

Suscipio defensionem eorum, qui adhuc sunt uniti externe Sedi Romanæ (inquit Samuel Marezius Professor Theologiæ Gröningæ in *Compendio veræ & Catholicæ doctrinæ de gratia*) non enim solummodo agitur causa Jansenistarum, sed etiam Reformatorum; quia circa negotium 5 propositionum sequuntur eandem opinionem. S. Augustinus æque est noster, ac Jansenius facit suum.

Nos agnoscimus eandem impotentiam faciendi bonum in statu naturæ corruptæ: eandem efficaciam & infallibilitatem gratiæ medicinalis, præparatæ per Divinam prædestinationem: illam admirandam concordiam necessitatis & libertatis actionum humanarum. Negamus pariter, Christum pro omnibus mortuum esse. Verbo: omnes 5 propositiones nostræ sunt.

Certe Heroes vestri (sic alloquitur Jansenistas) monstrarunt suam debilitatem, quando conati sunt ostendere differentiam. Si dici potest, quod idem non sit idem, poterit dici, quod vestra doctrina non sit nostra. Solus timor pœnarum vos impellit, ut sitis proditores veritatis, & negetis, vos esse id, quod estis. (*Marez ult. apol. pro defens. S. August. contra Papam & Jesuitas.*)

Accedit Henricus Hottinger Minister & Professor Tigurinus, qui in sermone impresso Jansenistas ita sollicitat: si vestra doctrina subsistit, Papatus non potest subsistere. Si agnoscitis auctoritatem Papæ, actum est de vobis: supprimentur vestra scripta, evellentur

plumæ,

plumæ, obturabitur vobis os. Ipsi judicate. An non impugnatis Jesuitas ceu Pelagianos? an non utuntur Jesuitæ armis Pelagianorum, ad vos debellandos? verum an aliam Jesuitæ habent doctrinam, ac Concilium Tridentinum? an aliter sentiunt ac Papa? an non Papa & Jesuitæ sunt corpus unum & anima una? (*Hotting. l. c.*)

Cæterum jam olim Jansenius Episcopus, Vergerius Abbas, Arnaldus successor, Quesnellus magnus Ordinis Jansenistici Prior, ejusque Discipuli, nihil intentatum reliquerunt, quo sub specie sanctæ sanæque doctrinæ venenum suum poculo inaurato propinarent, fraudibus non tantum occultis, sed apertis etiam mendaciis in hanc rem usi; quæ inter fuit, qua impudenter vulgaverant, Quesnelli Reflexiones Morales in Novum Testamentum Delphino probari, eumque illarum protectorem fore. Sed integerrimus Princeps publico scripto commentum palam detexit.

Crimen falsi contra Bossuetum.

Sed, qui semel depuduit, deprehensa licet manu in sacco, ad alias mox fraudes dolosque convertitur. En aliam stropham, suis auctoribus dignam! Benigno Bossueto doctissimo illi Meldensium Episcopo, ut ejus suffragium elicerent, aliquas ex Quesnelli libro propositiones obtulerant, quas ille innocentes declarasse fertur. Mox illi, quod totum opus approbarit, jactarunt. At Bossuetus fraude detecta, approbationem suam revocavit, librumque Quesnelli tot scatere erroribus asseruit, ut corrigi non possit. Jansenistæ nihilominus, (sed primum post mortem ejus) testimonium aliquod in favorem suum produxerunt, nulla omnino revocationis & suæ fraudis facta mentione. Quesnellus modo laudat Bossuetum, modo nullius authoritatis, nullius judicii, nullius prudentiæ, ut propheta in utramque partem claudicans, ab eo traducitur. Approbatores nempe libri Quesnelliani omnes sunt doctissimi; quicunque improbant, rudissimi.

Versatiles.

Dum Alexander VII 28, & Innocentius XI 65, nimium laxas propositiones damnarunt, *os Domini fuit locutum*. At vero dum idem Alex. VII 5 propositiones Jansenii, & Alex. VIII 31 Jansenizantes profligarunt, justitia illico Romanum tribunal deseruit; Consultores erant rudes, inepti, malis affectionibus inducti; tunc Galli Judices deposcebantur, tunc ad Generale Concilium appellabatur.

Restrictiones mentales vehementer accusabant, & tamen ubi res ipsorum agebatur, tam enormes usurpabant, quas nec laxissimus Casuista admitteret. Licitum esse dicebant damnare 5 propositiones in sensu Jansenii, licet in mente contrarium credatur. Catholicos simulant, ne Beneficiis & Officiis priventur, aliasque pœnas incurrant,

incurrant, Prædeterminationes physicas, ut orthodoxi videantur, obtendunt, quas cum Lignio stultitiam, cum Witte nequitiam quorumdam Pseudo-Thomistarum appellant.

Quas non fraudes, quas non machinas adhibuerunt Quesnellistæ, ut Episcopos, ut Sorbonam, ut alias Universitates ab acceptanda Constitutione retraherent! quam vane quamque falso de magno Episcoporum numero sunt gloriati; quasi vero non multo plures Ario, Eutychi, Monothelitis adhæserint. Quot Africæ Episcopi cum Cypriano Stephano Papæ & veritati se opposuerunt! quod igitur studiose magnaque vafritie Jansenistæ id egerint, ut semper aliquos Episcopos in partes suas aut patrocinium malæ causæ pertraherent, nihil alienum ab aliis fecerunt sectariis, qui adversus Ecclesiam frontem obdurarunt.

Habet hoc quippe tum omnis hæresis, tum maxime Janseniana, Prothei instar in omnes formas se transmutat; jamque sub larva pie- Prothei. tatis, & zeli pro disciplina, in Gynecæum se insinuat, & more, jam olim Pelagianis & Priscillianistis familiari, per mulierculas venenum spargit: jam sub specie doctrinæ Patrum, maxime Augustini, incautos fallit; jam per calumnias, dolos, factiones, aliasque malas artes agit cuniculos, ad subvertendos incautos: atque in eam rem infinitos libellos famosos dispergit, quibus suos in cælum extollit, ceu viros doctrina, religione, integritate summos, eorum vero, quos adversarios habet, aut habere existimat, non charitatis, non justitiæ, non conscientiæ habita ulla ratione, famam lacerat, ridendosque conatur proponere.

Sed quid mirum, eos spiritu vindictæ accensos, in homines sibi obsistentes, ut Lutherus olim & Calvinus fecerat, maledictis & calumniis furere, cum in ipsum cælum os impium ponant, & sanctos Dei cælites contumeliis lacessant. Cultus Sanctorum, quo Ecclesia Sanctos colit, est ipsis spina in oculis: in ipsam adeo sanctissimam Virginem Matrem Dei, quam Angelus gratia plenam, Elisabeth benedictam in mulieribus, prædicant, virulentam linguam exerunt, eique præconia, ab Ecclesia & SS. Patribus attributa, invident.

Quippe Auctor *Instructionis salutaris B. V. Mariæ ad suos devotos indiscretos*, ait: *Maria non debet appellari Mediatrix, Advocata, Mater* Injurii in *misericordiæ, neque ornandæ sunt ejus imagines, aut altaria.* Quis non B. V. videt,

videt, quibus ex fontibus hæc profluant. Hæreticorum jam olim hæc lingua fuit, & hodiedum eſt, ex quibus Janſeniſta eandem hauſit.

At velit nolit, nos cum Eccleſia Catholica invocamus Mariam, Reginam cæli, Mediatricem noſtram, Advocatam noſtram, ut pro nobis intercedat apud Filium ſuum Diviniſſimum, qui eſt principalis ex propria excellentia Advocatus noſter apud Deum, & Mediator inter Deum & hominem. Maria eſt advocata noſtra apud Filium, Filius apud Patrem. Per Filium, Mediatorem & Advocatum omnipotentem habet Mater, ut ſit Advocata, ut ſit Mediatrix ſecundaria, potens tamen, quia eſt Mater Dei. Eſt Mater Chriſti: ergo Mater Miſericordiæ. Eſt honor Filii, quod Mater ſit Virgo potens, Virgo clemens. Gaudet Redemptor Filius, quod Mater ſit refugium peccatorum, Conſolatrix afflictorum. Non ſoli Joanni, mihi quoque pendens in Cruce Filius Matrem dedit: *ecce Mater tua, ecce Filius tuus!*

Salve Regina, Mater Miſericordiæ! Eja ergo *Advocata* noſtra illos Tuos *Miſericordes* oculos ad nos converte! Ora pro nobis peccatoribus! Oro, ut ores. Oro Jeſum Chriſtum Filium Tuum Deum omnipotentem, gratiarum omnium fontem, ut miſereatur mei peccatoris: ſed oro inſuper, ut Mater Dei, ut Mater fratrum Chriſti, ut Mater Miſericordiæ, Mediatrix mea, Advocata mea, mecum ores ad Thronum Gratiæ.

De cultu Imaginum.

Oratio hæc Patrum & Clientum Mariæ ingratum haud dubie melos eſt in auribus Janſeniſtæ; qui Matri Dei etiam ornatum Imaginum & Altarium invidet. Sed cur invidet? quia cum Iconoclaſtis, cum Calviniſtis, cum Zwinglianis ſentit, contra id, quod ſenſit, ſentitque Eccleſia. Regem colis in ejus imagine: parergis iſtam exornas: in honorem Regis cedere exiſtimas iſtum ornatum. Accipis a Rege epiſtolam: reverenter excipis, oſcularis, aſſervas, manum Regis oſculari te credis. Matrem Dei aut alios ſanctos in effigie colimus, cultus in ſanctum, in cælis cum Chriſto regnantem, tendit: cultus coram imagine exhibitus, in illum tendit: illum rogamus, ut pro nobis Deum oret. Ab imagine nihil ſperamus, nullam in ea collocamus fiduciam, nihil ab ea petimus; ut tamen honorem & cultum erga ſanctum externe etiam exhibeamus, imaginem exornamus, in altari collocamus. Quid hic jure vituperes? imo quid non laude dignum? an Idola

la hæc eſſe quisquam exiſtimare queat? abſit. Ethnici aut ligna aut lapides adorabant ac cultu latriæ adorabant, aut per imagines aut ſtatuas propoſita falſa Numina, ut Jovem aliquem aut Mercurium. Nos neque adoramus ſeu cultu latriæ colimus imagines Sanctorum, neque repræſentatum per illas aliquod Numen.

At Sanctis in cælo, inquit Janſeniſta, non alius deferendus eſt honor, ac juſtis in terra; ſed hic civilis duntaxat eſt atque politicus, qualis etiam magnis, quos æſtimamus, viris, ut Regibus & Principibus defertur, at vero cultus, qui ſanctis defertur, ſacer eſt & religioſus.

Reſp. ita eſt, religioſus eſt hic cultus, ſed cultus *Duliæ* ſolummodo, qui defertur Sanctis reliquis, & *Hyperduliæ*, qui defertur B. V. Mariæ; quorum uterque eſt longe inferiori gradu, quam cultus *latriæ*, qui ſoli Deo, ſupremo omnium Domino, debetur, ac deferri debet.

Sed ecce, quem honorem Sanctis Janſeniſtæ deferunt, quos ſolenni Apotheoſi Eccleſia ſanctos declaravit! duo tantummodo exempla affero. *Franciſcus Saleſius*, inquit Hennebel *Theſi Theol. an.* 1680 *edita*, *infectus fuit errore Semipelagianorum.* Item: *Joannes Capiſtranus canonizatus eſt ab Alexandro VIII, ſed ejus doctrina non eſt propterea minus pernicioſa, &, ſi dubitemus de ejus ſanctitate, non erimus propterea minus Catholici.* Ex quibus ſane videmus characterem Janſeniſtarum, qui Eccleſiam & ejus ſanctos tantopere contemnunt. Illud denique ex dictis hactenus nimium quantum liquere arbitror, quam falſo quidam dicant, nullos in mundo eſſe Janſeniſtas, cum nemo 5 propoſitiones Janſenii defendat, in reliquis autem omnes cum Eccleſia conſentire.

Et Sanctorum.



CAPUT V.

Status Hiſpaniæ

SÆCULO XVIII.

Art. I.

Fœderati Archiducem ducunt in Hiſpaniam. Occupata Gibraltaria. Favent Catalauni. Obitus Darmſtadii. Occupata Catalaunia, Valentia & Arragonia a fœderatis.

142. Cum magni per orbem Principes, qui judicem in terris non recognoſcunt, vix alio, quam jure gladii controverſias ſuas ſoleant definire, Cæſar Galluſque Hiſpanicam quoque de jure hæreditario litem eodem arbitro decidere ſunt aggreſſi; & initio quidem in Italia & Germania exarſit incendium: dein vero in ipſam etiam Hiſpaniam eſt propagatum.

Et quoniam totius Europæ hoc erat bellum, aliis remiſſis alio, quæ Hiſpaniæ ſunt propria, hic breviter exequemur.

Magnum Fœdus. Flagrante bello in Italia, Germania, & Belgio, Philippus Andium Dux quiete fruebatur Hiſpania ad annum usque 1703, quo Angli & Batavi, ſero experti, quantopere per partitionis tractatum eſſent a ſeipſis deluſi, inito cum Cæſare fœdere, atque in illud Luſitano quoque aſſumpto, petierunt ab Imperatore, ut Carolum Archiducem quantocius in Hiſpaniam mittat, ubi ab iis, qui Auſtriacæ genti adhuc eſſent addicti, avide exſpectetur.

Melgarus, Certe Melgarus Comes, Caſtiliæ antea Almirantes, præcipuus poſt Portocarerum regni Adminiſtrator, quod Reginæ Auſtriæque videretur addictior, aula motus eſt, ſpecie Legationis Pariſienſis. 50000 duplionum ex ærario inſtructus, collectis domeſticis rebus ſuis pretioſis, reductiſque in pecuniam bonis, lætus ſuſcepit provinciam, aſſumpto e Grandium ordine & nobilitate 500 capitum comitatu; 400 mulis, omni opum genere onuſtis iter iniit.

Quin Lutetiam pergeret, nemo dubitabat. At ille ſentiens pedicas, a curſore, quem in id ſubornaverat, citatis equis advolante, accipit epiſtolam, velut a Regio Conſilio ſcriptam, qua jubeatur, dilata tantiſper profectione Pariſienſi, apud Regem Luſitaniæ prius

Et Oropeſa recedunt.

Legatione

Legatione fungi, eumque in partes Gallicas pertrahere. Quo commento totum Comitatum opesque Olyssiponem traduxit. Nec diu post secutus Oropesa. Uterque vero apud Cæsarem institit, ut Archiducem quamprimum in Hispaniam mittat.

Georgius interim Darmstadius patentes ab Archiduce litteras per Hispaniæ urbes spargere, pacatum & suave Austriæ regimen extollere, animare torpentes, atque ad excipiendum Carolum Regem suum hortari.

Igitur Cæsar 12 Sept. 1703 præfatus, Hispanicæ Monarchiæ se unum legitimum esse hæredem, jus suum in Carolum Archiducem transtulit; Josepho Rege jure suo pariter se abdicante. Mox Carolus, a Legatis, Anglo, Batavo, Borusso, Moguntino, Hannoverano, Mutinensi Rex Hispaniarum salutatur. Pontificius, Polonus, Danus, Venetus, Florentinus, vario prætextu abfuere. Pontificio valetudinem excusanti aulæ aditu interdictum.

Carolus salutata devote Cellensi Virgine, lachrymante Vienna itineri se dedit, magno honore exceptus a Saxone, Palatino avunculo, Batavis. 20 Novemb. Haga solvit, in Angliam trajecturus, sed tempestate Roterodamum rejectus, horribili procella in omnia littora se effundente, per duos ferme menses secundos ventos præstolari cogitur. Denique 6 Jan. 1704 conscensa rursus navi, Londinum vela fecit, ubi ab Anna Regina totaque Natione Anglicana regio honore est exceptus. Carolus in Hispaniam.

Sexta, quam venerat, die Portsmuthii, Roockio Archithalasso, navem conscendit, sævaque rursus jactatus tempestate, futurorum velut prodromo, Olyssiponem tandem appellitur, omnibus humanitatis officiis cultus: Melgaro & Oropesa primos inter Regis sui genibus advolutis.

Tota Lusitania Carolus Rex promulgatur, Andegavensi vero, sparsis per Hispaniam litteris, dataque transituris impunitate, bellum indicitur. Sed præter exspectationem, quia ab Acatholicis religioni timebant, nemo se movit; quod Schombergius Anglorum Dux Melgaro, alia spondenti, acerbe exprobravit. Ne autem Ductorum simultas communi rei officeret, Reginæ voluntate *Gallovæus* Schombergio successit. Neque is in Lusitania, quem speraverant, belli apparatus inventus.

Galli, Hispanis juncti, ubi viderunt, Lusitanos magno adversum se fœderi accessisse, Duce Bervico, Jacobi II Angliæ Regis filio, comitante Andegavensi, in Lusitaniam, quadripartito agmine irruunt, Salvaterram, Idagniam, Seguram, Pennagarciam,

Rosmarinum, Montem Sanctum, Mirandam, Castellum Brancum, magna cum præda occupant: rursusque, Batavorum duabus cohortibus cæsis, Portalegria, Davidium aliaque loca intercepta.

Has ruinas ut fœderati sarcirent, Catalonicam expeditionem susceperunt, confisi veteri gratiæ Darmstadii, qua apud eam gentem, cujus Gubernator fuerat, valebat. Et erant, qui Barcinonem prodere nitebantur: sed eorum consiliis detectis, Velascus Prorex complices supplicio affecit, & Anglorum classem discedere coegit: Lusitano haud æquis oculis id aspiciente, qui a Regno suo bellum amotum volebat.

Gibraltaria capta.

Sed animos erexit nuntius de Gibraltaria, insigni ad fretum Gaditanum munimento, quod male custoditum, Anglo - Batavi quatridui spatio expugnarunt, magno etiam in futurum Catholicæ rei præjudicio. Darmstadius urbi præfectus; cives vero, alienæ religionis homines exosi, passim dilapsi sunt. Locus ipse alioquin & situ & opere egregie munitus, novis operibus, centum tormentis, omnique adversus quamcunque vim apparatu fuit comparatus.

Constructa fuit hæc urbs ad pedem Calpis, rupis præaltæ, cui arx ad defensionem urbis, alioquin munitæ, est imposita. Petra ipsa tanta est duritie ac soliditate, ut cuniculi agi non possint. Ad latus petræ alia adhuc munitio visitur, cujus præsidio naves in portu adjacente secure consistunt.

Doluit vehementer Hispanis jactura tanti loci, qui invincibilis videbatur, nihilque non egerunt, ut hanc freti Herculei clavem, tam leviter amissam, reciperent. Villadariam cum quindecim millium exercitu, & Pointium cum classe mittunt, qui urbem terra marique oppugnent. Certamen navale commissum geminum: primi anceps erat victoria: altero Pointius cum classe Gallica a Leakio Anglo est profligatus. Villadarias vero, postquam Darmstadius trium millium præsidio auctus est, semestrem obsidionem solvere coactus fuit. (1705)

Anno 1710 Gallo-Hispani ad oppugnationem redierunt: sed eventu æque infelici. In pace Ultrajectensi Gibraltaria Anglis fuit relicta. Sed cum Hispani tanti momenti urbem, arces, propugnacula, portumque, in ipso Hispaniæ fundo sita, in alienis manibus hærere ægerrime cernerent, anno 1727 oppugnationem rursus, sed frustra, tentarunt.

Ex-

Expugnata Gibraltaria deliberatum inter fœderatos, quo arma essent vertenda. Difficilem sententiam fecit horror Hispanorum ab Anglis & Batavis, quibus ferme solis, præter Lusitanos, Caroli Archiducis exercitus constabat. Nutriebant sedulo augebantque eam aversionem sacri in templis oratores, instantia Religionis pericula exhibentes: rem plenam esse discriminis, ab hæreticis Hispaniæ dari Regem Catholicum: quid facilius, quam stabilem illis sedem concedi, quibus regnum debeat, sensimque religionis integritatem fervoremque intepescere? Id genus concionibus effectum, ut ii etiam, qui Austriacam gentem, & Carolum, insignem probitate, regiisque virtutibus ornatum Principem amabant, Protestantibus tamen cinctum aversarentur.

Diversa a cæteris Hispanis Catalaunorum erat conditio. A Castellanis omni ætate erant alieni; atque hoc ipso, quod Andegavensis partes illi amplectebantur, in contrarias concedebant. Invitant igitur ultro Darmstadium, veterem suum gratumque Gubernatorem, veniret cum armato milite, se officio suo, ut Barcino tradatur, non defuturos.

Decernitur itaque Catalaunica expeditio. Advolant cum classe Anglo-Batavi. Confluit ad Archiducem multitudo, eumque prona Regem salutat. Bis mille agrestes armantur. Jovia primum arx Barcinoni propinqua capta, in cujus oppugnatione occubuit *Georgius Darmstadiensis* Landgravius, magnum hactenus rei Austriacæ in Hispania columen, sacra Catholica jam ante cum tribus fratribus amplexus. At nihilo remissius institit *Petroburgus*, Ductor Anglus. Car aciolus arcis Præfectus ruina muri cum aliis sepultus. Ad urbem ipsam Barcellonam mox conversa oppugnatio, quam Velascus Prorex dedidit. Arcis & urbis fatum acceleravit bolis ignita, in pulveris nitrati cados incidens.

Obitus Darmstadii.

Barcino capta.

Interea, dum hæc ad Barcinonem a Fœderatis strenue geruntur, *Miqueleti* (agrestium ad Pyrenæos levis armaturæ genus, sed bello admodum utile) totam Catalauniam, alias pronam ad Carolum adduxerunt: intercepta primum Lerida, dein Tortosa, Gerunda, Tarracona. Magna sui parte accessit Valentiæ, & Arragoniæ regnum. (1705)

Cum Catalaunia, Valentia & Arragonia.

Art.

Art. II.

Galli obſident Barcellonam, ſed repelluntur. Fœderatorum diſcordia. Carolus Madriti Rex proclamatur. Sed brevi recedit. Pugna ad Almanzam. Arragonia & Valentia recepta.

143. Sequenti anno Philippus ipſe, Theſſeo Ductore, cum Gallo-Hiſpanis Madrito in caſtra egreſſus, Barcinonem obſidet. Quia autem a ruinis necdum erat reparata, & modicus præſidio miles, magnopere ſuaſum eſt Carolo a ſuo Conſilio, ut urbe egreſſus tanto diſcrimini ſe ſubducat. At ille moriturum ſe potius, quam ſuos Catalaunos deſerturum conteſtatus, flagrantia jam alias populi in ſe ſtudia amoremque tantopere accendit, ut omnis ætas ſexusque ad Regem ſuum defendendum accurreret: quin ipſa adeo Religioſorum hominum cœnobia phalanges ſuas emiſerant. Quadringenti eorum gladio accincti ad ſaccos ſuos, atque ad cucullum galea tecti prodibant; tantaque celeritate & alacritate omnium ope urbs munitur, & defenditur, ut, licet hoſtis arcem Joviam jam expugnaſſet, tamdiu tamen ab urbis ingreſſu arceretur, donec quadrifaria Anglo-Batavorum claſſis, ſub Leackio, Stanhopio, Bingſio, & Waſenario, Archithalaſſis, auxilio accurrens, obſidionem ſolveret, ingenti cum hoſtium detrimento.

Barcellonæ obſidio

ſoluta.

Toloſæ quidem Comes, ubi comperit, omnes Anglorum ac Batavorum maritimas vires adverſum ſe collectas venire, claſſem illico Telonem reduxit. Teſſeus vero fuga tam præcipiti atque confuſa cum milite ſuo in Galliam per Pyrenæos ſe conjecit, ut caſtra relinqueret omni opulentia plena, centum tormenta, clavis non adacta, pulverum dolia 5000, annonæ tantam copiam, qua diu exercitus viveret.

Poterat tunc, ſi unquam, Auſtriaca fieri Hiſpania, ſi aut fugientium tergis inhæſiſſent, aut recta Madritum fœderati procurriſſent. Nullus toto Regno Dux Gallus, præter Bervicum ad fines Luſitaniæ cum decem millibus agentem. Erat liberata Catalaunia, Valentia in poteſtate; Arragonia eosdem cum Catalaunis animos gerebat; Caſtilia, licet inimica, inermis tamen fuit, ducibus & munimentis vacua.

Sed rei gerendæ opportunitatem perdidit Ductorum diſcordia. Licet enim grandem fœderati haberent exercitum, toti Hiſpaniæ tunc occupandæ parem; quia tamen ex diverſis adeo Nationibus erat con-

conflatus, Hispanis, Lusitanis, Anglis, Batavis, quot erant capita, tot sententiæ. Quod placebat Gallowæo, Anglo, displicuit Minasio Lusitano: quod visum Noyellio Hollando, improbabat Petroburgus, omnibus se opponere consuetus. Ducum discordia.

Hac dissensione factum, ut toto hoc bello præclaræ non raro occasiones sint neglectæ, consilia optima suffocata, multæ clades acceptæ, res etiam bene gestæ evanescerent, & tandem in pacem, Gallis optatam desinerent. In præsenti vero, dum consultatur, dum disceptatur, ab octava Maji ad quintam Augusti usque necdum convenerant copiæ; datumque Philippo tempus, quo se colligeret, priorque in Castiliam rediret. Suscepta nihilominus denique expeditio Castellana. Salmanticæ Senatus Academicus & Urbanus in Caroli fidem receptus. Cumque Madrito immineret fœderatus exercitus, Philippus urbem, undique apertam, deseruit, atque Segoviam ad Bervicum, qui non ultra novem legionariorum millia habebat, se recepit, duabus non nisi septimanis Madriti a suo ex fuga reditu commoratus.

Carolus vero eandem Regiam, sed tunc ferme vacuam, urbem ingressus, publice Rex est proclamatus, prout etiam in regno Arragoniæ & Valentiæ factum. Sed alternante fortuna brevis ea gloria fuit. Carolus Madritum.

Quippe, dum fœderati Duces, dissensionibus distracti, cessatione sua Bervico, quem cum suis novem millibus delere facile poterant, copiis augeri sinunt, omnia prope, quæ feliciter gesta fuerant, sunt retroacta. Excessit Madrito Carolus, subiit Philippus: stabantque mutuo in conspectu, tenui duntaxat fluvio divisi, hi duo coronæ rivales.

Ad prælium res spectabat; verum fœderati, e re non fore rati, si uni fortunæ ictui causam exponerent, satius duxerunt, Castellam invisam deserere, præsertim ubi intellectum, Minasium cum suis Lusitanis, nemine salutato, jam discessisse. Recedit.

Fugientes insecutus Bervicus, plures Valentiæ urbes recepit. Quod expeditio tam feliciter cœpta infaustum adeo fœderatis sit exitum nacta, variis causis fuit adscriptum.

Prima fuit, quam dixi, Castellanorum a partibus Austriæ aversio: non, quod Domum Austriacam oderint, sub cujus mansueto regimine, magnis accessionibus, opibus, gloria, se auctos noverant: sed quia absonum ipsis visum, ab Acatholicis, Anglis nempe & Batavis, regem sibi dari Catholicum. Accesserunt oratorum sacris e pulpitis voces, quibus religionis, tam sancte per universam Hispaniam Causæ recessus.

ſpaniam cultæ, diſcrimina ingerebant. Nec modicum ſui odium inſpirabant, dum licentia militari Proteſtantes in rapinas, expilationes, ædium agrorumque vaſtationes ſunt effuſi, ſacratis templis rebusque manus injicientes.

Alteram dabat inveterata Caſtellanorum cum Arragoniis & Catalaunis æmulatio, deque prærogativa utriusque gentis contentio. Cum igitur illi cernerent, tanto ardore iſtos Auſtriacas partes amplecti, omnem apud Auſtriacos gratiam ſibi præreptam ominabantur: cumque ſoli ferme Caſtellani, Regum apud ſe præſentia uſi, ad præcipua Regni provinciarumque munia hactenus eſſent adhibiti, Catalaunos Arragoniosque potiores deinceps fore ſuſpicabantur. Proceribus vero Caſtellanis altior adhuc hærebat ſpina. Timebant, ne Rex Auſtriacus memor ſit, a quibus teſtamentum illud ſit procuratum, Gallusque Princeps ad coronam accerſitus. Atque inde etiam ſacri Præcones inſtigati credebantur, populusque inflammatus.

Tertia denique cauſa ferebatur Ducum fœderatorum diſſenſio, per quam poſt Barcinonem liberatam omiſſa hoſtis trepidantis perſecutio, Bervico datum ſpatium augendi quaſi per otium copias; quolibet fœderatorum Ductore, relicta rei ſumma, aut moras nectente, aut ad peculiares expeditiones pro arbitrio dilabente.

Gallovæo maxime, præſtanti alias duci, ea mora ſecutaque expeditionis, tam bene cœptæ, infelicitas vitio data eſt. At ille in Petroburgum, apud Valentinos æquo diutius hærentem, atque in Luſitanorum ceſſationem, culpam rejecit. Neque tamen moras ſuas ita purgavit, quin jactura Hiſpaniæ quinquennio poſt ipſi a Parlamento ſit crimini data. Quidam ſuſpicabantur, hominem origine Gallum, ac propter ſectam exulem, nimis memorem fuiſſe ſuæ patriæ.

Deliberatio de pugna.

Uti ſuperiorem cunctatio, ita anni 1707 expeditionem nimius pugnandi ardor præcipitavit. Ita nempe medium quoddam eſt, quod bellica etiam conſilia regat. Per hyemem, quam Valentiæ egerat Carolus, multa de belli ratione fervebat diſceptatio, atque antiqua Duces inter diſſenſio. Carolus, Petroburgus Anglus, & Noyellus Batavus ad partorum defenſionem reſpiciebant. Catalauniam, omnemque prope Arragoniam, Valentiam, partemque Murciæ haberi in poteſtate, per unius infelicis pugnæ aleam provincias iſtas ſupremo offerri diſcrimini. Unum haberi exercitum, eumque, quoad equitatum præſertim, non admodum validum: hoc cæſo, ubi alterum ſint nacturi? nequidem ſupplementa per tanta marium

rium

rium ſpatia exſpectari poſſe. Philippum contra, extracto ex evacuata Italia veterano milite, copiis præſtare, ſemperque ex vicina Gallia novas poſſe ſuppetias accerſere.

Stanhopius contra, Gallowæus, & Minaſius ducendum extemplo in hoſtem, pugnaque conſerta, antequam augeatur experiundum putabant. Non poſſe Angliam, Hollandiam, & Luſitaniam immenſo ſumptu pro aliena Domo æterna bella gerere. Inerti cunctatione ſuperioris anni expeditionem Caſtellanam penitus fuiſſe vitiatam: abſtergendam hanc labem: redeundum confeſtim in Caſtellam, & ſi hoſtis ſe objiciat, confligendum. Certamine uno debellari poſſe. Duobus anno ſuperiore præliis Italiam magnamque Flandriæ partem veniſſe in manus. Idem in Hiſpania ſperari poſſe. Expeditionem Neapolitanam & Francicam a fœderatis hoc anno generoſe ſuſcipi. Num ipſi ſoli inerti otio torpeſcerent? neceſſitate ipſa imperari prælium: exhauſtis horreis deficere cibaria, aut famendum igitur aut certandum.

Vicit hæc ſententia, Stanhopii maxime importunitate. Itum in ruinam. Gallorum exercitus uno & viginti millibus, fœderatorum ſexdecim duntaxat millibus fuiſſe ſcribitur. Ad *Almanzam*, Caſtellæ ad Valentiæ fines urbem, in mutuum conſpectum ventum. Acies utrinque inſtruitur. Hora poſt meridiem quarta inchoatur prælium. Diu anceps nutat fortuna. A Luſitano equitatu fugiendi initium, ſauciato Minaſio; qui dextrum cornu regebat, ſequente cum ſuis Gallowæo, qui ſiniſtro præfuerat. Bervicus Gallorum Ductor plenam reportavit victoriam. Pugna ad Almanzam.

Atque ut cladis magnitudinem æſtimes, fœderatorum ad quinque millia in acie ceciderunt. Quinque cohortes Anglicæ, totidem Hollandicæ, tres Luſitanæ, Asfeldio, fugientes inſequenti, captivas ſe tradiderunt. Ex Gallo-Hiſpanis quatuor millia partim cæſa, partim ſauciata. Signorum militarium grandis numerus, impedimenta omnia, Valentiæ & Arragoniæ regna, cum parte Catalauniæ victoriæ præmium fuerunt. Atque huc tandem Stanhopii certa fiducia, uno die debellandi, ac finem Andegavenſi in Hiſpania dominatui imponendi fuit. Bervicus *Grandis* Hiſpaniæ titulo, & *Liria*, Valentiæ oppido, in Ducatum evecto, a Philippo donatus. Almanza privilegiis & annuis nundinis ornata. Madritum vero anniverſariam ejus victoriæ diem, ut Vienna liberatæ ab obſidione Barcinonis, feſtam ac ſolennem agit.

Altius hoc vulnus penetraverat, quam ut, subactis Valentiæ & Arragoniæ urbibus, Catalaunia incolumitatem suam tueri posset. Licet enim Carolus, initio anni 1708 aliquas Italorum & Germanorum copias, interque istas quatuor Palatinorum millia receperat, impedire tamen non potuit, quo minus Dux Aurelianensis Tortosam cum castello Arensio expugnaret.

Valentia & Arragonia ad Gallos.

Stahrenbergius per æstatem & autumnum per virium imbecillitatem signa extra valla efferre non ausus, ineunte hyeme Tortosam, murorum ruinis adhucdum hiantem, astu intercipere tentavit, jamque ope civium quorundam porta effracta pars urbis erat in potestate, cum affluente undique hoste recipere cum suis se coactus est, eventu Cremonensi simili, & jactura utrinque prope pari.

Idem, suis ad Cæsarem Josephum litteris conquestus est, nullam a Tarracone Gibraltariam usque stationem fœderatis superesse: commodissimum Italiæ cum Hispania commercium cum Alicante ereptum: tria legionariorum millia apud hostem hærere captiva: illum Ilerda & Tortosa expugnata jam sui securum, omnem ex Arragonia militem posse deducere: fœderatorum fidem nutare: promissis effectum non respondere. Anglicanam classem trimestri ferme spatio Liburni in anchoris otiosam hæsisse.

Art. III.

Minorica ab Anglis occupata. Pacis ideæ. Præliminaria Hagensia. Dissolvuntur, quia Regi Lud. nimis dura. Prosecutio belli. Stahrenbergii victoriæ. Sarragossa præmium.

144. Minorca capta.

Stanhopius autem hoc anno Balearem minorem, a defensoribus ferme vacuam, facili negotio occupavit. Gubernator Hispanus præproperam deditionem capite luit. Portus autem Magonis, velut jam tum Anglicæ Nationi acquisitus, fœderatorum conjunctionem sauciavit; siquidem Batavi, commerciis suis & navigationibus inhærentes graviter acceperunt eum de Minorica, ab Anglis sibi vindicata, nuntium; jamque ad pacem cum Francia cupidioribus oculis respiciebant, ne Angliæ majus dominium maris accrescat.

Pacis semina.

Anno 1709 sparsa sunt aliqua pacis semina. *Rovillæus* Voerdæ ad Hollandiæ fines cum Batavorum Legatis congressus, Regis Christianissimi desiderium, Europam in pacem reponendi exponit; cumque

que Batavi eam non alia lege confici posse assererent, quam si Hispaniæ Monarchia, qualem Carolus II reliquit, Carolo Cæsaris fratri restituatur, Rovillæus, Regem suum ab ea conditione non alienum asseruit: affuturum brevi primi ordinis legatum, qui cum fœderatorum Ministris negotium auspicetur.

Eo nuntio accepto, fœderatorum quisque pacis typum, quem rationibus suis commodum existimabat, adumbravit. Anglia Protestanticæ stirpis in regno perennem successionem a Francia & fœderatis communi sponsione firmatam volebat, Jacobi Regis filio, quem *Prætendentem* vocant, e Galliæ finibus ejecto. Atque ut Anglicæ navigationi securitas præstetur, Dunkerkæ portum dirui postulant, nulla unquam ætate restaurandum. Oblique etiam jam tum ad Minoricam, & Gibraltariam respiciebant, ut pateret, cui militarint. Pacis Systemata.

Batavi munimenta Belgii Austriaci limitanea, præsidiis suis sed Austriæ sumptu insidenda, deposcunt, ut sepimento a Galliæ finibus Batavia sit seclusa. Geldriæ insuper superioris dominatum affectabant, sæpius licet contestati, præter mercaturæ securitatem se nihil petituros.

Austriaco consilio amplior multo fuit deliberatio, qua forma restituenda Monarchia: neque enim acquiescendum putabat, si ad eum, quo sub exitum Caroli II fuit, modulum reducatur: sed restituenda omnia, quæ post pacem Pyrenæam fuerant abstracta. Visum etiam, Austriacæ potius Domus, quam Caroli nomine repetendam Monarchiam.

Ludovicus Franciæ Rex post tot clades acceptas ex tota Monarchia unam Siciliam & Neapolim sibi vindicabat.

Cum igitur quævis belligerantium pars privatum sibi pacis systema format, Haga Comitum deligitur tractationi locus. Anglo-Batavi proferunt suum, quod vocant, pacis *Præliminare*. Cujus hæc est epitome.

1. Rex Christianissimus Carolum III Hispaniæ, Indiarum, Neapolis, & Siciliæ Regem, omniumque provinciarum, ubivis terrarum Monarchiæ subjectarum, hæredem dominumque legitimum agnoscit; efficietque intra bimestre, ut, quidquid in Hispania, Indiis, Belgio, Sicilia Andegavensis adhuc possidet, abductis copiis, Carolo III tradatur. Ni faciat Andegavensis, Rex junctis cum fœderatis consiliis efficiet. Præliminaria fœderatorum Hagensia.

2. Rex omnes ſuas copias ex omnibus Monarchiæ provinciis quantocius avocabit, ſpondetque fide regia, ſe nulla auxilia renitenti Andegavenſi præbiturum.

3. Tota Monarchia genti Auſtriacæ adeo ſit propria, ut nullus unquam Gallici generis Princeps quamcunque illius partem poſſideat.

4. A commerciis in Occidentali India Reges Franciæ abſtineant.

5. Argentina, Kehla, Briſacum Imperio reſtituantur, uti etiam decem liberæ Imperii in Alſatia civitates, ſecundum normam pacis Weſtphalicæ & Receſſus Norimbergenſis.

6. Quidquid eſt cis aut trans Rhenum munitionum, inde Baſilea Philippoburgum usque, nominatim Hunninga, novum Briſacum, Ludovicium caſtrum, diruentur.

7. Rhenofelſa ſit Haſſo-Caſſellani, niſi aliter conveniatur.

8. Controverſia de quarto Riſvicenſis pacis articulo ad generales tractatus remittitur.

9. Rex Chriſtianiſſimus Annam agnoſcet legitimam Britanniæ Reginam: uti etiam ſancitam a Parlamento Proteſtanticæ ſtirpis ſucceſſionem.

10. Quod in *Novæ Terræ* inſula Galliæ fuit, Angliæ cedatur.

11. Dunkerkæ portus & munimenta ſolo æquentur.

12. Jacobus Stuartus e Gallia migrabit in locum, de quo in pacis tractatu conventum fuerit.

13. Luſitaniæ Rex, quæ cum fœderatis pactus eſt, quiete poſſideat.

14. Boruſſus Rex agnoſcatur Princeps Neocomenſis & Valengini Comes.

15. Batavicæ Reipublicæ cedantur Furnæ, Knochia, Menina, Ipræ, Warnetonium, Comineum, Poperinga, Inſulæ, Tornacum, Condæum, Malobodium, cum ſuis territoriis, ſintque pro limite.

18. Iisdem ſuperior Geldria e 12 Pacis Weſtphalicæ articulo attribuatur.

19. Cæteræ quoque Hiſpanici Belgii urbes illæſæ reſtituantur, cum tormentis & penu bellica.

20. Hannoveranus pro Electore habeatur.

21. Ad Sabaudiæ Ducem Sabaudiæ Ducatus, Nicienſis Comitatus, Exilla, Feneſtrella, Calvomontium, Pragelenſis vallis redeant. Sitque mons Genebræ limes.

22. Ele-

22. Electorum Bavarorum cauſa ad tractatum pacis rejicitur: quin tamen de Palatinatu ſuperiore aliisque belli tempore a Cæſare alienatis quidquam mutetur.

23. Leodii, Bonnæ, Huyæ Batavica erunt præſidia: dum aliud cum Imperatore convenerit. Sitque fœderatis fas, alia adhuc poſtulare, quæ viſum fuerit, quin propterea induciæ rumpantur.

24. Rex Galliæ, mox a ſubſcripto Præliminari, 5 Junii evacuabit Namurcum, Montes Hannoniæ, Caroloregium: 15 diebus poſt Luxemburgum, Condæum, Tornacum, Malobodium: usque ad 5 Julii Ipras, Furnas, Knockium, Neoportum.

25. Si bimeſtri omnia effectui data, totaque Monarchia Carolo III tradita fuerit, induciæ usque ad abſolutionem pacis durabunt.

26. Hæc pro baſi ſecuturæ pacificationis ſerviant, in qua de cæteris ceſſionibus, renuntiationibus, limitibus, &c. tractabitur.

27. 15 Junii Hagæ Generalis Legatorum Congreſſus inſtituetur.

Et hoc erat famoſum illud Præliminare, quod, quamvis Borboniæ genti duriſſimum, verbis approbare viſus eſt Colbertus, Torcyi Marchio, Franciæ Legatus: ſubſcribere tamen noluit, eo quod inſint quædam, quæ, niſi re prius cum Rege collata, poteſtatem ſuam tranſcendant. Iturum ſe quantocius Lutetiam, operamque daturum, ut ſubſcribatur. Diſſolvitur.

Rovillæus, alter Ludovici Regis Legatus, negabat, intra bimeſtre totam Hiſpaniam evacuari poſſe: nihil quidem omiſſurum Regem, ut Philippus nepos conſentiat, arma vero avum adverſus nepotem, ſanguinem ſuum, cum fœderatis conjungere, nimis inhumanum fore. Sufficere utique, ſi nulli ſit ipſi deinceps auxilio. Sed cum fœderatos in ſententia obfirmatos cerneret, & ipſe Pariſios abiit: omniumque animi in belli proſecutionem verſi ſunt.

Et in Hiſpania quidem Carolus arctis Catalauniæ anguſtiis velut concluſus tenebatur; Stahrenbergius tamen audendum aliquid ratus, cum ex Hiſpania avocatos a Rege Gallos intellexiſſet, *Aquilario*, qui Hiſpanos ducebat, obviam proceſſit; illo vero prælium detrectante, Balaguerium, munitum ad Segram oppidum, expugnavit, tribus Hiſpanorum cohortibus captis: lætus ſimul nuntio de Venaſquo, non ignobili in Pyrenæa valle oppido, a Pueblæ Comite obſidione liberato, cæſis geminato conflictu facile mille hoſtibus.

Re

Belli prosecutio.

Re Madritum nuntiata, Philippus ipse ad exercitum profectus est. Sed cum Stahrenbergium e munitis castris prolicere non posset, nihil memorabile est actum: nisi quod ex altero Catalauniæ latere cladis aliquid a Noallio, cum 12000 Gallorum Ruscinone adveniente, fuerit acceptum, cæso cum suo agmine Franckenbergio.

Ne majores progressus faceret Carolus, Stanhopius, dubiæ fidei homo, obstitit: qui geminam Anglorum classem, subsidio missam, cum Archithalassis, Jenningio & Bingio, Gades abduxit, urbem illam portumque non fœderi, sed Anglicæ Nationi vindicaturus. (1709)

Annus 1710 Austriacis felix initium in Hispania habuit, pluribus victoriis nobile, sed tandem deficientibus a fœderatis subsidiis, & expeditione in Castellam, pertinaciter semper aversam, cum grandi jactura suscepta, minus prospere finiit.

Stahrenbergii victoriæ.

Et quidem Stahrenbergius, summi Imperatoris laudem promeritus, Gallo-Hispanos primum ad *Almenaram* equestri prælio vicit, multis hostium cæsis; nec sterilis victoria fuit, compluribus Arragoniæ oppidis in potestatem venientibus. Villadarias, rei male gestæ reus, fasces Bayo Marchioni, non feliciori futuro, cedere debuit: Medinacœlius vero Dux, Senatus Princeps, collusionis cum hoste postulatus, Segoviæ primum arctam in custodiam, dein Pampelolonam traductus, interiit.

Saragossa capta.

Altera ad Cæsaraugustam (*Sarragossam*) victoria major & plenior fuit, cæsis aut vulneratis Andegavensium quinque millibus, reliquis fuga dispersis. Victoriæ præmium fuit Cæsaraugusta, seu *Sarragossa*, princeps Arragoniæ civitas, ac pleraque ejusdem provinciæ oppida.

Bayus cum exercitus reliquiis ad Castellæ montes, Philippus vero deserto Madrito Vallisoletum se recepit, suppetias ab Avo exspectaturus. Petiitque, *Vendomium* sibi mitti, qui tutelaris velut Angelus fuit exceptus.

Art.

Art. III.

Stanhopii malo consilio suscipitur rursus expeditio Castiliana. Stanhopius captus. Stahrenbergii virtus.

Fœderatos inter victores multa fuit consultatio, quo maxime fructu tantis victoriis uti oporteat. Plerisque visum, trepido fugientique hosti ocius insistendum: profligato milite facile urbes & provincias subactum iri. Quidam censebant, ad Pampelonam (quam Pompejopolim olim dixere) obsidendam extemplo eundum. Hanc dignum esse victoriæ præmium: ea siquidem in potestatem redacta, occlusam iri Gallis, qua in Hispaniam suppetias veniant, januam. 145. Deliberatio fœd.

Neutra sententia Stanhopio placuit: qui Castellam Madritumque recta petendum statuit; gentis infensæ corpora ferro edomanda, ut animi pervicaces subigantur. Inhorruere ad id consilium, qui pertinacem viri indolem noverant, sapientiores Ductores reliqui. Perdi sic tempus, hostique, ut novis ex Gallia auxiliis exercitum reparet, spatium concedi. Infidam Castellam, & exitiali fœderati nominis odio flagrantem, subtracturam cibaria aut corrupturam. Neque Madritum aliquid ad victoriam momenti afferre: locum apertum, quam facile subeatur, tam prompte, hoste imminente, deseri. Expeditionem Castellanam, quadriennio abhinc susceptam, satis utique documento esse, commodi nihil, detrimenti autem plurimum inde relatum. Stanhopii malum consilium.

Frustra argumenta. Stanhopius Dictatoria velut potestate profectionem Castellanam edicit, secessionem minitatus, ni Carolus sequatur. Parendum igitur fuit, ne gravius noceret. Ingrediuntur iter fœderati: medio Septembri ad Madritum castra consistunt. Carolus Rex salutatur, urbe jam secundo in fidem recepta. Necquidquam exspectatis Lusitanis ultra mensem otiose desidetur. Exesa regione deficiunt alimenta. Miles in rapinas effunditur. Nec sacratis Deo templis a Protestantibus parcitur. Castellani in supremum justi doloris sensum aguntur. Madritum movet exercitus.

Imminente cum reparato exercitu Vendomio, & Noallio novas e Ruscinone in Cataloniam adducente copias, Carolus ad eam defendendam ex Castilia rediit, medio Decembri Barcinonem delatus, ubi magno civitatis gaudio fuit exceptus. Secutus brevi exercitus, postquam trimestri spatio, nullo tanti temporis & operæ pretio, Castellam est depastus.

Stanhop. victus captusque a Vendomio.

Cum inter Duces non conveniret, Stanhopius cum Anglicano suo milite a Stahrenbergio & Germanis secessit, suumque agmen seorsim duxit. Brihuegam, amplum murisque clausum oppidum ingressus, suique tum maxime securus, a Vendomio, callidissimo Duce, cingitur; cumque incassum defensionem opposuisset, cum octo cohortibus Anglicis, una Lusitana, sex turmis, equis & armis, captivum se dedit, consilii sui de expeditione Castellana fructum expertus.

Pugna ad Villamvitiosam.

Actum erat in Hispania de re Austriaca, si in Stahrenbergium & Germanos eadem incubuisset sive ignavia sive incuria. At ille, accepto de Stanhopii periculo nuntio, reflexo mox itinere, urbe jam sociisque captis supervenit: &, quamvis paucioribus esset copiis, cruentum omnino ad *Villamvitiosam* prælium cum Vendomio conseruit. Certatum siquidem utrinque acerrime. Initia pugnæ prosperiora erant Vendomio, finis Stahrenbergio favit. Nox prælium diremit. Stetitque ea nocte alteriusque diei parte Germanus in acie. Andegavensium sex millia, fœderatorum tria cecidisse feruntur.

Inter hæc, dum pernicioso Stanhopii consilio miles fœderatus in Castellanam expeditionem abripitur, Noallius cum novo exercitu e Ruscinone progressus, Gerundam (*Gironam*) amplæ ditionis & permunitam Catalauniæ urbem expugnavit; ut adeo, amissis jam ante Ilerda, Tortosa, Lampurdania &c., e magno Catalauniæ Principatu, præter Tarraconem & Barcinonem, parum superesset. Tanto nempe impendio unius hominis importunum pertinaxque consilium stetit.

Stahrenbergius, ad copiarum paucitatem redactus, ducto prælongo vallo, ad defensionem industriam retulit, donec novis ex Italia Angliaque viribus augeretur. (1710)

Art. IV.

Nova pacis consilia & idea. Gertrudenbergæ Congressus. Anglo-Batavorum crises. Gallorum propositio.

146. Consilia pacis.

Quamvis Præliminare Pacis, superiore anno Hagæ Comitum conceptum, evanesceret, nihilo tamen secius idem negotium hoc anno (1710) medio licet in belli strepitu rursus motum est. A Colberto ad Heinsium Pensionarium venerunt litteræ, quibus significabat,

ficabat, dolere regi, quod illi Præliminarium articulo, quo de Andegavensi Duce, communibus studiis ex Hispania amovendo, tractatum est, non possit subscribere. Mitiorem fieri posse, si Rex spondeat, Nepotem ab avo nullo auxilio adjutum iri: atque in fidei pignus Duacum, Carolomontium, Vinoxbergam pro obsidibus tradat: etsi novum sit, ante pacificationem pacem exequi.

Batavi, belli gravissimi pertæsi, & propter Minoricam, Gibraltariam, proprio velut jure infessas, Gadesque attentatas, Anglicæ navigationis æmuli, a pace minime erant alieni: quapropter contra aliorum fœderatorum sententiam Lutetiam mittunt Betkumium. Is redux inde ad fœderatos retulit, Regem pacem serio optare, petere Conventum generalem: Gallicas ex Hispania deductas copias: viderint fœderati, qua ratione Andegavensem ab Hispania deducant. Ut avus arma jungat in nepotem, nimium esse abhorrens: promptissimam fore viam, si Siciliæ regnum pro Hispanico eidem attribueretur.

Rejecta hæc sunt a fœderatis. Quapropter nova ad Betkumium missa est pacis formula: Rex mox a signata pace Carolum agnoscet Regem Hispaniæ, omniumque, ad eam pertinentium, provinciarum dominum. Nulla nepoti auxilia mittet: in pignus quatuor insignes Belgii urbes tradet. Nullum Borbonii generis Principem ullam Hispanicam provinciam possidere patietur. Argentinam, decem liberas Alsatiæ civitates, & Brisacum restituet. Diruet, quidquid munimentorum a Basilea Philippoburgum usque exstructum est. Hasso-Cassellanum agnoscet Rhenofelsæ Dominum, Hannoveranum Electorem, Borussum Regem, Annam Reginam Britanniæ, Protestanticam stirpem legitimum hæredem. Anglis, Batavis, Sabaudo, ex præliminarium formula satisfaciet: id unum sibi stipulatus, ne conditiones istas ante signatam pacem exequi cogatur, atque, ut duo Electores Bavari restituantur in integrum. Nova pacis idea.

His acceptis, placuit, Gallis Congressum addici, ea tamen conditione, ut præliminaribus a Rege ante tractationem subscriberetur. Rescriptum Parisiis, placere Regi Conventum, in quo de Andegavensi tractetur: quoad reliqua, præliminaria ceu basin substernenda. Displicuit in hoc rescripto, quod nulla fiat mentio de subscribendis præliminaribus, iisque exequendis. Quare Sinzendorffius Cæsaris Legatus epistolam nullo dignam responso censuit. Mitius senserunt Pensionarius, & Buyssius Senator Batavus: commeatusque litteras mittendas judicarunt.

Gertrudenberga, Hollandiæ oppidum Congreſſui locus deligitur. Buyſſius & Duſſenius interlocutores a Republica deſignati, qui Hagam ad commune conſilium referrent.

Gertrudenbergæ Congreſſus.

Comparent ſub medium Martii (1710) a Ludovico Rege Legati duo, Uxellius Mareſchallus, & Polignacus Abbas. Ille de pacis ſtudio præfatus, alterutrum faciendum dixit: Andegavenſem aut armis ab Hiſpania amovendum, aut conditionibus. Vi agerent fœderati, ut luberet. Ut avus in nepotem innocentem arma ſtringat, nec juſtitiæ, nec humanitati, nec regis honori eſſe conſentaneum. Illum legitimo Caroli II teſtamento hæredem inſtitutum; conſultos de juſtitia cauſæ Juris peritiſſimos, Andegavenſi Monarchiam adjudicaſſe. Ipſum Innocentium XII reſpondiſſe, renuntiatione Thereſiæ Delphinum & Burgundiæ Ducem excluſos, ne ſimul Franciæ & Hiſpaniæ Reges eſſent, non autem poſt natos impediri, quo minus ſolum Hiſpaniæ regnum poſſideant. Suo nihilominus fato nepotem, nulla ope ab avo adjutum, relictum iri. Hujus promiſſi obſides quatuor munitas Flandriæ urbes daturum.

Subjecit Polignacus, abiturum regno Andegavenſem, dummodo ſit quo abeat, ut regiam dignitatem tueri poſſit. Facilem Europam bello liberandi viam fore, ſi Sicilia decoro receptui attribuatur, Archiduci maneant cætera.

Quamvis autem hæc pugnare cum Præliminaribus Interlocutores dicerent, quibus tota Hiſpaniarum Monarchia cum omnibus ſuis partibus Carolo Archiduci tradenda ſtatuatur; non tamen Anglo-Batavi ab ea propoſitione multum videbantur alieni: modo certum foret, Andegavenſem ea conditione Hiſpania Indiisque deceſſurum.

Anglo-Batavorum mens.

Neque enim amore Domus Auſtriacæ bella iſta geſſerunt, tot claſſes, exercitus, pecunias contulerunt, ſed ne Franciæ, alias præpotentis, vires nimium augeantur, tum maxime quia gens utraque nautica opulentis ſuis commerciis, velut animæ ſuæ timebat: quippe, ut alias obſervavimus, per indulgentiam poſteriorum ex ſtirpe Auſtriaca Hiſpaniæ Regum, & deſidiam Hiſpanorum, præcipuos Americæ fructus Angli & Batavi decerpſerunt. Formidabant, Borbonii generis Principem non eadem lenitate, & inertia futurum, ſed Franciæ cognatæ exemplo & inſtinctu curaturum, ut Hiſpanis ſuis Galliſque amicis, quam exteris utiliorem faciat Americam, claſſes ædificet, civium induſtriam ad mechanicas artes excitet, aureumque illud flumen, quod Londinum potiſſimam partem

tem

tem & Amstelodamum devolvebatur, in Hispaniam Galliamque derivetur.

Quapropter mercatoriam status sui rationem exigere arbitrabantur, omni ope sumptuque prohibere, ne Gallus Hispania & America potiatur: minus solliciti, quem Dominum Sicilia, aut etiam Neapolis, Sardinia, & Insubria sit habitura.

Aliam prorsus, istisque oppositam, rationem ineundam, sibi putavit Cæsar: Italiam videlicet propiorem provinciis Germanicis, atque ad mutuam defensionem magis opportunam, omnibus, quamvis amplissimis, ultramarinis terris præhabendam. Unde jam Leopoldus Imperator, cum partitionis ille typus excuderetur, Italiam pro semisse sua eligere maluit, quam totam reliquam Hispaniarum, per utrumque orbem porrectam Monarchiam.

Jam vero novam istam, propositam a Gallis, Monarchiæ sectionem, pugnare cum fœdere & præliminaribus initis. Nec minus periculosam fore: ex Sicilia etenim cuilibet vicino, Neapolis maxime Regi, formidini fore ejus gentis Regem: nec Germaniam & Hungariam satis securam, asserebant Austriaci.

Disceptatum dein, num *generali* bello vindicanda sit a fœderatis Hispania, illud videlicet, prout hactenus, partibus omnibus, Germania, Belgio, Italia, Hispania, Lusitania, gerendo, dum patefacta in ipsam Franciam via, Rex nepotem cogeretur evocare, atque adeo prout Eugenii & Marleburgi, militaris gloriæ appetentium, in Gallia debellaretur Hispania. An vero acceptis in pignus urbibus ex præliminarium typo pax ineunda cum Francia, tum vero belli vis universa ad depellendum Andegavensem converteretur. Allatæ in utramque partem grandes difficultates: nec quidquam conclusum: Hollandis pacis cupidine ab utraque abhorrentibus.

Hanc cum adverterent Galli arcum intendendum aliquantum rati, Siciliam, Sardiniam, & Hetruscos portus pro Hispania Philippo petunt: vel horum loco Arragoniæ regnum, aut alterius Principatus ditionem. Cæterum cursorem Lutetia rem attulisse, cum omnibus fœderatis communicandam. Cum autem Sinzendorffius maxime vehementi oratione, ad Heinsium, & geminos Interlocutores habita, acerrime omni Monarchiæ partitioni se opponeret, Franciæ Legati eo Regem descendere asserebant, ut Sicilia & Sardinia pro nepote impetratis, nihil non sit acturus, ut cæterarum provinciarum quieta possessione potiatur Archidux. Voluntatem equidem nepotis non esse in manu avi, metuendumque, ne Castel- **Gallorum propositio.**

 lani

lani eundem vel invitum detineant, aut Europa ejectum in Americam abripiant: ſpem tamen eſſe, ceſſurum Avo ſuadenti. N cedat, quatuor præfiniendos menſes: quibus elapſis, ni Hiſpaniæ renuntiet, Sicilia quoque & Sardinia excidiſſe judicandum, belloque a fœderatis cogendum. Ad id bellum (quod arma jungere impium cenſeat) quoad duraverit, certam pecuniæ ſummam Regem ſuppeditaturum.

Hæc Legatorum oratio captioſa viſa eſt fœderatis, graviterque rurſus adverſus eandem Sinzendorffius, velut meram ludificationem, detonuit: tandemque effecit, ut Legati a Batavis in Franciam remitterentur, acerbe conqueſti, ſe Gertrudenbergæ velut in carcere concluſos, famoſis libellis laceratos, litteras ſuas recluſas, aliisque indignis modis habitos.

Cum itaque Gertrudenbergenſia pacis conſilia evaneſcerent, bellum ubique fuit reſumptum, eaque in Hiſpania anno 1710 geſta, quæ articulo ſuperiore attigimus.

Art. V.

147. *Converſio rerum poſt mortem Joſephi Imperatoris. Fœderis hiatus per receſſum Angliæ. Carolus Cæſar conditiones pacis proponit. Non placent Anglis. Catalaunorum oratio: diſceſſus Imperatricis, & Stahrenbergii cum copiis. Catalauni ſoli reſiſtunt, ſed ſuo malo.*

Converſio rerum poſt mortem Joſephi Imp.

Mors Joſephi Imperatoris, quæ 17 Aprilis 1711 majori Europæ parti luctum indixit, magnam animorum rerumque converſionem ſecum attulit. Anna Britanniæ Regina jam anno ſuperiore ab Auſtriacis partibus alienior, in Gallicas inclinaverat. Jam vero, defuncto Imperatore, Duci Andegavenſi Hiſpaniam deſignabat. Batavi vero ſatius eſſe ad Europæ ſecuritatem putabant, ſi Carolus Archidux & in Germania, & Hiſpania imperaret.

Cum igitur Sinzendorffius claſſem, qua Carolus e Catalonia in Germaniam veheretur, a navalibus ſociis peteret, Angli quidem facile conſentiebant: Heinſius vero Penſionarius eum ex Hiſpania diſceſſum non ita præcipitandum arbitrabatur. Germaniæ provincias Eleonoram matrem ſapienter gubernaturam. Electorum ſuffragia prope manibus teneri, Capitulationem eandem cum Joſephina fore.

fore. Ob diſceſſum Regis Catalaunos, aliosque amicos populos, velut profligatis rebus animos cum armis abjecturos.

Verum Carolus, relicta Catalaunis Eliſabetha conjuge in pignus certiſſimum, & Stahrenbergio belli imperatore, promiſſisque majoribus, quam hactenus accepiſſent, ex Germania ſubſidiis, 27 Sept. claſſe Anglica Barcinone ſolvit, felicique decem dierum trajectu Genuam fuit ingreſſus; indeque ad acceptandam Imperii coronam in Germaniam profectus eſt.

Multa tunc, poſt Gerundæ jacturam & Cataloniæ res in anguſtum redactas, de Hiſpania aſſerenda deliberatio. Claſſis Anglicana ſtabat quidem Olyſſipone in anchoris, ſed debilior erat, quam ut cum hoſtili, Gadibus hybernante, congrederetur. Occupavit Vendomius Venaſcum, commune pluribus annis Miqueletorum, ad rapinas excurrentium, receptaculum. Alia multo fortuna Galli ad Cardonam uſi ſunt, ab ejus oppugnatione cum ſtrage depulſi. At vices reddiderunt Cæſareis ad Tortoſam, quam hi a civibus vocati intercipere tentaverant: ſed proditione detecta ita excepti ſunt, ut cruentis cum capitibus viam reflecterent. Nec ultra quid per virium infirmitatem ſuſcipi poterat.

Quippe ingenti jam hiatu fatiſcebat grande illud Europæ prope univerſæ adverſus Borbonios fœdus, per quod tantæ hactenus erant partæ victoriæ, redactaque ad veteres ſuos propemodum fines Gallia. **Fœderis hiatus.**

Anglia, potiſſima fœderis pars, prima defecit; non enim rationibus ſuis congruum ducebat, ut idem Imperator eſſet & Rex Hiſpaniæ, ac formidanda redeat Caroli V potentia, quin imo major, Hungariæ quoque & Bohemiæ Regnis adaucta. **Per receſſum Angliæ.**

Oxfordiæ Comes regni theſaurarius, *Bullimbrockius*, & *Rabyus* Mylordus Staffordiæ Comes, qui Franciam penitus imbiberant, totius negotii inſtrumenta, Regina & Parlamento, (commiſſis inter ſe Wigſiis & Torriis) in partes ſuas pertractis, pacis propoſitiones, a Gallis oblatas, quibus decretam a Parlamento ſucceſſionem probant, Minoricam & Gibraltariam Anglis cedunt, Dunkerkam demoliri ſpondent, audiendas putarunt, Hiſpaniam & Indias Andegavenſi relicturi. Indicitur Ultrajectum congreſſus generalis. Invitantur ab Anglis ſocii.

At illi, maxime Cæſar, hanc Britanniæ ſeceſſionem ægerrime ferentes, omnem movent lapidem, ut Anglos ad fœdus, hactenus tam glorioſum, reducant. Verum iſti, dominantibus trium viris, *exauctorato Marleburgo*, cujus ſingularis toto hoc bello fortitudo belli- **Marleburgo ſuffectus Ormondus.**

lique

lique experientia per orbem inclaruit, *Butlerum Ormundæ Ducem*, Jacobo Stuarto addictum substituunt. Qui pugnam detrectans in Belgio Eugenium destituit; ut adeo ab eo tempore non modo sisterentur fœderatorum victoriæ, sed res eorum omnino sint retrolapsæ.

Batavi, quamvis graviter ferrent privatam illam Anglorum cum Francis tractationem, atque illius vigore Andegavensi cum America relinqui Hispaniam, Anglis vero Minoricam cum Gibraltaria, condixerunt nihilominus ad congressum Ultrajectensem, reclamante Cæsare. (1712)

Non levis tamen adhuc Gallos inter Anglosque fervebat disceptatio. Nam Regina cautum secure voluit, ne Galliæ & Hispaniæ regna unquam coalescerent. In id tandem conventum, ut Philippus, si Hispaniæ regnum velit retinere, jam nunc renuntiet coronæ Gallicæ, a qua nascendi ordine, sublatis intra anni spatium tribus Delphinis, proxime aberat, solo Ludovico moderno Rege, bienni tunc infante, successionis jure præ Philippo ornato.

Carolus Imp. pacis conditiones proponit.

Hoc negotio Gallos inter Anglosque composito, Cæsar per Hoffmannum, Procuratorem suum Londini cum Oxfordio de pacis conditionibus egit. Itum per tres gradus; primo Hispaniæ Indiæque partem repetit Imperator, & jus extincta Andegavensi stirpe in alteram partem succedendi; ex Italia autem, præter Neapolin & Mediolanum, Siciliam quoque & Hetruscos portus: jus creandi Equites Aurei Velleris, Burgundiæ innexum: Argentinam, ulterioremque Rhenum, prout ante Pacem Westph. ad Imperium pertinuit: tres denique Lotharingiæ Episcopatus.

His conditionibus rejectis, alterum gradum Hoffmannus promit: Cæsarem Italia, Arragonia, Catalonia, Valentia, Ruscinone contentum fore. Hoc quoque exploso, ad tertium descensum: quo Cæsar petiit, Cataloniam saltem, de se tam bene meritam, pro libera Republica declarari.

Non placent Anglis.

Horum nihil placuit Anglis. Satis esse prospectum Europæ securitati, quod Hispania & Francia nunquam in unum regnum conflari possint. Cataloniam, si libera esset, bellorum sedem & vicinorum spolium fore: qua enim ratione se defensuram, quam ne universi quidem fœderati præstare integram potuerint? Sat ei consultum videri, si præter amnestiam, antiqua privilegia retineat. Cætera ad Ultrajectensem pacificationem rejici.

Cæsar

Cæsar, cum cerneret, Cataloniam jam non posse porro defendi, Anglis, Lusitano, Sabaudo, inducias paciscentibus, pro Catalonia & Italia pariter easdem petiit, ea lege, ut Imperatrix, Aulica familia, Catalonia demigrare volentes, Anglica Jenningii classe in Italiam devehantur: Cataloniæ vetera privilegia sint salva: post evacuatam Cataloniam induciæ in Italia etiam obtineant. (1712)

Cum autem Catalauni metuerent, ne ob suam in fide Domus Austriacæ constantiam, Borbonios difficiles experirentur in afferendis pristinis privilegiis & immunitatibus, quibus supra omnes Hispaniæ provincias fuerant potiti, Feranum Comitem Londinum & Hagam ablegarunt cum supplicibus litteris, ad fœderatos datis, quibus sua de fœdere merita commemorabant. Catalaunorum oratio.

Se primos Carolum Archiducem, fœderatorum classe in Hispaniam appulsum, Regem salutasse: ad eripiendam Borboniis Barcinonem animos opemque attulisse: secutam totam provinciam. In ea urbe obsessum a se unis ferme propugnatum: victori Valentiam, Arragoniam, Castiliam suo exemplo & auxilio partam: legiones a se conscriptas, fortunas, argentea supellectili in monetam conflata, impensas: minas, populationes, cruciatus toleratos. post cladem ad Almanzam & Brihuegam a solis perfugium præbitum. Amissa Tortosa, Ilerda, Gerunda, insignibus provinciæ suæ urbibus, Barcinonem, Tarraconem, Cardonam, Ostalricum, adhucdum defendi, & ad extremum defensum iri. An honorificum sibi putarent fœderati, ut socios, per octo jam annos tanta fide & constantia communem causam tuitos, privilegiis exutos, ad miseram servitutem detrudi patiantur?

Æqua petere Reginæ visi sunt. Sed responderunt Borbonii: si ceteris Hispanis æquentur, Angliæ commendationi debituros; vitam, libertatem, fortunas salvas fore, aliud contumaces ne exspectarent: id agerent potius, depositis armis regiæ clementiæ se submittant quantocius.

Post inducias pro Catalonia & Italia anno superiore initas, Imperatrix mense primum Martio 1713 Barcinone Anglica classe discessit, dissimulato abitus die, ne vi retineretur. Tum vero Stahrembergius Mareschallus deserendæ Cataloniæ mandata militibus exponit. Si cui Hispanorum Regis Caroli militiam aut fortunam sequi lubeat, classem Anglicam una conscendere esse integrum. Et conscendit voluntariorum exulum multitudo, quæ magnis deinceps Cæsari impensis stetit. Septembri primum Barcinone solutum, mo- Receffus Imperatricis, Et copiarum.

moras nectentibus Anglis, ne Catalonicæ copiæ usui essent ad Rhenum Cæsari.

Catalauni ad defensionem se parant.

Deserti a Cæsareis Catalauni, animoso magis quam prudenti consilio statuunt, extrema potius omnia experiri, quam amissis privilegiis, præ vita charioribus, idem cum Castellanis jugum subire. Armantur cives, in urbes migrant montani populi: militiæ Præfectos eligunt. Quidquid auri, argenti, gemmarum adhuc in facultatibus, depromunt in medium, ut 20000 provincialium ali queant: annonam conferunt, complent horrea; Miqueleti ad littorum defensionem navigiis impositi disponuntur: stat omnibus firmum, vitam pro libertate dependere.

Obsidium Barcellonæ.

Sub finem Julii Barcino cincta est a Gallo-Hispanis obsidione, per integrum prope annum fortiter tolerata. Cum obsessorum virtus omnia superaret, graviaque obsessoribus damna inferret, Bervicus in castra venit cum instructissima classe & triginta Gallorum millibus, urbique trinam oppugnationem admovet, qua vehementiorem vix ulla vidit ætas: sed neque defensionem pertinaciorem, experimentum dante desperatione, quas vires habeat. Quidquid arma ferre poterat, laicis permixtus clerus, in stationes suas divisi tota vi obluctantur.

Tandem vero, cum hostis propugnacula jam transcendisset, post octo horarum continuum conflictum in has leges se dedere sunt coacti. Res & vita esset salva: direptionem pecunia redimant. Monioviæ arcem, Cardonam, quæque tenerent alia, Philippo Regi suo submitterent: Majoricenses ad idem hortarentur.

Wagn.

Expugnatur.

Tum arma civibus erepta: introducta nova tribunalium & Magistratuum forma: urbis vexillum, senatorum ornamenta, privilegiorum tabulæ publico in foro per carnificem ignibus tradita: rebellionis, ut ajebant, capita ducesque, qui fuga evadere non poterant, ad perpetuos carceres damnati. Ad 60 sacerdotes in exilium missi. Majoricani pari virtute se defenderunt, pari ad extremum eventu.

Art.

Art. VI.

Pacificationis Ultrajectensis initium. Principum Postulata.

Quamvis Ultrajecti de Europæ omnis prope fortunis decernebatur, quia tamen Hispana successio belli & pacis originem attulit, & de illius maxime mutilatione & provinciarum urbiumque in futurum statu agebatur, haud abs re fuerit, si pacis Ultrajectinæ historiam hic breviter pertexamus. 148.

Convenere ad hunc, a Gallis Anglisque delectum locum, a Rege Ludovico Nicolaus Uxellius, Franciæ Mareschallus, Argentinæ & Alsatiæ Gubernator, Melchior Abbas Polignacus, qui Gertrudenbergensi conventui jam interfuerant; additus Mesnagerus a Secretis. A Regina Angliæ Robinsonus, Bristolensis Episcopus, ac Staffordiæ Comes, qui Legatione ad Batavos fungebatur. Sinzendorffius, & Mendoza, Legati Cæsarei, Hagam concesserunt.

Ultima Januarii 1712 primus Ultrajecti congressus est habitus, tribus Gallis, duobus Anglis, totidem Sabaudis, quatuor Batavis Legatis constans. Cæsarei, habita deliberatione Haga Ultrajectum se contulerunt, cum Lusitanis, Borussis, Palatinis, Hassis &c.

Galli pacis suæ typum primi protulere, cujus hæc sunt capita.

1. Franciæ Rex agnoscit Annam pro Regina Britanniæ, & statutam successionem pro legitima.

2. Dunkerkam pro æqua compensatione diruet: Insulas nempe & Tornacum pro ea recipiet.

3. S. Christophori insulam, sinum, fretum Hundsonium, Acadiam cum Portus Regalis munimento, Terræ Novæ insulam in America Septentrionali Anglis cedet.

4. Batavis Hispanici Belgii pars, nuper Bavaro ab Andegavensi donata, sit pro limite; cui ampliando Rex de suo Ipras, Meninam, Furnas, Knockii castrum adjiciet. Eorum autem loco Duacum, Bouchainum, Ariam, S. Venantii Fanum recipiet.

5. Commercii ratio sit, quæ Risvicensi pace convenit. Cæteræ Nationes in Hispaniam, Indiamque, ut sub Caroli II mortem navigent.

6. Efficiet Rex, ut Andegavensis jus omne in Neapolim, Sardiniam, Mediolanum abdicet, si Austriaci vicissim reliquas Monarchiæ partes abdicent; indeque copias mox deducant.

7. Nunquam Franciæ & Hiſpaniæ regna in unum coaleſcant.

8. Germaniæ limes Rhenanus idem eſto, qui ante hoc bellum.

9. Colonienſis & Bavarus Electores in integrum reſtituantur.

10. Rex Boruſſum Regem, Hannoveranum Electorem agnoſcit.

11. Sabaudiam inter & Franciam priſtinus limes figatur.

12. Idem in Luſitaniæ regno fiat.

13. Monaſterienſis, Neomagenſis, Riſvicenſis, pacificationes vim ſuam obtineant, niſi quid hac pace derogetur.

Hic Gallorum typus pacis fœderatis diſplicuit, maxime vero Cæſari: qui Eugenium Principem in Angliam proterea Legatum miſit, ut de proxima belli expeditione agat. Sed in Anglica Aula, quam triumviri verſabant, in Gallos & pacem prona, nihil effectum.

Poſt varias autem dimicationes 5 Martii 1712 Fœderatorum Legati ſuorum pariter Principum poſtulata Ultrajecti produxere.

Et quidem *Cæſareus* Imperii nomine repetiit,

Singulorum poſtulata.

1. Quidquid per Monaſterienſem, Neomagenſem, Riſvicenſem pacem a Gallis fuit detractum.

2. Circulorum Rhenenſium ſecurum limitem.

3. Lotharingiam, prout ante Carolum IV fuerat, a regio homagio liberam.

4. Pro Domo Auſtriaca totam Monarchiam Hiſpaniarum, exceptis iis, de quibus cum Luſitano & Sabaudo convenerit.

Anglus præter ea, quæ privata tranſactione, de agnitione Reginæ, ſucceſſione Proteſtantica, Dunkerkæ demolitione, commerciorum commodis, Minorica & Gibraltaria, atque de Americæ Septentrionalis terris, ſibi jam fuerat ſtipulatus, petiit inſuper, ut Prætendens longe a Galliæ finibus arceatur: ſociis & amicis ex æquo ſatisfiat. Quartus pacis Riſvicenſis de Religione articulus eradatur.

Batavi petierunt.

1. Ut Belgium Hiſpanicum, nominatim, quæ a Gallis adhucdum poſſidebantur, Luxemburgum, Namurcum, Caroloregium, Neoportus Imperatori redderentur.

2. Bello vero per fœderatos acquiſita, Menina, Inſulæ, Duacum, Tornacum, Aria, Teroana, S. Venantium, Bethunia, Bouchainum, cum ſuis ditionibus, in plenum Batavorum dominium cedant.

3. Eo-

3. Eodem proprietatis jure a Gallis Reipublicæ tradantur Furnæ, Dixmuda, Ipræ, Valencienæ, Warnetonium, Warvicum, Poperinga, Caffella, Condæum, Malobodium, cum horum territoriis, tabulariis, & omni bellico apparatu.

4. Huyæ, Leodii, Bonnæ præſidia ſint Batavica.

5. Commercia eadem, qua Riſvicenſi pace, ſint ratione.

Ex quibus ſane enormibus poſtulatis liquido patet, pro quo Angli & Batavi bellum geſſerint: certe non pro Domo Auſtriaca, ſed pro ſe ipſis. Conteſtati fuerant initio fœderis, nihil de Monarchia Hiſpanica pro ſe petituros, ſed id unum per fœdus & bellum ſpectare, ut impediant, ne Domus Borbonica, cum alias nimium, quam Europæ ſecuritati expediat, potens, acceſſionibus augeatur: quapropter totam Monarchiam cum omnibus provinciis Carolo Archiduci aſſerturos. Sed finis oſtendit, quam alia fuerit mens atque intentio.

Luſitanus poſtulavit, ut Tarraco, & extrema ad Amazonum flumen in Braſiliæ finibus regio, in perpetuam Luſitanorum ditionem cedat. Reliqua Monarchia Hiſpana ſoli Carolo reſtituatur.

Boruſſus Regium titulum, Auriacam hæreditatem, Neocomenſem & Valanginum Comitatum, Geldriam item urbem cum territorio prætendit.

Sabaudus Hiſpanicam, poſt Domum Auſtriacam, ſucceſſionem, Philippi IV teſtamento aſſertam: Nizzæ & Sabaudiæ Comitatus, Feneſtrellam, Exillas, ac cis Genebram montem valles omnes: in compenſationem vero tot munitionum dirutarum arcem Monoecii, Montis Delphini, Brianſonis, Barrovii.

Trevirenſis Aſſociatorum Circulorum nomine limitem, ad Monaſterienſis pacis normam, ſibi vero urbem Trevirim, ac Saræpontum depoſcit

Palatinus ſuperiorem Palatinatum:

Würtembergenſis, cæterique fœderati, damnorum, bello illatorum, compenſationem petierunt.

Ad hæc poſtulata reſpondit Polignacus 30 Martii, ſibi a Rege commiſſam poteſtatem, ſuperiorum pacificationum more, cum ſingulis ſeorſim tranſigendi. Placuit hæc ratio Anglis, non vero fœderatis cæteris: ſeorſim cum ſingulis paciſcendo ſolvi unionem fœderatorum, quosdam largioribus conditionibus, relictis reliquis, in pacem privatam abſtractum iri, exemplo pacificationis Neomagenſis & Riſvicenſis pernicioſo. Galli ſub initium Maji ſe reſponſuros pollicentur.

 Verum

Verum, dum legatorum ſinguli ad Principes ſuos referunt, variæque Gallos inter Anglosque de abdicatione Philippi, de commerciis, fœderatorum poſtulatis, cum variis legationibus & nova expeditione bellica intercederent, annus 1712 abiit, & primum 11 Aprilis 1713 Ultrajecti ad pacis concluſionem deventum. Neque tamen univerſalis illa fuit, ſed ſolos inter Gallo-Hiſpanos ex una, & Anglos, Luſitanos, Boruſſos, Sabaudos, Batavos, ex altera parte concluſa, Cæſare & Imperio, quibus usque ad 1 Junii tempus deliberandi datum, contra id genus pacem publice proteſtantibus. Tranſactionis autem hæc erat ſumma.

Art. VII.

Pax Ultrajectenſis.

149. 1. Rex Chriſtianiſſimus Hannoveranæ in Regnum Britanniæ ſucceſſioni (anno 1708 a Parlamento definitæ) nihil obſtabit.

2. Jacobo Stuarto, Jacobi II filio, nullum in ditionibus ſuis domicilium præbebit.

3. Cavebit, ne unquam ſit idem Franciæ & Hiſpaniæ Rex: cujus conjunctionis metu bellum hoc maxime exarſit.

4. Ea de cauſa mutuæ Andegavenſis in Franciam, & Principum Regii ſanguinis in Hiſpaniam renuntiationes, ſacroſanctæ habentor.

5. Galli ex Hiſpano-Indico commercio non majoribus prærogativis aut emolumentis potiantur, ac Carolo II regnante.

6. Dunkerckæ portum quinque menſium ſpatio ſuis ſumptibus Rex ſolo æquabit.

7. Reſtituet Anglis fretum Hundſonium, Inſulam S. Chriſtophori, Acadiam, (ſeu Novam Scotiam) urbem Portus Regalis ſic, ut incolis Canadenſibus non niſi 30 leucis a litore ſit piſcatus, Inſulam Terræ Novæ cum Placentiæ caſtro, ſic tamen, ut neque Galli piſcari, & piſces in adſitis tuguriis deſiccare prohibeantur.

8. Quartus articulus Riſvicenſis de Religione ad normam Pacis Weſtph. redigatur.

Et hæc quidem Francia in *favorem Angliæ* concedere debuit, Philippus V vero Rex Hiſpaniæ multo plura his legibus:

1. Nigrorum mercatu Angli deinceps fruantur iisdem conditionibus, quibus Galli hucusque.

2. Gibral-

2. Gibraltaria civitas, arx, portus Anglis cedantur, quin tamen agri quidpiam, vel cum vicinis commercii sibi arroget.

3. Minorica Insula cum portu Magonis pariter Anglis tradatur, ea tamen conditione, ne Judæis domicilium, aut Mauris pyratis perfugium ibidem permittatur. Incolis vero libera sit religio, secundum leges tamen Angliæ.

4. Catalauni iisdem, quibus Castellani, legibus reguntor: abolitis tamen veteribus privilegiis.

5. Rex Catholicus Siciliæ Regnum Duci Sabaudiæ attribuat.

Præter Regnum Siciliæ *Dux Sabaudiæ* magna alia ex hac pace emolumenta retulit. Nempe

1. Restituet Francia Comitatus Sabaudiæ & Nizzæ:

2. Valles, Pragelanam, Ulsiam, Sesanæ, Bardonachæ.

3. Cedet munimenta Exillæ & Fenestrellæ, Montis Delphini; ut adeo summa montium juga pro limite sint, ulterior vero Barcellonetæ Vallis sit juris Gallici.

4. Ex Mediolanensi agro pars Alexandrinæ & Valentinæ ditionis, cum Langarum feudis, & Vigevano, Duci obveniat, sub sponsione Galliæ, Hispaniæ, & Angliæ.

5. Cum Siciliæ regno Regium titulum consequatur.

6. Extincta Andegavensi stirpe Dux in omnes Hispani regis ditiones succedat.

Rex *Lusitaniæ* his conditionibus pacem iniit:

1. Francia nihil juris habeat in terras, flumen inter Amazonum & Pinsonium ad caput usque Boreale porrectas.

2. Litus Amazonium utrumque Lusitanici juris esto.

3. Nec Galli trans Pinsonis fluvium, nec Lusitani Cajenam negotientur.

Borussus his legibus accessit:

1. Copias omnes, adversus Franciam adhibitas, domum revocabit, excepta rata parte, quam Imperio debet.

2. Eidem Geldria civitas cum amplissimis Dynastiis, salva tamen Catholica Religione, asseritur.

3. Comitatus item Neocomensis, & Valengini supremus dominatus.

4. Auriacum Principatum cum annexis in Francia & Burgundia fundis in Regem Galliæ transfert, receptis tamen ab eo quatuor millionibus librarum.

5. Fas tamen ei ſit, Auriaci Principatus titulum & inſignia gerere.

6. Hujus pacis vindex & ſponſor eſto Britannia.

Batavi his conditionibus a Cæſaris & Imperii partibus fuerunt abſtracti.

1. Eorum bono Auſtriacæ Domui ceditur Belgium Hiſpanicum, quale ſub mortem Caroli II fuit:

2. Galliæ autem Rex inſuper Imperatori cedat Tornacum, Meninam, Knockium, Ipras, Düxmidam.

3. Luxemburgum vero, Namurcum, Caroloregium, Neoportum, Batavi ſuis præſidiis occupent, ſervatis tamen Bavariæ Electori fructibus, donec in integrum reſtituatur. Reliqua concernunt commercium Batavorum.

Alius poſtea tractatus de Limitaneis urbibus, quas ad ſuæ Reipublicæ ſecuritatem Batavi præſidiis cuſtodiant, anno 1715 cum Cæſare fuit initus.

Tandem etiam Cæſari & Imperio oblata pax eſt, qualem Galli Anglique conceperant:

1. A ſubſcripta pace Archidux Carolus *Imperator*, Dux Hannoveranus Elector ſalutator.

2. Germaniæ fines iidem ſint, qui a pace Riſvicenſi, videlicet, ut Rhenus ditionis utriusque ſit medius.

3. Briſacum & Kehla Imperio reſtituuntor.

4. Ludovicia munitio, & alia ad Rhenum munimenta diruuntor.

5. Landavia Auſtriaci juris eſto.

6. Regnum Neapolitanum, cum quatuor Hetruſcis portubus, Imperatori relinquatur:

7. Prout etiam Ducatus Mediolanenſis, iis exceptis, quæ anno 1703 Duci Sabaudiæ pacto ſunt ceſſa.

8. Belgium Hiſpanicum Imperator iis conditionibus obtineat, quas limitis cauſa cum Batavis inierit.

9. Urbs Geldria cum annexis dynaſtiis Regi Boruſſiæ traditor.

10. Colo-

10. Coloniensi dignitas Electoralis, sacerdotia, prærogativæ pristinæ restituuntor.

11. Bonna diruitor. Leodium & Huya Batavico præsidio tenentor.

12. Bavaro vero Electori ditio omnis, ut ante bellum, restituitor: superiore Palatinatu excepto. (*mutatum in pace Badensi*)

13. In hujus compensationem idem Elector Sardiniæ Rex esto. (*pariter mutatum*)

14. Luxemburgi & Namurci proventus interim percipiat, donec reapse possessionem Sardiniæ inierit.

15. Amnestia ad Hispanos, Italos, & quamvis Nationem pertineat.

16. Ursinæ Principi in agro Luxemburgensi vel Limburgensi fundus quispiam Principatus titulo cum 30000 Scutatorum proventu assignator.

17. Has conditiones nisi Imperator usque ad calendas Junias acceptet, bellum habeto.

Cur Principi Ursinæ Principatus fuerit designatus in Belgio, unde est; quod illa (Tremovillii Principis filia, ac Flavii Ursini, Bracciani Ducis, vidua) diu in aula Madritensi versata, & tam aulam ipsam, quam regios liberos moderata, eam apud Philippum V inierit gratiam, ut in meritorum præmium Ducatum Limburgensem in Belgio eidem donaret. Quapropter Aula Madritensis, & Parisina in hac pacificatione vehementer institit, ut Cæsari, cui cedendum erat Belgium, onus imponeretur, erigendi huic fœminæ Principatum, qui 30000 Scutatorum annuos proventus ferret.

Ludovicus XIV hac pace id est consecutus, ut Nepotem Hispaniæ Regem videret. Sed ad hoc opus non erat bello, quod tanto hominum aurique impendio stetit, quo Christiani fines ad Indias usque proferri potuissent: quippe Leopoldus Imperator, partitione illa Hagensi, ante Caroli II mortem facta, adactus, totam Hispaniam, cum Minorica, Gibraltaria, Indiisque relinquere Borboniis voluit, sola sibi Italia servata, & Belgio, quibus si Ludovicus fuisset contentus, haud paulo majori Invicti Herois gloria obiisset: nec vidisset, Franciam suam tot clades immanes passam, & in summa adductam discrimina. Sed voluere Superi, ut utraque fortuna summum Principem probaret.

Art. VIII.

Magnatum promotiones. Alberonii noxia molimina novum bellum concitant. Invaſa Sardinia. Et Sicilia. Claſſis Hiſpana bis victa. Alberonii poſtulata. Diſſenſio cum Papa. Gallia contra Hiſp. Expeditio in Scotiam infauſta.

150. Del Judice. Anno 1715 Cardinalis Franciſcus *de Judice*, natus quidem Neapoli, oriundus autem Genua, qui gratia Regis exciderat, ita cum eo eſt conciliatus, ut non modo primus Aulæ Miniſter, ſed ſupremus etiam Aſturiæ Principis Moderator ſit conſtitutus. Verum anno ſequenti dignitatibus iſtis rurſus fuit exutus.

Franciſcus Maria *Picus*, quod Philippi V partes eſſet ſecutus, amiſit *Mirandolam*, quam Cæſar anno 1711 Duci Mutinæ vendidit. Picus. Picus in Hiſpania propterea hoc anno ſupremus Stabuli Præfectus eſt renuntiatus, attributis in annos ſingulos 36000 aureis. Cellamarius vero Neapolitanus pariter in Hiſpaniam diſceſſit, miſſusque eſt Legatus in Galliam.

Loco P. Robineti Confeſſarius Regis lectus eſt P. Daubenton S. J.

Poſtquam Rex Philippus ope Gallorum Barcinonem cum reliqua Catalaunia in ſuam poteſtatem redegerat, multi in Majoricam fugerunt, ut Inſulam illam defenderent, ſed claſſe Gallica juvante fuit expugnata; exſpectato fruſtra Neapoli auxilio.

Anno 1716 Jacobus Dux de Bervick, Jacobi II Angliæ Regis filius naturalis, Mareſchallus Franciæ, rebus bello præclare geſtis notiſſi- Dux de Liria. mus, filio ſuo ejusdem nominis Principatum *Liria* in Regno Valentiæ ſitum, ceſſit. Unde poſtea dictus fuit *Dux de Liria*, frequentioribus legationibus adhibitus.

Unica claſſe hoc anno decem thalerorum milliones ex America advecti dicuntur.

Anno 1717 novum ſubito & inexſpectatum prorſus bellum ab Hiſpania erupit. Venetis claſſem validam adverſus Turcas miſſurus erat Rex, decimasque etiam Eccleſiaſticas, per Hiſpaniam colligendas a Papa obtinuerat.

At perverſo Cardinalis Alberoni conſilio claſſis illa, quam Sardinia invaſa. Marchio de Leede ducebat, reflexo itinere *Sardiniam* invaſit, Cæſarique, in bellum Turcicum tunc abſtracto, eripuit.

Tota

Tota Europa tam improvisa irruptione attonita causas requirebat, quæ Regem Catholicum, alias pientissimum, ad tam inopinatum bellum potuissent impellere. Necdum equidem Cæsarem inter & Hispanum pax erat composita; Molines Hispanus, Auditor Rotæ Romanæ, fuerat interceptus, & in Castellum Mediolanense abductus. Querebantur de adjutis post Pacem Risvicensem Catalaunis & Majoricanis. Sed hæc, qualiacunque fuerint, visa non erant tanti, ut propterea Cæsarem e mediis adversus juratum hostem Christiani nominis relatis victoriis avelli oportuerit.

Clemens ipse Papa XI per litteras ad Regem datas paterne conquestus est. Non dubitasse se dicebat, naves expeditas cum Christiana classe fore conjungendas adversus Turcam; summo autem cum dolore acceptum nuntium, Regem a malevolis deceptum in Christianos arma convertisse: de quo facinore supremo Domino sit reddenda ratio, a malignis maxime consiliariis: neque enim, quod fides Regi data forte videatur violata, Deo datam esse frangendam. Rogat dein Pontifex paterneque monet, ut arma adversus Muselmannos vertat.

Verum *Alberonius*, telam pertexendam ratus, adversus potentissimos Europæ Monarchas, Imperatorem, Regesque Galliæ & Angliæ, qui per fœdus Londinense coiverant, viribus suis confisus, bellum prosequi statuit. Alberonii molimina.

Igitur anno 1718 Archithalassus Castagneta, 40 bellicis, & 400 minoribus armatus navibus, Siciliam, quam Pax Ultrajectensis Duci Sabaudiæ addixerat, invasit, atque ad Panormum ad triginta militum millia, quibus Marchio Leedeus præerat, exposuit, qui mox viginti Siculorum millibus, ad Hispanos confluentium, aucti sunt. In Siciliam.

Tantæ moli resistere non poterat Maffeus, Prorex Sabaudicus; sed præter Messinam, Syracusas, Trepanum, & Melassum tota Insula in Hispanorum potestatem venit.

Verum mox Hispanica classis ingens vulnus accepit. Nam Bingsius Anglicæ classis Præfectus, assumptis ex regno Neapolitano sex Cæsareorum millibus cum 21 bellicis Siciliam versus navigavit. 11 Aug. consertum navale prælium haud procul Syracusis, continuatum 13tia. inter Siciliam & Melitam, tanta Hispanorum strage, ut sex eorum naves penitus conflagrarint, 14 sint ab Anglis captæ, reliquæ dispersæ. Captivorum numerum ipse classis Præfectus Castagneta auxit, atque haud multo post Catanæ ex vulnere decessit. Classis Hisp. bis victa.

Post tantam nihilominus cladem Hispani in Sicilia Messinam hoc eodem anno expugnarunt; tantosque adhucdum Alberonius gerebat spiritus, ut quadruplicis fœderis sociis has conditiones proposuerit.

Postulata Alberonii.

I. Sicilia & Sardinia Hispaniæ perpetuo incorporatæ sunto.

II. Cæsar Duci Sabaudiæ ex Ducatu Mediolanensi pro Sicilia æquivalentem portionem cedito.

III. Italiæ Principibus satisfactio præstator.

IV. Cæsaris copiæ, in Italiam missæ, revocantor.

V. Cæsar in Italicis suis provinciis milites ultra certum numerum non habeto.

VI. Nec successioni in Ducatibus Florentino & Parmensi se immiscito.

VII. Nec eos pro feudis Imperii habeto.

VIII. Rex Angliæ classem suam ex Mediterraneo quamprimum revocato.

Dissensio cum Papa.

Mirabatur orbis, qua ratione Hispania, post pacem Ultrajectensem, in id genus consilia potuerit abripi, ut contra potentissimos Europæ Monarchas, per fœdus quadruplex unitos, viribus maritimis gemina gravi clade jam fractis, potuerit insurgere; præsertim cum & Sabaudus propter Siciliam accessisset hostis, & barbari Marochiani in Africa Ceutam oppugnarent, quin & cum summo Pontifice gravis dissensio intercessisset.

Siquidem ille, indignatione adversus Cardinalem Alberonium, propter motum bellum concepta, ad Archiepiscopatum Hispalensem, a Rege nominatum, instituere detrectavit, inhibuitque, ne decimæ Ecclesiasticæ, propter bellum Turcicum indultæ, adversus Christianos impenderentur.

Quare ab Aula Hispana Nuntio Apostolico datum abeundi consilium; Hispani Roma avocati, sublatum commercium, prohibitæ Annatæ, incentore Alberonio, S. R. E. Cardinale.

Anno 1719 Mercius 15000 armatorum in Siciliam duxit, Melassum obsidione liberavit, commissoque prælio, in quo, ancipiti victoria, multi, etiam Duces, ceciderunt, Messinæ castella expugnavit.

Gallia contra Hisp.

Gallia quoque, indicto vigore quadruplicis fœderis Hispanis bello, missoque cum exercitu Bervickio, superatis Pyrenæis Biscajam invasit, atque Fontarabiam cum Fano S. Sebastiani expugnavit. Adversus Gallos Rex Philippus ipse expeditionem suscepit, persuasus ab Alberonio, qui eum comitatus est, adversus primum Regii sangui-

nis

nis Principem nullum Gallum pugnaturum. Sed per mortem Ludovici XIV ſciſſum fuerat vinculum, quo Regnum utrumque erat colligatum.

Alberonius, ut Anglos diverteret, expeditionem in Scotiam adornavit, accerſito etiam Jacobo Stuarto, exule Rege Angliæ, quem *Prætendentem* vocant. Aderant Coronnæ, Gadibus, aliisque Hiſpaniæ portubus paratæ multæ naves, ſed pelago immiſſæ ventorum turbine disjectæ ſunt pleræque, paucis ad Scotiæ litora appulſis: ubi expoſitis aliquot centenis militibus, fruſtra exſpectabantur Scotorum auxilia; ac proin etiam hæc expeditio finem ſuum non obtinuit; quin imo Anglos excivit, ut Galliciam invaderent & ſpoliarent. Jacobus vero Rex, ſpe ſua fruſtrata, Romam rediit. Expeditio Scotica.

Art. IX.

Alberonii ruina. Ejus vita. Hiſpaniæ mutatio. Africana expeditio.

Tandem vero ſub finem hujus anni rerum ſcena penitus eſt immutata. Quippe Rex Philippus, cum experientia nimium pretioſa didiciſſet, quo Alberonii inquietis conſiliis eſſet præcipitatus, quot amiſſæ claſſes, quot hominum millia cæſa, quot auri milliones projecti, quot expeditiones fruſtratæ, ac denique cum potentiſſimis hoſtibus adhuc eſſet depugnandum, aliam omnino rationem ſibi ineundam duxit. 151.

Ab auctore tot calamitatum factum initium, Alberonio, inquam, cui primum Aula, tum vero tota Hiſpania fuit interdictum. Excedendum igitur fuit illico, amiſſis ampliſſimis, quas in Hiſpania obtinuerat, Dignitatibus & fortunæ opibus, atque, ne quidem ſalutatis Rege & Regina, repetenda Italia, natalis patria. Alberonius dimiſſus.

Natus ſiquidem fuit Julius Alberonius Placentiæ anno 1664, patre hortulano, cui adoleſcens operam navabat, poſtea vero ſtudiis. Presbyteratus Ordine ſuſcepto nepoti Archiepiſcopi Placentini præceptor eſt adhibitus. Innoteſcens hac occaſione Duci Vendomio, qui Gallicis in Italia copiis præerat, anno 1706. Ejus natales &c.

Ab eo in Galliam, atque ad expeditionem Belgicam ductus fuit, inde vere anno 1710 ad Hiſpanam. Ubi apud Philippum Regem ita ſe inſinuare noverat, ut in variis tractandis negotiis ejus opera uteretur,

retur, maxime anno 1714 in contrahendis ſponſalibus cum Eliſabetha, Parmenſi Principe.

Negotiis iſtis feliciter confectis tantam apud Regem & præſertim Reginam, popularem ſuam, iniit gratiam, ut primum Epiſcopus Malacenſis, dein vero Archiepiſcopus Hiſpalenſis, quin & primus Miniſter regni ſit renuntiatus. Summus Pontifex purpuram addidit, rei Catholicæ profuturam ratus. Sed, quod vidimus, vehementer ſua eum ſpes fefellit.

Mirabitur fortaſſe quiſpiam, qua ratione Hiſpania, quæ tempore Caroli II penitus jacebat, & nec uni hoſti retundendo par erat, terreſtri & maritima potentia languente, nunc vero decem annorum bello exhauſta, potuerit geminam prævalidam claſſem mari committere, ſimulque terreſtrem exercitum geminum hinc Gallis in Biſcaja, illinc Cæſareis, Anglicis, Sabaudicis copiis in Mediterraneis Inſulis opponere: ſi quis, inquam, hoc miretur, is apud ſe perpendat, velim, ingens diſcrimen gubernationem inter novam & antiquam, præſertim, quam deſpoticam rationem regendi tenuerit Alberonius, qui non minore poteſtate Hiſpaniam, quam Richelius olim aut Mazarinus Galliam, moderabatur.

Mutatio Hiſp.

Is enim Provinciarum privilegia, & grandes penſiones ſuſtulit, atque Collegia in aliam formam redegit, flumen argenteum, alio derivatum, mutato alveo in Hiſpaniam direxit, Indiasque, quarum opes ad exteros fluxerant, excitata Hiſpanorum ignavia, erectisque fabricis, domino ſuo fœcundas eſſe voluit, uberrima gaza inde advecta; privatorum denique pinguedine ærarium publicum ſaginavit, Grandesque Hiſpaniæ eo permovit, ut propriis ſumptibus milites legerent, navesque fabricarent. Quibus aliisque artibus effecit, ut, demptis etiam Italicis Belgicisque provinciis, major eſſet Hiſpaniæ terra marique potentia, quam ante a centum annis fuerit. Sed hæ ipſæ artes grande illi apud Hiſpanos exterosque odium conciverant, ut omnes ejus caſum lætis oculis aſpicerent, moxque revocati priſtinis ſuis muneribus reſtituerentur, quos exules fecerat.

Porro Cardinalis Alberonius poſt ſuum ex Hiſpania diſceſſum in ditione Genuenſi adeo clam latuit, ut diu nemo ſciret, quo deveniſſet; tandem vero detectus, a Pontifice, rationem redditurus, Romam citatus eſt. Sed, male fortaſſis ſibi conſcius comparere noluit, nec Genuenſes eum volebant adigere. Anno dein 1721 mortuo Clemente XI invitatus a Cardinalibus ad Conclave, datis ſecuritatis litteris, comparuit. Electo Pontifice juſſus eſt Romæ ſubſiſtere,

Alberonii fata.

ſtere, & exitum ſui proceſſus exſpectare. Tandemque poſt multa utrinque ventilata ad commorationem aliquot menſium in monaſterio condemnatus eſt, documento futurus poſteris, quam noxius ſit zelus, qui non eſt ſecundum ſcientiam.

Dejecto a poteſtatis apice Alberonio, ſuffectoque in ejus locum Marchione *Grimaldo*, Rex conſilium iniit, qua ratione tantis e turbis ſeſe evolveret. Nihil viſum opportunius, quam accedere ad Fœdus Quadruplex, quieti Europæ intentum. Subſcripſit proin illi 26 Jan. 1720. Revocatus cum milite ex Sicilia Leedenſis; tradita illa Cæſari, Sardinia vero Duci Sabaudiæ.

Reducta, finito bello Italico, videri poterat pax Europæ; at hærebat adhuc Hiſpaniæ ſpina, quam evulſam magnopere cupiebat. Incubare nempe Anglos Minoricæ & Gibraltariæ æquo animo ferre non poterat, easque omni occaſione repetebat. Gallia tot milliones, in bellum ſucceſſionis Hiſpanicæ impenſos, compenſari optabat, tantaque erat ultro citroque prætenſionum farrago, præſertim circa ſucceſſionem in Ducatu Florentino & Parmenſi, ut ad pacem univerſalem firmiter concludendam, novo congreſſu opus videretur, qui ſub finem hujus anni 1720 *Cameracum* fuit indictus.

Metum interea novum injiciebat novus in Hiſpania belli apparatus. Traductæ ex Sicilia copiæ, multisque incrementis auctæ, ſuſpicionem ingerebant, Gibraltariam peti. Et fortaſſis fuiſſet hæc meta, niſi provide vigilaſſet Anglia. Suſcepta autem, ductore eodem, qui in Sicilia imperaverat, Marchione Leedenſi, in Africam fuit expeditio, ubi Imperator Marochii jam a 26 annis Septam, ſeu Ceutam obſeſſam habuerat. Ter cum barbaris dimicatum, ter cæſi ſunt, ſed identidem majori numero reverſi. Cum igitur exiguus eſſet victoriarum fructus, impoſito Septæ quinque millium præſidio, copiæ in Hiſpaniam anno ſequenti (1721) ſunt revocatæ, eo quidem operæ pretio, ut tres, ut fertur, thalerorum milliones & 5000 capita huic bello Africano ſint immolata. Nam Barbari, prout ante, rurſus obſederunt Septam.

Africana expeditio.

Cauſa eventus minus felicis refertur in Duces quosdam Hiſpanos, quorum æmulatio & invidia graviter ferebat, Marchionem de Leede, hominem exterum (Belgam videlicet) *Grandem* Hiſpaniæ primæ claſſis, Cataloniæ Gubernatorem, & ſupremum belli, Italici & Africani, Ducem fuiſſe creatum. Jacturam, utroque bello incurſam ſolata eſt claſſis Indica, argento auroque onuſta, ad viginti thalerorum milliones æſtimata.

Art.

Art. X.

Tergemina ſponſalia Borbonica. Cameracenſis congreſſus. Pax bello ſimilior. Philippus V abdicat coronam, eamque reſumit, mortuo Ludovico filio.

152. Tergemina ſponſalia. Hiſpania, pro qua ſanguini ſuo aſſerenda tam grave, diuturnum ac pretioſum bellum geſſerat Ludovicus XIV, poſt hujus mortem ſeparatas a Gallia rationes iniit; quin bello etiam fuerunt colliſæ. At vero anno 1721 ad finem vergente, arctiori rurſus vinculo ſunt colligatæ. Factum id eſt tergeminis ſponſalibus. Primo contractæ ſunt a Rege Ludovico XV cum Anna Victoria, Philippi V filia ex ſecundo matrimonio, quæ tres duntaxat annos erat nata, & ſequenti anno Verſaliam, ut ibi educetur, fuit abducta.

Altera ſponſalia ſunt inita inter Ludovicum, Principem Aſturiæ, filium Philippi V natu maximum, ex primo matrimonio ſuſceptum, & Eliſabetham Mompenſeriam, Ducis Aurelianenſis, Galliæ Regentis filiam ſeniorem. Ille 14, hæc 12 annos ætatis habebat.

Tertium contractum ſponſalitium celebrarunt, Carolus, Hiſpaniæ Regis primus filius, ex ſecundo matrimonio, videlicet ex Eliſabetha Parmenſi progenitus, & Philippina Bellijocenſis (*de Beaujolois*) Ducis Aurelianenſis juniore filia. Ille quintum, hæc ſeptimum ætatis annum agebat. Ab eo proin tempore communes utriusque regni erant rationes, Cæſare Angloque, ut æquilibrium ſervetur, altera in lance poſitis. Verum hæc pacta ſponſalitia deſtituit conſtantia.

Cameracenſis congreſſus. *Cameracenſis Congreſſus*, hoc anno cœptus, parum ad rei ſummam proficiebat. Cæſar poſtulabat, ut non modo Philippus Rex, ſed etiam Ordines Hiſpaniæ renuntiarent omnibus provinciis, quas Cæſar in Italia & Belgio poſſidebat. Francia voluit, ut aliqua fieret compenſatio pro ſumptibus in bellum ſucceſſionis impenſis. Anglia Minoricam & Gibraltariam ſibi in perpetuum aſſertam optabat. Hiſpania vero quoad hæc omnia in partem oppoſitam nitebatur. Difficultates quoque circa ſucceſſionem Caroli Principis in Ducatus Florentinum & Parmenſem congreſſum fatigabant. Cæſar tanquam feuda Imperii conferre illos volebat: pro Carolo ceu bona allodialia ſunt petiti.

Ut autem in omnes caſus Hiſpania expedita foret, finitis licet bellis armabatur, ſtatuitque, pacis etiam tempore 70000 virorum alere,

alere, interque eos 54000 peditum, & 16000 equitum, quibus Leedesius præesset. Sumptus autem potissimum præbebat gaza Indica, ex America quot annis advehi solita, quaque melius in rem suam Rex uti didicerat.

Anno 1722 orbis universus pacem habuit, talem nihilominus, quæ damnoso bello non esset absimilis; cum enim Cameracum animos in concordiam reducere non posset, ingentes ubique provincias premebant exercitus, æquora classibus tegebantur, & majores adhuc in dies delectus fiebant. **Pax bello similis.**

Quamvis enim Philippus iis, quas Cæsar in Italia possidebat, quasque Fœdus Quadruplex ei addixerat, provinciis renuntiaret: circa Ducatus tamen Florentinum & Parmensem, prout etiam circa ea, quæ Anglia de Monarchia Hispanica decerpserat, adhuc hærebat controversia. Sed neque sequenti anno 1723 promotum magis Cameracense negotium, tabellariis frustra Europæ aulas percursantibus. Cæterum hoc anno Patri Daubenton, Confessario Regis, suffectus est P. Bermudez S. J.

Anno 1724 rarum orbi moderationis exemplum præbuit Philippus V Rex Hispaniæ. Curarum is, quas regnum invehit, pertæsus, atque solitudinis sacræ appetens, coronam deposuit, eamque in Ludovicum, Asturiæ Principem transtulit. Atque sic regno omni abdicato in Castrum S. Ildephonsi cum conjuge Parmensi secessit, certam pecuniam pro annua sustentatione pactus; quamvis 40 duntaxat ætatis annos explesset. Quidam longe alio hanc abdicationem sunt interpretati; dum Gallicum diadema ipsum, ceu proximum Ludovici XIV sanguinem, prensaturum dicerent, si quid nepoti Ludovico XV humanitus contingeret. Neque enim hac ratione conjungendum Regnum Galliæ & Hispaniæ in uno capite. **Abdicatio Regis.**

Verum causas hujus abdicationis Rex ipse 15 Jan. aulæ suæ manifestavit: se miserias hujus vitæ satis expendisse, memorabat, atque calamitates bellorum a 20 jam annis nimium quantum expertum. Ludovicum, filium suum natu maximum, ea jam esse ætate (17 annos numerabat) ut regni habenas possit capessere: se proin Monarchiæ Hispanicæ renuntiare, eamque Ludovico cedere. Statutum sibi esse, in Castro S. Ildephonsi Deo soli servire, mortem meditari, omnemque curam saluti suæ æternæ impendere.

Datum ad S. Ildephonsi 15 Jan. 1724.

Valedixit proin Philippus aulæ, ſolo Marchione Grimaldo, P. Bermudez Confeſſario, & modiciſſimo famulatu ſecum retento. Nec amplius *Majeſtatis* nomine compellari voluit, ſed *Philippus Borbonius*. Sequebatur Eliſabetha Conjux, exiguo pariter cum comitatu.

Ex ea ſolitudine Philippus filio ſuo Regi ſcripſit epiſtolam, documentis vere Chriſtianis plenam, illumque paterne inter alia eſt hortatus, ſacram Inquiſitionem tueretur, Religionem Catholicam in toto regno puram integramque conſervaret, ſubditos oneribus levaret, exemplum S. Ferdinandi Hiſpaniæ & S. Ludovici Galliæ Regis imitaretur, eoſque ſibi ideam proponeret.

Reſpondit Rex Ludovicus, ut filium decet, regnumque magna cum laude eſt auſpicatus. Verum, prout fert inconſtans rerum humanarum conditio, intra eundem adhuc annum funus erat, 31 Aug. variolis extinctus, ne octo quidem regni menſibus expletis.

Coronam reſumit. Pridie mortis coronam patri reddidit, qui conteſtatus eſt, ſe non niſi neceſſitate & precibus regni Ordinum compulſum eamdem recipere, cum nullus ex filiis ſit ea ætate, ut poſſet illam geſtare: ſimulque Ferdinandum ſecundo genitum cum Statuum conſenſu Principem Aſturiæ, cui jus eſt thronum vacuum occupandi, renuntiavit.

Cameraci idem, qui prioribus annis, nodus manebat intricatus, imo magis implicabatur.

Art. XI.

Nova rerum ſcena per nova ſponſalia. Pax Viennenſis. Mors Ledæi, Landi, Paceci. Porti Belli obſeſſio. Ripperdæ Ruina. Ejus vita. Gibraltariæ obſidio. Aquisgran. & Cameracenſis congreſſus.

153. Nova ſcena. Anno 1725 penitus rurſus everſa eſt in Europa rerum ſcena. Rex Galliæ, annos pubertatis adeptus, remiſit in Hiſpaniam Annam Victoriam, ſponſam ſuam, Philippi V filiam. Quare irritatus Rex Francicas quoque fœminas, Eliſabetham, Ludovici Regis viduam, & Philippinam, Caroli Principis Regii ſponſam, Ducis Aurelianenſis defuncti filias, in Galliam remiſit.

Conversi mox in Lusitaniam Hispaniæ oculi, contractaque gemina de futuro sponsalia, nempe inter Josephum Emanuelem Principem Brasiliæ, Joannis V Lusitaniæ Regis filium, & prædictam Annam Victoriam: atque inter Ferdinandum Asturiæ Principem, & Mariam Barbaram, ejusdem Joannis V primogenitam. Matrimonium vero utrinque primum anno 1729 fuit contractum. Nova sponsalia.

Quamvis autem hac ratione Hispaniæ bene fuerit provisum, ægerrime nihilominus Regem habuit remissio ex Gallia filiæ; ut adeo abrupto Cameracensi congressu, relictisque ibidem legatis Regum, privatam *Viennæ* cum Cæsare pacem, quam in Germanicis exhibui, inierit. Remissi pariter ex Gallia & Hispania Legati, conversaque amica conjunctio in odium & aversionem utriusque agnatæ Domus: præsertim ubi Hispanis innotuit *Hannoveranum fœdus*. Pax Viennensis.

Obiit hoc anno Marchio *de Leede*, natione Belga, qui ad supremam armorum bellique Præfecturam, quod supra memini, admotus, Sardicam, Siculam, & Africanam expeditionem susceperat, supremi ad extremum in Consilio bellico Præsidis honore cumulatus. Vixit annos 57. Varii obitus.

Secuta brevi post fuit mors Marchionis Beretti Landi, Placentini Itali. Obierat primum munus primi Ministri in Aula Mantuana: tum vero reliquam vitam Hispaniæ impendit, Legati dignitate Lucernæ in Helvetia, Hagæ in Hollandia, Cameracensi in Congressu, ac demum Bruxellis in Belgio, ubi vitam finiit, egregia cum laude perfunctus: secunda eundem prosequente hodiedum memoria.

Viam denique universæ carnis ingressus est Emmanuel Pacecus de Cabrera Dux Escolanus, Prorex olim Neapoli, anno 1707 a Cæsareis Cajetæ captus, anno 1710 cum Stanhoppio permutatus, creatusque supremus Aulæ Hispanæ Præfectus, Directorque Academiæ Regiæ; quibus in muneribus successorem habuit filium.

Anno 1726 rem militarem strenue promovit Hispania, & forte Gibraltaria & Portus Magonis scopus erant. Quod cum suspicaretur, aut timeret Georgius I Rex Angliæ, classem alteram immisit Mediterraneo, alteram Oceano, obseditque Portum Bellum, & in eo gazam Regiam.

Incidit in hunc annum ruina Joannis Wilhelmi Baronis *Ripperda*, ex summo honorum & dignitatum cacumine subito in ima præcipitati. Erat natione Hollandus, militis filius. Anno 1715 a Batavis missus est in Hispaniam Legatus, ubi Cardinali Alberonio consilia suggessit, qua ratione fabricæ publicæ erigi possent, atque ex Ripperdæ fatum.

ex lanificio præſertim grande lucrum regno conquiri, quod ante in Angliam & Hollandiam fuerat averſum. Vocati ex Hollandia & Belgio multi, artis gnari, qui Hiſpanorum deſidiam excitarent. Perſuaſus denique Ripperda, ut abdicatis, quæ a Republica habebat, muneribus, ſuſceptaque Religione Catholica, Hiſpaniæ operam ſuam addiceret.

Cum Alberonio ipſius quoque fortuna prolapſa eſt; ut adeo ab anno 1719 obſcurus in Hiſpania degeret. Sed hoc ipſum idoneum fecerat, ut anno ſuperiore ad pacem Viennæ clam componendam mitteretur. Hæc feliciter confecta gradum ei ad ſummos dignitatum gradus ſubſternebat; nam mox creatus Dux de Ripperda, munere Legati Hiſpaniæ in Aula Cæſarea inſignitus, quem characterem grandi pompa, ingentique ſumptu ſuſtentabat.

Revocatus in Hiſpaniam, & inter *Grandes* primæ magnitudinis relatus, pluribus curiis præſidebat, tandemque primus regni Miniſter fuit renuntiatus. Sed ecce verſatilem fortunæ rotam! bolidis inſtar igniariæ ſublatus in altum, ut diſruptus profundius cadat. Vix enim annus abierat, cum novus hic Eutropius gratia Regis penitus excidens aſylum apud Stanhopium, Legatum Angliæ, quærere cogitur. Cum is eundem nollet extradere, vi ex ejus palatio abſtractus eſt, & in arcem Segoviam captivus abductus, Stanhopio omnia Gentium Jura violata inclamante, & eadem adhuc die Madrito excedente.

De noxa Ripperdæ varius erat per Europam rumor. Creditum multis, prodita ab eo Anglis Batavisque regni arcana, pluraque ab eo emiſſa mandata Rege inſcio, & abuſum re pecuniaria. Filius ejus, qui tunc Viennæ Legati Hiſpanici munere fungebatur, intremuit, ubi caſum patris audivit. Sed interceſſioni Cæſareæ tandem datum, ut characterem ſervaret.

Ripperdæ ſuffectus eſt, quamvis non tam univerſali cum poteſtate, Orendanus Marchio *de Pace*, Status jam ante Secretarius; venientibus in partem curarum Patinho, Grimaldo, Caſtellario &c.

Gibraltaræ obſidio.

Anno 1727 Hiſpani *Gibraltariam* oppugnabant, Duce Torreſio. Tres jam menſes tenuerat obſidio, cum de Præliminaribus pacis, Pariſiis initis, nuntiatur. Abductæ proin copiæ, ea tamen conditione, ut obſeſſis nihil reparare liceat, donec tractatibus per ſolennem pacem finis fuerit impoſitus. Locus congreſſui lectus *Aquisgranum*, poſtea vero *Cameracum*, ubi ſuperioribua annis fruſtra

stra Legati quatuor coronarum hæserant. Archithalassus Antonius Castagnetta jam ante maximam thesauri Indici partem, Hosiero Anglo frustra excubante, Gadibus feliciter invexerat. Quæ ad Anglos mercatores spectabant, Rex sequestro commisit.

Art. XII.

Novum rursus theatrum aperuit Tractatus Seviliensis. Ejus articuli. Ut Cæsar placetur, Anglus iniit Tractatum Viennensem. Oranum Mauris ereptum. Bellum occasione Poloniæ. Carolus Rex Utr. Siciliæ. Obitus Ripperdæ.

Anno 1728 pacis negotium (quod alias dictum) Suessione sufflaminavit Gibraltaria, quam Hispani corona adhuc cinctam habebant, & successio in Italicos Ducatus. Dux Ripperda e carcere Segoviensi fugitivus in Angliam, repetitus est ab Hispania, ceu Majestatis reus: sed non fuit traditus, ea excusatione, Ormondum & Whartonum versari in Hispania. Obiit Comes Castagnetta, classis olim Præfectus, a clade Sicula notus. 154.

Anno 1729 dum Legati Suessione adhuc disputabant, Gallia, Hispania, & Anglia, præterito Cæsare, Tractatum celebrem *Seviliæ* seu Hispali inierunt, cujus sequentia sunt capita. Tractatus Hispalensis.

I. Pax sit perpetua inter tres coronas ad communem defensionem.

II. Cavent sibi mutuo de provinciis & commerciis. Quævis pars in hunc finem contribuet 12000 armatorum cum navibus.

III. Declarat Hispanus, in tractatu commerciali Viennensi de anno 1726 intentionis suæ non fuisse concedere privilegia, prioribus contractibus contraria.

IV. Confirmat omnia privilegia, ante annum 1725 Gallis aut Anglis concessa. (*Videlicet per pacem Ultrajectensem* 1713, *per Tractatum Madritensem* 1715, *per tractatum de avehendis ex Africa in Americam Mauris.*)

V. Tractat de compensatione damnorum illatorum.

VI. Decernuntur Commissarii ad hæc damna examinanda.

VII & VIII idem argumentum prosequuntur.

IX. Portus Liburni, Ferrarius, *Parma & Placentia a 6000 Hiſpanorum*, ad ſecuritatem ſucceſſionis pro Carolo Principe, occupentur.

X. Hæ copiæ, Hiſpaniæ ſtipendio alendæ, dictorum locorum poſſeſſoribus fidem jurent, nullamque moleſtiam inferant.

XI. Quando autem Carolus ad quietam poſſeſſionem venerit, copiæ Hiſpanicæ abducantur.

XII. Tres coronæ hanc ſucceſſionem defendent adverſus omnes, eam impugnantes.

XIII. Speratur, Regem Hiſpaniæ ſuper hac ſucceſſione cum Ducibus Florentiæ & Parmæ tranſacturus.

XIV. Fœderati Belgii Ordines ad acceſſionem invitentur, omneſque, qui volunt accedere.

Actum Seviliæ 9. Nov. 1729.

Subſcripſerunt Brancas, de la Paz, Patinho, Stanhope, Keene.

Non admodum placuit hæc conventio pluribus Hiſpanis, qui querebantur, emolumentum Nationis non ſatis fuiſſe curæ: Minoricam & Gibraltariam relictas in Anglorum manibus, plura commerciorum commoda iisdem fuiſſe conceſſa. Nec ceſſabant murmura, donec Regina aliquos in exilium miſit.

Cum autem Imperator huic conventioni ſe opponeret, eamque Quadruplo Fœderi & paci Viennenſi contrariam diceret, miſſis etiam in Italiam, quæ exſcenſionem impedirent, copiis, Gallia & Anglia, quantumvis per Legatos impulſæ, executionem nequaquam præcipitabant; ut adeo toto anno 1730 trajectio in Italiam ſufflaminaretur, donec anno ſequenti Rex Magnæ Britanniæ novo Viennæ tractatu, ſponſione Sanctionis Pragmaticæ impetravit, ut Imperator in trajectionem Principis Caroli cum 6000 Hiſpanis conſentiret. Tractatui huic Viennenſi acceſſit Hiſpania; ſecutaque eſt tranſportatio Caroli, a Patre emancipati, in Italiam. (1731.)

Novus tractatus Viennenſis.

Dux de Liria, a Legatione Ruſſica redux, Viennam Orator miſſus. Joachimus Fernandes Portocarrerus Dux de Almenara, Cæſareus quondam Siciliæ Prorex, quamvis ultimus eſſet ſuæ Familiæ, Romæ ſtatum Eccleſiaſticum, ſuſcepto ſacerdotio, eſt amplexus.

Anno 1732 Hiſpania cum Europæis Principibus pacem nacta, ne miles otio torperet, atque ut abſciſſa membra corpori ſuo rurſus uniret, expeditionem in Africam ſuſcepit. *Oranum*, munita in Barbaria ad Mediterraneum urbs, ſcopus erat, quo collimabatur.

Hanc

Hanc annô 1509 Cardinalis Ximenius Mauris eripuerat, qui sæpius deinceps armis, at frustra, eandem repetebant, donec tandem anno 1708 fervente in Hispania bello fame eandem ad deditionem compulerunt. Hoc vero anno Montemarus cum valida classe appulsus ad Orani littora, conserto cum Barbaris prælio victor, urbem cepit, simulque munimentum Masalquiviri. Commissa dein plura cum Mauris prælia variante fortuna. A Septa quoque, facta eruptione, depulsus hostis. Rex Montemarum & Patinhum, Status Secretarium, ob rem bene gestam, Aureo Vellere remuneratus est. Creati etiam plures *Grandes*, ut vocant, *Hispaniæ*. Oranum Mauris ereptum.

Anno 1733 novæ tricæ sunt ortæ Cæsarem inter & Hispaniam; quæ tamen circa *formalitates* magis & ceremonias Investituræ, Carolo Principi impertiendæ, versari videbantur, quam circa rem ipsam. At vero cum de novo Rege Poloniæ eligendo ageretur, dissidium in bellum apertum erupit.

Editum scriptum Hispaniæ, quo causas belli commemorabat: exclusionem Stanislai ad injuriam totius Domus Borbonicæ pertinere inquiebat: mortuo Antonio Parmensi Duce Cæsarem provincias occupasse; fictum propterea Henrietæ viduæ uterum: adjectas minas expellendi rursus Hispanos. Fines Principis accisos: Mediolanenses Vasallos prohibitos homagium præstare: interdictam Principi possessionem bonorum allodialium Domus Farnesiæ in agro Neapolitano: crimini datum Duci Florentiæ, quod Carolo eventuale homagium præstari permisisset, eique Magni Principis titulus fuerit delatus: Angliæ mediationem acceptatam ab Hispania, sed ab Aula Viennensi novas semper exceptiones & moras fuisse injectas. Cogi proin Regem jura sua armis persequi. Bellum Polonicum.

Responsum ad hæc a Cæsare, prout in Italicis memoratum. Summa eo recidit, nihil in hac causa a se actum, nisi quod supremum Domini Directi officium & Imperii jura exegissent, quæ Hispani excutere fuissent conati.

Sed non diu verbis certatum. Initum fœdus trinum, Galliam inter, Hispaniam, & Sardiniam. Habiti delectus, instructæ classes, expedita arma, legati revocati, nullis parsum sumptibus, quos classes Americanæ suffecerant.

Anno 1734 cum arma trium coronarum prosperum in Italia progressum haberent, Carolus Dux Parmæ renunciatus est Rex utriusque Siciliæ: Montemarus vero in præmium rei feliciter gestæ Dux Bitontinus & Grandis Hispaniæ primæ classis.

Obie-

Obierunt 1 Marchio de Paz, celebris Minifter Status: Patinho jam ad clavum fedente. 2 Dacunha Prorex Mexicanus. 3 Corduba claffis Præfectus. 4 Marchio Alcaudette de Toledo in Cæfareis conftanter militaribus obfequiis. Marchio Almendarus Peruviæ Prorex avocatus, ut rationem reddat.

Carolus Rex utriusque Siciliæ.

Anno 1735 cum Cæfarei ex Italia propemodum effent expulfi, Hifpania non fine tædio intellexit, Galliam inter & Cæfarem fuiffe conventum, ut regnum utriusque Siciliæ Carolo, Parma vero & Placentia cum Hetruria aliis obtingeret. Regina has provincias tanquam fuas hæreditarias refpiciebat, majorisque cenfus, quam Neapolin & Siciliam. Quare tractatui Viennenfi accedere recufavit, atque Potentiis etiam Maritimis, ne accedant, perfuadere conata eft.

Quamvis autem Hifpania per folitariam ejusmodi conventionem, qua Gallia fœderatorum fuorum commoda Lotharingiæ immolaffet, folaque belli, feliciter gefti, fructus decerperet, fe non parum læfam quereretur, perfuaderi tamen, & quidem ab ipfa potiffimum Gallia, fe denique paffa eft, ut anno 1736 tranfactionis Viennenfis Præliminaria acceptaret, & Parmam atque Placentiam Cæfari, Thufciam vero Duci Lotharingiæ in eventum pro regnis duobus cederet.

Ludovicus filius Regis natu minimus 9 æt. anno creatus Archiepifcopus Toletanus & S. R. E. Cardinalis. Obiit Jofephus Patinho, feu Patingo, notiffimus Secretarius Status, & *Grandis Hifpaniæ* primæ claffis, anno æt. 77.

Anno 1737 Rex, filiis reliquis fublimi dignitate fulgentibus, Philippum Archithalaffum Hifpaniæ cum regio cenfu annuo conftituit: Carolo vero Regi utriusque Siciliæ fponfam felegit ex Domo Saxonica Mariam Amaliam, Electoris Saxoniæ & Poloniæ Regis filiam.

Perdurabant adhuc lites cum Anglia, quæ prætendit, fibi fas effe, per maria Americana libere navigare, & commercari. Hinc naves repetebant, a littorum cuftodibus fibi ereptas. Hifpania vero replicabat, Anglis nihil aliud ac Batavis effe conceffum. Cum his autem Art. 6 pacis Weft. effe conventum, ut neutra pars alterius portus, littora, ripas, aut loca accedat, aut in illis commercetur. Nihil igitur Anglis effe permiffum, nifi ut ad fuas terras, colonias, & plantationes navigent; effe proin, quod fibi imputent, fi portuum & littorum defenfores naves eorum, ultra limites evagantes, capiant, & legitimæ prædæ declarentur.

Marchio

Marchio de la Quadra creatus Secretarius Status. Obiit Tetuani in Africa famosus Ripperda, gente, ut dictum, Belga, ab Hollandis Legatus missus in Hispaniam, ubi Catholicam fidem amplexus obsequiis Regis se addixit, ab Alberonio gravibus negotiis adhibitus. Legatus Viennam pacem 1725 composuit, Dux propterea & *Grandis* Hispaniæ primæ classis renuntiatus, primusque Regni Minister. At gratia brevi excidens, in Segoviensem carcerem abducitur. Inde in Angliam & Hollandiam elapsus, cum nec ibi securum se crederet, Marochium in Barbariam fugit, miseramque vitam clausit. Obit Ripperda.

Anno 1739 in Hispania celebri solennitate excepta est Primogenita Regis Christianissimi, Philippo Principi desponsa.

Postquam inter Anglos atque Hispanos de reparandis damnis diu multumque frustra certatum est, erupit tandem bellum, de quo in Anglicis. Vastatus Portus Bellus. Carthagena incassum tentata &c.

Nominati 25 supremi locumtenentes, inter quos Duces, Atriensis, Ariscomus, Linnarius. Ustaricius, Secretarius Status, auctus Marchionis dignitate. Obierunt Medina - Cælius ex Domo Cordubensi, & Medina Sidonius ex Familia Guzmana.

Art. XIII.

Philippus V Austriacam hæreditatem prætendit, & votum Bohemicum. Bellum Italicum. Pugna navalis. Sponsalia Delphini. Obitus Philippi V, conjuges ac liberi. Succedit Ferd. VI, & huic Carolus III.

Anno 1740 mortuo Imperatore Philippus Rex totam Austriacam hæreditatem, Italicas maxime provincias jure regressus prætendit, eo quod linea recta descenderet ex Carolo V, eique in regno successisset, qui testamento cavisset, ut, si Germanica stirps mascula deficeret, Hispana succederet; sub hac enim conditione Ferdinando fuisse cessas provincias Germanicas. Hungariam vero & Bohemiam ad se pertinere, quia descenderet ex Anna, Maximiliani II filia, Philippo II nuptui data, quæ successionem sibi reservasset in casum, quo mascula stirps exaresceret. Protestatus est etiam Legationis Secretarius Carpenterus, antequam Vienna discederet, post mortem Caroli VI nemini jus competere creandi Equites Aurei Velleris, nisi suo Regi, jure sanguinis & ex testamento Caroli II ultimi pos- 155. Prætensio in Austriam.

fessoris successori: Respondit ad hæc Austria, prout in Germanicis & Italicis retulimus.

Cum bellum adhuc arderet Anglicanum, Haddocus Mediterraneum, Balchenus vero Galliciæ littora cum classibus infestabant. Torresius autem cum 33 bellicarum classe in Americam navigavit, eandem defensurus.

Obiit *Maria Anna*, Philippi Wilhelmi Palatini Electoris filia, Carolo II anno 1690 nupta. Post Conjugis mortem Bayonam, urbem Gallicam, abiit, vixitque vidua 40 annis, ætatis 74 defuncta. Testamento hæredem instituit Elisabetham, Hispaniæ Reginam, sororis suæ filiam.

Anno 1741 Rex per Portocarrerum Comitem Montichium, suum ad Electionem Cæsaream Legatum votum Bohemicum prætendit, suamque juris deductionem Electoribus obtulit. Idem Legatus, dum Maria Theresia Posonii Regina Hungariæ coronaretur, ex Silesia protestationem misit; sed Hungari ne quidem apertam remiserunt.

Bellum Italicum.

Trajectæ mox in Italiam copiæ Duce *Montemario*, classis Præfecto *Navarro*. Sed morbis ita fuerunt attritæ, ut Orbitelli consistere, & nova ex Hispania subsidia exspectare fuerint coactæ.

Anno sequenti, postquam Rex Sardiniæ Austriacas partes aperte est amplexus, Mutinam & Mirandulam expugnavit, Montemario in Statum Ecclesiasticum se recipiente, nactus propterea successorem *Gagium*. Nec multo felicius ex altera parte gestum bellum; nam Philippus Princeps Sabaudiam quidem occupaverat, in Italiam tamen penetrare non poterat. Sed hæc in Italicis prolixius referuntur. Ubi etiam exponitur pugna ad Campum Sanctum, quæ 1743 fuit commissa, parte utraque sibi attribuente victoriam, quamvis Hispani primi acie excesserint. (*vid. Italica*)

Joanni Bapt. *Barni* Nuntio Apostolico Rex ipse purpureum Galerum imposuit. Marchio de *Ensenada* renuntiatus Minister Status, Consiliarius bellicus, ærarii Præfectus. *Bellilius*, Franciæ Mareschallus, Eques Aurei Velleris, quod ei in Germaniam missum est.

Pugna navalis.

Anno 1744 continuatum est bellum cum Anglia maritimum in Europa & America. *Mattevius* classis Præfectus, cui suberant Lestockius, & Rowleus (*Vice-Admiralem* & *Contra-Admiralem* Angli vocant) in alterum jam annum ad Telonem Martium oberrans, naves Gallo-Hispanas (quas Curtius & Navarrus gubernabant) in portu continuerat; cum jussæ inde egredi, cum Anglicis confli-

xere,

xere, eo eventu, ut nox prælium dirimeret, & altera die Angli cum laceræ classis reliquiis in Minoricam ad Portum Magonis, Hispani Carthagenam, Galli Alicantam solverent. Mattevius contra Lestockium, Navarrus contra Curtium querebatur. Huic substitutus Gabaretus. Venatorium reliquo anni tempore velut erat bellum Marinum, classium Præfectis multa agentibus, ad rei substantiam nihil.

Philippus V Rex Hispaniæ, ut cum agnata Domo Francica arctius se conjungeret, Delphino filiam suam Mariam Theresiam despondit, agente Procuratorem Delphini Ferdinando Principe Asturiæ. Nuptiæ.

Franciscus Maria, Dux Mirandolæ, Aulæ Moderator, contractis cum Maria, Ducis de Berwick & Liria filia, jus suum in Mirandolam Regi vendidit. *Minasius* Marchio ex Italia revocatus, quod ei cum Principe Contyo, ad Cuneum præsertim, non satis conveniret. Carillus vero Dux *Montemarius* Ensenadæ maxime opera in gratiam Regis receptus.

Madritum venerunt, Henricus Henriquez, Nuntius Apost. Törringius de Jettenbach Junior, Legatus Cæsareus: quem tamen Rex *anno* 1745 post initam pacem Füssensem dimisit. Quantos autem Gallo-Hispani hoc anno in Italia fecerint progressus, dictum est in Italicis.

Anno 1746 9 Julii obiit Philippus V Hispaniarum & Indiarum Rex, Ludovici XIV Galliarum Regis ex filio Delphino nepos, secundogenitus, Ludovici XV patruus, fide, Religione, integritate, atque in utraque fortuna constantia Princeps clarissimus. Annos ætatis implevit 62, Regni 45. Aperto corpore inventa est in sinistro cordis ventriculo vacuitas, per quam sanguis, in pericardium effusus, mortem accelerasse dicitur. Obitus Philippi Regis,

Reginas conjuges duas habuit: primam *Ludovicam*, Victoris Amedei Sabaudiæ Ducis filiam, Moderni Sabaudiæ Ducis Caroli Emmanuelis sororem. Ex qua genuit 1 Ludovicum, qui, vix cesso sibi a patre regno, anno 1724 obiit. 2 Ferdinandum, qui Patri defuncto in regno successit. Conjuges ac liberi.

Secundam *Elisabetham*, Odoardi Ducis Parmensis filiam, ex qua suscepit 1 Carolum, Ducem primum Parmensem & Placentinum, utriusque dein Siciliæ, ac demum Hispaniarum Regem. 2 Mariam Annam, primum Ludovico XV Franciæ Regi desponsam, dein Josepho Emmanueli, Brasiliæ Principi, Moderno Lusitaniæ Regi nuptam. 3 Philippum, qui per pacem Aquisgranen-

ſem Ducatus Parmæ, Placentiæ, & Guaſtallæ eſt conſecutus, Galliarum Regis gener. 4 Mariam Thereſiam, Franciæ Delphino, anno 1746 nuptam. 5 Ludovicum Antonium, Archiepiſcopum Toletanum & Hiſpalenſem, S. R. E. Cardinalem creatum; quas tamen dignitates abdicavit anno 1754. 6 Mariam Antoniam, Victori Amadeo, Regio Sardiniæ Principi 1750 connubio junctam.

Teſtamentum jam anno 1724 condiderat, quo Reginæ palatium S. Ildephonſi cum omni ſupellectili & ornatu ad tempus vitæ poſſidendum aſſignaverat, cum 600000 ſolidis argenteis (*Piaſtros* appellant) ultra 200000 aureorum conſuetum in Hiſpania Reginarum vitalitium, proventu annuo. 1727 adjecit Codicillum, quo non tantum teſtamentum ſuum, apud Magnum Caſtellæ Senatum depoſitum, confirmavit, ſed Reginæ etiam poteſtatem fecit, ubicunque vellet, vitalitio ſuo utendi fruendi.

Ferd. VI.

Succeſſit jure primogenituræ patri Ferdinandus VI Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis ex ſorore nepos. Natus 1713, qui anno 1729 duxit Mariam Barbaram, Joannis V Luſitaniæ Regis filiam; ex qua tamen nullos liberos ſuſcepit. Veſtigiis patris inſiſtens fœdere cum Galliæ Rege Patruele ſuo renovato, bellum terra marique proſequi decrevit, donec fratri Philippo ſedes condigna in ſuperiore Italia pararetur.

Reges Hiſpaniæ ungi aut coronari non ſolent, ſed id ſuppletur ſolenni & publica proclamatione, per Grandes Proceres facta. Proceſſum magnifico cum comitatu ad palatium ſuburbanum (quod *Buenretiro* dicunt) atque inde deductus Rex, acclamante ubique populo, ad palatium ſuum Eſcuriale.

Sub initium anni hujus, licet res Borbonicæ in Italia optimo loco eſſent conſtitutæ; quia tamen Auſtriacæ vires, ſancita cum Boruſſo pace, timebantur, Galli, velut futuræ expeditionis præſagi, ideam quandam pacificationis Regi Sardiniæ proponebant, quæ tamen nec iſti, nec Hiſpanis placuit. Quare verſis in bellum continuandum conſiliis, acta ſunt, quæ in Italicis retuli.

Anno 1747 Eliſabetha Regina vidua ad caſtrum S. Ildephonſi cum Ludovico filio Cardinale ſeceſſit, aula, quæ nolebat, ut Status negotiis ſe miſceat, id ei inſinuante. In Status autem Miniſterium aſſumpti ſunt Caroajalius, Villarias, Enſenada &c.

Obiit

Obiit Ferdinandus VI anno 1759 regni 13, successit frater *Carolus*; qui, antequam discederet in Hispaniam, regnum utriusque Siciliæ in Ferdinandum filium tertio genitum solenni abdicatione transtulit; quia Philippus primogenitus declaratus est, ob debilitatem mentis, ad regendum inhabilis. Carolus vero secundogenitus, tanquam Princeps Asturiæ, cum patre Rege in Hispaniam abiit. Carolus III Rex Hisp.

Dum autem novus Hispaniæ Rex per pacis studia ad novum florem regnum perducit, partem charissimam amisit, lectissimam videlicet suam conjugem, *Mariam Amaliam*, Saxoniæ Principem, Augusti III Poloniæ Regis filiam, omnium virtutum ornamentis conspicuam, quæ 27 Sept. 1760 pientissime decessit, postquam sex liberis masculis & septem fœmineis Regem Maritum locupletaverat. Nata est anno 1724, nupta 1738 primum Dresdæ per procuratorem, dein Cajetæ. Luxit orbi 36 annos: lugebit eam orbis perpetuo. Patrem, vix non exulem, juvit, quantum potuit, Matrem triennio ante amisit; conjugem sibi, subditis, & coronæ in ævum conservent cælites.

Anno 1761 Carolus Rex amicum & cognatum fœdus iniit cum patruele suo Rege Franciæ, 28 capitibus comprehensum, quæ eo spectant, ut fœdus sit defensivum, ad conservandas terras, quas utraque corona post initam pacem possidebit. Extenditur ad Regem Siciliæ, & Ducem Parmæ. Designantur auxilia pro casu invasionis præstanda, quæ tamen se non extendunt ad casum, quo Gallia in Septentrione, aut ratione pacis Westphalicæ in Germania bellum gereret, nisi Potentiæ Maritimæ se immiscerent, aut nisi ipsa Francia invaderetur. Galli in Hispania & Sicilia non aliter tractandi ac incolæ, & vicissim. Ad hunc Tractatum consanguineum non alii admittendi Principes, nisi qui sunt de Domo Borbonica. Fœdus amicitiæ cum Gallia.

Conventio hæc domestica 15 Augusti conclusa, & 8 Sept. 1761 utrinque ratihabita, clam initio habebatur; sed brevi ad Bristolum Angliæ Legatum, omnibus attentum, transpiravit. Is igitur communicari sibi eandem petiit, præcisumque responsum a Rege exegit, an vires suas Galliæ contra Anglos sit juncturus? si categoricum responsum sibi non daretur, Hispania se excessurum.

Displicuit Regi tam præcisa postulatio, eamque pro belli denuntiatione se habere dixit. Gestum dein anno 1762 bellum; quod infra perstringam.

CAPUT VI.
Status Lusitaniæ
SÆCULO XVIII.

Lusitania accedit magno fœderi, bellumque cum Gallo-Hispanis gerit. Pax cum utrisque. Nuptiæ geminæ. Causa Bichiana. Patriarchatus erectus. Obitus Regis & Reginæ. Terræ motus.

156. Cum de successione Hispanica ferrum inter & ignes flagraret contentio, magna per Europam erat exspectatio, in quam partem Petrus Lusitaniæ Rex se verteret, sine quo arduum omnino erat Fœderatis, bellum in Hispania, jam tota a Philippo occupata, bellum feliciter gerere.

Expectatio de Lusit. Et primo quidem apparebat, Portugalliam aut nullas, aut Borboniæ gentis partes secuturam; nam Philippum Regem Catholicum agnoverat: fœdus cum Gallia & Hispania erat percussum: Batavos anno 1701 fuerat hortata, ut paci in Europa conservandæ curam impenderent: Gallicos machinatores, ut fines suos muniret, receperat. Plures ejusdem nationis naves in portubus Lusitanis stabant sub anchoris.

Sed tandem Petrus Rex sive metu futurorum, sive spe victus fœderatis, Imperatori, Anglis, & Hollandis anno 1703 manus dabat, accedens socius magno fœderi. Periculo non carere visum, maribus & gente præpotente undique cingi.

Aurigny. Imperator largis promissis nutantem traxit; nam cessurum se spopondit Lusitaniæ Pacem Augustam (*Badajoz*) Alcantaram, Albuquercum, Valentiam in Extremadura, Bayonam in Biscaja, pluresque urbes in Gallicia, & latas possessiones in America. Anglia offerebat securam littorum custodiam, defensionem navium, commercium liberum, 12000 armatorum, a fœderatis sustentanda, quibus Lusitani præficerentur, denique pro 8000 Lusitanorum sustentandis millionem thalerorum.

Hoc fœdere, quod clam habebatur ad adventum usque Caroli Archiducis, adversus Borbonios inito, terra bellum marique gestum.

Et

Et quidem Carolus anno 1704 Olyssiponem Anglicis navibus cum octo capitum millibus appulsus litteras publicavit per Lusitaniam, quibus Rex Hispaniarum fuit promulgatus, Legatus vero Gallicus dimissus e Portugallia.

Apparuit etiam declaratio belli Lusitana, qua Rex querebatur, non servatum a Gallis partitionis tractatum: non missa in Lusitaniam promissa subsidia: prodiisse sculpturam, qua Philippus Rex Lusitaniæ appelletur. Denique periculum a Domo Borbonica imminens, & metus, ne corona Gallica & Hispana in uno capite conjungantur, opponebatur. **Belli declaratio.**

Philippus igitur Lusitaniam aggressus, Salvaterram, Seguram, Idanham, Monsantum, Montalvanum, Castelbrancum, expugnavit, Tagoque pontem imposuit, ut Portalegrum obsidere posset. Schombergius, qui fœderatis præerat, suasit, ut Lusitani adjungerentur; ubi consilium suum neglectum vidit, tanto animi tædio languebat, ut revocari petierit. **Hisp. invadunt Lusitaniam.**

Sed autumnus fœderatis fuit felicior, recuperatis, quas amiserant, urbibus. (*anno* 1704) Anno sequenti Barcino & Gibraltaria potissimas copias a Lusitania averterunt. *Anno* 1706 copiæ Lusitanæ fœderatis junctæ ea gessere, quæ in Hispanicis retulimus. Anno 1707 Lusitani quoque, ad Alamancam fusi sunt. Furbinus vero Anglos, armorum apparatum in Lusitaniam deferentes, navali certamine vicit, captis navibus aut depressis. Anno 1709 Lusitani aliique fœderati a Marchione Bayo ad Cayam prælio victi, cæsis, ut fertur, 5000, sed ob paucitatem copiarum Hispanicarum non magnus fuit victoriæ fructus. **Sed repelluntur.**

Translato in Catalauniam, Arragoniam, Valentiam bello, respirare Lusitaniæ licuit, ejusque copiæ, fœderatis junctæ, parem cum iis fortunam subierunt. (*vid. Hisp.*)

Anno 1712 Hispani irruptionem in Lusitaniam tentabant, sed amissis 4000 repulsi sunt. Felicior fuit classis Gallica, quæ in Brasilia urbem S. Sebastiani expugnatam compilavit. Eodem tamen adhuc anno Lusitaniam inter & Galliam induciæ sunt initæ, & anno sequenti pax Ultrajecti conclusa. **Pax cum Gallia.**

1. Inter utramque Nationem sit constans amicitia.
2. Cum plena amnestia.
3. Captivi liberentur.
4. Extra Europam omnia in statum pristinum reponantur.
5. Uti etiam commercia.
6. Subditi æquali libertate fruantur.

7. In

7. In portu magis munito non plures quam ſex bellicæ recipiantur, in minus munito non plures quam tres.

8. Gallia abdicat prætenſiones in caput Boreale ad flumen Amazonum in America.

9. Luſitaniæ fas eſt, munimenta, ubicunque velit, conſtruere.

10. Utrumque litus Amazonicum apud Luſitanos permaneat.

11. Gallia renuntiat omnibus, quæ Luſitani poſſident.

12. Galliæ ſubditi in regione Cayena Luſitanis ad flumen Amazonum nullam moleſtiam inferant.

13. Nulli Miſſionarii Gallici in Americam Luſitanicam veniant.

14. Mox poſt concluſam pacem omnes articuli dentur executioni.

15. Caſu novi belli ſubditis utrinque ſex menſes concedantur, quibus res ſuas in tuto collocare queant.

16. Anna Regina magnæ Britanniæ pro hac pace vult cavere.

17. Alii etiam Principes includantur.

18. Sequatur ratificatio.

19. Et quidem intra 50 dies.

Hæc pax cum ſola Gallia a Luſitania erat inita, necdum autem cum Hiſpania; ea enim poſtrema omnium primum biennio poſt, anno videlicet 1715, eſt ſecuta, in hos articulos.

1. Sit vera pax & amicitia.

2. Cum oblivione omnium hoſtilitatum.

3. Amneſtiæ etiam includantur, qui partes alterutras ſunt ſecuti.

4. Captivi & obſides liberentur.

5. Omnia loca abrepta reſtituantur, nominatim Luſitanis Caſtellum Nudar, Inſula Verdoria, Colonia SS. Sacramenti in America, Hiſpanis Albuquercium & Puebla.

Cum Hiſp.

6. In Colonia SS. Sacramenti ſoli negotientur Luſitani, contra vero in ſuis territoriis ſoli Hiſpani.

7. Si Hiſpani intra annum & dimidium pro Colonia SS. Sacramenti æquivalens repræſentarent, eis cedatur.

8. Evacuatio in Europa & America fiat intra 4 menſes poſt ratificationem.

9. Loca reſtituantur in ſtatu, quo ſunt occupata.

10. Liber tamen diſceſſus incolis relinquatur.

11. Bona in bello confiſcata proprietariis reſtituantur.

12. Om-

12. Omnes legitimæ ereptiones navium ratæ habeantur.
13. Confirmatur articulus octavus tractatus anni 1668.
14. Uti etiam articulus 14 tranſactionis de anno 1701.
15. Hiſpania pro antiquis prætenſionibus ſolvat Luſitaniæ 600000 thaleros.
16. Luſitania vero renunciet omnibus prætenſionibus.
17. In Europa commercia in priſtinum, quo fuerunt ante bellum, reſtituantur ſtatum.
18. Nullus Luſitanus tabacus Hiſpaniæ, & viciſſim, inferatur.
19. Naves bellicæ rurſus in portus admittantur, ſed in majores non niſi ſex, & in minores tres.
20. Pax a publicatione vim ſuam habeat. Si quid hoſtile poſtea evenerit, ſatisfactio præſtetur.
21. Si novum bellum oriretur, ſubditis ſex menſes relinquantur, quibus ſe cum bonis ſuis alio poſſint recipere.
22. Anglia pro hac pace ſpondeat.
23. Intra 6. menſes poſſunt etiam alii Principes cum conſenſu utriusque coronæ huic paci accedere.
24. Omnes hi articuli ſancte obſerventur.
25. Intra 50 dies poſt ſubſcriptionem pax ratificetur.

Poſt pacem iſtam concluſam Rex Luſitaniæ militiam ſuam ad 10000 peditum reduxit, & 3000 equitum.

Anno 1715 *Emmanuel*, inſcio fratre Joanne V Luſitaniæ Rege, in Hollandiam abiit, indeque Viennam, atque anno 1716 ad bellum Hungaricum, ſub diſciplina Eugenii artes militares percepturus. **Emmanuel.**

Rex novum Olyſſipone Archiepiſcopatum & Patriarchatum, cum Papæ conſenſu erexit, large fundatum dotatumque, atque in eo ad morem, Romæ uſitatum, cultum Divinum ſolenniter haberi voluit. Eccleſia Archiepiſcopi Cathedralis erat ſacellum Regium, in quo 32 Canonici ei, ſacris operanti, miniſtrabant. 157. **Patriarchatus.**

Anno 1718 finito bello Turcico Emmanuel natu minimus, Regis frater, peragratis variis regionibus, Viennam rediit, ibique bellicis obſequiis ſe devovit, factus ſupremus vigiliarum Præfectus, attributa etiam Cataphractorum legione. Duo vero fratres naturales Tago navigantes, ſubito turbine inverſa navi, anno 1724 aquis hauſti ſunt.

Inita anno 1725 ſponſalia inter *Joſephum Emmanuelem*, Principem Braſiliæ, & Mariam Annam Victoriam, Philippi V Hiſpaniæ Regis filiam, **Sponſalia Regii Principis.**

filiam, quam Rex Galliæ in Hiſpaniam remiſerat: item, inter Mariam Barbaram, Joannis V filiam, & Ferdinandum Principem Aſturiæ. Quo gemino vinculo Luſitania cum Hiſpania intime colligata fuit.

Per plures annos controverſia interceſſerat inter Aulam Romanam & Luſitanicam, propter Nuntium Apoſtolicum Olyſſipone Vincentium *Bichium*; quem Rex purpura donari petebat, Roma recuſante. Uberior de hoc negotio relatio data eſt in Italicis.

Cauſa Bichiana.

Anno 1728 Joannes V Rex Luſitaniæ propter cauſam Bichianam, mox indicatam, Cardinalem Pereyra, & Comitem Galveſium Roma, omnesque Luſitanos ex Statu Eccleſiaſtico avocavit; Firraum vero Nuntium Apoſtolicum ex Luſitania dimiſit.

Nova Academia Olyſſiponenſis, ex multis doctiſſimis, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, membris conſtans, ſub protectione Regis ad majorem ſemper majoremque florem fuit perducta, Hiſtorica præſertim eruditio, quam pluribus jam editis Tomis illuſtraverat.

Legatus in Chinam.

Miſſus ex Braſilia in Chinam Meneſius Legatus propter commercia Macænſia & Cantonenſia; Pekini ab Imperatore Sinarum magno cum honore exceptus.

Nuptiæ.

Contractum geminum matrimonium, quippe Joſephus Emmanuel Princeps Braſiliæ duxit Victoriam Hiſpaniæ, Ferdinandus vero Aſturiæ Princeps Barbaram Luſitaniæ Principem. (1729.) A flumine Januario rediit claſſis opibus dives. Emmanuel Regis frater per plures annos varias Provincias peragratus, in Luſitaniam rediit 1734. Sed non diu ibidem ſubſtitit, Bayonam profectus.

Diſſenſio.

Tam arcta vincula impedire non poterant, quo minus Hiſpaniam inter Luſitaniamque oriretur diſſenſio, propter delinquentem, dum in carcerem duceretur, a famulis Legati Luſitani ereptum. Ducti 19 ex ejusdem domeſticis in cuſtodiam Madriti, totidem Hiſpani Olyſſipone. Interea autem Hiſpani in America urbem SS. Sacramenti obſidere cœperant. Et fortaſſis ulterius eſſet proceſſum, niſi interveniſſent Gallus, Anglus, & Hollandus, pacis Ultrajectenſis ſponſores. (1736.) Unde etiam claſſis Anglica ex Tago receſſit.

Cum Pontifex Patriarcham Olyſſiponenſem Thomam Almeyda Cardinalem creaſſet, Rex Nuntium Apoſtolicum recepit, & Cardinalem Motta ſuum Romæ Oratorem renuntiavit. (1738.)

His annis Barbari ſæpius Goam infeſtabant, ſed incolarum virtute, venientibus in auxilium e Luſitania navibus, tandem retruſi ſunt, poſtquam totam inſulam usque ad urbem vaſtaverant.

Anno

Anno 1742 Rex tertio apolexia tactus, Reginæ administrationem Regni commisit, quam illa sapientissime gessit. Obiit autem Regis frater Franciscus Xaverius. Duo vero ejusdem fratres, Antonius & Emmanuel, peragrando Europam mundi vanitatem experti, ingressi sunt Tertium Ordinem S. Dominici, 1744. Nuntius Apostolicus Tempio successit Oddus.

Fratres Regis ordinem ingressi.

Cum anno 1745 Sebastianus Carvallius Londino, ubi functus Legatione fuerat, Viennam mitteretur, suspicionem id aliquam Aulæ Madritensi movit; quæ proin per Candiam, suum Olyssipone Oratorem proponi jussit, sperare se, Carvallium nullis instructum esse mandatis, quæ regni utriusque amicitiam possent lædere. Responsum, eam profectionem ad solam gratulationem pro obtenta Imperiali Dignitate pertinere: Lusitaniam, prout hactenus, nullam belligerantium partem amplexuram.

Quamvis autem Rex infirma esset valetudine, duo tamen anno 1746 animum illius non parum recreabant: primum, quod generum suum cerneret Regem Hispaniæ, & filiam Reginam: alterum, quod opima admodum classis Pernambuco esset advecta, de qua magnam partem genero in Hispaniam dono misit. Non tamen poterat pacem conciliare, licet in eam rem præsentes essent Olyssipone Rosenbergius Austriacus, & Kenius Legatus Anglicus.

Anno 1747 Rex pientissimus, diruta veteri, novam Patriarchalem Basilicam, magnifici operis, construi jussit, novamque scientiarum Academiam erigi. Cum autem adhucdum infirmitas virium a regni negotiis eum arcerent, perrexit Regina illud administrare. Sed, defunctis hoc anno Cardinale de Motta, primo Ministro, & primo Status Secretario Pereira de Cerda, Rex filium, principem Brasiliæ, in partem Regiminis venire voluit, adjuncto Azevedio.

Rex Joannes V (prout etiam ejusdem Majores Reges Lusitaniæ) de fide Catholica, quam singulari fervore per omnes quatuor orbis partes propagaverat, tam bene fuerat meritus, ut Benedictus XIV summus Pontifex Eidem Titulum *Regis Fidelissimi* deferret, murmurantibus licet quibusdam Protestantibus, quod Pontifex coronatis Capitibus id genus titulos deferre præsumat; sed homines istos necesse est ignorare Historiam, unde tituli Regis *Christianissimi, Catholici, Defensoris fidei* profluxerint.

Obitus Regis, Verum frui non diu licuit Regi Fideliſſimo glorioſo hoc titulo, nam anno ſequenti (1750) poſt plurium jam annorum infirmitatem, Sacramentis morientium munitus, pientiſſime, ſicut vixerat, deceſſit, anno ætatis 61, Regni 44.

Conjugem habuit Mariam Joſepham, Leopoldi Imperatoris filiam, Principem lectiſſimam, in qua vere pietas Auſtriaca reluceret. Ex ea genuit Mariam Barbaram, Ferdinando VI Regi Hiſpaniæ nuptam, *Joſephum Emmanuelem*, Braſiliæ Principem, qui Patri in Regno ſucceſſit: Petrum Clementem, in ſpes alteras Regni natum.

Anno 1752 obiit Olyſſipone Gaſpar Maſcarenia, qui omnibus abdicatis Ordinem S. Franciſci ingreſſus fuerat; verum a Joanne V Aulæ adhibitus, Primi Miniſtri munere functus eſt ad obitum usque Joannis. Joſephus vero Rex eas partes commiſit Mendozæ & Carvallio.

Et Reginæ. Anno 1754 pientiſſime obiit Olyſſipone Maria Anna Regina Vidua, Leopoldi Cæſaris filia, anno 1708 Joanni V Luſitaniæ & Algarbiorum Regi nupta, Joſephi I regnantis Mater, Princeps ſumma & vere Auſtriaca pietate, integritate, religione, charitate, liberalitate in pauperes & calamitate preſſos, aliisque Regalibus virtutibus multo florentiſſima. Obiit, uti annorum, ita meritorum plena, 71 ætatis anno. Cor ejus P. Ritter Confeſſarius Viennam deportavit, Auguſtorum Mauſulæo recondendum. Societas Jeſu magnam in ea Patronam amiſit, imo Matrem, erga Miſſionarios, præſertim Germanos, in Indiam deſtinatos, benevolentia ſingulari & liberalitate conſpicuam.

Ac Patriarchæ. Reginam hanc, encomio omni ſuperiorem ad beatam æternitatem præceſſit Thomas Almeyda Patriarcha Olyſſiponenſis, S. R. E. Cardinalis, per omnes honorum gradus ad ſummas iſtas Dignitates eluctatus. Deceſſit anno vitæ 84, pauperibus ſcriptis hæredibus.

Cogitabant quidem Canonici Patriarchalis Eccleſiæ ad electionem procedere, ſed Rex nominavit Cardinalem de Attalaya, quem Bened. XIV publico in Conſiſtorio confirmavit, & Nuntius Apoſt. Lucas Tempi conſecravit, cui Rex Cardinali renuntiato Biretum im-

impoſuit. Hoc munere ornatus Romam abiit, ceſſa Nuntii Dignitate Philippo Acciajuoli, apud Helvetos ante Legatione perfuncto.

Sebaſtiano Ignatio Carvallio Status Secretario natus eſt filius Ludovicus Ferdinandus.

Annus 1755 Olyſſiponi fatalis venit; quippe trinus terræ motus urbem inclitam, 250000 habitatoribus frequentem, tam vehementi impetu, ipſo Sanctorum omnium Feſto, concuſſit, ut palatium Regium, magnificas Baſilicas, ædes, pro ludis theatralibus ex ligno Braſilo a Rege Joſepho ingenti ſumptu erectas, totam propemodum urbem ſus deque verteret, triginta, ut fertur mortalium millibus ruina ſepultis. Acceſſit ad calamitatem ingens incendium, quod triſtes domorum reliquias redegit in cineres. Terræ motus.

Cælo factum propitio, ut Rex cum Familia ſua Regia non eſſet in urbe, ſed Belemi, oppido duobus milliaribus a Liſabona diſtante, in ſuo, quod ibi habet, palatio.

Plurimum quoque damni paſſæ ſunt tabernæ mercesque Anglorum, quibus in Luſitania eſt frequens & opimum commercium. Jacturam ſolabantur aliquantum naves, quæ aurum, argentum, aliaque nova ſubſidia ex utraque India advehebant.



CAPUT VII.

Status Angliæ SÆCULO XVIII.

Art. I.

Status ſub Anna Regina.

158. *Fœdus, a Wilhelmo initum, confirmat. Marleburgum in Belgium & Germaniam mittit. Hujus victoriæ, & urbium expugnationes. Navales exercitus cum Archiduce in Hiſpaniam. Ibidem geſta. Anna fratris amore tepeſcit. Mortuo Joſepho tota Natio in pacem particularem fertur. Hujus articuli. Marleburgus exauctoratur. Ormondus (Jacobita) ſubſtituitur.*

Cum Wilhelmus Auriacus ejusque conjux Maria improles deceſſiſſent, Angliæ corona fuit impoſita Annæ, juniori Jacobi II filiæ, præterito Jacobo Eduardo ejus fratre, cui hæreditario Gentium jure ſceptrum debebatur. Quæ enim per orbem terrarum gens, quæ maſculos non præferat fœminis, ſi defunctum eodem gradu contingant? ſed fratri obſtitit Religio, inquis: at quomodo obſtare poterat Religio avita, per tot ſæcula in Britannia continuata? quam tot ante Reges antiquiſſima poſſeſſione firmarant? obſtitit tamen, facto, non jure: quam Univerſitas Oxonienſis, Angliæ primaria, obſtare non debere ſapienter pronuntiaverat.

Jacobus ob religionem regno excluſus.

Anna igitur ſceptrum fratris capeſſens anno 1702 fœdus, a Wilhelmo III cum Cæſare & Batavis adverſus Galliam initum, confirmavit, quantumquæ poterat, pecunia & milite terra marique promovit; tum, ne Hiſpaniarum Monarchia ad Philippum devoluta, Domus Borbonica, jam alias Europæ formidanda, immenſis acceſſionibus augeretur, tum, quia Regi Ludovico erat infenſa, quod mortuo patre Jacobo II, Jacobum III ejus filium Regem Britanniæ proclamaſſet; tum denique, quia id bellum Nationi gratum videbat,

bat, *Wigſiis* præſertim ac Inferæ popularium Cameræ, quæ belli nervum large ſuppeditabat.

Terreſtrem proin exercitum ſub *Marleburgio* immiſit Belgio, claſſem ſub Roockio Archithalaſſo Oceano. Ille Wenloam & Ruremondam expugnavit, hic Andaluſiæ littora legens, Gades fruſtra tentavit, abhorrente pietate Hiſpana ab hæreticis, qui ſacra juxta ac profana vaſtarent. Prohibere tamen non poterant, quo minus Angli claſſem Hiſpanam, 18 Gallorum bellicis roboratam, atque auro & argento Indico onuſtam, occuparent, poſtquam Galli ipſi ſuas naves accenderant. (1702.) **Gaza Indica capta.**

Sequenti anno Marleburgus Bonnam, Huium, & Limburgum expugnavit. Anno vero 1704 Anglos ad Danubium usque duxit, ibique pars magna fuit Schellenbergenſis, & Höchſtadianæ grandis victoriæ, uti etiam expugnationis Landavienſis, dum Gallos, ne ſuccurrere obſeſſis poſſent, arcebat. Inde vero progreſſus, Treviros, Sarburgum, Trarbachium cepit. **Marleburgi victoriæ.**

Eodem anno Carolus III Londini Regio apparatu ab Anna Anglisque exceptus fuit; atque inde claſſe, cum Hollandica conjuncta, in Hiſpaniam deductus, ad fretum Herculeum Heracleam (*Gibraltariam*) cum munimento, Calpi impoſito, expugnavit, in hodiernam diem ab Anglis retentam, & claſſem Gallicam ad Malacam in fugam egit Anglica. **Gibraltar.**

Conati ſunt quidem Hiſpano-Galli anno 1705 Gibraltariam recuperare, ſed irrito magno labore & ſumptu, propugnante munimentum Darmſtadio, Leackio vero, claſſis Anglicæ Præfecto, pugna navali Gallos vincente; dum interim Gallowæus, terreſtris Britannici exercitus Dux complures Hiſpaniæ urbes expugnat, & adveniente cum nova claſſe Schovelio, Barcino cum tota Catalonia in poteſtatem fœderatorum venit, Marleburgus vero in Belgio munitos ad Tirlemontium Gallorum aggeres tranſcendit.

Anno 1706 Barcinonem a Gallis oppugnatam, atque ad deditionem jam ferme compulſam, Leackius cum nova Anglorum claſſe appulſus liberavit, Gallis, omnibus impedimentis relictis, in fugam datis. Tum vero Gallowæus, Leackius, Petroburgus, Anglorum Duces, Valentia, Arragonia, Ivica, Majorica, multisque urbibus occupatis Carolum Archiducem in regnum Caſtiliæ deduxerunt, atque Madriti Regem Hiſpaniarum promulgarunt. At Philippi Andegavenſis copiis imminentibus, in regnum Valentiæ recedendum fuit.

Me-

Progressus in Belgio.

Meliori adhuc fortuna hoc eodem anno in Belgio usus est Marleburgus; nam profligatis ingenti ad Ramelliacum clade Gallis, quos Villaregius ducebat, Lovanium, Mechlinia, Bruxellæ, Gandavum, Brugæ, Antverpia, Ostenda, proh quanta nomina! in potestatem Fœderatorum venerunt. Accesserunt Menina, Athum, Aldenarda, Teneramunda. Præterea Anna Regina septem Palatinorum millia, sub stipendiis suis militatura, in Italiam ad Eugenium Principem misit, magnum certe adjumentum ad liberandum ab obsidione Taurinum.

Quis non tot cædibus contritos penitus Gallos crederet? At illi, velut e cruore fuso renascentes, anno 1707 Ductore Berwico cæsis ad Alamancam (*Almanzam*) Anglis grandi potiti sunt victoria; qua recepta sunt Arragoniæ & Valentiæ regna, retrusis in Cataloniam Fœderatis. Nec Marleburgus in Belgio quidquam hoc anno promovit.

Felicior rursus Anglis, eorumque fœderatis fuit annus 1708; siquidem in Belgio sub Vindocino Duce (*Vendomio*) magnus congregatus erat exercitus, quem haud procul Aldenarda Marleburgus aggressus, Insulas, munitissimam in Flandria Gallica urbem, victoriæ præmium capit. Nec minus mari triumpharunt Angli; quippe Leackius & suppetias in Cataloniam a Gallis missas, & Sardiniæ regnum eis eripuit. Bingsius vero, alterius classis Præfectus, Gallicas naves, Jacobo III in Angliam tendenti datas, disjecit.

Anno 1709 secuta est, post expugnatum a Fœderatis Tornacum Malplaquetensis sanguinolenta pugna, aut potius laniena, hinc Villario, inde Eugenio & Marleburgo, summis ac peritissimis ævi sui Ducibus pertinacissime dimicantibus. Fœderati post victoriam cruentam & pretiosam Montes Hannoniæ expugnarunt.

Secutæ sunt anno sequenti Duacum, Bethunium, Aria, Fanum S. Venantii. Jamque tot partis victoriis, tot thesauris effusis, magnum erat Angliæ nomen, & Anna Regina ceu Mater Europæ celebratur, cum sensim fervor intepuit. Postquam enim mortuis propriis liberis nulla spes supererat, ex se hæredem regni relinquendi, amorem & miserationem in Jacobum fratrem exulem convertit, successorem dictura, si posset, ne ad alienam familiam regnum devolveretur.

Duo autem ad hoc obtinendum adhibenda putavit media; si nempe Galliæ Regis, qui Jacobum jam Regem declaraverat, opera uteretur, & dejectis Wigsiis (popularibus) Torrii (Regii) elevarentur.

Instru-

Instrumentis ad hoc usa est Tallardo, fœderi magis noxio in Anglia captivo, quam Höchstadii utili, & Roberto Harlejo, Oxfordiæ dein Duce; quibus Straffordiæ Comes, Bullimbrochius aliique accesserunt. Hi omnes instabant, ut Marleburgo remoto cum Gallia pax conficeretur.

Anno igitur 1711 facta est magna rerum mutatio; etenim mortuo Josepho Imperatore Anna Regina pacis propositionibus, a Gallia propositis, aures præbuit, & amoto Marleburgo Duci (quem Cæsar Dynastia Mindelheimensi donatum, Principem Imperii dixerat) Buttlerum Ormondi Ducem subrogavit, qui cum neutras veluti partes sequeretur, luculente patuit, quantum causa fœderatorum Angliæ debuerit, & maxime Marleburgo. Angliæ quies stitit victoriarum cursum, etiam alicujus Eugenii. Mutatio Anglica.

Pacis dein tractatio Gallos inter Anglosque Ultrajecti anno 1712 suscipitur, & anno 1713 completur. Pinguescunt Angli, ut pateat, cui militarint. Successio Domus Hannoveranæ, quam nuper Ordines conceperant, stabilitur. Jacobo III ne quidem in Gallia ab Anglis subditis suis locus conceditur. Munimenta Dunkercæ Gallus diruito, portumque destruito. Fretum Hudsonicum, Insula S. Christophori, & Terræ Novæ Anglis ceduntor. Insula Minorca & Gibraltaria Anglorum posthac sunto. Ecce! quorsum spectarint Anglorum arma. Incrementa sua non Austriæ salutem quærebant. Ne in unum caput confluant Hispanæ & Germanæ provinciæ timent, sed sibi; hinc jam non amplius placet bellum; neminem se ipso proximiorem sibi esse existimant. Contra fidem datam rumpunt fœdus, cum sibi non amplius commodum existimant. Si Domui Austriacæ militarunt, cur illam discerpunt? cur Hispaniam avellunt? cur ejusdem artubus, corpori suo insertis, pacem vendunt? quod facit Brito, sibi facit.

Paci Ultrajectensi Anna Regina non diu supervixit, anno sequenti 1715 demortua, ætatis 54, regni 12; conjugem habuit Georgium Friderici III Daniæ Regis filium natu minimum; ex quo multas proles suscepit, sed nullam superstitem reliquit. Hinc, quod dictum, ne ad alienam Domum regnum devolveretur, ad Jacobum fratrem suum revocandum ab exilio, thronoque inaugurandum, respexit. Sed majhr hæc moles erat, quam ut moveri posset, Torriis & Wigsiis in hoc consentientibus, ne Catholicus unquam Rex esset. Mortuo autem Josepho Cæsare tota Natio in pacem ibat, tot provinciarum accessione in Carolo sexto quintum verita. Hinc Gertrudenbergenses primum, dein Ultrajectenses tractatus, Cæsare

 frustra

fruſtra ſe opponente, & Eugenio ipſo Principe eam ob rem Londinum excurrente.

Obiit eodem anno 1714 Sophia, Jacobi I ex filia neptis, Erneſto primo Electori Hannoverano nupta. Inde prætenſio ad coronam, cujus hæres fuerat declarata.

Art. II.

Status Angliæ

ſub Georgio I.

§. 1.

Jure ſanguinis plures alii Hannoveranos præcedunt. Jacobi III expeditio in Scotiam fruſtranea. Fœdus Londinenſe contra Hiſp. Claſſis Hiſp. bis cæſa. Jacobus III Romam. Ejus fautores puniti.

459. Mortua Anna ſorore ſceptrum Angliæ haud dubie debebatur Jacobo III (quem, hodiedum Romæ ſuperſtitem, *Prætendentem* aut *Equitem S. Georgii* aliqui vocant) legitimo Jacobi II Regis filio. Hoc autem, licet per injuriam, excluſo, jure naſcendi regnique multi per Europam Principes Hannoveranam Familiam præcederent; quales ſunt 1 omnes, qui ex *Henrica*, Caroli I Anglorum Regis filia, Philippo I Duci Aurelianenſi nupta deſcendunt. Ex ea autem deſcendunt Carolus Emmanuel modernus Dux Sabaudiæ & Rex Sardiniæ: Ludovicus XV Rex Galliæ ratione matris Sabaudicæ: item omnes, qui ex primo matrimonio Philippi V Hiſpaniarum Regis orti fuerant.

Succeſſio Anglica.

2. Omnes, qui deſcendunt ex liberis natu majoribus & maſculis Eliſabethæ, Jacobi I Britanniæ Regis filiæ, Friderico V Electori Palatino nuptæ, uti ex *Carolo Ludovico* Electore, Eliſabethæ filio diſcendunt Domus Aurelianenſis & Lotharingica, ac proin etiam Auſtriaca: ex *Eduardo* vero, juniore Eliſabethæ filio, Domus Salmenſis, Condæa, Contia, Mutinenſis, Wilhelmina Amalia Joſephi Imperatoris conjux, & ex ea deſcendentes Domus Saxonica & Bavarica.

Hi

Hi omnes jure ſanguinis & primogenituræ excluderent Hannoveranos, ex *Sophia*, filia Eliſabethæ Anglicæ, natu minima, & linea & ſexu inferiore, prognatos.

At vero hi omnes Parlamenti Anglicani lege a ſucceſſione hæreditaria excluſi ſunt, non alio crimine, ac quod eſſent Catholici, metumque facerent, ne avitam Majorum Religionem aliquando in regnum reducerent. Hinc additum Senatus-Conſultum, ne quis unquam Catholicus Rex eſſet Magnæ Britanniæ, contra vero Georgius, Elector Hannoveranus, nuper creatus, cum ſuis poſteris Proteſtantibus, legitimus hæres haberetur, ut, qui jure naſcendi regnique ultimus, jure hæreſis eſſet primus.

Hanc legem ſumptuoſi belli ſummum pretium ſtatuebat ſenatus: hujus fidejuſſores Galliam, Hiſpaniam, omnesque fœderatos eſſe volebat, receſſurus illico a fœdere, niſi in poſtulatum iſtud concederent. Nec difficiles admodum fuerunt in illo acceptando; quamvis enim durum videbatur, & conſcientiæ parum conſentaneum, legem, cum tanta & juſtorum hæredum, & veræ Religionis injuria conjunctam, non probare ſolum, ſed & ſociatis armis defendere. Verum non minus durum apparebat genti Auſtriacæ, alienata Anglia ſpem hæreditatis Hiſpanicæ abjicere.

Juris utriusque Doctores, ea ſuper re conſulti, reſponderunt: viam tenendam videri, quam Imperator Leopoldus ingreſſus eſſet, dum anno 1688 amoto Jacobo II Wilhelmus Auriacus, Rex aſcititius, coronam apprehenderet. Non pertinere ad Cæſarem judicare, æqua an iniqua ſit lex, a Parlamento rogata: non tam cum Rege, quam Republica Anglicana fœdus fuiſſe percuſſum, eum in finem, ut Domus Auſtriaca a juſta Hiſpaniarum poſſeſſione dejecta, eandem recuperet. In civilibus privatorum cauſis *Interdicto unde vi*, in publicis ſummorum Imperantium armis locum eſſe. Wagn.

His igitur inſuperhabitis Georgius Ludovicus, Elector Hannoveranus, ex Sophia, Jacobi I Angliæ Regis nepte, prognatus, ſecundum legem ſucceſſionis, jam ante a Parlamento latam, 31 Oct. 1714 Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex promulgatur.

Jacobo III vero, poſt pacem Ultrajectenſem etiam a Gallia deferto, nihil erat reliquum, ac ut diſperſis per Angliam Scotiamque litteris proteſtaretur, atque Divina humanaque jura appellaret. Et habebat amicos, æquitati ſuæ cauſæ faventes, præſertim Scotiæ ſeptentrionalis incolas, quos *Hochlandos* vocant.

Isti etenim anno 1715 collecto sub Marchione Hundleyo & Comite Marrio justo exercitu, Jacobum variis in locis Regem proclamant, ipsamque Scotiæ Metropolim Edenburgum invadunt: ipse etiam Jacobus, licet Georgius ingenti ejus caput pretio licitatus fuerit, in Scotiam venit. Sed cum ejus copiæ ab Argylio Britannorum Duce ad Dumblænum, & a Wilsio ad Prestonum fuissent cæsæ, viam in Lotharingiam relegere coactus est. Oxfordiæ Dux, primus pacis Ultrajectinæ promotor, in custodiam cum pluribus aliis Nobilibus datus, & Majestatis reus est accusatus. Ormondus vero in Galliam fugit, quo Bullinbrokius jam præcesserat.

Jacobi expeditio in Scotiam frustranea.

Cum anno 1717 Philippus Rex Hispaniæ Sardiniam, auctore, ut creditur, Alberonio invasisset, & anno 1718 Siciliam, atque sic tota rursus Europa novo bello involvenda timeretur, Cæsarem inter, Gallum, & Anglum Londini triplex, accedente vero Batavo, quadruplex fœdus est initum, quietis in Europa conservandæ causa.

Fœdus contra Hisp.

Quia autem Hispanus cœptis suis insistebat, Georgius Angliæ Rex validam classem sub Bingsio Archithalasso immisit Oceano, qui 11 Augusti 1718 classem Hispanam, quam Castagneta gubernabat, tanto ardore invasit, ut 12 bellicis & sex aliis navibus potitus, totam classem ita disjiceret, ut laceræ ac dispersæ navium reliquiæ vix fuga in portus evaderent.

Classis Hisp. cæsa.

Cum nihilominus Hispani sub Marchione Ledeo Siciliæ Sardiniæque insiderent, Cæsar e mediis Pannonicis victoriis revocatus, coactus est ab Anglis pacem Sultano dare, minitantibus, classem e Mediterraneo, nisi id fieret, se abducturos.

Anno 1719 Hispanus, cladem, ab Anglis illatam, ulturus, classem in Scotiam direxit, ut causam ibi Jacobi III, qui in Hispaniam propterea abiverat, promoveret. Sed vento ac tempestate adeo inimica classis vexata est, ut, ea dissipata, pleræque naves in portus Hispanos redirent. Paucissimæ in Scotiam delatæ cum aliquot centum viris, facile a Britannis victæ captæque fuerunt. Cæsareæ autem copiæ ex Pannonia in Siciliam, Mercio Ductore, advectæ, Bingsio Hispanas suppetias arcente, Siciliam recuperarunt.

Jacobus III jam ante, dum in Gallia ac Lotharingia exul vivebat, præter Gallicam pensionem Pontificia etiam fruebatur; post pacem vero Ultrajectensem postulante Anglia a sæcularibus Principibus excluso, Papa in amplexum explicavit brachia, Romam velut in asylum fugienti; nec cessat in hodiernum usque diem Re-

Jacobus Romam.

gio

gio eum cultu liberaliter fovere; hoc etiam exemplo demonstrans, quod sit Pater universalis Christianorum.

Robertus Harlajus, qui sub Anna Regina ad summos honorum gradus ascenderat, ac demum Oxfordiæ Comes, & regni Thesaurarius creatus, sub Georgio I gravissime fuit accusatus, quod cum Gallia conspirarit, Præliminaria pacis Ultrajectensis in perniciem Angliæ & fœderatorum fabricarit, Annam Reginam in partes Galliæ & Prætendentis pertraxerit, quo minus Philippus regno Hispaniæ privatus fuerit, obstiterit, pecuniam publicam male administrarit. Quamvis autem amplam apologiam pro se scripserit, ductus nihilominus est in carcerem.

Harlæus in carcere.

Idem contigisset Jacobo Butlero, Duci Ormondiæ, nisi matura fuga in Galliam se subduxisset. Is partes Wilhelmi Auriaci contra Jacobum II secutus, Anglicis copiis in Catalaunia anno 1695 præfuit. Anno 1703 Prorex Hiberniæ dictus, 4 annis regnum illud cum eximia laude administravit. Imperium dein militare in Belgio a Marleburgo anno 1712 in eum fuit translatum, cum mandato tamen brevi submisso, ne porro hostile quid contra Gallos ageret. Cum autem sub Georgio I, dejectis Torriis Parlamentum impleretur Wigsiis, Stuartorum familiæ inimicis, facta fuit anno 1715 severa inquisitio in Ministros Annæ Reginæ, atque in ipsum etiam Ormondum, qui accusatus fuerat, quod Villario arcana Fœderatorum prodiderit, atque per hoc id effecerit, ut Comes Albemarlius ad Deninum a Gallis cæsus captusque fuerit.

Ormondus exul.

Fuga pariter in Galliam sibi consuluit Vice-Comes Bullinbrockius, Status Secretarius; cui vitio datum, quod primus fuerit incentor separatæ pacis, & quidem insciis fœderatis, cum Gallis conspirarit & Hispanis, illudque etiam Ormondo persuaserit, Villarii voluntati parere jusso. Jenningium prohibitum, aggredi Classem Gallicam. Cum Prætendente quoque secreta consilia communicata.

Nobiles proditionis accusati.

Thomæ Wentwort Comiti Straffordiæ objectum, quod inducias cum Gallis suaserit; Hannoveranos Ministros contemptim habuerit, eosque cum Regina collidere studuerit, ac permiserit, ut Domus Borbonica Hispania & India potiatur.

Multi præterea Nobiles, severissima inquisitione vexati, & Majestatis damnati furca suspensi sunt. Sævitum maxime in Catholicos, quos Jacobi partibus adhærere credebant. Wigsii quoque Torryos de conspirationibus in Georgium & reducendo Jacobo insimulabant. Unde Anglia agitato ventorum turbinibus mari similis

 vide-

videbatur. Multi ex dignitatum culmine dejecti; Parlamenta æstuabant, fora perstrepebant, carceres implebantur.

Arguebantur etiam de conspiratione adversus Regem Georgium inita quinque Ministri Suecici, Görzius præsertim, & Gyllenburgus, Suecicus in Anglia Legatus; cui *Arrestum* indictum, omnibus ejus litteris scriptisque obsignatis. Jus Gentium in eo violatum querebantur aliorum Principum Legati: respondit Stanhoppius Secretarius Status, Gyllenburgum Regis subditos in favorem Prætendentis ad rebellionem concitasse, per militem peregrinum nutriendam; cum ergo fidem publicam infregerit, protectionis, legato alias debitæ, jure excidisse. Görzius, urgentibus Anglis, in Hollandia fuit interceptus. Suecia vero Legatum Anglicum Holmia amandavit. Regentis tamen Ducis Aurelianensis industria facta fuit reconciliatio.

§. 2.

Fœdus Triplex.

160. Cum anno 1717 Hispani Sardiniam invasissent, & non minus Aurelianensis successioni Domus suæ in Gallia, quam Hannoveranus suæ possessioni in Anglia timeret, percussum est ad securitatem *Triplex Fœdus*, Galliam inter, Angliam, & Hollandiam his conditionibus.

1. Sit perpetua pax inter tres Nationes.

2. Prætendens illico ex Gallia facessat, nec in eam, aut Avenionem, vel in Lotharingiam redeat. Francia illi nec directe nec indirecte assistat.

3. Alter alterius rebelles ultra octo dies non toleret, sed ad requisitionem abigat.

4. Portus Dunkercæ, & quæ Mardici recens constructa sunt, diruantur; nec in vicinia novus portus erigatur.

5. Pax Ultrajectensis, in quantum utilitatem, & successionem Protestanticæ lineæ in Anglia, & Regentis in Gallia, si Rex sine liberis decederet, concernit, exacte observetur.

6. Siquis ex tribus Fœderatis invaderetur, reliqui duo succurrant; Gallia quidem 10000 armatorum, totidem Anglia; Hollandia 5000 mittat.

7. Hæc auxilia post requisitionem intra duos menses mittantur propriis cujusque expensis, restituendis tamen finitis turbis. Si

Si hæc non essent suffectura; augeantur, aut etiam bellum aggressori denuntietur.

8. Intra 4 menses sequatur ratihabitio.

Cum autem Rex Angliæ Bingium cum classe in Balthicum dimisisset, & alias se armaret, pro defendendis etiam Germanicis suis provinciis, extraordinaria petiit a Parlamento subsidia. Multi senatorum, præsertim ex Torryis, negabant, Angliæ pecuniam pro Electore Hannoverano expendendam esse. Multique ex præcipuis Ministris officia sua abdicabant. Per majora nihilominus suffragia subsidia sunt decreta. Offensionis etiam aliquid accessit inter Regem & filium, Walliæ Principem: prout inter Domum superiorem Parlamenti & Inferiorem. Illa Comitem Oxfordiæ e carcere liberatum volebat, hæc obstabat. Victoria penes illam stetit.

Tandem Rex hoc anno 1717 pro detentis in carceribus libertatem & amnestiam a Parlamento promulgari jussit, exceptis tamen, præter alios, qui Prætendenti adhæserant, & Catholicis, qui juramentum fidelitatis nollent præstare, aut successionem Protestanticam agnoscere legitimam.

§. 3.

Fœdus Quadruplum anni 1717.

Cum Hispani anno superiore Sardiniam invasissent, hoc vero 1718 Siciliam, atque inde, nisi obsisteretur, ulterius progressuri viderentur, donec Monarchiam pristinam restituerent, Imperator primum, Gallia, & Anglia fœdus inter se pacti sunt, quod accedente postmodum Hollandia *Quadruplum Fœdus* est appellatum, cumque Londini sit initum, proprius hic de eo est tractandi locus. Constat autem primum octo articulis, de controversiis, inter Imperatorem & Regem Hispaniæ vertentibus, ejus hæc est summa. 161.

I. Rex Hispaniæ Sardiniam rursus cedat.

II. Cæsar agnoscat ordinem successionis Gallicæ & Hispanicæ, vi cujus nunquam regnum utrumque in eodem capite coalescat.

III. Cæsar Philippum V Regem Hispaniæ agnoscat.

IV. Philippus V pro se & successoribus suis renuntiet omnibus provinciis in Italia & Belgio, quæ olim ad Hispanam Monarchiam pertinuerant.

V. Ducatus Florentinus, Parmensis, & Placentinus, agnoscantur Imperii feuda masculina; & in casum, quo Imperio essent aperienda, filio Philippi natu maximo ex secundo matrimonio, ejusque ma-

masculis descendentibus conferantur, hisque deficientibus, secundo filio, ejusque hæredibus.

Portus Liburnus fruatur libertate respectu omnium Nationum. Portus Longus cum insula Elva ad Ducatum Florentinum accedat. Ducatus istos nunquam possideat Rex Hispaniæ. Tempore autem vitæ Ducis Florentini & Parmensis nec Cæsar, nec Gallus aut Hispanus copias in eas regiones introducat. Helveti vero sumptibus Confœderatorum 6000, Liburni, in portu Ferrario, Parmæ & Placentiæ præsidium habeant, & postea Principi, hoc fœdere destinato tradant.

VI. Rex Hispaniæ Cæsari regnum Siciliæ tradat.

VII. Cæsar & Hispanus de regionibus sibi mutuo caveant, quæ hoc tractatu eis afferuntur.

VIII. Intra duos menses post ratihabitionem omnes hæ conditiones impleantur cum generali amnestia.

Sequuntur quinque articuli transactionis, Cæsarem inter & Ducem Sabaudiæ initæ.

I. Regnum Siciliæ Cæsari cedatur.

II. Duci vero Regnum Sardiniæ.

III. Cæsar confirmet transactionem, anno 1703 Taurini initam, & Dux retineat, quæ in Monferratensi & Mediolanensi Ducatu ei cessa sunt, cassatis aliis prætensionibus, quas Dux ex illo tractatu formare voluit.

IV. Cæsar agnoscat jus successionis, quod Dux habet in Hispaniam & Indias in casum, quo Philippi V posteritas deficeret.

V. Hæc intra duos menses post ratificationem impleantur.

Præliminaribus his articulis subjunctum est ipsum *Fœdus Quadruplum*, novem his placitis comprehensum.

I. Sit exactum Fœdus inter Imperatorem, Regem Galliæ, & Angliæ, atque Generales Ordines uniti Belgii: vi cujus quisque teneatur alterius provincias & subditos defendere, atque publicam quietem.

II. Pax Ultrajectensis & Badensis, præsertim illius articulus, a quo in ista recessum est, & Fœdus Triplum, inter Galliam, Angliam, & Hollandiam 1717 Hagæ conclusum, vim suam omnem retineant.

III. Fœderati pro omnibus provinciis, quas Cæsar vi hujus transactionis possidere debet, caveant, nec ullum illius rebellem tolerent.

IV. Si-

IV. Similiter caveant pro Gallicis provinciis, & ſucceſſione, juxta pacem Ultrajectenſem, & acta ſucceſſionis Hiſpanicæ de anno 1702, nec Galliæ rebelles in ſuis regionibus tolerent.

V. Item caveant pro ſucceſſione Domus Hannoveranæ in magna Britannia, nec Prætendentem aut ejus liberos in ditionibus ſuis tolerent.

VI. Caveant pro omnibus ditionibus & Juribus Statuum Generalium. Nec eorum rebelles in terris ſuis ſubſiſtere patiantur.

VII. Si quis ex 4 fœderatis invaderetur, reliqui eidem aſſiſtant, & quidem Cæſar mittat 4000 equites, & 8000 pedites, totidem Gallia, totidemque Anglia, Hollandia vero 2000 equites cum 4000 peditum. Sit tamen penes invaſum, an milites, an naves, an pecuniam petere velit: ſic tamen, ut pro 1000 equitibus quot menſibus ſolvantur 30000, & pro 1000 peditibus 10000 floreni Hollandici. Et ſecundum hanc proportionem naves æſtimentur. Si autem hæc ſubſidia non eſſent ſuffectura, augeantur, imo, ſi neceſſe foret, bellum adverſus aggreſſorem publice declaretur.

His ſubjuncti ſunt 4 articuli ſeparati.

1. Si Hollandi nollent ad ſuſtentationem præſidii Helvetici in Italia concurrere, Rex Hiſpaniæ eorum portionem in ſe ſuſcipiat.

2. Tituli, Regi Hiſpaniæ & Duci Sabaudiæ dati, Cæſari nullatenus præjudicent. Et, ſi Hiſpanus & Sabaudus hunc tractatum non reciperent, Cæſar, jure omni ſibi reſervato, ſolenniter contra proteſtatur.

3. Cum Cæſari aliqui tituli ſint dati, quos Gallia non agnoſcit, nulli eidem aut alteri præjudicio ſunto.

4. Cum hic ita actum ſit, acſi Hollandi præſentes contraxiſſent, hoc autem factum non ſit, hæc omnia ipſis communicentur, certa cum ſpe, ab eisdem acceptatum iri. Si tamen detrectarent, tractatus hic nihilominus inter tres confœderatos vim ſuam obtineat.

Hoc Fœdus nomine ſuorum Principum inierunt, Baro Pentenrieder, nomine Cæſaris: Dubois Secretarius Status nomine Galliæ: decem Miniſtri Status nomine Angliæ.

Additus fuit Tractatus Secretus, 12 puncta complexus, quid faciendum, ſi Hiſpanus & Sabaudus executionem detrectarent. Dux Sabaudiæ per Miniſtros ſuos Comites Provanam & Perouſam

brevi Londini ſubſcripſit; at Hollandi, quo minus tunc accederent, obſtitit Marchio Beretti Londi, Hiſpanus Hagæ Orator. Alberonius vero omnia potius tentanda duxit, quam ut Regi ſuo leges ab aliis præſcriberentur.

Hinc ab invaſione Siciliæ nullatenus abſterreri potuit, ſed miſſo Ledeo cum terreſtri, Caſtagneta cum navali exercitu, claſſem gemino ab Anglis prælio cæſus amiſit, grandi Hiſpaniæ jactura, lucro vero Turcarum maximo, quos Anglia Chriſtianorum victoriis eripuit; comminata etiam, ſe claſſem Mediterraneo educturam, ſi Cæſar Chriſtianos fines ultra produceret. (*Videantur, quæ ſupra de rebus Hiſpanicis diximus.*)

§. 4.

Nuptiæ Jacobi III. Sponſa detenta Oeniponti. Calumnia in Jacobum. Commercium chartaceum. Wigſii & Torrii. Obeunt Stanhope & Marleburgus. Novi officiales. Fœdus Hannov. Tres claſſes. Obit Rex. De Imped. Conſangv. Obitus Nevvtoni.

162. Jacobus III Majorum jure & ſuo Rex Angliæ Avenione in Italiam pulſus, atque deſertus ab omnibus, a Papa, Univerſali Chriſtianorum Patre receptus, anno 1718 matrimonio ſibi junxit Mariam Clementinam, Jacobi Sobieski Regii Polonici Principis & Hedwigis Palatinæ filiam, neptim Imperatricis Eleonoræ, & Electoris Palatini. Ac proin cum ſummis Europæ Principibus conſanguinitate vel affinitate erat juncta, ac proin etiam exules ejus filii.

Jacobi III nuptiæ.

Dum autem ſponſa ex Sileſia, ubi parentes ejus domicilium fixerant, per terras Auſtriacas in Italiam tendit, ut Ferrariæ cum ſponſo conjungatur, poſtulante id Saphorino Legato Viennæ Anglico Oeniponti in Tyroli fuit intercepta. At, cum minus arcte cuſtodiretur, inde elapſa feliciter in Italiam pervenit.

Sponſa captiva.

Jacobi Regis mater, Alphonſi IV Mutinæ Ducis filia, Jacobi II Angliæ Regis vidua, ad S. Germanum in Gallia pientiſſime obiit, anno ætatis 60, fatis mariti & filii diu multumque jactata.

At tolerabilia hæc viſa ſunt, ſi cum mendaciis Proteſtantium impudenter confictis, comparentur, quibus Jacobum ſuppoſitum e

ei filium comminiscuntur. Detectam ab eo in morte fraudem calumniantur. Sed ubi in re tanti momenti probatio? id ex Gallia per scriptum ajunt. Sed quis perscripsit? quo teste idoneo perscriptum? quare non dicunt, id Romæ a Pasquino narratum fuisse Marforio? grandi nempe calumnia fucus illinendus erat grandi injuriæ. Si Calvini sectam professus fuisset, nemo finxisset, nemo Natales accusasset, nemo coronam disputasset. Constat, cur pater ea sit spoliatus. Quis unquam Protestantium sceptrum maluit quam Religionem amittere? est profecto, est hæc vis solius veritatis, quæ præferre docet immarcescibilem coronam justitiæ. Calumnia in Jacobum.

Hanc ut per rerum aspera sibi compararet Jacobus, cælo permittente, anno 1719 classis Hispana, quæ eum in Scotiam vehebat, tempestatibus magis quam vi hostili fuit disjecta, fidi Jacobi comites, Nobiles Scoti, inter quos Perthi Dux & Comes Marrius primum Vogheræ, postea Genevæ in custodiam dati sunt, tridenti Neptuni Britanni omnibus se inclinantibus.

Anno 1720 nundinatio Schedularum seu papyraceum commercium (der Actien-Handel) a Societate Occidentalis Indiæ fuit introductum in Anglia ad eum fere modum, quo Lawsius illud introduxit in Gallia, non modico commerciorum, quibus Natio ista vivit, vigetque, damno. Nam multi decepti pro grandi pecunia expensa, nihil tandem in manibus invenerunt, quam papyrum, inanibus promissis divitem, multis hominum millibus ad paupertatem redactis. Inquisitum in auctores perniciosæ hujus inventionis; sed nemo nomen suum profiteri voluit. Chartaceum commercium.

Gravis hoc anno in Hibernia & Scotia sæviebat Catholicorum persecutio, severissimis in sacerdotes editis decretis, & Edenburgi Synodo Præconum instituta, qua remedia inquirebantur adversus crescentem Papatum.

Obiit 1721 Comes Stanhopius, natus anno 1670 Madriti, ubi pater Legatione fungebatur. Ab anno 1704 copiis Anglicis in Hispania præfuit, multisque postea summis muneribus adhibitus, Hannoveranæ Domui intime fuit addictus: Legatione Viennensi aliisque celebris. Tandem cum in Parlamento argueretur negotiationis papyraceæ author aut particeps, ira, quam pressit, æstuans, ubi domum rediit, concidit exanimis. Obit Stanhope.

Secutus est Dux Buchinghamus 84 ætatis anno, sub quatuor Regibus præcipuis officiis admotus. Epitaphium sibi his verbis scripserat: *dubius vixi: Ens entium miserere mei.* Grassata est Londini hoc tempore Atheorum secta.

Wigfii & Torrii.

Per feptem jam annos continuabatur Parlamentum, cum Rex illud diffolvit anno 1722. Magna tunc erat *Wigfios* inter & *Torryos* contentio, quænam pars majorem fenatorum numerum obtineret. Emebantur paffim vota, ventumque a verbis ad verbera, non alio compendio, nifi ut Chirurgi lucrarentur. Tandem, dum novum Parlamentum conftitueretur, electi funt potiffimum Wigfii, huic Aulæ grati.

Singulis ferme annis novas pro Prætendente confpirationes Angli fpargebant. Trahebantur in carceres, a carceribus ad tribunalia, ab iftis vel ad furcas vel in exilia.

Obit Marleburgus.

Obiit hoc anno 1722 celeberrimus bellator Joannes Churchil Dux *Marleburgus* 73 ætatis anno. Nullo relicto filio. Nepoti autem teftamento legavit fexaginta fterlingarum millia reditus annuos ex Capitalibus.

Fuit heros incomparabilis, Germanorum defenfor, Batavorum confervator, Gallorum Victor, S. R. I. Princeps, attributa Dynaftia Mindelhemienfi, fub Anna Regina Præfectus belli fupremus: prudens, ftrenuus, felix. Teftes Höchftadium, Malplaquet, Blendheim, Ramelia &c. Ultimis Annæ Reginæ temporibus, tradito Ormondo exercitu, exauctoratus, turbatis tunc Angliæ rebus, in Principatum Mindlhemienfem, fibi a Cæfare ob præclare gefta donatum, conceffit. Revolutis fub Georgio I rebus in Angliam rediit, & priftinum characterem recepit, eumque ad finem vitæ retinuit.

Novi Officiales.

In ejus officia militaria fuccefferunt Petroburgus, & Cadoganus. Reliqua negotia fuprimi Miniftri Towfendus, & Carteretus, atque gemini fratres Walpoli, Robertus & Horatius, moderabantur.

Prout fingulis ferme annis, ita & 1723 Rex provincias fuas Germanicas invifebat, ubi frequens Principum ad eum recurfus. In Anglia executio in exiftimatos rebelles continuata eft. Obiit Carolus Lenoxius, Dux Richmondus, filius naturalis Caroli II Regis.

Walpol.

Anno 1724 nihil admodum fuit mutatum. Robertus *Walpolus* ad altiores dignitates promoveri recufavit, ne Inferius Parlamentum, in quo Regi plus fervire poffit, deferere debeat. Obiit Comes *Oxfordiæ*, potens olim in Aula Annæ Reginæ, fub Georgio vero, quod Galliæ & Prætendenti favens, pacem Ultrajectenfem præcipitaffet, in carcerem datus, prout fupra memoratum.

Anno

Anno 1725 pax Viennensis, Cæsarem inter & Philippum V conclusa, cum non levi indignatione a Georgio fuit excepta, auctoritati suæ & rebus Angliæ adversam rato, quod per eam via aperiretur ad invadendam Minoricam & Gibraltariam, quarum restitutioni Hispania mordicus insisteret. Quare, cum Georgius Rex in Germanicis suis ditionibus tunc versaretur, cum Gallia & Borussia *Fœdus Hannoveranum*, quod supra in Germanicis exhibui, percussit.

Fœdus Hannoveranum.

Promissa in eo cautio & defensio mutua. Determinantur in casum invasionis auxilia. Vetatur, ne quis contrarium huic tractatum ineat. Spondetur tuitio pacis Westphalicæ, & Olivensis.

Anno 1726 Parlamentum hæc Regis Acta comprobavit, eique grandia subsidia decrevit; quibus succinctus tres formidandas classes milite & armis probe instructas pelago immisit: stupente orbe, & admiratione suspenso, quo tantus apparatus tenderet, cum nullus uspiam hostis esset.

Tres classes immissæ.

Primam quidem sub Archithalasso *Hosiero* misit in Americam, undecim bellicis constantem, haud dubie eo fine, ut Hispanam gazam interciperet. At ea ex Portu Bello, ubi celeberrimæ nundinæ celebrari solent, Havanam, urbem in insula Cuba præmunitam, jam fuerat reducta: non tamen in Europam deduci hoc anno poterat: quia Angli Portum Bellum obsederunt, & mare.

Alteram viginti navibus bellicis, & septem virorum millibus formidandam, Carolus Wagerus duxit in Balthicum, adfuturam Dano, si Russus Schlesvicensem Ducatum tentaret, atque ut Suecum, nulli adhuc parti addictum, argumentis fortioribus ad fœdus Hannoveranum pertraheret. Quem in finem Wagerus Hafniam, & Holmiam excurrit, atque ut Mosco se ostentaret, classem suam Livoniæ finibus admovit. Postquam autem per totam æstatem maria borealia oberraverat, bruma ingruente fuit in Angliam revocata.

Tertia, sexdecim bellicis valida, sub Joanne Jenningio in Mediterraneum missa est, ut Hispanis terrorem incuteret, & Minoricam atque Gibraltariam, munitione & annona instrueret, ad defensionem præpararet.

Hæc acta foris; domi quoque consultum rei publicæ, dum nova Orientalis Indiæ societas, compositis jurgiis, cum veteri conjuncta est. Quippe Elisabethæ tempore præcipui mercatores collata grandi pecuniæ summa societatem inter se commercialem erexerant, eo concesso privilegio, ut aliis commercium Indicum esset inter-

Societas Indica nova & vetus conjunctæ.

interdictum. Verum ſpectatum lucrum opulentum aliorum quoque cupiditatem accendit, ut & ipſi in ſocietatem coirent.

Vehementer colliſæ inter ſe ſunt duæ iſtæ ſocietates, vetus & nova, Hollandis inter duos litigantes gaudentibus. Unita tandem utraque tres pro commerciis ſtationes obtinuit: primam in urbe Madras ad Coromandelæ littora: alteram in portu Bombayæ: tertiam in regno Bengalæ. Data ſimul illi poteſtas condendi commercales leges, ſtatuendique pœnas civiles & criminales: ſolo crimine majeſtatis Regi reſervato.

Rex obit Oſnabrugis. Cum anno 1727 Georgius Ludovicus Rex Magnæ Britanniæ & Elector Hannoveranus ad luſtrandas ſuas provincias proficiſceretur, in via ægrotare cœpit, atque Oſnabrugam deportatus, eo ipſo in cubiculo, in quo natus fuerat, obiit, anno ætatis 67, Regni 13, Electoratus 19. Natus quippe fuerat anno 1660, patri Erneſto Auguſto deſignato Electori ſucceſſit 1698, in Collegium Electorale introductus 1708, Rex Angliæ 1714.

Conjugem habuit Sophiam Dorotheam, Ducis Cellenſis patrui ſui filiam, a qua anno 1694 divortio ſe ſeparavit, poſtquam ex ea genuit Georgium Auguſtum, qui ei ſucceſſit, & Sophiam Dorotheam, Friderico Wilhelmo Regi Boruſſiæ anno 1706 nuptam.

De Imped. conſangu. *Nota.* Dicunt Proteſtantes, matrimonia in primo & ſecundo conſanguinitatis gradu jure Divino eſſe illicita & invalida. Quomodo ergo Georgius Ludovicus ducere potuit patrui ſui filiam, in ſecundo gradu ſibi conjunctam? utique non dicent, liberos ex hoc matrimonio natos fuiſſe illegitimos. Cur autem Georgius Ludovicus repudiaverit Sophiam, & cur Georgium Auguſtum, Walliæ Principem, ex ea ſibi natum, ab aula amandaverit, non levi diſſenſione cum eo colliſus, mihi non conſtat. Plebs infrunitam ejus ſtatuam contrivit.

Succedit Georg. Aug. Quamprimum autem Georgius Auguſtus Richmondiæ, ubi per plures jam annos privatus degebat, mortem patris intellexit, Londinum profectus eſt, atque ſub nomine *Georgii II* Rex ſalutatus, plura de ſuo in religionem & Rempublicam amore præfatus. Acta quoque patris ſui, & inter ea Fœdus Hannoveranum confirmavit.

Primum novo Regi negotium cum Hiſpania fuit, quæ hoc anno 1727 Gibraltariam obſedit, in pace Ultrajectenſi cum Minorica inſula Angliæ relictam. At Hiſpani obtenderunt, ceſſionem illam factam ideo, quia Anglia cavit pro libertate Italiæ, quæ cauſa cum nunc poſt pacem Viennenſem ceſſet, prædicta loca Hiſpaniæ eſſe

esse restituenda. Contra vero Anglia cessionem illam absolutam & perpetuam contendit, ceu pretium diuturni belli.

Collegium Regium Scientiarum, a Cancellario Francisco Bacone Verulamio, viro celeberrimo, olim fundatum, amisit hoc anno Isaacum *Newtonum*, Præsidem suum, ab editis doctissimis operibus toto orbe notissimum, postquam 85 ætatis annos implevit. Successorem habuit Joannem Sloanum. Societas ista Philosophiam maxime excolit, & rerum naturam scrutatur, earumque inventiones, quæ singulis trienniis in *Miscellaneis curiosis* communicantur orbi litterato. Singulis annis novus hujus Collegii eligitur Præses cum duobus Secretariis. Optimates regni honori sibi ducunt, eidem accenseri. Obit Newton.

Art. III.

Status Angliæ

sub Georgio II.

§. 1.

Pluribus displicet Tractatus Hispalensis. Nuptiæ cum Auriaco, & Hasso. Fœdus cum Dania. Dissidium inter patrem & filium. Bellum cum Hisp. Carthagena obsidione liberata. Bellum cum Gallia. Dettingensis victoria.

Postquam anno 1728 Hispania Præliminaribus articulis subscripsit, Anglia classes suas revocavit. Cum in nuptiis Ducis Parmensis Jacobo Stuarto præsenti Majestatis titulus fuisset delatus, Comus Ducis Legatus illico Anglia excedere debuit. Hosiero Archithalasso defuncto successit Hopsonus. Hovardus Staffordiæ Comes Catholicus cum filio regno excessit. 163.

Anno 1729 Conventio Hispalensis multis in Parlamento non placuit. Mutatum Fœdus Quadruplum querebantur: loco 6000 copiarum indifferentium 6000 Hispanos in Florentinum & Parmesanum Ducatum & quidem opera Angliæ inducendos. Irritari per hoc Cæsarem & possessores. Timendum inde novum bellum, magno sumptu absque Nationis emolumento gerendum. Dunkercæ portum, Anglicis navigationibus Parlamento displicet Tractatus Hispalensis.

ini-

inimicum, contra Ultrajectensia pacta impune reparari. Adhæc in Tractatu illo nullam mentionem factam Minoricæ & Gibraltariæ, quæ tamen præcipuum Suessione contentionis caput fuissent. Tacuisse hac de re callidam Hispaniam, ut possit rursus repetere. Sed tacendum non fuisse Anglis, tractatum compingentibus.

Hæc aliaque quiritabatur adversa pars: sed numero vicit aulæ addicta, rogataque est lex de acceptando Hispalensi tractatu, Rege ipso in pleno Senatu conquesto contra eos, qui sapienter acta maligne interpretentur, & discordias in populo disseminare identidem satagant. Facta dein anno 1730 in publicis mutatio. Mylordus Harrigton, seu Wilhelmus Stanhope dictus Secretarius Status loco Vice-Comitis Townsendi: Horatio & Roberto Walpolo ad magna quoque officia promotis. Initus eodem anno Tractatus Commercialis cum Abdala Rege Marochii.

Anno 1731 constitutum jam fuerat, Carolum Hispaniæ Principem, secundum Tractatum Hispalensem, etiam armata, si opus sit, vi in Italiam abducere, atque ad hoc Domus Parlamenti Inferior subsidia Regi jam addixerat; cum interea Viennæ conventum est, ut Cæsar trajectum Caroli cum 600 Hispanis in Italiam permitteret, Anglia vero pro Sanctione Pragmatica sponderet. Missus proin Wagerus cum classe in Hispaniam, ut Carolum cum copiis trajiceret.

Lis composita.

Obiit hoc anno Philippus Dux *Whartonus*, qui constanti fide adhæsit Prætendenti; exul propterea, bonis Fisco addictis, in Hispania potissimum reliquum vitæ egit, donec Barcinone est mortuus.

Anno 1732 Rex ad Senatum retulit, Seviliensem Tractatum nunc esse impletum, Carolum Hispanum Parmæ & Placentiæ possessionem cepisse: Hollandos Viennensibus prioris anni placitis accessisse; quo Europa in æquilibrium suum & quietem sit reposita.

Aquisgrani obiit notissimus orbi Comes *Marrius* Joannes *Areskin*, præcipuus Prætendentis fautor, & adversæ fortunæ socius.

Anno 1733 Rex Georgius II Annam filiam suam despondit Wilhelmo Principi Auriaco, Frisiæ Gubernatori, 1709 nato. Dotem pro illa Parlamentum assignavit octoginta Sterlingiorum millia. Pensionem annuam 12000 Sterlingiorum Rex ipse adjecit.

Nuptiæ cum Auriaco.

Robertus Walpolus certum quibusdam mercibus tributum imponi voluit, exosus propterea toti Nationi. Intentum erat, ut

hac

hac via debita coronæ ſolverentur, quæ ad 48 milliones librarum Sterlingicarum aſcendiſſe narrantur.

Anno 1734 ſubſidiorum tractatus Angliam inter & Daniam fuit compactus. Dania præbet 6000 virorum, 5000 pedites, 1000 equites, ea lege, ut Anglia pro quolibet equite ſolvat Daniæ 80 Thaleros, pro pedite 30; Regi autem 25000: & poſtquam hic manipulus ad ſtipendium Anglicum venerit, 150000. Promittitur mutua defenſio. Pactum hoc in triennium valere jubetur, videturque ideo duntaxat ictum, ut Dania a Gallia abſtrahatur. 16 Scoti in ſuperius Parlamentum aſſumpti. Jenningius & Norriſius celebres claſſium Præfecti a laborioſa vita in quietem ſe dederunt, ſuffectis Forbeſio & Haddockio. Fœdus cum Dania.

Ex Salisburgenſibus emigrantibus multi in Americam, & quidem in Georgiam, translati ſunt, quia ſpes ipſis facta, pinguiorem multo fortunam ſe inventuros, quam in montibus ſuis reliquerant.

Anno 1735 per omnia tria Regna multæ erectæ ſunt ſcholæ pro juventute gratis erudienda liberalibus artibus & ſcientiarum diſciplinis.

Anno 1736 Fridericus Princeps Walliæ, qui anno 1728 primum in Angliam venerat, duxit Auguſtam Saxo-Gothanam.

Rex ad Parlamentum retulit, pacis Præliminaria Cæſarem inter & Gallos eſſe concluſa modo, non multum abludente ab idea, a potentiis maritimis propoſita; atque hinc ſublevaturum ſe Nationem per reductionem militiæ, a gravi ſubſidiorum onere. Abdicabantur autem 9000 milites, & 8000 nautæ.

Obiit Carolina Angliæ Regina 54 æt. anno, ex Domo Onolsbacenſi oriunda.

In annum 1737 incidit diſſidium inter Regem patrem, & Principem Walliæ filium. Quippe Rex ex ſumma 800000 Sterlingiorum, qua ſuſtentatur Regia Familia, Walliæ Principi aſſignaverat in annos ſingulos 50000. Minor hæc portio videbatur Principi, quam ut inde familiam ſuam congrue ſuſtentare poſſit. Res delata eſt ad Parlamentum. Non paucis viſum, augendum Principi cenſum. At ſuperabant ſuffragia, pro diſpoſitione Regis lata. Creſcebat interim tantopere diſcordia, ut Principem juberet ex palatio Regio S. Jacobi emigrare. Privata hæc erat contentio, publica vero cum Hiſpania ob ereptas naves a littorum cuſtodibus. Diſſidium inter patrem & filium.

Anno 1738 natus eſt Principi Walliæ filius Georgius Wilhelmus, Fridericus, hodiernus Rex Angliæ. Quamvis autem diſſidia inter patrem Natus hod. Rex Angliæ.

patrem & filium necdum essent composita, nuntiari hic tamen jussit hanc nativitatem.

Mercatores querelas suas ob ereptas naves ad ipsum Parlamentum detulerunt, quod 257 suffragiis contra 209 conclusit, gravamen Regi proponendum, curandumque, ne Respublica detrimentum patiatur. Nationi Anglicanæ fas esse per omnia Americæ maria navigare. Petita satisfactio. Inita cum Giraldino, Hispaniæ Londini Legato, conventio, quam tamen Hispania limitavit, Anglia illimitatam voluit; & sic inter contentiones & querelas mutuas annus abiit. Interea autem bellum præparabatur. Ex Lusitania Caravallius Legatus Londinum venit, Azevedium sublevaturus. Bibliotheca Regia redacta in cineres.

Bellum cum Hisp.

Anno 1739 Angli, indicto Hispanis bello, miserunt cum classe Veronum in Americam, qui Portum Bellum, ditissimum mercaturæ emporium, occupavit, & munimentis exuit. Walliæ Principi natus est alter filius Eduardus Augustus.

Carthagena liberatur.

Non tam feliciter Vernono successit anno 1740 Americana expeditio, nam ab obsidione *Carthagenæ* Hispanorum & Indorum virtute magna cum jactura rejectus, indignationem Anglorum incurrit, qui immanes expensas frustra consumptas querebantur. Munimentum tamen Chagræ & S. Laurentii solo æquavit, frustra tentata urbe S. Dominici. Missus quidem cum suppetiis Oglæus, sed pleræque copiæ morbis aut tempestatibus periere. Ereptæ quoque non paucæ ab Hispanis naves.

Nuptiæ Hassiacæ.

Rex hoc anno filiam suam Mariam Friderico, *Hassiæ Principi*, moderno Landgravio regnanti, despondit. Hannoveram profectus regni administrationem 16 Proceribus commisit; inter quos Neucastelius & Harringtonus, Secretarii Status.

Anno 1741 Rex cum assensu Parlamenti Mariam Theresiam agnovit hæredem Paternorum Regnorum & Provinciarum, recepitque, se ex pacto Sanctionem Pragmaticam defensurum; sed ubi Gallos, Westphaliam ingressos, ditionibus suis Hannoveranis imminere vidit, neutrarum se partium professus est, atque Electori Bavariæ suffragium se daturum promisit.

Bellum maritimum cum Hispania pyratico simile visum, navium direptionibus constabat.

Bellum cum Gallia.

Anno 1742 Anglia majori studio in res Austriacas ferebatur; nam Reginæ 500000 & Regi Sardiniæ 200000 Sterlingorum pondo promisisse subsidia dicitur. Viginti insuper virorum millia sub Comite *Stairio*, natione Scoto, in Belgium trajecit, & cum Armbergii copiis

copiis conjunxit, sollicitatis frustra in armorum societatem Hollandis, donec Mallebœus in Bohemiam movit. Verum non tam amor Austriæ, quam odium Galliæ & timor, ne crescat, hanc machinam Anglicanam movisse vel inde videri potest, quod eodem tempore Rex Magnæ Britanniæ cum Borusso peculiarem amicitiæ tractatum confecerit, eique sponsionem Silesiæ addixerit. Motus etiam dignitate sua Robertus *Walpolus*, quod nimium Gallicus putaretur. Successit in munere Cancellarii Sandysius. Walpolus cadit.

Rex Angliæ hoc anno cum Walliæ Principe post sexenne dissidium est conciliatus, eumque ad alloquium rursus admisit, opera maxime Ducis Gothani.

Anno 1743 Rex cum filio Duce Cumbriæ ob relatam *Dettingensem victoriam*, & desponsam filiam cum Daniæ Principe, magna cum gratulatione Londini exceptus est. Detting. victoria.

Cum Hispanis bellum eodem ferme ac priori anno modo gestum, nulla in publicum utilitate, tentata ab Anglis aliquot in America loca, sed cum damno repulsi sunt. *Mathewsius* tamen naves Gallicas & Hispanas Telone Martio ita habebat conclusas, ut Philippi, Hispaniæ Principis, expeditioni Italicæ nulli possent esse subsidio. Obierunt Wagerus & Cavendischus classium Præfecti.

§. 2.

Rex belli cum Gallis causas proponit Parlamento; quod extraordinaria subsidia addicit. Eduardus Princeps in Scotiam. Vincit Copum. Carliliam in Anglia subigit. Advolant auxilia. Pugna ad Cliftonum, & ad Callodum decretoria. Fugit Eduardus in Galliam. Angli capiunt Cap Breton, in Gallia victi, mari victores.

164. Belli cum Gallis causæ.

Postquam Angliæ Rex denuntiationem belli a Francia recepit, re cum Senatu collata, eandem reddidit, allatis in medium his rationum momentis. Galliam, contra sponsionem Sanctionis Pragmaticæ, Germanicum bellum excitasse, ut Europæ æquilibrium tolleretur: Angliam vero, servata ejusdem Sanctionis fide, ambitiosis consiliis se opposuisse. Cum bellum Anglo-Hispanum erupit, Galliam ex pacto neutram esse debuisse: at in Europa & America collusisse, immissa Oceano & Mediterraneo classe.

Per reparationem munitionum Dunkercæ, receptionem juvenis Prætendentis in Gallia, destinatam ejusdem trajectionem, apparatam

ratam in hanc rem claſſem, vim in Matteuſium exercitam, manifeſta eſſe argumenta fractæ pacis. Neutralitatis Tractatum anni 1741 non eſſe a ſe initum ut Rege, ſed tanquam Electore Hannoverano. Non poſſe proin Gallum, dum Angliæ bellum indicit, illum læſum queri. Non Anglicanos Miniſtros, ſed Gallos in Aulis Principum turbas concitaſſe.

Parlamentum magna & extraordinaria Regi decrevit præſidia. Majeſtatis reus declaratus, quicunque cum Prætendente litteras commutare deprehenderetur. Mox Rex, ut Gallo ſubtraheret Imperii Principes, cum Moguntino & Colonienſi tractatum ſubſidiorum compoſuit, ſex virorum millia a ſingulis ſtipulatus. A Rege vero Boruſſiæ popoſcit 10000 armatorum, vi fœderis 1742 icti, ut ajebat, ſibi debita. Reſpondit Rex, Gallum dicere, ſe non eſſe aggreſſorem, ſed Britannum, cum copias ſuas, cum Auſtriacis conjunctas, in Alſatiam miſerit, ac proin non eſſe caſum fœderis, mere defenſivi.

Anno 1745 Rex Hannoveram profectus cum Rege Boruſſiæ conventionem iniit. Sed poſtquam nuntiatum eſt, Prætendentem in Scotiam appulſum, confeſtim in Angliam rediit, ubi Parlamentum non modo ſubſidia, Reginæ Hungariæ, Regibusque Poloniæ & Sardiniæ ex fœdere debita, ſed etiam magna extra ordinem adverſus Prætendentem, ejusque in Scotia adhærentes addixit.

Cum autem Eduardus Regius Princeps, Jacobi III filius, cum 300 ſuis hominibus in Scotiam veniſſet, Aula Londinenſis 30000 Sterlingarum caput ejus licitata eſt, miſitque adverſus eum cum exercitu *Copium*, Vernonio & Martinio cum claſſibus ſuis excubare juſſis, ne quid ſubſidii ad eum ex Belgio penetrare poſſit.

Eduardus in Scotiam.

Verum Princeps *Eduardus* majores nihilominus progreſſus fecit, quam Londinum ſibi perſuaſerat. Nam poſtquam jura Regia Domus Stuart Manifeſto ut vocant declaraſſet, multi ad ejus ſigna convolabant, præſertim Scoti Montenſes, qui tria armatorum millia eidem adduxerant, quos Comes Mardonellus regebat. Et ſecunda fuerunt ſane initia. Occupatæ Atholum, Pertha, ipſaque urbs Scotiæ princeps Edimburgum, ubi acta patris Jacobi, quibus filium Walliæ Principem omnium trium Regnorum Regentem conſtituit, inter tubarum applauſum, publice prælegi juſſit.

Vincit Copium.

Nec mora: Eduardus cum copiis ſuis obviam progreſſus Copium prælio ſuperavit, 500 Anglorum in acie cæſis, 900 ſauciatis, 1400 captis. Tum vero in Angliam cum decem, ut fertur, millibus,

Carliliam capit.

irruens, *Carliliam*, munitam in Cumbriæ Comitatu urbem, expugnavit,

gnavit, atque in interiora Angliæ penetravit. Trepidatum jam Londini. Et profecto, si majoribus viribus Gallia aut Hispania, quibus bellum erat cum Anglia, Principem sustentassent, nescio, quid actum foret. Verum magnis Principibus, etiam dum bella gerunt, mutua sunt politicæ officia. Diverti voluit Gallia Anglorum arma, ut Belgio subvenire nequirent, non statum præsentem, oppresso Georgio Rege, convelli. Quamvis etiam, si voluissent, ob contabulatum Anglicis classibus mare, penetrare non potuissent.

Advenerunt interim in Angliam Hannoveranæ, Hollandicæ, & Hassiacæ, quas Princeps ipse Fridericus adduxerat, subsidiariæ copiæ, quæ Anglis junctæ justum, cui par non erat Eduardus, conflabant exercitum, quem Dux Cumbriæ in Scotos duxit. Ad *Cliftonum* pagum conserta pugna 29 Dec. vicit Cumberlandus. Fuga dilapsi Scoti ad Glascoviam se conjunxerunt, quibus Dux Perthi 300 Gallos, recens advectos, adjunxit.

Advolant Anglis auxilia.

Pugna ad Cliftonum.

Plures aliæ naves, tum ex Gallia, tum ex Hispania, cum multis belli officialibus, varioque apparatu armorum in Scotiam directæ sunt, sed omnes in manus Anglorum, mare possidentium, devenerunt. Qui Anglicæ aut Scoticæ erant nationis, ceu perduelles & Majestatis rei in carceres Londinenses abducti sunt. Centum etiam Sterlingarum pondo promissa illi, qui Clericum Catholicæ Religionis, Jesuitam præsertim, detegeret.

Anno sequenti (1746) Scoti, Eduardo adhærentes, Stanæum Anglorum Ductorem acie quidem vicerunt, variaque ad oram Borealem loca fortiter defenderunt, sed quia subsidia Gallica in Scotiam penetrare non poterant, & Anglicæ copiæ semper augebantur, in angustias conjecti, prælio adhuc periclitari decreverunt. Commissum illud est ad *Callodum.* Victi sunt Scoti, magnaque strage profligati, atque omnibus impedimentis exuti.

Pugna ad Callodum decretoria.

Hac Anglorum victoria bellum hoc finitum est. Princeps Eduardus inter varia pericula in Galliam tandem evasit. Multi vero Nobiles Scoti, tum in pugna Callodensi capti, tum alias deprehensi, quod Prætendentis partes essent secuti, Londini ad mortem condemnati & interfecti sunt. Hos inter *Lovatus*, quem tubam & facem rebellionis Angli dixere. Scotis Montensibus arma adempta.

Dum hæc in Scotia gerebantur, & Anglia, fervebat bellum cum Gallia & Hispania, maritimum præsertim, nec Angli navium duntaxat rapinis ingentia damna intulere, sed etiam ad sinum fluminis S. Laurentii expugnata urbe Ludovicia Insulam, quæ Caput Britonum (*Cap Breton*) in potestatem redegerunt. Quo nuntio

Cap Breton.

accepto Angli, eorumque latrevtæ, acſi totam Americam occupaſſent, triumpharunt.

Angli per trajectum Prætendentis irritati, anno 1747 vices reddere volebant, dum claſſe ad Britanniam Minorem ſub Leſtockio Præfecto appulſi, prædas & rapinas non modicas exercebant. Sed poſtquam miles Gallus advenerat, eos victos velut ranas in undas propellebat, plus mille illorum cæſis. Eodem ferme eventu Quiberonum & Calonesſum (*Belle Isle*) tentarunt, factis in claſſem magnis ſumptibus: præda non magna a muricolis reportata.

Angli in Gallia victi.

Cheſterfieldus Prorex Hiberniæ, & Harringtonus Status Secretarius clypeos mutarunt. *Haddocus*, famoſus claſſium Præfectus, obiit.

Anno 1747 Angli potiores mari erant Gallis; nam geminam eis cladem reddiderunt, quam ſuperiore anno acceperant. A *Ponticherio* autem in India Orientali cum clade repulſi ſunt. Nihil autem Regem Angliæ magis delectabat, quam nuntius de electo genere ſuo in Vicarium Fœderati Belgii; quia ſperabat, ſic Rempublicam promptius in vota ſua ituram.

Mari victores.

Rex multos claſſium Præfectos, albi, rubri, & cærulei vexilli, conſtituit, uti Oglium, Stevartum, Rowleum, Anſonem, Warrenum, Bingium, Knowleum, Boſcavum: Duces item, qui ſub Principe Cumbriæ in Belgio militarent, *Ligonierum* Magiſtrum Equitum, qui dein in pugna Laſſeldenſi captus eſt: Hawleum, Albemarlium, Hamiltonum, Howardum, Marleburgium &c. Legatos ſeu Vicarios ſupremi Ducis. 16 denique Pares Scotiæ, quibus jus ſeſſionis & voti in Parlamento Anglicano, ut Gordonum, Argylium, Duglaſſum, Murræum, Leslæum, Hayum, Lindſæum, Laudonum, Ogilvium, Hindfordum.

Duces.

Obiit Antverpiæ *Dux Perthi*, Scotus, qui cum ſua Familia, quia conſtanter Jacobo Stuarto adhærebat, in Gallia exulabat, militaribus ibidem functus officiis.

Subſidia, quæ hoc anno Parlamentum Regi conceſſit, aſſignantur ſequentia: 1 pro 65000 Auſtriacis in Belgio 433333 Sterlingarum pondo. 2 Moguntino 8260. 3 Colonienſi 24299. 4 Bavaro 26846. 5 Hannoverano pro 5000 equitibus, & 13000 peditibus 410000. 6 Haſſo pro 6000 militibus 161607. 7 Pro 11550 Anglis navalibus

Subſidiorum quantitas.

bus militibus 206253. 8 Pro 40000 nautis 2080000. 9 Pro re maritima 196259. 9 Pro ſolvendis debitis maritimis 100000. 10 Pro Belli Officialibus 29914. 11 Pro militia Anglica campeſtri 49229 armatorum 1298100. 12 Pro ſumptibus in expeditionem Scoticam 166198. 13 Pro Ponte Weſtmonaſterienſi 301000. 14 Pro bello præſente præterea 500000 pondo Sterlingarum librarum.

Quæ ſimul ſumpta faciunt ſummam 6871069 ſeu 34 milliones, & 355345 Thalerorum Imperialium. Neque in hac ſumma adhuc continentur, quæ ad Aulam Regiam & Principis Walliæ, atque Cumbriæ Ducis Familiam regie ſuſtentandam fuerant contributa. Sed unde tantæ divitiæ? ex commerciis. Europa vectigalis pendit Inſulæ, ferme extra Europam projectæ, ignobilis olim nominis. Conſpirent Nationes aliæ, & alveum ad ſe derivent; abrumpant cum Anglis mercaturam; vetitas eorum merces declarent, & importari prohibeant; quam alia brevi foret rerum facies! aut quid tandem eſt mercium, quod non aliæ nationes advehere, & mutuis Commerciis communicare queant? Habent maria, flumina, merces, portus, naves. Quid prohibet, ſtrenue & gnaviter illis uti?

Pax Aquisgranenſis, anno 1748 concluſa, ea ſui parte genti Anglicanæ diſplicuit, qua omnia non modo in Europa, ſed etiam India occupata, atque inter ea Caput Britonicum quoque, reſtituenda decernitur. Nationi inſuper indecorum putabant, duos obſides in Galliam mitti, donec plena ſit facta pacis executio, partemque continentem Dunkercæ munitam relinqui.

Anno 1751 obiit *Fridericus Ludovicus* Princeps Walliæ 45 ætatis anno, Regis filius, Regis pater, ſed nunquam Rex, cum patre Rege conciliatus. Ex conjuge Saxo - Gothana reliquit octo liberos, quinque videlicet mares Principes & tres filias, acceſſit quarta poſthuma. Natu maximus inter filios eſt *Georgius* Wilhelmus Fridericus, hodiernus Angliæ Rex, natus anno 1738. Præter Walliæ Principis, Ceſtriæ Comitis titulum poſt mortem patris ab avo Rege accepit, cum ordine Periſcelidum.

Suſcepta eſt anno 1751 mutatio Calendarii, omiſſiſque 14 diebus æquinoctium ſedi ſuæ reſtitutum eſt, ad exemplum Calendarii Gregoriani.

Anglia

Anglia & Hollandia ſubſidiorum tractatum inierunt cum Electore Saxoniæ, quo eidem promittunt ſolutionem annuam 48000 Sterlingarum, ita, ut Anglia duas tertias ſolvat, Hollandia unam. Elector vero pro caſu invaſionis 6000 armatorum præbeat, & ſuffragium ſuum Joſepho Archiduci in electione Rom. Regis: ſimilis tractatus cum Saxo - Gothano initus, & Colonienſi, qui tamen a Guebriano Gallico, & Ammone Boruſſico Miniſtro aliud fuit perſuaſus.

Anno 1756 ortum eſt bellum atrox Anglos inter & Gallos propter limites in America. Direptæ primum naves Gallicæ; eamque direptionem Francia pro aggreſſione habuit, atque Inſulam Minoricam per Ducem Richelium expugnavit. Commiſſa prælia navalia plura. Victi Archithalaſſi Laclujus a Boſcavio, & Conflanſius ab Hawkæo. Interceptæ ab Anglis Inſulæ, Bretonica, Quadalupa, Bellilia, Martinicia &c.

Initum fœdus cum Rege Boruſſiæ. Trajectæ in Germaniam Anglicæ copiæ, fortuna varia; prout infra magis declarabitur. Renovatum ſæpius fœdus Boruſſicum, nominatim anno 1759 & 1760. Anglia promittit Boruſſo 670 millia librarum ſterlingicarum, Londini ſolvenda. Cavetur, ne alterutra pars ſine altera conventionem ineat.

Anno 1760, 25 Oct. ſubitanea morte Kenſingtonii corruit *Georgius II* Rex Angliæ 77 ætatis anno; natus ſiquidem eſt in Germania anno 1683. In Angliam profectus eſt cum patre Georgio I anno 1714 Princeps Walliæ declaratus. Anno 1727 ſucceſſit parenti in regno Angliæ, & Electoratu Hannoverano. Magnamque in theatro hujus mundi Perſonam egit, prout tot negotia per totum orbem politica, tot bella, tot tractatus publice demonſtrant.

Reliquit ex Carolina Onolsbacenſi tres liberos, Amaliam Sophiam, Wilhelmum Auguſtum, Ducem Cumbriæ (qui in Belgio & ad Rhenum, ac Viſurgim ſupremus fuerat militiæ Præfectus, majori ſpe & commendatione nominis quam fortuna; quapropter Præfecturam illam abdicavit) & Mariam, Friderico II Haſſiæ tunc Principi, nunc regnanti Landgravio deſponſam, ex quo tres filios ſuſcepit.

Suc-

Successit ordine Primogenituræ Georgio II *Georgius III* ex filio præmortuo nepos; qui in eadem fœdera cum Borusso, idemque regnandi systema cum avo abiit, confirmatis Ordinibus suis juribus ac privilegiis. Natus is fuit anno 1738, post mortem patris Princeps Walliæ 1751, ac demum, quod dixi, post mortem avi Rex & Elector Imperii.

Bellum mox impigre continuatum, missa in Germaniam nova supplementa, in Oceanum classes, præsertim postquam Hispania hostis accesserat. Non tamen semper Angli fines suos sunt assecuti; nam cum ingentem classem expediissent, quæ toti orbi minitari videbatur, illa, postquam ad Insulam S. Helenæ aliquamdiu substitisset, relecto itinere Portsmuthum rediit. Ad Grænæam quoque Insulam cursus fortunæ impegit, Anglis cruentis cum capitibus a Gallis repulsis.

Feliciores erant anno sequenti (1761) in expugnanda Insula Bellilia, quam Eques de Cruce strenue defenderat. Sed tandem multitudini cedere debuit.

Annus 1762. novum Bellum Hispanicum, expugnanda Havana, & Lusitania defendenda occupatos habuit. Nova classis sub Hawkæo expedita, coactione ad naves compulsi remiges, ex tribus regnis collecti milites, missæ rursus in Germaniam suppetiæ cum annona. Subacta Insula Martinicia, ac postea etiam Havana: illa Gallis erepta, hæc Hispanis. Tandem vero pax conquæstionibus metam posuit. (anno 1763.)

In Hibernia hoc tempore lymphati quidam homunciones, ex fæce infima conflati, circumcursantes, seditionis speciem præbebant; sed ab Hallifaxio, detrusis in carceres capitibus, in ordinem sunt redacti. In Anglia quoque tumultuatum a plebe propter auctum maxime pretium cerevisiæ.

CAPUT VIII.

Status Belgii SÆCULO XVIII.

Art. I.

Belgium Hispanicum Philippo traditur: quem Angli & Batavi Regem agnoscunt. Sed alia mox rerum facies. Postulata. Fœdus. Belli denuntiatio. Prælia. Urbium expugnationes. Gallia cladibus attrita ad pacem petendam compulsa.

165. Anno 1701 Elector Bavariæ Nepoti suo Philippo, tanquam hæredi Hispaniarum, per testamentum Caroli II scripto, Belgium, quod gubernaverat, tradidit, admissis Neoportum, Aldenardam, Athum, Montes, Caroloregium, Namurcum, Luxemburgum &c. Gallicis præsidiis, dimissis vero Hollandicis, quæ urbes istas munitas insederant, copiis, nec minimum quidem resistentibus. Noluit Rex eas copias captivas detinere, ne aggressor videretur.

Angli & Batavi Philippum salutant Regem.

Quinimo tam Batavi quam Wilhelmus III Philippum Ducem Andegavensem, datis officiosis ad eum litteris, Regem Hispaniarum salutabant, sinceram amicitiam se culturos polliciti; necdum quippe eo res eorum erant loco, ut, quod sentiebant aut destinatum apud se habebant, auderent proloqui, meliores politici, quam fidei & candidæ veritatis amatores.

Verum diuturna non fuit illa simulatio; nam, cum Avallius Comes Hagam Legatus venisset, Regem suum publicam quietem, securitatem, & omnia, quæ in pace West. Neomagensi, & Risvicensi transacta fuissent, curate servaturum, prolixe fuit pollicitus, responderunt Batavi, quis sibi in pacem sit animus, abunde se demonstrasse, dum Philippum Hispaniæ Regem agnovissent; nihil proin superesse, nisi ut Domui Austriacæ congrua satisfactio præstetur, miles Gallicus Belgio Austriaco excedat, Franciæ nihil accrescat, securitatis obsides sibi tradantur, Venlona, Ruremunda, Stevensverta, Luxemburgum, Namurcum, Montes, Caroloregium

gium, Dendermunda, Dama &c. privilegia autem navigationum & commerciorum in Hiſpania & Indiis ſibi a Philippo Rege depoſcunt, quæ hactenus fuerant conceſſa, & deinceps aut Galliæ aut aliis Nationibus amiciſſimis concedentur. Poſtulata Holl. & Angl.

Eadem Stanhopius, Angliæ ad Fœderati Belgii Ordines Legatus, poſtulabat, ſatisfactionem videlicet Cæſari pro jure ſuo præſtandam, evacuationem Belgii, privilegia, & urbes maritimas, Oſtendam & Neoportum credendas Anglorum præſidiis. Denique utrique integrum ſibi volebant, his poſtulatis alia plura adjungere.

Obſcurum haud erat Avallio, quo hæc vergerent; quare de tanta diffidentia queſtus Pariſios rediit. Cæſar vero cum Anglis Hollandisque fœdus Hagæ percuſſit, quo maris potentibus ſua poſtulata, Imperatori vero Mediolanum, Neapolis, Sicilia, cum aliis Mediterranei Inſulis & portubus Hetruſcis vindicarentur. Fœdus.

Sexto articulo Anglis Hollandisque copia fiebat, quas vellent, in Indiis Hiſpanorum terras urbesque occupandi ac jure proprio retinendi. Verum hac poteſtate uſi non ſunt; quia neutra natio volebat alteram in Indiis creſcere, conſultius in rem ſuam rata, ſi Rex Hiſpaniæ eas terras poſſideat. Octavo conventum, ne qua pars absque aliarum conſenſu a fœdere recedat.

Mirum quibusdam viſum, qua ratione gens utraque maritima fuerit auſa, in fœdus iſtud deſcendere, cum viderit, a multis jam annis ſolam Franciam contra omnem prope Europam ſtetiſſe victorem, relatas victorias, expugnatas urbes, protenſum regnum, latas pacificationum leges: jam vero ſuſtentatam tota Hiſpaniæ potentia, Sabaudiæ Ducis duorumque potentium Electorum auxiliis auctam, ad Scaldim, Padum, Rhenum, Danubium firmatam, multoque validiorem, quam anno 1672, quo everſa propemodum fuerat Batavorum Reſpublica. Verum Fœderati conſcii erant ſuarum opum, & quæ opibus conſtant, virium. Certe ſequentium annorum felicitas non a temeritate modo, ſed audacia etiam eos abſolvit.

Anglos præſertim Wilhelmumque Regem irritavit nuntium, quod Ludovicus poſt mortem Jacobi II, quæ in hunc annum incidit, ejus filium Jacobum III Angliæ Regem ſalutarit, conquerente Wilhelmo, pacis Riſvicenſis fidem violatam. At exceperunt Franci, nihil actum contra pacta: pollicitum quidem Regem Chriſtianiſſimum, ſe Regem Wilhelmum in poſſeſſione ſuorum Statuum non turbaturum, nec copias aut naves daturum turbare volentibus. Mortuo Jacobo II ſe titulum Regis ejus filio negare non potuiſſe, quem ipſa naſcendi conditio tribuiſſet. Regem Angliæ in Jacob. III. a Lud. Rex ſalutatus.

titulo suo se appellare Regem Franciæ, & se ipsum proferre titulum Regis Franciæ & Navarræ, quin propterea se læsam conqueratus Hispania; titulum Regis dari posse Jacobo, quin propterea illi præstetur auxilium: ac proin nihil actum contra fidem datam.

Belli denuntiatio.

Verum Fœderati, Imperator, Anglus & Hollandus, tantam Domus Borbonicæ per accessionem Hispaniarum potentiam non ferentes, ad rem ipsam progressi, bellum anno 1702 Ludovico & Philippo denuntiarunt. Batavi Regi Franciæ id vitio dederunt, quod non steterit tractatu partitionis: contra illum nepotem suum throno Hispanico imposuerit, ubi ipse sit regnaturus despotice, & ad Monarchiam universalem grassaturus. Inundatam jam Italiam, Belgium, Electoratum Coloniensem, Hispaniarum vastissimam Monarchiam omnem, cum evidenti periculo Europeæ libertatis.

Resp. Gall.

Responderunt Galli, Imperatorem adduci nunquam potuisse, ut partitionis tractatui subscriberet; Anglos ab eo recessisse; idem facturos fuisse Batavos. Acceptatum testamentum Caroli II crimini dari non posse: Ludovicum paratum esse, omnes copias suas ex Hispaniæ terris revocare, modo quietem impetret; Coloniensi missa auxilia adversus eos, qui ad bellum cogere illum & rapere voluerint. Quæ de Monarchia Universali dicuntur, vana esse, & jam olim Carolo V ejusque filio, Philippo II objecta. Quærunt denique, cur Hollandi non timeant Monarchiam Sultani, multo potentioris, quam sit Rex Franciæ? cur vires suas nunquam adversus eundem exerant? Cæterum, ne Gallorum vicinia umbram in Hollandiam projiciat, Ludovicus cum Philippi consensu Belgium Hispanicum in Electorem Bavariæ translaturum.

Postquam verbis scriptisque ultro citroque necquidquam est disceptatum, ventum ad arma. Dux Burgundiæ exercitum Hollandorum, cui Athlon Comes præfuit, ad Neomagi usque mœnia propulit, mille illorum cæsis. Fœderati vero Venlonam occuparunt, Stevensvertam, Ruremundam, Leodium. Tallardus vero Trarbachio & Treviris captis ad Mosellam se explicavit.

Obdamus cæditur.

Anno 1703 Bouflerus, & Bedmarus, qui pro Electore Bavariæ absente Belgium administrabat, Obdamum, Hollandorum Ducem, *Exerensi* prælio, haud procul Antverpia, profligarunt, cæsis, ut fertur, 4000, direptisque impedimentis. Contra vero, convolantibus magno numero fœderatis, Geldria a Brandeburgicis longa obsidione ad deditionem compulsa, Limburgum & Hujum a Marleburgo.

Anno 1704 cum belligerantium copiæ ad Danubium essent profectæ, parum belli in Belgio fuit. Owerkerchius Hollandus aliquid tentandum putavit; sed Namurcum supervacaneo conatu investavit.

1705 Fœderati, expugnato Tillemontio, quæ Flandriam tegebat, lineam superarunt, non sine Gallorum clade.

At nullus annus Gallis infelicior, quam 1706; ingentibus quippe præliis cæsi sunt profligatique ad Taurinum, ad Barcinonem, ad *Ramilliacum*. Evacuata Italia, Catalaunia, pars magna Belgii. Desertæ mox, quantæ urbes! Brugæ, Gandavum, Lovanium, Mechlinia, Bruxellæ, Aldenarda, Antverpia, Ostenda. Revocatus Parisios infelix Villaregius; detractus Italiæ (ut & illa periret) *Vendomius*, atque ut famam deperditam repararet, bello Belgico præfectus. Collectis is exercitus reliquiis molem incumbentem utcunque sustentabat, atque virtute sua famaque id effecit, ut & anno 1707 ruinam sisteret: nec dubium, quin id porro effecisset, nisi auctoritati suorum Principum debuisset cedere.

Pugna ad **Ramilliacum.**

Vendom. in Belgium.

Hinc anno 1708 alieno consilio pugnam ad *Aldenardam* coactus conserere. Stetit uterque exercitus die tota in acie. Sed nox Gallis fatalis fuit. Deserto etenim certaminis campo ad duo millia cæsi sunt. Secuta est cruenta ac diuturna obsidio *Insularum*, ac tandem expugnatio, ab Eugenio & Marleburgo confecta, defensore licet Bufflerio.

Pug. ad Aldenard.

Insulæ captæ.

Anno 1709 Ludovico Regi, ad pacem aspiranti, propositum est Hagæ schema quoddam præliminare, in 40 articulos divisum. Petunt in iis Anglo-Batavi: Rex Christianiss. agnoscat Carolum totius Hispaniæ Regem: Dux Andegavensis intra bimestre cedat ei omnia, quæ occupata tenet. Id nisi faciat, Ludovicus se jungat fœderatis, eumque cogat. Kehlam, Brisacum, Landaviam reddat Imperatori: Alsatiam possideat ad modulum pacis West. Argentinam restituat cum 10 urbibus. Omnia munimenta a Basilea ad Philippoburgum ad Rhenum constructa, nominatim Hüningam, novum Brisacum, fortalitium Ludovicianum demoliatur: Electorem Brandeburgicum salutet Regem Borussiæ, & principem Neoburgi (*Neuf-Chatel*) Ducem Hannoveranum pro Electore: Annam Reginam Magnæ Britanniæ: Prætendentem Gallia expellat: Terram Novam in America Angliæ cedat. Dunkercæ munimenta diruat, portumque oppleat: Hollandis pro securitate cedat Furnas, Meninam, Ipras, Insulas, Condeum, Tornacum, Namurcum, Montes, Caroloregium, Neoportum, Maubegium, Duci Sabaudiæ om-

Postulata Fœderatorum.

omnia erepta; ac præterea Exillas, Feneſtrellam, Chaumontium Pragelas. Palatinus maneat quintus Elector, atque in poſſeſſion Palatinatus ſuperioris, & Comitatus Chamenſis. Atque hæc omnia executioni dentur ante concluſionem pacis; liberumque Fœderatis eſto, plura petere.

Rex, quantumvis pacem efflictæ undique Galliæ ſummopere neceſſariam videret, velletque pleraque fœderatorum poſtulata utut acerba, implere, Philippum nepotem deſerere, Belgium evacuare; quia tamen hæc ante concluſionem pacis executioni trad volebant, liberumque ſibi ad plura pro arbitrio poſtulanda campum relinqui, qui eo usque ſe exporrecturus foret, quo cujusque deſideria, Torcius & Rovilæus re infecta Pariſios rediere.

Pugna ad Malplaquet.

Igitur conſilia ad arma rurſus converſa ſunt, fœderatique, ultra centum armatorum millibus validi victorias ſuas in Belgio ſunt proſecuti, & primo quidem Tornacum expugnarunt; tum vero ad Montes oppugnandos progreſſi, in exercitum Gallorum ad oppidum *Malplaque* inciderunt; commiſſa ibidem pugna, qua nulla hoc bello atrocior; tenuit ab octava matutina ad tertiam pomeridianam. Graviter ſaucius Villarius, qui copiis præfuit, acie exportari debuit. Boufflerus vero exercitum ordinibus ſervatis campo extraxit. Cæſa utrinque ſunt hac laniena multa millia, parte utraque, ut fit, hoſtium cladem adaugente.

Montes.

Victoria autem haud dubie penes Fœderatos ſtetit, ejusque fructus fuerunt *Montes* Hannoniæ dediti. Scripſit tamen Bufflerus Regi, copias ſuas eo eſſe in ſtatu, ut alterum prælium committere valeant. Sed vetuit Conſilium bellicum; non enim erant amplius tempora, quibus centum millia in Belgium mitti poterant, Gallia exhauſta, & bello ad Rhenum & in Hiſpania multa adhuc millia depoſcente.

Tract. inter Anglos & Holl.

Novus interea Hagæ Comitum initus eſt tractatus Anglos inter & Hollandos, quo conventum, ut Batavi defendant ſucceſſionem Hannoveranam in throno Anglico: imponere ipſis liceat ſua præſidia, impenſis tamen regionis, Neoporto, Furnis, Knokio, Ipris, Meninæ, Inſulis, Tornaco, Condeo, Valencenis, Maubegio, Namurco, Caroloregio, Caſtro Gandavenſi, Dendermondano, aliisque Belgii urbibus & munimentis, Galliæ propinquis, quin

a Do-

a Domo Auſtriaca in hoc jure ſuo & poſſeſſione turbari poſſint; quin imo etiam Leodii, Huiæ, Bonnæ, ut videlicet cum toto Belgio, Electoratu Colonienſi, & Principatu Leodienſi ſine ſuis impenſis pro arbitrio ſuo poſſent diſponere, conquerente Eugenio, hoc pacto Carolo III non niſi umbram relinqui Belgii Hiſpanici, & indignante ipſa Anglia Marleburgo & Towenſendio Legato, poſtquam ſe ipſam reſpexit. Proteſtati ſunt nihilominus Batavi, nolle ſe fines ſuos extendere. Miratus eſt orbis, Angliam eo usque deſcendere, ut immanibus impenſis Hollandos in perniciem ſui commercii tantopere augeret. Sed Marleburgo Anglia ſe inclinabat.

Anno 1710 cum apicem attigiſſet Galliæ calamitas, Rex iterum pacem petiit, paratus omnia implere, quæ ab Anglo-Batavis ſuperiore anno fuerant poſtulata, id unum deprecatus, ne propriis armis cogatur nepotem ex Hiſpania ejicere. Indictus propterea *Gertrudenbergenſis* in Batavia conventus, ad quem Rex Uxellium & Polignacum miſit, ſed elatis ſecundo armorum progreſſu Fœderatis, & Eugenio atque Marleburgo, ſummis belli Imperatoribus, victoriarum curſum ſiſti indignantibus, aſpernabantur poſtulationes. Fuitque ſumma Galliæ felicitas, quod pacem obtinere nequiverit, nullaque re acta Conventus fuerit diſſolutus. **Gertrudenbergenſis conventus.**

Fœderati bello reſumpto *Duacum* expugnarunt, Galliæ copiis necdum collectis. Idem fatum ſubiere Bethunium, Aria, Fanum S. Venantii, & Buchainum.

Anno 1711 mors Joſephi Imperatoris Gallis fatiſcentibus ſaluti fuit. Alia mox Ratio Status, alius habitus animorum, alia conſilia. Viſum Anglis ominoſum, ſi corona Imperii & Hiſpaniæ unum caput tegeret. Frigere Marleburgi apud Reginam gratia, obſtrepere æmuli, ſex milliones Sterlingarum quot annis impenſos in bellum Flandricum, ut augeantur Batavi, totius mundi commerciis inhiantes, & unius hominis, Hollandis eſſlictim addicti, ſaturetur gloriæ cupiditas. **Mutatio rerum.**

Art.

Art. II.

Rerum inverſio. Ormondus ſubſtitutus Marleburgo. Anglorum ſeceſſio. Clades Fœderatorum. Pax Ultraject. Cauſa Bullionica.

166. Ormondus Anglos ſeparat.

Anno 1712 *Ormondus*, Marlebourgo ſurrogatus, ab Eugenio ſe ſeparavit, voluitque, ut Germani, ſub Anglicis ſtipendiis militantes, idem facerent. At illi ſecuti Eugenium *Quenæum* expugnarunt, Landreſio fruſtra tentato. Procurſum etiam ab Hollandis in Campaniam, & omnia vaſtitate completa.

Pugna ad Denainum. Cæſus Albermaile.

At mox inverſa belli alea. Comes *Albemarle* Dux Hollandus ad *Denainum* cum ſuis a Villario cæſus acie, captusque. Duacum, Quenæum, Buchainum, Knochium a Gallis expugnatæ.

Pax.

Interea vero *Ultrajecti* pacificationis congreſſus habebatur, ad quem tota Europa per Legatos convolaverat. Denique anno 1713 Pax fuit concluſa, Cæſare & Imperio bellum adhuc continuante. Pacis Ultrajectinæ Inſtrumentum vide ſupra in Hiſpanicis. Subjunctus eſt Tractatus Commercialis Gallos inter & Hollandos. Munimentum vero Dunkercenſe cum inſigni portu vi pacis dirutum eſt.

Tract. commerc. inter Hiſp. & Holl.

Anno 1714 inter Hiſpanos & Hollandos peculiaris pacis & commerciorum initus eſt tractatus, 40 conſtans articulis, quorum præcipui ſunt: ſit pax cum plena amneſtia, ſecuritate, & reſtitutione evictorum in judicio. Repreſſalia ſint vetita, excepto caſu denegatæ juſtitiæ. Privatis nulla fiat moleſtia ob debita publica. Neutra pars tractatum contrarium ineat. Pax Weſtphalica ſit baſis. Commercia ſint libera: nec mercatores in domibus ſuis viſitentur, niſi fraudis ſint convicti.

Peregrini non plus teneantur ſolvere quam incolæ, aut amiciſſimæ nationes. Merces ne detineantur Arreſto, niſi poſt Judicis ſententiam. Naves portubus recipiantur, & quidem gratis; ſi nihil vendant, a viſitatione ſint liberæ. Naves hoſtiles cum alterutrius ſpoliis non admittantur. Conſulibus conſueta ſit poteſtas. Pars utraque omnibus Juris beneficiis fruatur. Nullius mercatoris libri rationum exigantur. Jure hæreditario utrinque gaudeant.

Nemo

Nemo in Religione turbetur, niſi ſcandalum creet. Bello mutata in priſtinum ſtatum reponantur. Hiſpanus nulli nationi commercium in Indiam Occidentalem Hiſpanicam concedat; ſalvo tractatu ratione nigrorum cum Anglis inito. Captivi utrinque liberi ſunto, ſolutis tamen debitis. Novo oriente bello ſubditis integer annus concedatur ad ſua ſalvanda. Renuntiatio Philippi V reſpectu Galliæ confirmatur, tanquam lex fundamentalis quietis. Liceat, alios Principes huic paci includere.

Tractatus iſte confectus eſt pro Hiſpania a Duce Oſſuna, & Marchione Monteleone: pro Hollandis a ſeptem provinciarum Legatis; atque hæc cauſa fuit, cur Batavi ad Triplum & Quadruplum fœdus accedere poſtea ſint tergiverſati.

Inventæ ſunt hoc anno 1714 litteræ Originales, quibus Ecclesia Leodienſis probavit emptionem Ducatus Bullionii, quem ei jam olim Godefredus Bullionius, cum anno 1096 ad ſacrum bellum proficiſceretur, vendiderat. Sed nihil impetravit, Gallia Bullionios Duces protegente. Cauſa Bullionenſis.

Art. III.

Tractatus Repagulorum.

Annum 1715 celebrem facit Tractatus Repagulorum (der *Barriere-Tractat*) quippe Hollandi, ut adverſus Galliam munitos haberent limites, jam in pace Ultrajectenſi obtinuerunt, ut ei aſſignarenter tales limites, ſeu munimenta Auſtriaca, quibus ceu repagulis, clauſtris, & aggeribus, a Gallorum invaſionibus defenderetur. Verum hæc munimenta non erant ſatis in ea determinata, nec modus, quo præſidia ſuſtentarentur. Res igitur iſta in Hollandorum commodum ſequentibus articulis ab Imperatore cum illis fuit compoſita. 167. Barrier-Tract.

I. Hollandi Cæſari extradant Belgium Hiſpanicum, in pace Ultrajectenſi interim apud illos depoſitum, prout illud Carolus II anno 1700 poſſederat, cum urbibus in ea pace a Gallo ceſſis.

II. Cæſar nihil ex iſtis unquam Gallico Principi cedat; ſed omnia ſub dominio Domus Auſtriacæ permaneant, exceptis iis duntaxat, quæ Boruſſo in Geldria, aut Hollandis ceſſa ſunt.

III. Cæſar & Hollandi perpetuo in Belgio habeant minimum 30000 armatorum. Cæſar duas quintas partes ſolvat pro iis. Tempore belli 40000 alantur.

IV. Hollandi in Auſtriacis munimentis Tornaci, Namurci, Meninæ, Furnis, Warnetonii, Ipris, Knockii ex propriis copiis præſidia habeant.

V. Dendermondæ & Ruremundæ pars dimidia præſidii ex Cæſareis conſtet, & alterum dimidium ex Hollandicis militibus. Cæſar Gubernatores in illis conſtituat, qui tamen etiam Hollandis fidem præſtent, ne in eorum præjudicium quidquam agant.

VI. Contra vero in urbibus, ubi ſola Hollandica ſunt præſidia, Batavi Gubernatores conſtituent.

VII. Hi tamen Cæſari fidem jurent, quod munimenta pro Domo Auſtriaca ſint defenſuri.

VIII. In locis, ubi mixta ſunt præſidia, præfectis utrinque par honor deferatur.

IX. Religio maneat in ſtatu, quo fuit ſub Carolo II; præſidiariis tamen Hollandicis liberum ſuæ Religionis exercitium permittitur, absque tamen ſonitu campanarum, & publicis ſolennitatibus.

X. Rei tormentariæ, machinis bellicis, armis Hollandorum liber ſit tranſitus, absque vectigali; modo litteris commeatus ſint inſtructi.

XI. Hollandis liceat, præſidia ſua pro lubitu mutare, & pro caſu neceſſitatis copias ſuas per urbes Brabantiæ & Flandriæ ducere, pontesque conſtruere.

XII. Tempore belli aut periculi poſſunt augere præſidia.

XIII. Urbes magis munire, cum conſenſu tamen Gubernatoris generalis.

XIV. Liber curſoribus Hollandicis per urbes prædictas limitaneas ſit tranſitus. Mercatoriæ tamen litteræ Poſtis relinquantur.

XVI. In caſu invaſionis poſſunt præpugnacula erigere, terram inundare.

XVII. Cæſar cedit Hollandis Dulam, Polderum, Retum &c.

XVIII. Similiter in Geldria Venloam, Stevensvertam, propugnaculum S. Michaelis, Montfortum, Neoſtadium, Eicham, cum ſuis diſtrictibus.

XIX. Hollandi quot annis quingenta thalerorum millia percipiant ex reditibus Auſtriaci Belgii pro præſidiis & munimentis.

XX. Cæſar confirmat varia acta.

XXII.

XXII. Cæsar solvet debita, pro Carolo II in Belgio contracta.
XXIII. Item contracta pro Cæsareis copiis.
XXVI. Commerciorum contractus maneat, prout in Pace Westph. fuit conceptus.
XXVII. Castellum Leodiense & Hujense impensis Principatus diruantur.
XXVIII. Rex Angliæ hunc tractatum ratum habet, & pro eo cavet.
XXIX. Ratificatio accedat intra sex hebdomades.

Ex his videas, an Hollandi pro Domo Austriaca, an vero pro se ipsis bellum gesserint. Certe plures ex his articulis adeo difficiles visi sunt, ut Status Belgii Austriaci missa Viennam deputatione contra eos exceperint, & ratificatio ultra annum adhuc fuerit dilata.

Additus fuit articulus secretus, quo Cæsar, Anglia & Hollandia sibi mutuo pro omnibus in Europa possessionibus cavebant.

Art. IV.

Ordinatio Belgii. Causa Limburg. & Herstallensis. Transactio Coloniensis paradoxa. Navigatio Ostendana erecta. Opponunt se Batavi. Scriptores de Mari clauso & libero.

Anno 1716 Princeps *Eugenius* declaratus fuit Gubernator Belgii Austriaci; sed quia ejus præsentia necessaria erat apud exercitum, vices ejus explerunt tum Comes Königseckius, qui tractatum de limitibus Hollandicis iniverat, tum Marchio *de Prie*. Porro Gubernator Luxemburgi dictus est Cronsfeldius, Montium Arembergius. Thomas Philippus de Alsatia, Comes de Bossu, ex familia de Ligne, frater Principis Chimæi, postea Cardinalis, Archiepiscopus Mechliniensis; Estræus Archiepiscopus Cameracensis, loco Fenelonii, qui olim Regiorum Principum Moderator, Telemachum pro ejus composuit; postea cum Bossueto, Meldensi Episcopo collisus, de Quietismo fuit accusatus. 168. Belgii Præfecti.

Causa Limburg. De Ducatu *Limburgensi* non levis erat contentio. Cæsar Electori Palatino pro restituto Bavaro superiore Palatinatu Limburgum obtulerat. Sed cum vehementer se opponerent Hollandi causantes, pugnare id cum tractatu limitaneo, res mansit infecta.

Et Herstall. Herstallum, Baronatus ad Mosam, inter Trajectum & Leodium situs, pariter controversiam movit Borussum inter & Hollandos, quorum utrique præsidium induxerunt. Pertinet ad hæreditatem Auriacam; inter Borussum, & Nassovio-Diezensem, Vicarium Frisiæ, litigiosam. Ille pro se pronuntiatum dicebat ab Episcopo Leodiensi, feudi Domino. Hic vero, cui Batavi assistebant, esse feudum Ducatus Brabantini prætendebat.

Bonna ab Electore expugnata. Belli tempore Hollandicum illi impositum erat præsidium. Cum autem Elector esset restitutus, Hollandicum præsidium vi armata expulit. Insuper Elector graviter ferebat, quod Hollandi adhuc Leodium & Hujam occuparent, atque ad defendendum Trajectum, in monte Petrino ditionis Leodiensis castellum excitassent.

Transactio mirabilis. Tandem transactio inita, mediante Legato Cæsareo, vi cujus 1 arcis Leodiensis munimenta versus urbem persisterent, reliqua diruerentur.

2. Munimenta castelli Hujensis pariter demolirentur.

3. Idem statutum de monumentis Bonnæ.

4. Propugnaculum Petrinum ad Trajectum salvum maneat Hollandis.

5. Res tormentaria Bonnensis Hollandis cedatur.

6. Gubernatori Bonnensi & aliis belli officialibus Hollandicis satisfiat.

7. Elector apud Hollandos se excuset de iis, quæ Bonnæ acta sunt.

8. Si Elector hæc acceptet, illico fiat executio.

Transactio alias fit aliquo dato, & aliquo retento. At hæc facta est, ut alter omnia daret, & retineret nihil. Insuper alias secundum Jura, quod inædificatur solo, cedit solo; at hic solum cessit ædificio.

Quia Respublica Hollandica, alias obærata, tempore belli multa debita contraxit, copias suas ad 32000 capita reduxit: & quia Societas Orientalis Indiæ pecuniam illi subministravit, magna accepit privilegia; inter quæ illud, quod severe interdiceretur, ne quis-

quisquam in Indiam commercii causa naviget, nisi membrum sit illius societatis. Indultum hoc privilegium anno 1717, quo *Fœdus Triplum*, de quo supra, Galliam inter, Angliam & Hollandiam fuit ictum.

Cœptum eodem hoc anno *Ostendanum commercium.* Duæ quippe naves sub signis Cæsareis ex hoc portu missæ sunt in Indiam Orientalem, quæ anno 1718 mercibus onustæ, quæstuoso cum lucro redierunt. Ampliatus proin portus, septemque omnino naves ad cursum expeditæ. **Ostendana navigatio.**

Ostendana hæc navigatio velut pupillam oculi tangebat Anglis & maxime Hollandis, qui constituto Londini & Amstelodami monopolio, dominium maris sibi arrogabant, Amphitriten sibi solis desponsam rati. Igitur Hollandi anno 1718 in littore Guineæ navem Ostendanam prædati sunt. Sed redditæ vices, cum eadem prædatrix navis ad Ostendam intercepta pœnam Talionis luit. Id genus rapinæ deinceps ultro citroque frequentes erant, non sine animorum motu. Hollandi, ne alveus Ostendam derivaretur, merces Indicas levissimo pretio vendebant, gaudente inter hos litigantes Germania de leviore pretio. **Spina in oculis Holl.**

Neque internis tumultibus Belgium carebat; cum enim Cæsar novum Senatum constituisset, ex Merodio, Westerloo, Armbergio, Lignio, Rubempro, Urello, aliisque compositum, novaque juramenti formula exigeretur, Bruxella, Gandavum, Lovanium, Antverpia, tanta commotione se opposuerunt, ut Marchio de Prie, loco Eugenii Gubernator, satius duceret, interim cœptis absistere. Plebem autem tumultuantem per milites compescuit. Postea tamen jubente Cæsare juramentum præstari debuit. **Tumultus.**

Wilhelmus Friso, ex Domo Nassovio-Dieziana, Vicarius Hæreditarius Frisiæ, anno 1718 a Gröningensi quoque Provincia electus est Vicarius, licet septem tantummodo annos esset natus.

Invitabantur ad Fœdus Quadruplum Hollandi a Cæsare, Gallia, & Anglia; sed Beretto Lando obstante, hoc anno nihil impetratum.

Anno 1719 Hollandi urgebant, ut a Cæsareis debita, apud eos per mutuum contracta, solverentur. Cum dein Hispani classem in Scotiam dirigerent, promissa ex fœdere sex virorum millia Anglis mittebant, qui tamen, classe Hispana tempestate disjecta, brevi reversi sunt.

In Hollandiam quoque irruit negotiatio papyracea, quæ Galliam & Angliam afflixit; sed non sine gravi tumultu finita est.

Heinsii obitus,

Et Leydeckeri.

Anno 1720 obiit Antonius *Heinsius* 80 ætatis anno, ultra 30 annos *Pensionarius* Senatus. & fulcrum Reipublicæ. Quam vile autem est nomen Pensionarii, tam magnæ apud Hollandos est dignitatis & auctoritatis. Successit ei Hornbeckius. Obiit quoque anno 1721 Melchior Leydeckerus 79 æt. anno, Professor Theologiæ Ultrajecti, variis operibus pro secta Calviniana famosus, uti etiam ex *Historia Jansenismi* edita anno 1695.

Societas Ostendana.

Anno 1722 de locis limitaneis, pro securitate Batavorum relictis, & commercio Ostendano, magna fervebat Cæsareos inter & Hollandos contentio. At Imperator cœpta strenue prosequens litteras dedit ad Belgii Ordines, quibus Societatem Indicam mercatoriam erigendi concessit potestatem, eique protectionem suam prolixe addixit, collatis insignibus privilegiis ad 30 annos. Concessio autem ista constabat 103 articulis, ad normam aliarum ejusmodi societatum concinnatis.

Vix promulgata fuerat hæc facultas, cum mox societas coaluit, quæ sex florenorum milliones contulit, florebatque anno 1723 spectatissime commercium. Sudes in oculis erat hæc nova Societas Flandrica societati Orientalis Indiæ Hollandicæ; quare instantissime supplicavit Ordinibus generalibus, ut sibi assisterent. Et astitere, quantum poterant, missis ad Legatos suos in Aulis exteris litteris, graviter questi, adimi sibi contra pacta Monopolium mercatus in Indiam Orientalem. (1723)

Libri de mari clauso & libero.

Arreptæ mox pennæ, & bellum litterarium gestum. Primus in hanc aciem prodiit Abraham Westerkenus, Syndicus Societatis Indicæ in Hollandia; qui tacito suo nomine scriptum edidit hoc titulo: *De jure, quod competit privilegiatæ societati fœderati Belgii ad navigationem & commercia Indiæ Orientalis adversus incolas Belgii Hispanici, hodie Austriaci*, quos a navigatione in Indiam Orientalem exclusos volebat.

Ecce! quantum mutatis Hollandorum rebus eorum quoque lingua sit mutata. Ante centum annos Hispani Hollandis navigatione in Indiam interdicere volebant Reclamabant Hollandi, mare a Deo & natura esse liberum, cuivis genti ad alteram, commercari volentem, accessum per Oceanum, orbi terrarum circumfusum, patere accessum debere. Cum jure naturæ & gentium Hispanos pugnare, quod sibi vendicare præsumant, quæ Deus & natura omnibus volunt esse communia. Atque hoc argumento per suum Hugonem Grotium librum ediderant de *Mari libero*, contra

tra Seldeni *Mare clausum.* Et hoc erat, quod Belgæ Austriaci Hollandis hoc tempore non raro objectabant.

Convicti hoc argumento, *ad hominem* formato, nihil habebant Batavi, quod reponerent, nisi ut ad mare *pactis clausum* confugerent: per quintum & sextum articulum pacis Monasteriensis interdictum Flandris navigatione Indica caussantes. Articulis enim illis expressim statui, *ut Hispani intra fines, hactenus consuetos, navigationem suam Indicam contineant: Hollandi vero loca, a Castilianis in India Orientali possessa, ne accedant.* De 5 & 6 pacis Risvic. art.

At facile responderunt Belgæ Austriaci; aliud his articulis non contineri, quam inhibitionem reciprocam, ne pars altera portus & littora alterius accedat, Belgas autem id curate observaturos: ad alia autem loca, ab Hollandis non possessa, mare nec natura, nec Jure Gentium, nec pactis ullis esse clausulum. Adhæc Instrumentum Pacis Monasteriensis de Castilianis loqui, Flandros autem & reliquos incolas Belgii Austriaci non esse Castilianos, imo nec Hispanos, cum quibus ea pax est inita. De Belgis ne quidem cogitatum; naturali proin illos frui debere libertate. Antverpiam fuisse olim universale emporium, nec conscientiæ duxisse Hollandos, illud ad se transferre. Non frustra naturam sibi dedisse portus & littora, quæ Oceanus alluat. Communes esse undas; num & aeris elementum sibi proprium dicant Batavi? Denique articulum quartum prædictæ pacis Belgis favere. Hæc aliaque Ludovicus de Bergen, Nennyus, Mattinyus, Dumontius, aliique Scriptores latius deduxerunt. Illi non obstant.

Nec verbis tantummodo certatum. Hollandi, velut cor sibi e corpore evulsum rati, cælum & terram inclamabant; atque imprimis sub severissimis pœnis prohibuerunt subditis, nequis in partem societatis Ostendanæ venire audeat; deinde, ut id ipsum quoque in Gallia & Anglia fieret, impetrarunt. Augendum videlicet Imperatorem, nimiumque potentem fore existimabant, se vero minuendos, si & ipsi, prout aliis Regibus & Rebuspublicis, Oceanus pecunias afferret.

Alterum negotium hujus anni 1723 fuit promulgatio *Sanctionis Pragmaticæ*, facta etiam in Belgio, de qua jam alias. Statutum nempe jus primogenituræ, ita quidem, ut 1 succedant Carolinæ. 2 Josephinæ. 3 Leopoldinæ Archiduces: quælibet cum tota sua linea.

Obiit

Obiit Jacobus *Basnage* 70 ætatis anno, ob Calvinismum ex Gallia profugus in Hollandiam, ubi Præconis munere functus est. Ecclesiasticam & profanam Historiam, aliaque opera gentis illius more scripsit, a suis multum dilaudatus.

Art. V.

Cameracenses, Suessionenses, Hispalenses, Viennenses contentiones. Hollandi Cæsari infensi ob navigationem Ostendanam. Quæ tandem abrogata est.

169. Bonevallii casus. In annum 1724 incidit ruina Comitis *Bonnevallii*, quem Marchio de Prie, Belgii Vice-Gubernator, ob verba aliqua in eum sparsa Antwerpiam in custodiam abduci jussit: indeque volente Cæsare Spilbergam in Moravia captivus migravit.

Cameracensis congressus contentiosus. *Cameraci* & hoc anno varia in medium fuerant adducta, sed nihil conclusum; contentionis serra ultro citroque trahebatur circa futuram successionem Caroli Hispaniæ Principis in Ducatu Parmensi & Placentino.

Postulabant Hispani, Carolo feuda illa ita conferri, ut ejus posteri necesse non habeant, illa innovare, & Investituram petere: ad omnes filios Reginæ Hispaniæ illa extendi: feuda illa non appellari *Ligia*: contra vero adjungi verba: *cum omnibus juribus & pertinentibus*. Nimia hæc Cæsareis videbatur petitio. Insuper Hispani repetebant Minoricam & Gibraltariam. At surdæ erant Anglorum aures. Unde tam diuturna & vacua congressus productio.

Protestabatur etiam summus Pontifex Cameraci, Parmam & Placentiam non esse feuda Cæsarea, sed Pontificia. Litteras etiam, quibus Carolo feuda illa contulit, Cardinali Aquaviva Hispaniæ Legato Romæ tradidit. Cumque Status Imperii Cæsaris arbitrio feuda illa permisissent, Papa Ecclesiasticos reprehendit, quod non majorem Pontificii juris rationem habuissent.

Princeps de Taxis etiam per Belgium Generalis Postarum Præfectus fuit renuntiatus.

Obit Priæus. Anno 1725 avocatus Viennam fuit Marchio de Prie, ubi paulo post vitam, ad 74 annos protractam finiit; vices illius interim supplevit Comes Daunius, donec adveniret *Elisabetha*, Cæsaris soror natu maxima, Belgii Gubernatrix. Princeps vero Eugenius illam

illam dignitatem ultro abdicavit, factusque est Vicarius regnorum & provinciarum, quas Cæsar possidebat in Italia. Daunius autem ad gubernandum Ducatum Mediolanensem abiit. Novæ Gubernatrici additi sunt Ministri, Viscontius, Rubemper, Pentenrieder; Baro Zumiungenius vero, qui copiis in Sicilia hactenus præfuerat, militiæ Belgicæ præfectus est. Elisabetha Gubernatrix.

Postquam hoc anno pax Viennensis & Fœdus Hannoveranum erant contracta, pars utraque conabatur, Hollandos attrahere. At illi hoc anno neutri accedebant.

Ultrajecti adhuc remanserant Canonici, qui ad Jansenismum deficientes, suæ sectæ Episcopum hoc anno elegerunt, quem Græcus quidam Episcopus consecravit. Pontifex omnes pro merito ab Ecclesia per censuram removit.

Anno 1726 Hollandi ad fœdus Hannoveranum accesserunt, (additis tamen quibusdam limitationibus) ad id maxime permoti per commercium Ostendanum, in dies magis magisque efflorescens, cui Hispania per pacem Viennensem insignia privilegia concesserat. Hinc ea conditione subscripserunt, ut Gallia, Anglia, & Borussia, omnes vires impenderent, ad illud disturbandum. Imperator autem obnitebatur, non posse se Hollandis promissa in tractatu limitaneo subsidia præstare, si commercium Belgis abscindatur. Holl. ad fœdus Hanov.

Anno 1727 non exigua inter fœderati Belgii provincias erat contentio de recipiendo Vicario; aliquæ enim Principem Diezensem eligebant: aliæ vero detrectarunt, donec ætate proveheretur.

Obiit Isaacus Hornbeckius, per septem annos magnus Pensionarius seu Syndicus, 75 ætatis anno, vir de Republica optime meritus. Successit Simon Slingelandus.

Anno 1728 Hollandi in Congressu *Suessionensi* omnibus viribus rursus instabant, ut societas Ostendana abrogetur, Belgisque Austriacis navigatio in Indias interdicatur. Volabant ultro citroque scripta, quibus pars utraque jura sua adstruebat. Petierunt tandem Flandri, ut saltem tres aut quatuor naves mittere in Chinam annuatim liceat; sed neque id impetrare poterant, Hollandis Monopolium sibi solis vindicantibus. Dissolutus dein re infecta Congressus Suessionensis per Hispalensem, cui Batavi accesserunt, illecti promissione disturbandi Ostendana commercia. Congressus Suessionensis. Hispal.

Obiit in exilio Paradanus Abbas Ulierbecensis, capitalis hostis Constitutionis *Unigenitus*, & auctoritatis Pontificiæ.

Anno 1729 facta est dicta accessio Hollandorum ea lege, ut tres coronæ fœderatæ Hollandis assistant in causa Ostendana & Frisiæ Orientalis: ipsi vero pro casu necessitatis præstent 4000 peditum, & 1000 equites. Hispania plura illis offert commoda in favorem commercii, satis gnara, hunc esse hamum, quo attrahantur hi pisces.

Senatus Bruxellensis ædes ligneas dirui jussit, & construi lapideas, oblata pauperibus pecunia, censu trium pro centum, sub hypotheca novarum ædium.

Anno 1730 Elisabetha Archidux, Belgii Austriaci Gubernatrix, spectavit supplicationem piam, quot annis ad Ubios institui solitam, ob victoriam, quam olim Brabantini a Duce Luxemburgensi reportarunt.

Neupergius Luxemburgi Præfectus proditionem detexit; cujus 18 complices capite plecti jussit.

Anno 1731 totum palatium Gubernatricis cum Archiviis & rebus pretiosis in cineres abiit. Damnum ad 18 milliones florenorum Hollandicorum æstimabatur.

Cum Cæsar & Anglus novam Viennæ conventionem iniissent, invitarunt etiam Fœderatum Belgium; sed quantum illi trahebant, tantum Gallus retrahebat, ut adeo hoc anno ad subscriptionem permoveri non posset.

Princeps Carolus Henricus Friso, ex Domo Nassovio-Diezensi, Princeps Auriacus appellatus, cum 20 esset annorum, electus est a Frisonibus Gubernator seu Vicarius.

Anno 1732 Comes Viscontius Neapolin Prorex abiit, illique in munere Primi Ministri apud Gubernatricem suffectus est Harrachius. Baro vero Zumiungenius, copiarum in Belgio Præfectus, obiit æt. 72.

Abrogatio Ostendani commercii.

Hollandi hoc anno subscripserunt Viennensi tractatui, inter Cæsarem & Anglum inito, cum certis tamen conditionibus; inter quas fuit abrogatio Ostendanæ navigationis, & sponsio pro Sanctione Pragmatica. Duabus tamen adhuc navibus cursus in Indiam fuit permissus, ut societas Ostendana possit ibidem res suas componere, & quæ jam comparaverat, inde avehere.

Anno

Anno 1733 rogarunt Hollandi Imperatorem, ne Polonicæ electioni ſe miſceat; ſecius enim, ſi bellum propterea oriretur, non habituros ſe pro caſu fœderis. Reſpondit, ſe negotium illius electionis procul a ſe habere, modo Reipublicæ relinquatur libertas; ſi bellum propterea ſibi inferretur, ſcituros Fœderatos Ordines, ad quid per Tractatum limitaneum aliaque pacta adſtringantur.

Gallia tum Gubernatrici tum etiam Batavis pro Belgio *neutralitatem* obtulit. Cum autem Gallia, Hiſpania, & Sardinia fœdus inirent contra Cæſarem, is promiſſa ab Hollandis ſubſidia per Uhlefeldium petiit. At prævalente Fenelono, *neutralitatem* amplexi ſunt.

Incidit in hunc annum partitio hæreditatis Auriacæ, de qua in Boruſſicis. Hanc minori Principis Auriaci ætate adminiſtravit Fœderata Respublica. Jam vero facta inter Regem Boruſſiæ & memoratum Principem conventione, exorta eſt controverſia de Marchionatu *Fliſſingenſi*, quem Wilhelmus III Rex Angliæ ſibi emptione comparaverat, Seelandiæ vero Provincia independentem ſibique proprium reddere volebat, eminentis dominii titulo, oblatis Principi ſexcentis florenorum millibus. Reſpondit Princeps, ſi Fliſſinga ſibi debeatur, non eſſe venalem; ſi non debeatur, cur offerretur pecunia? Rex etiam Angliæ pro cauſa Principis ſe interpoſuit, ut hæreditas illi ſua relinquatur.

Hæreditas Auriaca.

Anno 1734 Horatius Walpolus Hagam extra ordinem Legatus venit, cum Fœderatis Ordinibus ideam pacis concepturus, quæ belligerantibus Principibus proponeretur. Quamvis enim Anglia & Hollandia bello ſe non ſinerent implicari, progreſſus tamen trium Coronarum in Italia atque ad Rhenum ita aſpexerunt, ut jam proximus videretur ardere Ucalegon, & Europæ bilanx nimium inclinari.

Comes Welderanus Leodium abiit, ibique Catholicam Religionem profeſſus eſt. Peſterus vero, Hollandicis Legationibus notus, jam ſeptuagenarius, muneribus omnibus exutus in carcerem conjectus eſt.

Poſtquam Batavis ſuboluit, jacta anno 1735 fuiſſe inter Cæſarem & Gallos pacis præliminaria, haud ſatis æquo animo ferebant, ſe non conſultis id eſſe factum: erantque ſolliciti, ne aliquid minus ſibi gratum in illis contineretur. Nec omnino placuit, Galliam Lotharingia fore augendam.

Anno 1736 Dux Armbergius omnium in Belgio Auſtriaco copiarum ſupremus Præfectus eſt renuntiatus: Hornius vero S.R.I. Princeps.

Hollandi copias ſuas a 54700 ad 44400 reducebant. Anno ſequenti Slingelando demortuo in præcipuo Penſionarii munere ſuffectus eſt Antonius Van der Heim, qui prius fuerat Theſaurarius.

Annus 1738 tranſactus inter querelas Hiſpaniæ, Angliæ, & Hollandiæ de abreptis invicem navibus. Cæſar commerciorum tractatum cum Hollandis tentavit. Sed his monopolium ſuum in Belgio præplacuit. Anno autem ſequenti cum Gallia ejusmodi tractatum renovarunt, plura inſignia privilegia per illum adepti; quod bello Anglo-Hiſpanico ſe non miſcerent.

Anno 1740 poſt mortem Cæſaris Eliſabetha Gubernatrix, nomine Reginæ Mariæ Thereſiæ, ab Ordinibus Belgii homagium recepit. Compoſuit etiam diſſidia, cum Epiſcopo Leodienſi propter aucta telonia orta. Complevit legiones, atque in omnem partem ſollicitudinem exporrexit, ſi quis forte adverſus impetus irrueret.

Hollandi Sanct. Prag. non defendunt.

Caſus jam erat & tempus, quo Hollandi prout Regina requirebat, Sanctionem Pragmaticam debebant defendere. Sed aliud eſt promittere, aliud promiſſis ſtare. Offerebant ſua bona pro pace officia. hoc totum.

Fratrem Carolum Imperatorem ad perenne & tranquillum regnum anno 1741 ſecuta eſt Maria Eliſabetha Gubernatrix Belgii, æt. 60. Dictus interim Gubernator Harrachius, donec Carolus Dux Lotharingiæ, cui ea Præfectura fuerat deſtinata, poſſeſſionem caperet.

Quamvis Hollandi copias ſuas anno 1742 ad 70000 auxiſſe dicantur, ut tamen Reginæ auxilia mitterent, permoveri non poterant, ne quidem tunc, cum Angli in Belgium venirent, & ad ſuperiorem Rhenum aſcenderent; interim vero, cum Hiſpani Anglique bello eſſent commiſſi, utriusque gentis commercia ingenti emolumento faciebant ſua.

Anno tandem 1743 miſerunt 20000 Fœderatis ſuis, Reginæ Hungariæ & Anglis ad Rhenum ſuperiorem, Reiſchachio Barone & Cartereto Anglo Hagæ urgentibus. Obiit Franciſcus Van de Meer, qui 19 annos fuit Reipublicæ Legatus in Hiſpania.

Harrachio Vice-Gubernator Belgii ſucceſſit Königs-Eckius, Carolo Lotharingo bello adverſus Gallos diſtento.

Art.

Art. VI.

Bellum successionis Austriacæ etiam in Belgium detonat. Gallorum magni ibidem progressus, Archistratego Mauritio Saxone, & Lövvendalio ejus Legato. Occupata tota Flandria & Brabantia Austriaca, cum Namurca, Montibus &c.

At vero anno 1744 Carolo cum serenissima conjuge in Belgium veniente Königseckius primi Ministri munere functus est. Ingens toto Belgio personuit lætitia; sed in summum luctum brevi mutata, dum Con - Gubernatrix Archidux, mortuam prolem enixa, obiit anno æt. 27, 15 Dec. in eo felix, quod Belgii calamitatibus subtracta fuerit. 170.

Quippe Rex Galliæ, indicto Reginæ & Anglis bello, expeditionem in Belgium suscepit, Noallio & Mauritio Saxone Ducibus. Et favebat fortuna; nam 16 Maji Warnetonum, Cortracum, & Harlebecum fuerunt occupatæ. Venit tunc in castra Wassenærus Batavorum Legatus, pacem aut inducias petiturus; respondit Rex, satis diu studiosum illius animum a se demonstratum. Mox ad Meninam admotus exercitus, derivatisque undis 28 Maji, præsente Rege apertæ viæ obsidionales: 4 Junii Hollandicum præsidium 1400 hominum discessum pactum, urbem dedidit, & Slusas abiit. 26 Junii Ipræ: 29 Knockium: 30 Junii Duxmüda: 10 Julii Furnæ expugnatæ. Progressus Gallorum in Belgio.

Victoria dum ita curreret, nuntiatum Regi, Principem Carolum, trajecto Rheno, theatrum belli in Alsatia figere. Quare 19 Julii cum magna copiarum parte in Alsatiam properans, Metis gravi morbo correptus est. In Belgio vero Mauritius Saxo cum 40000 relictus, diruto Cortraco, adversus fœderatorum 60000 exercitum, ex Anglis, Belgis, & Hollandis conflatum, excubavit. Anglos ducebat Waldius, sed cum tot munimenta diripi otiosi spectarent, Arembergio Principi tandem delatum est totius exercitus imperium. Experimentum is sui facturus digno operæ pretio ad Insulas expugnandas se accinxit; sed tergiversantibus Batavis, cœptis desistere debuit, & hyematum concedere. Rex e Belgio Metas.

Batavi interea, quibus periculum erat propius, trahente hinc Reischachio & Trevoro, inde Fenelono & Abbate Villano retrahen-

hentibus, in utramque partem claudicabant. Quamvis enim 6 mi lia in Angliam adverſus Prætendentem miſiſſent, & copias ſuas cu Anglo-Auſtriacis conjunxiſſent, neceſſitatis tamen obtentu, auxiliorum, vi fœderum antiquiorum illis debitorum, id apud Ga los excuſabant. De cætero nullum ſibi cum Rege bellum eſſ Parceret igitur munimentis limitaneis, ſuo præſidio per pacem U trajectenſem & alia pacta publica commiſſis. Veruntamen, lice Franci magna cum humanitatis ſignificatione has eorum excuſatio nes & preces exciperent, donato etiam a Rege Waſſenærio Legato opportunior tamen aptiorque Belgium erat Martis campus, qua ut ab eodem depelli ſe paterentur.

Igitur Galli *anno* 1745 cum Auſtriaci a Rheno in Bohemiam ad verſus Boruſſum eſſent averſi, magno cum exercitu primo jam ver in Belgium ſub Mauritio de Saxonia moverunt, atque 25 April *Tornacum*, inſigne munimentum, obſederunt. Harcourtius oppug nabat: Mauritius cum exercitu oppugnantes protegebat.

Nihilominus Dux Cumbriæ Regis Angliæ filius, qui fœderat exercitui hoc anno præfuit, obſidionem ſolvere conatus, Gallos que ingenti ardore aggreſſus, Fontenaco oppido occupato, prima
Pugna Tornacenſis. jam eorum munimenta, ſuggeſtus & loricas ſuperaverat, cum im manibus hoſtium ignibus cedere, & Athum ſub tormentorum jactum ſe recipere debuit, Gallis fugientes non perſequentibus, ſed op pugnationis operi inſtantibus. De numero occiſorum, ſauciorum, captorum, immenſum variant ſcriptores. Hoc certum, grandem utrinque fuiſſe ſtragem, egregiamque laudem deberi Gallis, qui in ter duos ignes, urbis videlicet, & fœderati exercitus, qui oppug nantes oppugnavit, victores hoſtem propulerint.

Tornacum, quamvis ſub Dortho Præfecto ſtrenue pergeret reſiſtere, 21 Maji ſe dedere coactum eſt, arx vero primum 19 Junii præſidio, quod 5000 adhuc capitibus conſtabat, liber quidem abitus permiſſus, ea tamen lege, ne per biennium militaret. Galli, ne per tot locorum præſidia robur exercitus diſtraherent, arcem demoliti ſunt.

Löwendalius 11 Julii Gandavum expugnavit, 16 vero arcem,
Löwendalius. præſidio capto. Erat autem Comes *Woldemarus de Löwendahl* ex regio Danorum ſanguine oriundus, Varſoviæ Catholicam Religionem amplexus, Polonicam primum & Saxonicam militiam ſupremus excubiarum Præfectus ſecutus, ad Ruſſicam dein translatus, rei tor-
Urbes expugnatæ. mentariæ Præfectus & Gubernator Kiovienſis conſtitutus eſt. Demum anno 1743 in Galliam profectus, Mauritii ſupremi Ducis Vicarius,

...arius, Ordinis S. Spiritus Eques, & Franciæ Mareschallus creatus ...st, bellis deinceps Belgicis inclarescens, atque pars magna expug...nationum, quæ prono velut alveo deinceps fluebant.

Quippe 17 Julii Brugæ & Aldenarda se dediderunt, accedente ...brevi Alosto, 11 Aug. Dendermondo, & 22 ipsa etiam Ostenda, ...tque 7 Sept. Neoportus capto præsidio. Flandria Austriaca autem ...n potestatem redacta, Galli in Hannoniam progressi, 8 Oct. A...thum extorserunt. Nec hyeme cessatum, qua rigente Mauritius ...Bruxellas, urbem Belgii principem occupavit.

Si quæras, qua ratione fieri potuerit, ut Gallus una expedi...tione firmissima tot claustra, dum adesset fœderatus exercitus, per...fringere valuerit, consideres velim collectas hic ferme Franciæ vi...res, Duces præstantes, rem tormentariam instructissimam, popu...lum unius labii, Regis præsentiam, animos generosæ pubis, ex ...prospero successu ferocioris; ex altera vero parte militem diversa...rum Nationum & linguarum, strage Tornacensi accisum, nec ...satis sibi consentientem, per munimenta in præsidia dispersum, & ...magnam partem in Angliam adversus Prætendentem dimissum, Ba...tavorum nutantium & trepidantium teporem, cum Regem in se ir...ritare nollent: fugitantes denique prælium, ne uni velut aleæ for...tuna Reipublicæ objiceretur. Adde confusionem gentis utriusque ...maritimæ ob apparatum simulatum, ad juniorem etiam Prætenden...tis filium in Britanniam trajiciendum. Causæ adversæ fortunæ.

Anno 1746 Galli suas prosequebantur victorias, Bruxella, Antverpia, Montibus Hannoniæ, Namurco, quantis nominibus! expugnatis. Et quiden jam 27 Jan. rigente summa hyeme, Comes Mauritius, totius Gallici exercitus Archistrategus, dignum se, dignum Heroum fastis opus aggressus, expeditionem, prorsus in...exspectatam in Brabantiam, & quidem adversus ipsam urbem prin...cipem, Gubernatorum Sedem, suscepit, quam, interceptis Lova...nio & Vilvorda, corona cinxit. Amnes & paludes, glacie con...cretæ, firmum advehendæ rei tormentariæ tergum præbebant; &, quod luctuosissimum, plerique belli Duces in ea urbe erant conclusi cum Duinio Hollando, cui urbis defensio fuit commissa. Mauritii victoriæ. Bruxellæ captæ.

8 Febr. viæ obsidionales fuerunt apertæ: muri tormentis quas...sati ruinas agebant. Intentabatur totius militiæ assultus. 19 Febr. Capitulatione cum Kaunicio Pro-Gubernatore Belgii, & Duinio ratione præsidii Hollandici inita, 10000 cum Ducibus capta sunt; salvis Archiviis, Bibliothecis, & mobilibus pretiosis Aulæ. Kaunicio cum suis rei politicæ administris liber Antverpiam concessus

abitus;

abitus, Duces ſub fide nobili dimiſſi: milites gregarii in Flandriam Gallicam abducti. Princeps Waldeccius, qui cum ſuis Anglicis & Hannoveranis copiis ad Antverpiam conſidebat, ſuccurrere non poterat, quia digreſſo præſertim cum ſex Haſſorum millibus Friderico Principe in Scotiam, infirmior erat, quam, ut 50000 Gallorum poſſet invadere.

Laus Mauritii. Magiſterium hic ſuum implevit Saxo: velut Semi-Deus propterea exceptus Pariſiis; & ſuperavit aliquid ſupra hoſtes, invidiam videlicet alienigena, fatentibus etiam æmulis, a Germano Gallum poſſe diſcere. Bruxellis præfectus Löwendahlius, æſtimantibus Francis in utroque heroe, uti virtutem militarem, ita regium ſanguinem.

Antverpia dedita. Quieti militis ad Aprilem tunc ſpatium datum. 4 Maji Rex ipſe Bruxellis exceptus eſt; & brevi poſt *Antverpiæ*, quæ Gallis venientibus fuit aperta; quam diſpari modo, ac Alexandri Farneſii tempore. Arci, quam Comes Widenſis defendit, vim experiri placuit. At nihil tam firmum ars & natura conſtituit, quod ignes noſtri ſæculi non poſſint perfringere. 31 Maji ſe dedidit, præſidio libero abitu conceſſo ad fœderatum exercitum, qui Bredam receſſit, auctus 10000 Hannoveranis, & 6000 Haſſis.

Montes. Series oppugnationum ad *Montes* Hannoniæ permunitam urbem jam pervenit, quam Eſtræus & Boufflerus 7 Junii infeſtare cœperunt; ſed Rex ejus expugnationem Principi Contyo commiſit. 18 foſſæ obſidionales apertæ. De ſeptem ſuggeſtibus 65 tormentis bellicis, & 45 mortariis urbs verberabatur, quæ 13 deditionem fecit, protenſo vexillo candido. Præſidium captum. Philipsthalius Princeps, & Nava Hollandus in teſtimonium egregiæ defenſionis dimiſſi liberi. Appendix fuit Fanum S. Gisleni, 24 Jul. deditum.

Caroloregium. Huia. Secutum eſt *Carolo Regium*, 2 Aug. ſuperatis loricis expugnatum, capto præſidio cum Præfecto Delfortio octogenario. Löwendahlius interea *Huiam* Leodienſem urbem impetu cepit, ut fœderatis inde cibaria abſcinderentur.

Namurcum. Supererat *Namurcum*, munimentum celebre, quod Princeps Claremontanus Ducis Borbonii filius cum 61 cohortibus & 47 turmis, 130 tormentis, 45 mortariis, aliisque metallinis machinis, e 5 ſuggeſtibus, 12 Sept. cœpit impetere, 20 Sept. urbs, 30 caſtrum fuit traditum, præſidio in urbes Gallicas abducto.

Fœderatus interim exercitus ſub Bathiano & Waldeccio 17 Julii Breda in Leodienſem agrum movit, ut Trajectum ad Moſam tutum præſtaret. Venit huc in caſtra Princeps Carolus, Belgii

Au-

Austriaci Gubernator, ut copiarum imperium, quæ ad 75000 ascen-disse scribuntur, susciperet. Conatus is equidem est, expugnatio-nes urbium sistere; sed eas Saxo, velut ad latus incedens, cum ma-jore exercitu protexit.

Tandem vero, post plures velitationes, haud procul Leodio ad pagum *Rocoux* ventum est ad acre prælium; in quo denique Mauritius victoriam retulit. Fœderati, relicto campo Martio, Trajectum se receperunt, Galli vero *Leodium* occuparunt. Quia autem Episcopus Theodorus, quamvis neutri parti adhæreret, gravia passus est damna, Rex Christianissimus ei Leodium aliaque loca restitui, simulque in compensationem damni 1120000 librarum solvi jussit, cum promisso, nulla in agro Leodiensi figendi hyberna: illa Galli in Brabantia & vicinis locis, Austriaci in Luxenburgensi, Trevirensi, Coloniensi, Juliacensi tractu ceperunt, Angli vero, Batavi, Hannoverani, Hassi, in Hollandico. Carolus Viennam, Mauritius Lutetiam abiit.

Pugna ad Recoux.

Leodium.

Interea vero, dum arma undique perstreperent, & Hollandi jam proximi viderentur ulterioribus Franciæ progressibus, Bredæ in Brabantia Hollandica institutus est congressus pacis. Sed gladii humano sanguine necdum satis erant hebetati, ut cudi possent in vomeres. Unde tota hyems apparando bello impensa, formataque Hagæ Comitum idea futuræ expeditionis. Regina promisit 60000 armatorum, Anglia 40000, totidem Hollandia. Supremus vero Belgici Imperator belli Dux Cumbriæ lectus.

Obierunt Heymius, magnus Reipublicæ Pensionarius, & Fagelus Status Secretarius: cui successit Gillesius, qui cum Wassenærio Parisios abiit, pacis negotium præparaturus.

Art. VII.

Flandria Hollandica occupata, cum Berga ad Zomam. Pugna ad Laffeldam. Wilhelmus Friso Princeps Auriacus, electus Gubernator a Fœderatis Ordinibus. Eorum Regimen quale sit.

Cum autem Gallia nulla ratione Hollandos a Fœderatis posset avellere, statuit Rex, id armis extorquere. Igitur Löwendahlus 17 Aprilis 1747 ex una, Contadus ex altera parte in Flandriam Hollandicam irrupere, atque in ea Slusam, Cataractam Gandaven- 1747.

Flandria Holl. occupata.

ſen (*Sas Van Gent*) munitam urbem, Waſiam regionem, Hulſtum, Sandbergam, Axelam, aliaque munimenta occuparunt; ut adeo intra menſis ſpatium tota Flandria Hollandica in Regis poteſtatem eſſet redacta.

Trepidatum non modo in vicina Selandia, ſed tota Batavia ad tantos tamque celeres progreſſus, muniti portus, armatus civis, implorata Anglia: ſolo, quod mirum, fœderato exercitu, qui tamen ad centum millia aſcendiſſe dicitur, ſe non movente, Mauritio vero jocante, quod ſibi togato & crepidato tam longa, tamque quieta hyberna concederentur.

Pugna ad Laffeldam. 15 Junii Saxo, Cumbriæ Principem excitandum ratus, poſtquam Rex Chriſtianiſſimus ipſe Bruxellas venerat, Trajectum verſus duxit exercitum. Cumberlandus, hoc animadverſo, exercitum ſuum inter Trajectum & Gallos locavit. Auſtriaci dextrum, Angli, Hannoverani, Haſſi ſiniſtrum cornu, Hollandi mediam aciem conſtituebant. Acris hic ad *Laffeldam* in agro Leodienſi pagum, non ultra ſeſqui leucam Trajecto diſſitum, pugna inter ſiniſtram fœderatorum & dextram Gallorum alam denſas inter pluvias conſerta eſt. Vicerunt Galli. Cæſa feruntur aut vulnerata Fœderatorum, maxime Anglorum, ultra novem millia, octingenti capti, quos inter Mülordi Ligonierus, Seutonus, Albemarlius, Comes Iſenburgicus. Præda memorabilis reportata, 29 machinæ tormentariæ, 9 vexilla, 7 labara &c. nec incruenta Gallis victoria fuit; ſex enim millia aut cæſa aut ſauciata narrantur. Comes quoque de Bavaria, ſupremi Ducis Gallici Legatus in hoc prælio cecidit.

Poſt pugnam Princeps Cumberlandiæ, de quo non conſtat mihi, quid in ea geſſerit, exercitum reliquum ad Trajectum retraxit, ut illam protegeret, & communionem cum Germania apertam ſervaret. Mauritius, cum oppido difficilem Trajecti expugnationem cerneret, in Tungris ſubſtitit, Löwenthalium tamen, ut fructus victoriæ legeret, ad expugnandam *Bergam ad Zomam*, muLöwendalius Bergam ad Zomam expugnat. nitiſſimam natura & arte in Hollandica Brabantia urbem, dimiſit. Sanguinolentum prorſus & pertinax fuit opus. Defendit illam cum numeroſo præſidio Princeps Haſſo - Philipsthalius, ſuſpenſa eventus exſpectatione Europa: ſed Galli nolebant dici, ad hunc ſcopulum fortunam ſuam & vires impegiſſe. Igitur cum continua verberatione totam propemodum urbem in lapidum acervum convertiſſent, trino univerſali aſſultu tentato, 16 Sept. in eandem irruperunt. Haſſus cum Cronſtromio multisque præſidiariis fuga evaſerunt, 1500 vero intercepti ſunt. Præda multa, in hanc rupem depor-

deportata, in manus hostium venit. Quamvis autem Löwendahlius direptionem prohibuisset, non tamen semper est in potestate Ducis, manus iratas & prædæ cupidas coercere.

Tantum munimentum cum cecidisset, proniora deinceps fuere ad deditionem castra ad Scaldin complura. Berga expugnata, Rex Lovanio Versalias rediit. Exercitus autem hybernatum concessere, Fœderati in Brabantiam Hollandicam, Galli in Austriacam, quam occupatam tenebant.

Postquam Gallus terras Batavorum invaserat, magna apud eos hoc anno facta est mutatio. Populus fremens Wilhelmum, cognomento *Frisonem*, Principem Auriacum, ex Familia Nassovio-Diezensi natum, Regis Angliæ generum, Gubernatorem, seu potius Vicarium Reipublicæ deposcebat. Frisia, Geldria, Zuphania, Gröninga, Omelandia, jam ante eum elegerant. Sed reliquæ provinciæ constanter reluctabantur. Jam vero Selandia, ut Regi Angliæ, a quo auxilium contra Gallos exspectabat, gratum quid præstaret, signum extulit, & Vicarium proclamavit, eique Flissingam aliaque patrimonialia bona reddidit. Secutæ sunt provincia Hollandica, Ultrajectina, & Transisalanica, ut adeo ab omnibus septem provinciis eligeretur Vicarius, Archithalassus, & Capitaneus Reipublicæ, & quidem jure hæreditario aliisque privilegiis adjectis.

Friso Vicarius Bataviæ.

Nam conclusum ab Ordinibus 1 Vicariatus Septem Provinciarum sit hæreditarius, ita quidem, ut Wilhelmi filius, si quem sit nacturus, succedat, atque hujus filia in defectu masculi. 2 Carolina, quatuor tunc annos nata, cum suis masculis descendentibus. 3 Si Carolina sine masculis decederet, succederet ejus soror juxta ordinem primogenituræ, cum suis legitimis masculis. 4 Nullus tamen Vicarius Regiam aut Electoralem Dignitatem obtineat. 5 Reformatæ sit religionis, & in Batavia educatus. 6 Si fœmina Vicariatum obtineat, nulli Regi aut Electori nubat, neque alterius religionis Principi sine consensu Reipublicæ. (*Quo postea indigebat Carolina, cum Nassovio-Weilburgensi, Lutheranæ professionis Principi nuberet.*)

Quibus conditionibus.

7. Si ad fœminam Vicariatus sit devolvendus, in omnibus Collegiis & Consiliis Status sit præsens. 8 Tempore belli renuntiet summos Duces, qui reformatæ sint religionis, nec Reges, nec Electores: Statibus autem fidem jurent, & obsequium. 9 Tempore minoris ætatis mater filiorum tutelam & Vicariam potestatem gerat. Id quod dein anno 1751 Wilhelmo mortuo evenit, ubi

 vidua,

vidua, Regis Angliæ filia, ad cujus favores aucupandos haud dubie ſtatuta ſunt iſta, tutelam & Vicariam poteſtatem exercuit.

Cum Wilhelmo, qui *Levardæ* in Friſia ſedem fixerat, nuntiata electio eſſet, cum Conjuge & Carolina, unica, quam tunc habebat, filia Hagam abiit, ibique, juramento coram Ordinum Deputatis depoſito, poſſeſſionem novæ ſuæ dignitatis cepit, quantam nemo ante ipſum ab anno 1672 habuit. Nam Wilhelmus III quinque tantum provinciarum fuerat Vicarius.

Regimen Batavorum.

Nam facile autem definias, qualis electo Vicario, Regiminis forma vigeat apud Batavos; non eſt Monarchica, quia Vicarius eſt Vicarius & Gubernator, & non pollet ſuprema & independente poteſtate: nec perfecte Ariſtocratica, propter derivatam magnam Auctoritatem in Vicarium hæreditarium, Maris Præfectum & Generalem Reipublicæ Capitaneum, qui ſupremos belli Duces conſtituit; uti etiam propter populum, non raro pro libidine dominantem, & ea, quæ ſibi ſunt placita, extorquentem, prout hanc ipſam Vicarii electionem extorſit. Nec tamen propterea eſt Democratica, tum quia Hagæ Comitum ſunt Deputati ſingularum Provinciarum, quos *Generales Status* appellant, penes quos eſt præcipuum robur, Conſilium item Status, & rei maritimæ Collegium: tum etiam propter Vicarii Univerſalis prærogativas. Quælibet provincia eſt ſui domina, imo etiam pars provinciæ, & non niſi nexu quodam arbitrario cum aliis conjuncta. Hinc tot lites, & inſanabiles diſſenſiones. In id tamen conſpirant, ut commercia, ſpiritus & anima ſua, floreant, nullum membrum ab exteris lædatur, ſecta Calviniana inter alias multas dominetur. Hinc ad ſupremam militiæ Præfecturam neminem admittunt, niſi ſit hujus confeſſionis; cum tamen videant apud Catholicos in Germania Seckendorffios, in Gallia Mauritios Saxones, Lutheranos homines, ſupremo militari hoc munere fungi.

Novus Vicarius militiæ Hollandicæ Præfecturam *Cronſtroco* detulit: cui detrectantes ſubjici Princeps Waldeccius, & Comes Lippenſis Bückeburgicus, depoſito baltheo, in patriam redierunt.

Art. VIII.

Trajectum expugnatum. Pax Aquisgranenſis. De Vicarii Gubernatione. Batavorum de nuptiis Carolinæ ſcrupulus. Ultimo bello Neutrales.

Anno 1748 cum Galli jam Flandriam Brabantiamque occupaſ- 172.
ſent, Fœderati totis viribus torrenti obſiſtendum rati, ingentem exercitum in Belgio congregarunt, Ruſſis etiam 35000 ab extremis finibus accitis. At Galli ſub Mauritio Saxone & Löwendalio, antequam Fœderatorum copiæ convenerant, Aprili ineunte Trajecto ad Moſam admoti, tanta vi urbem præmunitam impetebant, ut Aylva Præfectus 10 Maji ex mandato Auriaci eam dederet. Löwendalio urbis Præfectura delata, Mauritio Belgii conquiſiti Gubernatore, Præliminaribus pacis jam conceptis & induciis publicatis, Bruxellas concedente.

Trajectum expugnatum.

Concluſa denique 18 Oct. Aquisgrani Gallos inter, Anglos & Hollandos pace, Rex Chriſtianiſſimus ablata in Belgio munimenta, quamvis plura diruta, urbesque reſtituit, ea lege, ut Philippo Principi genero ſuo tres in Italia Ducatus, Parmæ, Placentiæ & Guaſtallæ traderentur.

Pax Aquisgran.

Anno 1749 confectis bellis Princeps Carolus Alexander Imperatoris frater ad ſuam Belgii Præfecturam rediit, feſtiva admodum ſolennitate exceptus Bruxellis, aſſumptoque in primum miniſtrum Marchione de Botta, ſapientiſſime provincias gubernavit, quas ejus loco Armbergius Dux adminiſtraverat.

Wilhelmus quoque Friſo, Angliæ Regis gener, Vicarius hæreditarius Reipublicæ regimen ſuum prudenter auſpicari ſatagebat; ſed impedire non potuit, quo minus, ſicut in Romana olim Republica plebs adverſus Magiſtratus & patritios inſurgeret, gravibusque diſcordiis collideretur. Ortæ ſunt eæ tum ex aliis fontibus, tum ex pecuniaria taxa, ad extinguenda debita, ultimo bello contracta, ſingulis capitibus impoſita. Cedere tandem plebi oportuit, & moderari exactiones. Cæterum Princeps Haſſo-Philipsdalius ab Ordinibus præfectus eſt Tornaco, Burmannia Ipris, Auſtriacis urbibus limitaneis.

Friſo Vicarius ſentit difficultates.

Anno 1750 Princeps Carolus inter Lovanium & Bruxellas canalem eſt auſpicatus in commodum commerciorum, ſumptoque in manus ligone primus fodere cœpit. Naſſovius vero Fœderatæ Reipublicæ Vicarius Ludovicum Erneſtum Brunſvicenſem Principem ſupre-

fupremum campi Marefchallum, Generalem Capitaneum & Archi thalaffum renuntiavit, qui in cafum fuæ mortis viduæ tutrici affifteret quamvis ab Imperio rei tormentariæ præfectura effet ornatus.

Obit.

Anno 1751 poftquam Wilhelmus Naffovius Auriacus, Frif cognominatus, Flüffingam Domus Auriacæ patrimonium a Seelan diæ provincia recepit, morte abreptus eft, anno æt. 40, Vicariatu 4, relictis Wilhelmo quadrimo, & Carolina octenni fub tutela matri Anglicanæ, quæ Vicariam deinceps poteftatem exercuit. Vicariun ad æternitatem fecutus eft Baro Cronftrom, natione Suecus, Gu bernator Sylvæ Ducis. Succeffit Princeps Beveranus.

Batavi ultimo bello neutri.

Bello ultimo, Angliam inter & Galliam illinc, atque Boruffian inter, & Auftriam hinc exorto, Fœderati Ordines fe non mifcuerunt fed neutras partes amplexi funt, quamvis vehementer ab Anglis in citati; at negabant Batavi, cafum effe fœderis, cum non conftet Gallos fuiffe aggreffores, nec Britanniam vim effe paffam. Irritat propterea Angli, multas Hollandis naves diripuere, territorium etiam eorum ingreffi. Hinc tot querelæ, totque contentiones: hinc miffi Londinum deputati, qui naves repeterent.

Ægre quidem habuit Batavos, quod Regina Imperatrix Neo. portum & Oftendam, ut ab invafione Anglorum tutiores effent, depofiti inftar cuftodiendas interim Gallico præfidio tradiderit, non tamen eam ob rem a neutralitatis confiliis fibi recedendum putabant.

Eorum fcrupulus.

Anno 1760 Carolina, Wilhelmi IV Frifonis, Batavorum Vicarii filia, nupfit Carolo Principi Naffovio-Weilburgenfi, Chilarchæ, & Bergæ ad *Zomam* Gubernatori. Scrupulum Hollandis religio Lutherana fponfi injecerat; fed tandem re compofita, nuptiæ magna cum folennitate funt celebratæ.

Paci conficiendæ locum Fœderati Ordines offerebant Bredam. Defignabatur Augufta. Sed neutra urbs operis apud fe confummati gloriam retulit. Multum interea inter provincias confultabatur, præfertim poftquam Hifpania quoque in partem belli venit, de augendis copiis, & inftruendis claffibus, decretumque ferebatur, campeftribus legionibus tredecim armatorum millia, maritimis vero viribus triginta bellicas addendas, five ad fecuritatem navigationum commerciorumque, five alio pertineret hic apparatus. Non legimus tamen opere ipfo fuiffe completum. Opportunius fortaffe vifum, opimis fructibus pacis frui, & libera per orbem mercatura, tum Europæ belligeranti aut occlufa effent maria, aut pyratis vel hoftilibus claffibus prædæque effent expofita.

CAPUT

CAPUT IX.
De Statu Helvetiæ SÆCULO XVIII.

Art. I.

Turbæ Toggenburgicæ. Calviniſtæ Toggenburgici Abbati S. Galli Domino ſuo rebelles. Tigurini & Bernates eis aſſiſtunt, & bellum movent. Monaſteria expilant. Stadlerus a Svitenſibus capite plexus.

Toggenburgum ſuperiori in Turgoja provincia, proprios olim habuit Comites; ad Raronienſes tum devolutum, venditum fuit anno 1468 Ulrico Abbati S. Galli, & quidem cum alto dominio, omni ſuperioritate territoriali, & jurisdictione, alta & baſſa, quam etiam diuturna poſſeſſione uſuque exercuit, ac ſubditi, homagio præſtito, editoque juramento non raro ſunt conteſtati. 173. Cauſa Toggenburgica.

At vero, poſtquam Ulricus Zwinglius (cujus infelix patria erat Toggenburgum) ſuperſeminavit zizania, diroque Schiſmate ſcidit Eccleſiam, multi ex ea provincia in illius errores prolapſi, pro genio hujus ſectæ gentisque, conati ſunt ſubjectionis jugum excutere, & populare regimen inducere, obſiſtente & jura ſua, ut par erat, defendente Monaſterio S. Galli.

Nunquam vero gens illa Domino ſuo magis ſe oppoſuit, quam ineunte hoc ſæculo, ubi novo Lichtenſteigæ ſenatu conſtituto, jurisdictionem civilem & criminalem, jus fœderum, belli & pacis, totiusque regionis adminiſtrationem ac regimen, liber velut populus, ſibi arrogavit, uſurpavitque.

Obtendebant autem fœdus & Jus quoddam provinciale, ſub protectione Svitenſium & Glaronenſium jam anno 1440 erectum, Juramentum ſuum, patriæ præſtitum, & pacem publicam, anno 1531 initam, quibus intentionem ſuam fundatam dicebant. At vero nemo eſt, qui neſciat, his omnibus nullum eſſe robur, ſine conſenſu illius, cujus intereſt, maxime Domini territorialis. Male profecto foret proviſum regnis & principatibus, ſi ſubditi privatis inter ſe pactis, vel cum tertio initis, domino ſuo ſubtrahere poſſent parendi

parendi obſequium. Notum eſt ſcitum Juris, rem inter alios actam tertio non nocere. Aliud litteræ emptionis, a Friderico III Imperatore confirmatæ, homagia jurata Principi, & longæva conſuetudo clamant. Et quamvis Abbas Jus illud ſtatutarium Toggiorum approbaſſet, id aliter factum intelligi non poſſet, niſi ſalvo jure territoriali ſupremo, & independente.

Tigurini & Bernates ſe miſcent.

Verum Toggii anno 1707 prolatis multis, quibus ſe preſſos dicebant, gravaminibus Tigurinos & Bernates implorarunt, qui, defenſione eorum ſuſcepta, Principi Abbati ſcribunt, 1 Jus Provinciale manifeſte pro Toggiis facere: 2 exiguum emptionis pretium, 14500 florenos, ſatis indicare, populum illum magnis gaudere privilegiis & exemptionibus. 3 Senatum & tribunal patrium in contractu Raperſchwilano anni 1538 eſſe fundatum. 4 Adminiſtrationem regionis ſoli competere Senatui patrio, a ſolis Toggiis conſtituendo, non vero exteris. 5 Sine conſenſu Toggiorum non eſſe locum appellationi ad Abbatem. 6 Gravamina Evangelicorum eſſe tollenda. 7 Jus conſtituendi ſibi parochos ad populum pertinere.

Non modo Princeps, ſed etiam Cantones Helvetiæ, præſertim Svitenſis & Glaronenſis, Protectores Toggii, qui cauſam pluribus legationibus & congreſſibus jam tractaverant, indigne tulerunt, Tigurinos & Bernates, ad quos negotium non ſpectaret, velut judices aut arbitros, in quos non eſſet compromiſſum, ferre ſententiam, omnino incompetentem. Neque enim Toggios, ſine conſenſu alterius partis potuiſſe illis prorogare Jurisdictionem.

Quare Princeps S. Galli proteſtatus eſt, ſex iſtos articulos neque ut conſilium, minus ut ſententiam poſſe a ſe recipi: atque Cantonibus neutris arbitrium deferri voluit; quamvis id ſoli Svitenſes & Glaronenſes ſibi vindicarent.

Senatum conſtituunt.

Verum Tigurini & Bernenſes, viribus ſuis freti, Toggios animarunt, ut cœptis ſtrenue inſiſterent, atque articulis a ſe conceptis inhærerent. At opus non erat, currentibus calcar addere. Numeroſum mox Senatum conſtituunt, ita quidem, ut in pleno ſint 80 Patres, in minore 24, in arcano 12, qui conſilio, ſapientia, auctoritate Rempublicam in ſacris juxta ac profanis gererent. Quanta inde ſecuta ſit Religionis Orthodoxæ pernicies, facile æſtimabit, qui ſpiritum Zwinglianum & Calvinianum novit.

Svitenſes, qui hactenus cum Glaronenſibus pro partibus Toggiorum, ceu Protectores eorum ſteterant, ubi Tigurinorum & Bernatium attentata viderant, neque ſolam Principis cauſam, ſed Reli-

Religionis agi, consilia sua mutanda publicis in Comitiis censuerunt.

Unus erat maxime, qui hactenus populum Svitensem adversus Abbatem S. Galli incitabat, Josephus Antonius *Stadlerus*, Senator & in causa Toggiana sæpius Cantonis Legatus. Capite is Svitensium sententia publice carnificis manu plexus est; quod turbarum Toggiensium fuerit incentor, contumaciam Toggiorum adversus Dominum suum foverit, tum alias, tum per litterarum commercium cum Kellero, Toggio, affine suo: Svitenses plures pecunia Toggiana corruptos, in partes suas traxerit: sex articulos Tigurinos & Bernenses promoverit, uti etiam Calvinismum apud Toggios, illum Svitium quoque inducturus, si potuisset: propriis denique litteris, ac confessione, tum in tormentis, tum extra illa facta, convictus fuerit tanquam auctor turbarum, falsarius, proditor patriæ, & veritatis, a qua libertas & Religio dependisset. Alii quidam Senatores depositi & in exilium ejecti sunt. (anno 1708) Stadler Svitensis capite plexus.

Tum vero Svitium, graviter ferens, quod Tigurum & Berna falcem in alienam messem mitterent, cernensque, quo eorum consilia vergerent, cum Catholicis Cantonibus reliquis violentiæ obsistendum, & Religionis in Toggio oppressæ tutelam assumendam putavit.

Princeps interea S. Galli per Legatum Cantonibus significavit, se a subditis sui Comitatus fuisse spoliatum suis juribus, dominio, superioritate territoriali, officiales suos expulsos, imponi ab illis tributa, æditum Catholicum occisum, Monasterium S. Joannis obsideri vi armata: Toggium contra omnia jura sursum deorsum volvi. Petitque auxilia contra rebelles hos suos subditos. Seditio Toggiorum.

Protestantes conveniunt primum Aravii, dein Tiguri, Catholici vero Lucernæ. Hi mediationem offerebant; illi sex articulis suis inhærebant. Denique Badenam communis omnium Cantonum Congressus indictus. Conventus Cantonum.

Propositæ ibidem partis utriusque querelæ. Princeps Mediatores elegit Lucernam, Uraniam, Solodorum: Toggii Tigurum, Bernam, Basileam. Hos Imperator per Legatum suum Trautmansdorffium monuit, ne Abbatem S. R. I. Principem lædant, Toggenburgum esse feudum Imperii.

Art. II.

Bellum Helveticum.

174. Tigurini bellum inferunt.

Sed nec Mediatores convenire poterant, nec Cæsaris ratio habita. Contra vero tum Toggii, tum Tigurini anno 1712 armis correptis bellum intulerunt. Et primo quidem Toggenburgici Calvinistæ Monasteria S. Joannis, in quo Religiosi San-Gallenses habitabant, & Magdenaviense Monialium, vi armata invaserunt spoliaruntque. Dein Tigurini quatuor millia peditum armatorum, & tres turmas equitum, cum 12 tormentis bellicis Toggenburgo admoverunt, Toggiisque juncti, Ductore Rabholzio, hostili grassatione omnia impleverunt. Quatuor alia millia in Turgojam se infuderunt, Principe cum suis Religiosis trans Acronium profugiente, postquam Monasterium suum urbi San-Gallensi, quæ neutrarum erat partium, in depositum commisit. Sed postea Tigurini illud occupatum spoliarunt, pretiosis rebus, ipsis adeo templi campanis Tigurum avectis.

Monaster. S. Galli spoliant.

Cum Catholici quinque Cantones, Lucerna, Urania, Svitium, Subsylvania, & Tugium, tantas Tigurinorum violentias cernerent, scriptum publicum edunt, quo conqueruntur, Tigurinos, cum Mediatores de turbis Toggiis tranquille sopiendis agerent, armata manu invasisse Toggenburgum Catholicum, Turgojam, veterem etiam San-Gallensem provinciam; ac proin, a Svitensibus protectoribus se invitatos, vim vi repellere se esse coactos.

Bellum.

Igitur, cum Bernates quoque ex altera parte imminerent, ut cum Tigurinis se conjungant, fœderati Catholici, ut eam conjunctionem impedirent, Badenam, Mellingam, Bremgartam, liberæ provinciæ intermedias urbes, occuparunt.

Tigurini autem Frauenfeldam, Rhenoviensem tractum, Sonnenbergam, Denickenum, Fischingam, Wilam, Melingam, Bremgartam, ad quam velitatione victos Catholicos dicunt, ac denique Badenam expugnant, in qua præsens aderat Trautmansdorffius, Legatus Cæsareus, cui discessuro naves negatæ sunt: duæ etiam pilæ in ejus domum injectæ.

Quantas calamitates, exactiones, contributiones, oppressiones passæ sint Domus Religiosæ, Einsidlæ, Muris, Wettingæ, Rhenavii, prorsus innoxiæ, quot templa, urbes, oppida vastata, expilata, nulla penna potest exprimere. Quamvis hæc non tam

jussu Magistratus, quam furentis militis rapacitate & insolentia sint patrata.

Quinque Cantones, numero inferiores ex Italicis Præfecturis evocabant copias, sed artibus hostium factum, ut non venirent. Venerunt autem illis auxilio mille Vallesiani, per legationem rogati, qui tamen per aliquot menses otiose circumducti, se cum patria proditos rati, quod Bernenses ex altera parte Vallesiæ imminerent, iterum redierunt, milite gregario non exaudiente Ducum imperium, imo & in patria adversus præpositos sibi magistratus insolescente, quod falso putaret, cum Bernatibus colludi, illosque Vallesiam invasuros, milite patrio in Helvetiam emisso. At vero Bernates propugnaculum, quod ad pontem Agaunensem, qui fines utriusque gentis dividit, cum suggestu tormentario erexerant, rursus demoliti sunt; tumultusque plebis conquievit. Vallesiani succurrunt.

Interim autem Cantones, qui neutras partes sequebantur, uti Glarona, Friburgum, Solodorum, Basilea, Schaffhusium, Abbatiscella, cum urbibus fœderatis San-Gallensi, Milhusana, Bielensi ad Aquas duras (seu Zurzachii) de pace cum Tigurinis acturi, convenerunt.

Cæsar quoque non modo per suum ad Helvetos Legatum, sed propriis etiam litteris, Posonio datis ad Tigurinos & Bernenses, prout etiam ad Comitia Ratisbonensia, & Circulum Svevicum, graviter questus est, provincias Imperii Principis injuste invasas, & sanguine inundatas, Monasterium S. Galli aliaque expilata, antiquissimam Bibliothecam direptam, templa vastata, statuas confractas, sacra polluta, Religiosos viros, ipsum adeo Legatum suum contra jus gentium indigne habitum, naves ad discessum negatas, pilas igniarias in ejus ædes emissas, subvasallos Imperii ad homagium adactos. Cæsaris litteræ.

Non commissurum se, addebat, ut Toggenburgum, Comitatus & antiquissimum feudum Imperii eripiatur Principi Imperii. Adhæc pactis & fœderibus Helveticis (de anno 1469, 1531, 1599) caveri, nequis status causis alterius subditorum se misceat, quod factum a duobus Cantonibus, ad quos res Toggenburgicæ nihil pertinebant. Petiit denique Cæsar, ut per arbitros turbæ & lites componerentur, copiæ abducantur, Princeps in integrum restituatur.

At duo Cantones fœderati his tam parum sunt moti, ut majori etiam ardore bellum prosequerentur, Badenam, Rapperschwilam, Wesenam expugnarent, in Svitenses, quin & Lucernenses terras, contra ac promiserant, irrumpentes, & per Hollandicum Viennæ

Holl. Legati responsio. Legatum proponerent, ad Helvetos pertinere, res Toggenburgi ordinare, illud non esse feudum Imperii; Abbatem ad Imperium nihil contribuere; solo titulo esse Imperii Principem, sicut alios plures in Helvetia; eum se dudum ad Helvetos applicuisse, ad quatuor præsertim Cantones, Tigurum, Lucernam, Svitium, Glaronam, Protectores, atque per hoc ab omni externa protectione se subtraxisse: communem causam passuram, si Bernates legiones suas, stipendiis Hollandicis militantes, in patriam revocare cogerentur. At Cæsar, hæc vane jactari ratus, suo institit proposito.

Atque, accedentibus Gallici & Sabaudici Legatorum, prout etiam Cantonum neutrorum studiis, id effectum, ut Aravii Congressus ad componendam pacem institueretur: conventumque tandem in aliquot articulos, quibus subscripserunt ex Catholicis Lucerna & Urania.

Sed tres reliqui Cantones necdum eo ventum censebant, ut pacem illam acceptare cogerentur, rusticis quoque Illustrissimi cujusdam Cantonis obstrepentibus, bellum continuatum est, donec Prælium ad Vilmergam. ad pugnam prope *Vilmergam* (ad quam superiore sæculo Catholici tam gloriose triumpharunt, subsequente annua solenni memoria) ventum tandem est.

Catholici in colliculo positi hostem in fugam jam conjecerant, cum opportuno eo loco deserto, in plana descendentes, ut hostem fugitivum persequerentur, ab eo, inversa fronte strenue dimicante, victi, & in fugam compulsi sunt.

Vulgare murmur varia de hoc prælio sparsit, quæ nolim commemorare: hoc solum dico, non esse, cur Acatholici inde superbiant. Discordiæ Catholicorum, & rusticorum insolentiæ debuerunt victoriam: prout etiam pacem, quæ brevi post Aravii secuta est.

Art. III.

Pax Araviensis, & Badensis.

175. Longum foret, omnes articulos *in extenso* recensere; igitur ea tantum, quæ notabiliora mihi videntur, summatim referam.

Badena, Bremgartum, Mellinga, quæ octo antiquioribus Cantonibus fuerant communes, Tigurinis & Bernatibus ceduntur, prout etiam Rappersvilla, quæ ad Urios, Svicios, Subsylvanos, &

& Glaronenſes ſpectaverat; ſalvo tamen in his civitatibus jure Glaronenſium, qui bello ſe non miſcuerant: ſalvis etiam priſtinis harum urbium juribus & privilegiis; ſalva denique per omnia Religione Catholica, ejusque libero exercitio.

Berna in communionem gubernationis Turgojæ, Rheni vallis, & Sargantii aſſumitur. Statuitur amneſtia. Cauſa vero Toggenburgica, propter quam bellum cœptum eſt, ad amicam compoſitionem remittitur.

De Religione in locis communis gubernationis 32 articuli ſunt promulgati, videlicet, ut ubi mixta eſt, pars utraque pari jure fruatur, & in exercitio ſuo permaneat. Majora negotia ad diætas remittantur. Cauſæ Eccleſiaſticæ Catholicorum, uti matrimoniales & quæ ad cultum Divinum aut diſciplinam ſpectant, coram eorum Judice Eccleſiaſtico tractentur, quin gubernator ſe miſcere poſſit.

Pars neutra ad alterius ceremonias, proceſſiones, ritus, feſta teneatur. Nemini tamen licet ea impedire, aut ludibrio habere. Gubernatores & ſubditi jurent juxta ritum ſuæ religionis. Ubi templum utrique religioni eſt commune, altera in æſtate ad horam usque octavam, in hyeme usque ad nonam utatur, altera poſtea: intra hebdomadem utrique pateat ad ſuas functiones. Baptiſterium & cœmiterium quælibet pars ſuum habeat. Pacis articuli.

Utrilibet fas eſt, novum templum ſuis ſumptibus pro ſe erigere; ſed tunc amittit jus in antiquum. Si pars altera ſuis ſumptibus vellet templum ampliare, id licitum eſto, absque tamen præjudicio cultus Divini, ſacriſtiæ, & altarium Catholicorum. Proteſtantibus permittitur, ad aliud vicinum ſuæ religionis templum exire.

Ubi ſola Proteſtantium religio exercetur, ſoli bona Eccleſiæ adminiſtrent. Ubi vero eſt mixta, & bona templi necdum ſunt diviſa, dividantur: nullaque pars alteri poſtea contribuere teneatur. Collatores Beneficiorum, quæ Tigurinæ ſynodo ſunt incorporata, ex tribus, ſibi præſentatis, unum eligant. De bonis, a perſonis Eccleſiaſticis relictis, in communibus Præfecturis, nihil detrahatur.

Pax publica anni 1531 aboletur; hæc autem eidem ſubſtituitur. In Turgovia, Rheni valle, & Comitatu Sargantino officiales ſint mixti, aut alternent. Pupillis tutores ſuæ religionis dentur. Juſtitia indifferenter utriusque religionis conſortibus adminiſtretur. Peregrini non aſſumantur in cives in Præfecturis communibus ſine conſenſu omnium Cantonum, ibi gubernantium.

Si bellum oriretur inter Cantones coimperantes, commune provinciæ neutras partes sequantur. Nulla munimenta in iis construantur sine consensu omnium, quorum interest. Personæ ad mortem condemnatæ nullo modo compellantur mutare religionem. Convitia vetantur. Altera Religio appelletur *Catholica*, altera *Evangelica*. Quoad justitiam, hæreditates, successiones utriusque sit par & æqua conditio. In Diætis Corporis Helvetici duo sint Protocollistæ, alter Catholicus, alter ex Protestantibus.

Pax dura. Ex his apparet, quam dispar hic fuerit paciscendi conditio. Cantones Catholici sæculo XVI & XVII insignes de Protestantibus retulerunt victorias, nihil tamen istis per pacem fuit ademptum, sed omnia in integrum restituta. Hac autem pace, cum Protestantes per discordiam Catholicorum essent victores, plures urbes & districtus in liberis præfecturis sub traxerunt; cum tamen ob solum Toggenburgum Tigurini & Bernates se bellum gerere profiterentur.

Quia autem etiam Religioni Catholicæ hæc pax erat perniciosa, cum in locis mixtis dividenda essent bona Ecclesiastica, quæ hactenus perceperant Catholici, & Tigurini atque Bernenses eam in commodum suæ sectæ exequebantur, plurimæ ortæ sunt lites, præsertim Frauenfeldæ, Zurzachii, Diessenhofii, Episcopi Cellæ, Arbonæ, Episcopo etiam Constantiensi & Curiensi graviter conquerentibus.

Protestantium agendi modus. Habent hoc nempe Protestantes; quando Catholici vel pugillum terræ occupant, aut more pristino, in locis præsertim mixtis, volunt vivere, altum clamant, variosque in sacris & civilibus ponunt obices: ipsi vero, ubi viribus prævalent, sese intrudunt, omniaque ad ingenium sectæ suæ invertunt.

Experta hoc est isto quoque sæculo non modo Grisonia, Vallis Tellina, Wormii, & Clavennæ Comitatus, Grisonibus subditi, sed Vallis etiam Rhenana (Rheinthal) Toggenburgum, Sarganti-nus, & Badensis Comitatus, Turgoja, atque contentæ in ea, Frauenfelda, Zurzachium, Episcopi-Cella, Arbona, Diessenhofium, Steina, Clingnavia, Neokirchium, Wasserstelsium aliaque loca non pauca, in quibus non modo, intrusis in Senatum, & officia publica Protestantibus, & quidem majori numero, sed in sacra quoque grassati, Ecclesiasticos nostros fructibus spoliarunt, eaque Ministellis attribuerunt, Episcopum Constantiensem jurisdictione sua, qua temporali qua Ecclesiastica privarunt, non attenta demonstratione antiquissimi juris.

Appel-

Appellant quidem ad pacem suam Araviensem, quam pro arbitrio suo interpretantur. Sed quomodo tertius, Episcopus e. g. Constantiensis, qui nullam belli partem habuit, jurisdictione sua, ludum jure quæsita, & per plura sæcula quiete possessa, privari potuit?

Compaciscentes septem Cantones, inquiunt, supremos esse Turgojæ, aliarumque, quas supra dixi, civitatum Dominos. Hoc non disputo (quamvis Episcopo etiam Constantiensi &c. in pluribus ex illis temporalis quoque Jurisdictio competat, & inter Condominos etiam sit Glarona, quæ nec in bello nec in pace partem ullam habuit, neque consensisse legitur). At demus, septem Cantones compaciscentes, plenos fuisse Dominos in temporalibus, num etiam in sacris & spiritualibus?

Compaciscentes quinque Cantones Catholici nunquam sibi arrogarunt Jurisdictionem Ecclesiasticam & Spiritualem, & hinc aperte sunt protestati, intentionis suæ non fuisse, tertium jure suo quæsito privare. Non igitur in spoliationes illas jurium & bonorum Ecclesiasticorum consenserunt, nec consentire potuerunt, cum scirent, ea a jurisdictione & dominio temporali esse exempta. Imo neque Protestantes erant eorum Domini, nec jurisdictionem in illa habuerunt. Quomodo ergo de re & jure alieno disponere poterant? At illi, viribus suis feroces, via facti progressi sunt, solique, sub prætextu executionis circa bona & jura Ecclesiastica pro lubitu disposuerunt, de quibus, tanquam alienis, pacisci non poterant.

Interea, cum Princeps San Gallensis paci Araviensi non esset inclusus, Tigurini & Bernenses ditiones ejus per quinque adhuc annos usurparunt, & in verba sua adegerunt. Tentata quidem Rosaci anno 1714 concordia, sed cum Toggii declararentur liberi, & Imperator manum apposuisset, noluit Princeps habere ratum tractatum, sibi & Monasterio suo tam perniciosum. Atque sic hæsit negotium usque ad annum 1717, quo post quinquennale exilium, & toleratas forti animo ab heterodoxis gravissimas persecutiones pientissime obiit Leodegarius Lucernas, ex familia Burgisseria natus, S. R. I. Princeps, Comes & Dominus Toggenburgi, ad S. Galli Abbas.

Indignitas in S. Gallum.

In

In ejus locum electus eſt in Monaſterio Mereravienſi Joſephus Rudolphi, natus Laybaci in Carinthia, cujus agnati Oenipontum tranſtulerunt domicilium, in Academia ibidem Jurisprudentiæ Profeſſores celebres.

Pax Badena cum S.Gallo.

Novus hic Præſul anno ſequenti 1718 cum Tigurinis & Bernatibus *Badenæ* pacem iniit; qua in ſuas provincias, etiam Toggenburgicas, reſtituitur, aſſerto dominio & ſuperioritate territoriali, ſalvis tamen etiam Toggiorum ſubditorum juribus & privilegiis.

Senatus Toggenburgicus conſtet 60 viris, 30 Catholicis & 30 Proteſtantibus, a communitatibus eligendis, ſed ex Toggiis. Gubernatorem, quemcunque placuerit, conſtituere eſt penes ſolum Abbatem Principem. Sola Religio Catholica & Zwingliana aut Helveticæ Confeſſionis, tolerentur. Abbati & Monaſterio omnia ablata reſtituantur. Jus confirmandi paſtores, etiam Acatholicos, eſt penes Abbatem.

Multa alia conſtituuntur, circa ſenatum, emptionem bonorum immobilium ad manus mortuas devenientium, libertatem religionis utriusque, ſcholas, diviſionem fructuum, templa conſtruenda, Synodum, Miniſtros Acatholicos in una ex quatuor urbibus Acatholicis, videlicet Tiguri, Bernæ, Baſileæ, aut Scaphuſii examinandos, circa electiones communitatum, collationes Principis &c.

Si autem circa hæc vel alia oriretur inter Principem & Toggios ſubditos controverſia, ea coram ſex Cantonibus, quorum tres Princeps, tres vero Toggii nominabunt, vel amica compoſitione, vel juris ordine, non vero via facti, decidentur. In Turgoia & Rhenana valle pax Aravienſis obſervetur, ſitque plena amneſtia.

Hanc autem conventionem, neceſſitate & temporum calamitate extortam, Clemens XI Papa per Breve, in Archivio cuſtodiendum, irritam declaravit. Nec ceſſarunt deinceps gravamina & querelæ, ab utraque parte propoſitæ, ob diverſam pacis interpretationem, prout contigit etiam poſt pacem Weſtphalicam.

Art.

Art. IV.

Acerba pacis executio. Fœdus Cath. Cantonum cum Gallia. Cur Protestantes non accesserint?

Vix pax Araviensis erat confecta, cum Tigurum & Berna triumphantes, executionem illius adversus Catholicos pro arbitrio susceperunt. Nulla amplius pacta, privata & publica, quantumvis antiqua & roborata, nullæ Consuetudines & usus vetusti valebant. Divisa Ecclesiarum bona cum Acatholicis, Senatores novi ex eadem gente constituti, in angustias conjecti Catholici, erecta nova templa, prout factum Badenæ, Catholicis sub Acatholica dominatione nec gemere ausis. 176. Executio Protest.

Intercesserant quidem Cantones Catholici, nunquam suæ intentionis fuisse, ut authentica pacta usúsque per nuperam transactionem convellerentur, neque ut Episcopo Constantiensi, tanquam tertio, jura sua diminuerentur. Sed pars aversa nullas aures audiendi habuit; quia timeri se credebat, & pro lubitu dominari posse.

Interea autem septem Cantones, ex integro Catholici, una cum Vallesiana Republica, non modo *Fœdus Aureum*, ut vocant, anno 1585 erectum, 1655 repetitum, de Religione Catholica conservanda ac defendenda renovarunt, sed antiquum etiam cum Galliæ Rege 35 articulis, typo impressis, comprehensum. Summatim duntaxat aliquos refero. Fœdus cum Gallis.

1. Quamvis non omnes Cantones ad hunc tractatum concurrant, omnes tamen ad illum subscribendum invitentur, ut necessitatem illius videant.

2. Antiqua fœdera cum Gallia renovantur, præsertim anno 1521 & 1663 inita.

3. Hoc fœdus omnes, etiam futuros Reges Galliæ obliget, ad servandam perpetuam cum Helvetis pacem.

4. Si Gallia invaderetur, sive ab externis sive internis viribus, Helveti implorati permittent Regi 16000 virorum, sed non plures, conducere, non mari sed terra militaturos. Conductio autem eorum fiet sumptibus Regis, qui etiam belli officiales potest constituere, sed ex locis Helvetiæ, in quibus milites conducuntur, eligendos; nec dimittantur, nisi solutis ex integro stipendiis.

5. Si Corpus Helveticum, aut Canton, aut Status aliquis ab externo invaderetur, Gallia mittet tantas copias, quantæ petentur. Si autem internæ turbæ orirentur, Gallia, a parte gravata requisita, primum mitibus utatur remediis, dein vero, si ista non proficerent, viribus suis lædentem coget, ut intra limites Helvetici fœderis consistat.

6. Helveti, sub Gallicis stipendiis militantes, liberi sint a contributionibus, nisi negotientur, aut commercia tractent.

7. Si autem his abuterentur, merces amittant, & ab Helveticis suis Judicibus puniantur.

8. Tempore belli singuli quot mensibus accipiant 17 libras Gallicas, Duces vero superiores 1960 libras: pacis vero tempore illi 16 libras, isti 1000.

9. Si Centurio 175 conduxerit, cohors habeatur pro completa: pro deficientibus vero 25 viris Capitaneus stipendium percipiet; quia Rex numerum Officialium auxit.

10. Si autem numerus sit infra 175, Centurio nihil habeat præcipuum.

11. Si Centurionis cohors bello sit attrita, 4 aut 5 menses ei concedantur, ut illam reintegrare possit.

12. Centurioni singulis mensibus pro tota cohorte solvatur stipendium.

13. Quando sit delectus militum, Rex pro qualibet cohorte, ad 200 viros computata, anticipato vult solvere 6000 libras, quæ tamen postea subtrahentur.

14. Conducti necessaria in finibus Galliæ recipient, & dimissi usque ad fines Helvetiæ.

15. Vacantibus Ducum officiis Rex Officiales ex eadem legione substituet, habita ratione agnatorum, eorumque, quos Canton commendabit.

16. Inferiores Officiales proponant eos, quos Centurionis munere dignos judicaverint.

17. Captivis, ægrotis, aut in obsequio Regis absentibus, nihil detrahatur.

18. Si Capitaneus dimittatur, subrogetur alius ex eodem Cantone. Si autem cum cohorte sua abdicetur, non tenentur Helveti sub alio militare.

19. Supplementa copiarum a Cantone, per quem transeunt, ad desertionem non sollicitentur, aut conducantur.

20. Nul-

20. Nullus Gallus militet adversus Helvetos, & nullus Helvetus adversus Galliam.

21. Si Rex aut Delphinus expeditionem ipse suscipiat, Helvetii milites eum sequantur.

22. Si Rex vellet rursus ingredi in possessionem regionum, prout in fœdere, cum Francisco I inito, continetur, Helveti non assistent.

23. Si Galliæ & Helvetiæ sit bellum contra tertium, neutra pars sine altera pacem faciet.

24. Helveti in Gallia tanquam incolæ habeantur; igitur hæreditabunt, & hæreditates eorum in Helvetiam transferantur: possunt etiam negotiari, modo se legibus loci conforment.

25. Iisdem libertatibus Galli in Helvetia fruantur.

26. Rex confirmat omnia privilegia, quæ unquam Nationi Helveticæ in Gallia sunt concessa.

27. Hostes Galliæ & Helvetiæ, apud neutram tolerentur, sed extradantur.

28. Uti etiam fures & raptores.

29. Liber sit utrinque militum transitus, sic tamen, ut incolæ nullum detrimentum patiantur.

30. Pars utraque se obligat, Actoribus promptam administrare justitiam.

31. In hoc fœdere excipiuntur Papa, Sedes Apostolica, Sacrum Cardinalum Collegium, Sacrum Romanum Imperium, Domus Austriaca, Florentia, & Domus Medicæa.

32. Condemnatum in Gallia etiam in Helvetia persequi oportet, si ibi resideat, & vicissim.

33. Omnes pensiones continuentur, & acurate solvantur, prout Solodori usitatum, & in valore Helvetico.

34. Quamvis autem plures ab obligationibus hujus fœderis fuerint excepti; si tamen quis eorum vel Galliam vel Helvetiam invaderet, pars altera illi succurrat.

35. Hoc fœdus semper sancte observetur, & omnibus aliis fœderibus, ab anno 1521 initis præponatur. *Hæc est summa hujus fœderis, anno 1715 contracti.*

Quamvis autem hoc fœdus in plerisque articulis conveniat cum eo, quod anno 1663 omnes Helvetiæ Cantones inierunt cum Gallia, ipsique etiam Acatholici sint invitati, nec appareat, quod ipsis displicere admodum possit; displicuit tamen, id præsertim, quod articulo V conventum est. Suspicati sunt etiam, nescio quos, articulus

Cur Protest. non accesserint.

ticulos secretos, sibi periculosos. Sed tantum suspicati sunt, memores forte eorum, quæ adversus Catholicos acta sunt, non sine imagine prætensæ dominationis.

Alii suspicabantur, id inter alia actum, ut, rescisso tractatu Araviensi, Badenæ Comitatus iterum fiat communis quinque Cantonibus Catholicis, qui in bellum tracti sunt. Sed, quod dixi, res tota intra suspicionem, fortassis non optime sibi consciam, stetit.

Hoc fœdus Regis Christianissimi nomine iniit Comes de Luc, ejusdem ad Helvetos Legatus, qui paulo post Viennam Orator abiit. Caracciolo autem, Pontificio Lucernæ Nuntio Acatholici varia affinxerunt, quæ non nisi odium, & ideæ male conceptæ, ipsis suggesserunt. Trautmansdorffium, Cæsaris Legatum, non legimus contra hoc fœdus aliquid movisse, cum Imperium cum Domo Austriaca fuerit exceptum.

Art. V.

Variæ sectæ inter Protestantes Helvet. Crisis de illis. Causa Barenthalensis. Formula consensus Helvetici graves dissensus excitat, & discordias inter ipsos Protestantes.

177. A pluribus jam annis in Acatholicis Cantonibus diversæ sectæ emerserant, uti Socinianorum, Pietistarum, Arminianorum, Visionariorum, qui privato suo spiritui inhærentes, & scripturas sacras pro libidine interpretantes, varios errores disseminarunt. Quare Tigurum, Berna, Basilea, Scaphusium, severe prohibuerunt anno 1717, ne id genus homines tolerentur, sed omnes ad confessionem Helveticam & libros symbolicos remitterentur. Plures propterea virgis cæsi in exilium ejecti sunt, cum comminatione, capite luituros, si redirent. Hæc est libertas conscientiæ, toties jactata.

Variæ sectæ in Helvet.

Verum non video, cur homines istos persequerentur, cum ad purum Verbum Dei & inspirationes cælestes se referrent. An non Zwingliani & Calvinistæ id ipsum faciunt? Confessionem suam & libros smybolicos ex verbo Dei extractos, inquiunt. Unde hoc sciunt? quinam extraxerunt? nunquid homines fallibiles, qui spiritui suo innitentes Sacram Scripturam pro lubitu sunt interpretati?

Crisis de illis.

vel

vel unde sciunt, hunc sensum suum esse sensum Scripturæ, præsertim cum multi hominum milliones Scripturam aliter, ac ipsi, interpretentur?

Ut quid ergo Socinianis, Pietistis, Quackerianis aliisque enthusiastis irascuntur, cum eodem fundamento nitantur, nempe Scripturæ, secundum suum spiritum & phantasiam intellectæ atque expositæ? si dicas, nigrum esse illorum spiritum; an non hoc ipsum tibi potest regerere? quis jam inter vos erit judex? Scriptura? at pars utraque ad illam appellat. De ipso sensu Scripturæ inter vos est quæstio. Si dicas, tuum sensum esse clarum, ille suum clarissimum dicet. Si unum locum Scripturæ per alium velis explanare, idem ipse faciet, & textus textibus cumulabit.

Profecto, nisi judex aliquis visibilis & infallibilis in terris agnoscatur, nulla unquam erit certitudo, quo sensu controversi Scripturæ textus accipiendi veniant. Si serram contentionis ad te trahas, alter iisdem viribus ad se retrahet. Incerta, dubia, fluctuantia erunt omnia, in præjudicium providentiæ Christi erga suam Ecclesiam, cui tam magnifice assistentiam suam, stabilitatem, & infallibilitatem promisit. An vacua sint promissa Evangelica?

Certe, qui solam Scripturam controversiarum judicem constituit, idem facit, ac ille, qui solum Corpus Juris forensium causarum judicem assignat. Corpus Juris non est judex, sed debet esse in Republica judex, qui secundum illud pronuntiet. Pars utraque litigans se refert ad leges: sed judex decidere debet, cui leges faveant. Leges fundamentum sunt judicandi, sed non sunt judex. Geneva, memor fortassis, cui Domino obsequium subtraxerit, suisque munimentis non satis fidens, illa hoc tempore mirum in modum perfecit auxitque. Bernates & Tigurini ducenta thalerorum millia ad hoc opus suppeditarunt, & quidem in viginti annos absque censu.

Non tanta fuit concordia inter Abbatem Petrohusanum, & Creüzlingensem, qui de prioritate loci certabant. Lis ad Romanam aulam fuit delata, & Cæsaream. Illa per Rotam pronuntiavit pro Creuzlingano, allegans consuetudinem, ista cum Circulo Suevico pro Petrohusano, allegans pariter possessionem, & prioritatem Status, eo quod esset Prælatus S. R. Imperii, simulque contra forum Romanum excepit, eo quod hæc causa temporalis, ut inquiebat, ad Imperatorem spectaret. Lis inter 2 Abbates.

Causa Bärenthal. Plus rumoris excitavit causa *Bärenthalensis*. Quippe Bärenth lii, loco ad Principem Sigmaringanum spectante, Jacobus Beck Philosophiæ Studiosus, & Joannes Tannefel, faber lignarius, a latis Tiguro libris, plebem pervertebant. Datus uterque in co cerem primum in Præfectura Speichingensi, Austriacæ ditionis tum Viennæ, quo abducti sunt.

Ingentes hæc res motus excitavit. Tigurini, ad quos ni hil pertinebat, non modo pecunia, libris, subsidiis errores fana ticæ hujus plebeculæ fovebant, sed etiam ad Regem Borussiæ & Ducem Wirtembergiæ litteras dabant, querelarum plenas: Anglia insuper & Hollandia in partes tractæ. Ratisbonæ ingens gravamen propositum, & ad *Dictaturam* datum.

Denique, cum totum Corpus Evangelicum (ut se ipsum appellat) altum clamaret, & minaretur, captivi libertate donati sunt, Bärenthalenses vero, qui erroribus suis inhærebant, Mönsheimium, Wirtembergicæ ditionis pagum, migrarunt. Ubi, cum ipsi nescirent, quid crederent, Ministellus Tigurinus, a quo magis perverterentur, illis datus est. (anno 1720)

Tigurini Præcones eodem anno relationem publicarunt hujus causæ falsis & exaggerationibus plenam; prout ostendit P. Emmanuel Koffler S. J. tunc temporis superior Residentiæ Rottwilensis, scripto in lucem edito.

Formula Consensus. Cæterum ex Protestantibus non tantum multi in Pietismum, aliasque sectas abierunt, sed inter se ipsos etiam vehementer collisi, alter alterum damnabat. Magnam causam dabat dissensioni nova *Formula consensus*, quam Acatholici in Helvetia ediderant, & ad quam omnes adigebant, ad demonstrandam forte libertatem conscientiæ, quam olim identidem ingeminabant.

Reprobata; Ægerrime hoc ferebant, non Lutherani solummodo, in alterum extremum discedentes, sed Calvinistæ quoque. Unde Rex Borussiæ ad Cantones Acatholicos scripsit anno 1722, graviter conquestus, quod homines adigere vellent ad novam suam Formulam, in qua plura difficilia contineantur, præsertim de prædestinatione, quæ non modo ab aliis Protestantibus, sed etiam ab ipsis Reformatis non admittantur: neminem cogi posse ad confessionem, de cujus veritate non sit convictus. Doctrinam de generali & particulari gratia non esse clare expressam in Scriptura Sacra.

Scripsit

Scripsit etiam ad eosdem Rex Angliæ, relatum sibi, scriptum quoddam, quod *Formulam consensus* appellarent, inter Protestantes Germaniæ magnas turbas excitare, ac proin neminem ad subscriptionem cogendum.

Est autem hæc Formula Consensus nova confessio, a confessione Helvetica diversa, a Joanne Henrico Heideggero, famoso Præcone Tigurino, fabricata, quæ, sicut olim liber Concordiæ Lutheranorum, graves inter Protestantes motus concitavit, manifesto argumento, quanta in Corpore Evangelico sit unitas fidei. Tigurini & Bernates eandem acceptarunt, eamque in Lausanensem Academiam inducere volebant, sed cum magna Professorum contradictione. A Basileensibus quoque & Neocomensibus Theologis fuit rejecta, & a Werenfelsio strenue confutata. Quia nova.

Eo vero hæc Formula importunior visa est, quod hoc ipso tempore Corpus Evangelicum, sic dictum, laboraret Ratisbonæ, ut inter Protestantes unitas aliqua fidei & fraternitas induceretur. Quare a Corpore Evangelico anno 1722 Conclusum fuit formatum, & ad Dictaturam traditum; quo acerbe querebatur, negotium *Unionis* a quibusdam pacis osoribus (Protestantibus) pessime fuisse traductum, scriptisque etiam publicis acerbissimis verbis & expressionibus reprehensum, quæ remedium requirant, ut Unum Corpus Evangelicum constitui possit, absque Theologicis controversiis & dissensionibus, sicut omnes Augustanam Confessionem profitentur. Unio quæritur. Sed frustra.

Vetat deinde, ne pars altera Protestantium alteram convitiis appetat, jubetque, ut se invicem *Evangelicos*, vel *Augustanæ Confessionis Consortes* appellent: si autem necessaria foret distinctio, Lutherani vocarentur *Evangelici*, Calvinistæ vero *Evangelice Reformati:* salvis cujusque regionis, civitatis aut loci constitutionibus Ecclesiasticis, consuetudinibus, ritibus, ceremoniis.

Volebant igitur Legati isti Protestantes unum corpus conficere, licet membra in pluribus principalibus fidei articulis, uti circa Cœnam Domini, &c. inter se toto cælo distarent, modo convenirent in hoc fidei suæ articulo, quo Papa sit Anti-Christus, & Ecclesia Romana meretrix Babylonica.

Scripsit

Scripſit deinde hoc Corpus Evangelicum ad Tigurinos & Bernates, hortaturque, ut ad Formulam Conſenſus neminem contra ſuam conſcientiam cogant. Reſponderunt duo Cantones, ſe nihil magis optare, quam Unionem inter Evangelicos, ſperare autem, libros ſuos ſymbolicos, inter quos eſſet Formula Conſenſus, jam anno 1675 confectam & receptam, nullum poſituram obicem, cum ſecundum Verbum Dei ſit formata.

Lauſana rejicit Formulam.

Cum dein Bernenſes iterato urgerent, ut Lauſanna Formulæ ſubſcriberet, hæc recurrit ad Regem Angliæ, qui anno 1723 ad Proteſtantes Helvetiæ reſcripſit, ægro animo ſe accepiſſe, quod Formulæ, apud potiores Proteſtantes tam ſcandaloſæ, & a quibusdam etiam Helvetiæ locis rejectæ, adhuc inſiſtant. Petit denique, ut ſubſcriptionem a nemine exigant. In eundem ferme ſenſum illis Rex Boruſſiæ ſcripſit, voluitque, ut omnino aboleatur Formula.

Aliique.

Nec Reges tantum iſti, ſed privati quoque, & quidem, quod fieri ſolet, vehementius in illam calamos Acatholicos acuerunt. Amſtelodami in Hollandia, Hamburgi, Roſtochii, Helmſtadii in Germania, aliisque ex locis acerba contra eam ſcripta prodierunt, nec amplius Formula conſenſus, ſed diſſenſus & diſcordiæ appellabatur. Sed Præcones Tigurini vices reddebant; nolunt enim videri debitores; quamvis aliquando ſint, quod propria experientia didici.

Rixæ propter illam.

Abbatiſcellenſes Zwingliani Formulam abrogarunt. Quæ res in ſynodo urbis San-Gallenſis, ad quam pertinent, non leves rixas excitavit, prout etiam in Griſonia, Baſileæ, Neocomi &c.

Hæc eum in finem retuli, ut prudens lector videat, quam immerito Proteſtantes nobis objiciant Controverſias noſtras, cum ipſimet iisdem obruantur. Ubi hoc adhuc ingens diſcrimen intercedit; quiscunque vel in uno articulo a profeſſione fidei noſtræ recedit, non amplius noſter eſt: ipſi autem, quamvis in multis diſcordent, maneant tamen fratres, & Unius Corporis Evangelici membra. Hæc eſt unitas ipſorum Eccleſiæ.

Art.

Art. VI.

Causa Udlingenschvvilensis graves lites excitat. Componitur. Papæ epistola. Causa Dotis Monialium.

In annum 1725 incidit *causa Udlingenschwilensis*, quæ Lucernam 178.
cum Episcopo Constantiensi, Nuntio Apostolico, ipsoque adeo summo Pontifice collisit. Res quoad substantiam sic habet.

Udlingenschwilæ, pago in Præfectura Habspurgensi Lucernensis ditionis, Præfectus loci festo Dedicationis templi populo saltandi licentiam dedit, negavit Parochus Andermatt, saltumque publice interdixit.

Causa Udlingenschwil.

Hæc scintilla magnum excitavit incendium. Senatus quippe Lucernensis, jurisdictionem suam læsam ratus, Parochum iterato accersivit, monito etiam de hoc Commissario Episcopali. At Parochus opposita exceptione fori, se scripto excusavit, absque facultate superiorum Ecclesiasticorum comparere se non posse.

Igitur Senatus Parochum, ceu contumacem, deposuit, atque ditione Lucernensi excedere jussit, alio in ejus locum electo, cui tamen confirmatio Ecclesiastica & cura fuit negata. Nuntius & Episcopus Parochum restitui petierunt. Recusavit Senatus. Quare Nuntius, Dominicus Passioneus clam Lucerna excessit, & Altorffium, oppidum nobile in Uraniensi Cantone situm, abiit, scripto relicto, quo immunitatem Ecclesiasticam violatam questus est. Episcopus quoque, factum improbans, scripta ad Senatum epistola jura sua læsa fuisse, opponebat.

Argumenta Senatus.

Respondit Senatus, saltum rem esse mere temporalem, jurisdictioni Senatus subjectam sæpiusque ab eodem, aut a Præfectis locorum permissum, aut negatum. Parochum igitur in jura Senatus involasse: male consultum fore Principi aut liberæ Reipublicæ, cujus potestas in suo territorio non sit minor ac Regia, si refractarium Clericum non posset citare ad audiendum verbum Principis, eumque, in contumacia persistentem, e ditione sua relegare. Usu ac consuetudine, longa traditione a Majoribus accepta, & præsumptione privilegii antiquissimi, se esse munitos. Adhæc Clericum permanere partem civitatis, membrum ipsius, civem Reipublicæ. Immunitatem Ecclesiasticam non esse concessam in ruinam Status publici. Parentem posse Clericum filium immorigerum & inquietum domo expellere, cur non & Respublica refractarium, ne subditi seducantur?

Repositum, privilegium fori toti corpori Ecclesiastico fuisse concessum; Episcopum Clericorum in sua Diœcesi esse Judicem ordinarium: judiciariam ejus in Clericos, & causas Ecclesiasticas potestatem a Christo fuisse institutam, ab Apostolis stabilitam, a sanctis Patribus frequentatam, a summis Pontificibus & Imperatoribus confirmatam. Non negari supremo Principi aut Reipublicæ independenti jurisdictionem etiam in Clericos, in casibus exceptis, videlicet, si committant crimen perduellionis, proditionis patriæ, læsæ Majestatis, in quantum necessarium est ad tuitionem Reipublicæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ exercendam: at hunc casum nequaquam esse talem, sed subjectum jurisdictioni Episcopali. Clericos per sacros ordines eximi a potestate sæculari, ut tanquam rei citari non possint ad tribunal laicum. Eos proin esse cives Reipublicæ, sed exemptos & privilegiatos. Neque exemptionem istam ad ruinam Status politici tendere, exemplo felicissimorum & potentissimorum Imperatorum ac Regum demonstrari. Parochum denique, ab Ecclesia institutum, a Catholico Principe, sine ullo ad potestatem Ecclesiasticam recursu deponi, qui nullo crimine excepto teneatur, rem videri omnino novam.

Parochi.

Causa ad Papam.

Denique negotium ad ipsum summum Pontificem fuit delatum anno 1726, qui ad Lucernates scripsit, cum dolore se intelligere, acta aliqua, paucis instigantibus, fuisse contra debitam sacræ auctoritati venerationem, quæ Ecclesia a filiis non exspectasset, nedum ab ejusdem Defensoribus. Responderunt, nec se nec alium Catholicum Principem teneri, Ecclesiasticum, non solum non confidentem, sed manifeste & obstinate injuriosum, seditiosum, & verba Principis audire respuentem, in ditione sua tolerare: suæ Sanctitatis judicio relinqui, an non in his circumstantiis providendum fuerit, ut alius substituatur, ne populus cultu Divino, & Sacramentorum administratione careat.

Papa quatuor Cardinalibus negotium commisit examinandum, quibus visum, destituendo parochum, & alium substituendo actum contra sacros Canones.

Causa componitur.

Catholici Cantones communi nomine ad Papam scripserunt, petieruntque, ut causa amica compositione finiatur; quod tandem anno 1727 factum. Lucerna judiciales citationis terminos Cancellariæ officialium errori attribuit. Mandatum eligendi novum parochum revocavit, Papa autem concessit, ut parochus Andermatt neque ad parochiam Udlingenschwilensem, nec territorium Lucernense admittatur, novusque cum consensu Episcopi eligatur, cum ex-

exclusione tamen Milleri (qui Andermatto subrogatus fuerat) pro hac vice. Andermattus vero Constantiam abiit, ubi in Collegiata Ecclesia S. Joannis Canonicatu est potitus.

Papa dein paternam & charitate plenam scripsit Epistolam, quam hic subjungendam duxi. Sic habet:

Benedictus Papa XIII
Dilecti filii,
Salutem & Apostolicam Benedictionem!

„ Quod de eximia vestra in nos & hanc S. Sedem observantia nobis pollicebamur, ut nostram videlicet pro vindicanda Ecclesiastica Immunitate sollicitudinem religio & pietas vestra leniret, paternique animi dolorem filialis Lucernensium obedientia prorsus abstergeret, opportune repræsentarunt litteræ vestræ, die 20 mensis Decembris anni 1726 proxime elapsi ad nos datæ, atque a dilecto filio Comite de Julianis nobis redditæ, quas zeli vestri pro Ecclesiastica libertate tuenda testimoniis insignes, & reverentiæ significationibus refertas, studiosissime complexi sumus. Litteræ Papæ.

„ Ingenti enim cum animi voluptate intelleximus, parochum Ecclesiæ Udligenswilensis Leontium an der Matt non vestro jussu, sed inconsiderate ab incautis vestræ Cancellariæ Ministris fuisse ad curiam judicialiter accersitum: mandatum præterea, quo communitati Udligenswilensi indixeratis, ut novum parochialis ejus Ecclesiæ Rectorem eligerent, vos revocasse, adituros venerabilem fratrem Episcopum Constantiensem, ut, quæ ante dictus Leontius perperam gessit, in acta referat & cognoscat, suoque jure irritam nullamque declaret nominationem, a communitate factam presbyteri de Müller, eumque hac sola vice a nominatione excludat.

„ His profecto dilecti filii sapientiæ & obsequii luculentissimis argumentis tanta consolatione repleti sumus, tantoque superabundavimus gaudio, ut nihil nobis ad uberem plenamque lætitiam deesse videatur, quam ut occasiones nanciscamur, re ipsa vobis declarandæ, præclaræ, studiosæ, paternæque voluntatis. Dum autem merito gratulamur confirmatas & auctas vestra vir-

„ tute Lucernensis nominis laudes, quibus Ecclesiasticæ vos liber-
„ tatis Defensores prædicat hæc Sancta Sedes, vobis Dilecti Filii
„ pignus præcipuæ charitatis & Apostolicam Benedictionem pera-
„ manter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 25 Jan. 1727.

Cæterum plura de hac causa ultro citroque scripta fuerunt edita, & inter illa *Lucerna lucens Aletophili ad Aretophilum*, 6 Mart. 1726 edita, & in Gallicum dein versa. Tres in ea quæstiones proponuntur, 1 an ad parochum spectet, die festo saltum permittere, vel prohibere, an vero ad Magistratum sæcularem? 2 an Magistratus possit Clericum ad judicium suum citare. 3 An Magistratus possit Clericum, mandatis non obtemperantem, ditione sua expellere?

Causa dotis Monialium.

Antequam hæc causa agitaretur, Lucernenses interdixerunt, ne ingredientes Monasterium ultra 1100 florenos importarent; quod propter Moniales ordinatum fuit. At interposuit se Nuntius, Immunitatem Ecclesiasticam tali statuto violari questus. Sed & hæc controversia fuit composita, re in pristinum statum reposita, ipso Pontifice id urgente, & legem Senatus irritante.

Cum tempore defectionis Lucernenses plures Sacerdotes in Vallesiam misissent, ut Religio ibidem conservaretur, hoc periculo depulso, impetrarunt a Sede Apostolica, ut fructibus unius Canonicatus Beronensis frui liceret, donec sumptus, in eam rem facti, compensarentur. Istis autem reparatis, Pontifex facultatem eis dedit, singulis decenniis renovandam, ut fructus illos in stipendia pro studiosis Vallesianis possint applicare. Verum anno 1724 sublatis iis stipendiis, Canonicatus ille est restitutus, fructibus uni ex 12 Exspectantibus attributis.

Art. VII.

Capitulare Mediolanenſe cum Rhœtis renovatur. Calviniſtarum inſolentia. Querelæ Epiſcopi Conſtantienſis. Diſputatio de Aſylo. Item Tigurina. Miles glorioſus Peracheri.

Anno 1726 renovatum eſt a Griſonibus *Capitulare Mediolanen-* 179.
e ſeu fœdus cum Imperatore. Erectum illud fuerat cum Rege Hiſpa- Capit. Me-
iæ anno 1639, ratione Ducatus Mediolanenſis defendendi, po- diolan.
tea vero, cum Mediolanum ad Cæſarem eſſet devolutum, cum Cæſare: Acatholici Griſones mutatum illud volebant, quia in eo præſcribitur, ut Vallem Tellinam, Wormii & Clavennæ Comitatus oli incolant Catholici; ſed Catholicorum conſtantia, & Wenſeri jusque ſucceſſoris Riſenfelſii Legati Cæſarei, auctoritate effectum ſt, ut hic etiam articulus maneret inſertus; unde 4000 Calviniſtæ, ui irrepſerant, excedere debuerunt; quamvis poſtea anno 1729 urſus irruperint: prout etiam in ipſam Griſoniam, ubi cum duas erme tertias conſtituant (etſi in Religionis negotiis majora non va- eant) pluribus locis, poſt confectam etiam pacem, ſe violente ntruſerunt, Epiſcopo Curienſi & Catholicis fruſtra ſe opponenti-
us. Contra vero, cum aliqui mercatores Catholici venirent in Religio in
uburbium Curiæ, in quo eſt Eccleſia Cathedralis & Aula Epiſcopi Griſonia.
. R. I. Principis, cum ædibus Canonicorum, Magiſtratus urbis, x integro Acatholicæ, non adquievit, donec dimitterentur.

Anno 1727 obiit Blaſius Bender Abbas ad S. Blaſii, per plures nnos Cæſareus ad Griſones Legatus; cui ſucceſſit Wenſerus, & uic brevi avocato Riſenfelſius, qui tandem effecit, ut Calvini- tæ vi Capitularis ex Valle Tellina, Wormio, & Clavenna emigra- ent, operam etiam jungente Epiſcopo Comenſi, ad cujus Diœ- eſin provinciæ illæ pertinent.

Münſterthalii, loco Baſileenſi Epiſcopo ſubjecto, Bernenſes
n jura Epiſcopi involabant, prætenſo titulo protectionis, qui ta- Münſterthal.
nen vix alius erat, quam quod incolæ a fide Catholica defeciſ- ent. Lis inde orta, acriterque agitata.

Cum Epiſcopi ſoleant certis temporibus ſtatum ſuæ Diœceſis Romæ Congregationi Cardinalium, ad negotia Epiſcoporum deputa- æ, exponere, prodiit libellus hoc titulo: *Relatio concernens ſtatum modernum Epiſcopatus Conſtantienſis, provinciæ Moguntinæ, nomine Joan- nis*

nis Francisci &c. in visitatione sacrorum liminum, suo ordine ac loco humil lime offerenda pro anno 1712. *Romæ typis Josephi Nicolai de Martiis, su periorum consensu.*

In hac relatione, in quantum ad Helvetos spectat, conqueritu Episcopus, jurisdictionem suam sæpe turbari, non tantum in tempo ralibus sed etiam spiritualibus: in pluribus locis parochum singuli annis a communitate, suis nempe parochianis, debere petere, ut i parochia quasi confirmetur, quo impediantur animarum pastores ne delicta illorum libere audeant reprehendere: ad pias causas no posse plus applicari, quam Magistratus concedat: causam debitorum quæ ab Ecclesiasticis contrahuntur, ad tribunalia sæcularia trahi: Be neficia Ecclesiastica plus offerentibus obtingere, atque hinc Simo niæ pravitatem passim invaluisse: Jura Episcopalia, cathedraticum subsidium charitativum, quartam Decimalem, primos fructus, no agnosci: sacros Canones, Concilium Tridentinum, non aliter re cipi, nisi in quantum prætensis suis libertatibus non obstet.

Querelæ Episcopi Constantiensis.

Placet subjungere aliqua magis particularia. Anno 1702 Placi dus Abbas Murensis, ex nobili Zurlaubiorum Tugii familia natus opera & studio Trautmannsdorffii, Cæsarei ad Helvetos Legati, ul tro oblato, creatus est ab Imperatore S. R. I. Princeps, haud æqu animo Helvetis id ferentibus. Et fuit Placidus vir magnus, qui diu turno felicique regimine Cœnobium Murense a Domo Austriac fundatum dotatumque, ad summum splendorem perduxit, atqu coemptis in Helvetia, & Suevia bonis locupletavit, Geraldo suc cessore vitæ sanctimonia ejus vestigiis religiosissime insistente.

Abbas Murensis S. R. I. Princeps.

1705 ex Studiosis quispiam, Civis Lucernensis filius, in cau pona famulam cellariam cultro confoderat. Fugit in Collegium S. J quod 40 armatis obsidetur. Reposcitur. Opponitur privilegium asyli. Disputatur, an sit homicidium proditorium. Ad Episcopum pertinere decisionem, & sine ejus consensu reum non posse extradi, contendit Collegium. Interea vero reus in turrim veteris hospita lis contigui evadit, ibique deprehensus debita pœna afficitur.

Studiosi homicidæ causa.

Habita fuit Tugii sacra Missio a PP. Fontana & Mariana S. J. Italis, per interpretem prædicantibus innumera hominum multitudi ne concurrente; & dein etiam in aliis Helvetiæ & Vallesiæ locis: prout etiam ab aliis in Valle Tellina.

Missio.

1717 Joannes Baptista Dillier, Sarnensis, dimissus e Societate nostra, libellum edidit, quod *Horologium Arithmetico-Morale* appel lavit; quo vaticinans proximum Protestantici erroris interitum, Aca tholicis deridendi se tanquam falsum prophetam occasionem præbuit.

Dillier.

1718

1718 Tigurini alterum fidei suæ sæculum solenniter celebrarunt, tque ad disputationem, quam Præside Joanne Jacobo Hottingero, heologiæ Professore, & Respondente Lavatero, instituebant, extreos tiam invitarunt. Quo audito, Josephus Sonnenbergius S. J. clancurio litterarum commercio cum Tigurinis se ad disputandum obtulit. Qua occasione Peracherus *Militem* suum *gloriosum* edidit, libellum ifamem, dignum propudioso Apostata. Disp. Tigurina.

1723 Subsilvania Stantii & Sarnæ publice ad rogum condemnait libellum auctoris, qui Dissertationes Menstruas scripsit, tanuam injurium sanctæ antiquæ Religioni Catholicæ; & Beato Nicoo de Rupe. Tigurini contra combusserunt Catechismum, Rosaci ditum.

1724 Kellerus, Ordinis sacri Apostata, Tigurum fugit, comune ejusmodi hominum receptaculum, scripsitque *Nemesin Romano-Catholicam, examinatam & exanimatam.* Sed infelix Scriptor in acum se immersit & suffocavit.

Art. VIII.

Fœdus Aureum renovatum cum Vallesianis. Waldenses recepti a Protest. in Helvetia. Seditio Genevensis. Episcopi Basileensis fœdus cum Gallia.

Anno 1728 L. B. de Federspiel, S. R. I. Principe & Episcopo Curiensi defuncto, a Capitulo electus est Josephus Benedictus L. B. de Rost, murmurantibus licet Grisonibus, eo quod esset exterus; nec modicas deinceps, urbs præsertim Curiensis Calviniana, ei molestias facessebant. 180.

Deputati Episcopi Constantiensis super variis controversiis Diessenhofii transactionem inierunt cum Bernensibus & Tigurinis, qui Episcopo cesserunt Arburgum & Episcopi Cellam, quas a pace Aravienensi communiter possiderant, salva tamen religione, Calvinistice reformata.

Vi Capitulationis e Valle Telina ejiciendi erant omnes Calvinistæ. Plures ex his Clavennam migrarunt, ubi Catholici multa propterea passi sunt. Cum erroris contagium in Occitaniæ & Sevennæ provinciis adhuc serperet, omnes Calvini asseclæ Edicto Regio rursum jussi sunt emigrare.

Valle-

Fœdus Aureum.

Valleſiani cum Cantonibus Catholicis *Fœdus Aureum*, anno 1533 erectum, renovarunt. Cæſareus Legatus in Helvetia erat Rieſenfelſius, Gallicus Bonacus, Hiſpanus Cornecus. (*anno* 1728) Anno ſequenti Curiæ in Rhœtia cives contra Senatum inſurgebant, ex ſpiritu Calvini turbulento.

Waldenſes recepti.

Rex Boruſſiæ cum Cantonibus Acatholicis & Geneva conſilium iniit, quomodo conſulendum expulſis a Rege Sardiniæ Waldenſibus. Perfugæ in eorum urbibus & provinciis diſtributi: miſſæ interceſſiones &c. An Catholici tanto fervore pro alienis ſubditis forent?

1731 Wenſero, Cæſareo apud Griſones Miniſtro ſucceſſit Comes *Wolckenſteinius*. Anno ſequenti Bonacus Chriſtianiſſimi Regis ad Helvetos Legatus cum tota Republica Helvetica fœdus renovare conabatur, ſed multas oppoſitiones apud Acatholicos invenit.

Epiſcopo Baſileenſi non parum moleſtiæ inferebant contumaces ſubditi, præſertim *Libromontani*, qui ad Tiguros & Bernates recurrerunt; Princeps vero ad Imperatorem, qui Reichenſteinium miſit, ut cauſam examinet & componat.

Anno 1733 orto inter Cæſarem & Gallum bello, multi in Helvetia aſylum invenerunt, præſertim Baſileæ, quo urbes Sylveſtres & Marchio Durlacenſis confugerant. Quantum autem Franciæ Legatus Muraltus fœderis renovationem urgebat, tantum Cæſareus, Marchio de Prie, obſiſtebat, cui conceſſum eſt, ut duas Legiones Helvetas conſcriberet, quæ Friburgum, Conſtantiam, & urbes Sylvaticas defenderent.

Turbæ Genevenſes.

Anno 1734 Genevæ cives, armis correptis, adverſus Senatum inſurgebant, quod ad muniendam magis civitatem nova tributa impoſuiſſet. Exarſiſſet haud dubie acrius bellum civile, niſi Tigurini & Bernenſes Legati interveniſſent, & flammam reſtinxiſſent. Liberis civium ſuffragiis decretum in decennium pro munitionibus ſubſidium; interdictum vero Senatui, (ex illo ſex gradu dejectis) ne absque conſenſu civitatis extraordinaria tributa imponeret.

Baſileenſes.

Anno 1736 lis inter piſcatores Baſileenſes & Hüningenſes usque ad rixas & cædes exarſit. Gallia Suntgoiis & Alſatis omni cum Baſileenſibus commercio interdixit. Et timebantur majora. Sed interceſſerunt Cantones reliqui. Conſul Frey, qui turbas impedire debuiſſet, Pariſios deprecatum miſſus, interveniente Angliæ Miniſtro veniam impetravit.

1737 Ve-

1737 Vehementior Genevæ tumultus recruduit. Quatuor cives Syndicum probro exceperant. Comprehenſi & in cuſtodiam ducti ſunt. Irritati cives, arreptis armis, inſurgunt; cumque plures eorum a milite præſidiario necarentur, adverſus ipſam curiam, minarum pleni, procedebant. Tanto furori compeſcendo impares erant Tigurini & Bernenſes Legati. Implorata igitur a Senatu Francia, miſit Marchionem Lautrechium. Sed durior erat cervix, quam ut ſtatim flecti pôſſet. In annum ſequentem protracta contentio. Tandem a conciliatoribus propoſita tranſactio placuit.

Magiſtratus, qui conſtat ex 15 intimis, 60 mediis, & 200 magni Conſilii Senatoribus, confirmatur in ſuis juribus & ſtatu, quem fundamentales hujus Reipublicæ leges requirunt. Sine conſenſu generalis Conſilii (quod trinum prædictum Senatorum ordinem complectitur) contributiones ne imponantur. Munitionum ſumptus ad annum usque 1750 continuentur. Ut omnes ſciant civitatis leges, conficiatur codex, quo omnes comprehendantur. Eidem Codici omnia publica Edicta & Ordinationes inſcribantur; Præſidium civitatis conſtet 720 capitibus. Hujus conventionis conciliatores erant ſponſores ſuorum Principalium nomine. Cuſum in rei memoriam numiſma, in quo viſebatur ara, flammis accenſa, conſiſtentibus a lateribus Juſtitia & Pace, jacente Diſcordia, cum lemmate ſubſcripto: *Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt*: ex altera parte vero oliva cum inſcriptione: *Diſſidia Genevæ compoſita bonis officiis & arbitrio Ludovici XV Regis Francorum.* Turbæ Genevæ compoſitæ.

Acta hæc ſunt anno 1728, quo Solodorum venit *Courtevillius*, Legatus Franciæ, Lucernam vero Marchio d'Iſtia nomine Regis utriusque Siciliæ.

Cum Epiſcopus Baſileenſis per 5 jam annos cum ſubditis ſuis contendiſſet, nec Helvetorum opera aut Imperii diſſidia eſſent compoſita, Princeps anno 1739 cum Gallia fœdus pepigit: quo illa ad compeſcendos ſubditos auxilia promittit, libertatem vero Rauracis in Gallia, qua Helveti fruuntur. Epiſcopus autem promittit, ſe ingruente bello neutras partes ſecuturum; ſimulque Gallis dat poteſtatem in Rauracia conducendi militem. Ægris auribus audita eſt in Imperio hæc unio, præſertim, quod cauſa Epiſcopi & ſubditorum Viennæ in Judicio Aulico penderet. Epiſcopi Baſil. fœdus cum Gallia.

Anno 1740 600 Galli in Rauraciam & Bruntrutum, fedem hodie Principis, Duce Broglio, Marefchalli filio, immigrarunt, qui contumaciam frangerent. Inquifitum in auctores turbarum. Alii timore perculfi ad obedientiam redierunt.

Helveti negant tranfitum.

Orto dein bello propter fucceffionem Auftriacam, Helveti, Vallefii, & Grifones, quamvis ab utraque parte follicitati, ut copias præberent, neutri tamen concefferunt; fed pro uno, ut ajunt, viro fe ftaturos, declararunt, fi aut Hifpani, qui Sabaudiam, & Lacum Genevenfem oberrabant, viam in Italiam per Vallefiam, aut Princeps Carolus Auftriacis per Bafileam in Alfatiam quæreret.

Urbes Sylveftres.

Anno 1744 Marchio de Prie Minifter Auftriacus nomine Reginæ apud Rempublicam queftus eft, quod fe non oppofuiffet Gallis, urbes Sylvaticas invadentibus, prout tamen debuiffent, vigore Unionis perpetuæ, anno 1511 cum Maximiliano I Imperatore initæ. Sed refponderunt Helvetii, illam Unionem poft mortem Caroli VI non amplius fubfiftere; aut potius cum Carolo VII Imperatore continuandam fore, qui per Comitem Frobergium eis neutralitatem obtuliffet.

Rheinavii in Abbatem electus eft P. Bernardus Rufconi Lucernenfis.

Helv. neutrales.

Anno 1745 Marchio Prieus negotium de civitatibus Sylveftribus vi fœderis defendendis urgere perrexit, queftus infuper de negata Brigantinis emptione alimentorum in Valle Rhenana, atque impedita navigatione in Lacu Acronio. Curtelius vero Legatus Gallicus vehementer hortabatur, ut in fua neutralitate perfifterent Cantones; qui Badenæ congregati hoc ipfum ftatuerunt. Secuti funt exemplum Grifones; quamvis Comes Welfpergius, Minifter Auftriacus, & Salifius Anglicus, omni ope conniterentur, eos in partes Reginæ Hungariæ pertrahere.

Anno 1747 venit ex Hollandia Bernam Harenius, qui a Proteftantibus Cantonibus depofcebat 12000 virorum, vi fœderis defenfivi, anno 1712 percuffi, Batavis, ut dicebat, debitorum. Verum Gallia, & pluribus Cantonibus, qui perfectam neutralitatem Reipublicæ utiliffimam exiftimabant, reluctantibus nihil evicit. Cenfebant videlicet prudentes, viam mediam, prout fert fitus locorum,

locorum, inter Domum Austriacam & Borboniam, rebus suis esse tutissimam.

Anno 1748 Solodorum venit novus Regis Christianissimi Legatus ad Helvetiæ Ordines Renatus Paumius D'Argenson. Bernæ feliciter detecta est conjuratio quorundam turbulentorum civium contra Senatum, quem putabant libertati suæ nimium detrahere, & alios cives, quamvis dignos, a muneribus publicis excludere.

Anno 1751 Dux Sabaudiæ fœdus Lucernæ renovavit cum Cantonibus Catholicis, ad defensionem mutuam.

Helveti in Italia, ut suo loco diximus, possident quatuor Præfecturas, Luganum, Lucarnum, Mendrisium, & Malvasiam, quas anno 1512 in compensationem, quod Maximilianum Sfortia Ducatui Mediolanensi restituissent, acceperunt. Querebantur anno 1752 Helveti, quod Mediolanenses fines violarent. Sed congressu habito lis fuit amice decisa.

Anno 1753 Chavignius, novus Galliæ Legatus, Solodorum venit, invitatisque Reipublicæ Deputatis legationis suæ fidem fecit. Sicut etiam anno sequenti Nuntiorum Apost. mutatio est suscepta; nam Acciajuolio ad Legationem Lusitanicam digresso suffectus est primum Hieronymus Spinola, Nuntiatura Coloniensi perfunctus, sed eo mox ad Legationem Hispanicam avocato, designatus est Octavius Buffalini, Archiep. Chalcedonensis, qui tamen primum anno sequenti Lucernam venit.

Berna anno 1755 novum Senatorem accepit, Christophorum Dohna, Belliducem Borussicum; quod ejus Familia jam dudum jus civitatis ibidem obtinuisset. Quamvis autem Helvetia bello ultimo neutras partes sequeretur, suis magis juribus & dominiis conservandis intenta, quam alienis conquirendis, Berna tamen anno 1760 se armavit, in quem finem, non constat.

CAPUT X.
De Statu Lotharingiæ
SÆCULO XVIII.

Art. I.

Lotharingia ante mutationem.

181. Post pacem Ultrajectensem Jacobus Stuartus in Lotharingiam ex Gallia discessit. Negatus propterea Londini accessus ad Aulam Legato Lotharingico. At Dux se excusavit, quod privare eum non possit jure gentium.

Anno 1715 Leopoldus Josephus Dux duos fratres amisit, Carolum Josephum Electorem Trevirensem, & Franciscum Josephum Abbatem Stabulensem & Malmedensem. Uterque variolis obiit.
Renovatio feud. 1718 totum Lunevillensis Aulæ ædificium in cineres abiit, 60 personis combustis, & trium millionum damno. 1719 Dux coram throno Cæsareo homagium præstitit, & feuda a Romano Imperio dependentia, renovavit; ubi illi titulus *Regiæ Celsitudinis* in Diplomate est attributus; prout etiam factum priore anno in Gallia, dum Parisiis cum conjuge, Regentis sorore, versaretur. Emit a Duce Mammorancio Comitatum Lignii, quem cum Barri Ducatu univit.

Teschen. 1722 Imperator Duci pro suis in Ducatum Monferratensem prætensionibus Ducatum Teschensem in Silesia attribuit. Anno sequenti obiit Leopoldus Ducis Princeps hæreditarius 16 ætatis anno, magno non Patris modo dolore, sed Aulæ etiam Viennensis, in
Obit Leop. qua ad magnas spes educabatur; sed temperavit luctum Franciscus Stephanus, in fratris defuncti locum suffectus, & Viennæ deinceps in spes summas, Moderatore Cobenzlio, educatus, 15 tunc annorum Princeps, omnibus naturæ & gratiæ donis ornatissimus.

Dux autem regnans, Pater Francisci, duobus Comitatibus Domum suam auxit, *Dachstulensi*, quem quadringentis florenorum millibus emit a Comite Oetingano-Balderensi; (sed hæc emptio postea fuit rescissa) & *Falckensteinio*, cum Comite Manderscheidio controverso, quem Consilium Aulicum Viennense ipsi adjudicavit, allo-

allodialibus bonis Domui Manderscheidiæ relictis. Litem etiam Dux movit Electori Palatino propter jus Wildfangiatus.

Ex Domo Lotharingica obiit hoc anno 1723 Carolus Henricus Princeps Valdemontius, Caroli III Ducis filius naturalis, ætatis 74, qui partes Domus Borbonicæ secutus, pro Philippo V sub initium hujus seculi fuit Gubernator Mediolani. Filius vero ejus, Carolus Thomas, Cæsari militans, jam anno 1704 in Italia ad Ostiliam occubuit. Tota autem Valdemontia hæreditas, cum deficeret successio, ad Lotharingicam regnatricem Domum est devoluta. Vaudemont.

Anno 1729 obiit Leopoldus Josephus Carolus Dux Lotharingiæ, ætatis 50, Eques Aurei Velleris, anno 1679 per pacem Risvicensem restitutus; cum Lotharingia per annos 28 in manibus Gallorum antea hæsisset. Pro sua in Mantuam & Montem Ferratum prætensione accepit a Cæsare Ducatum Teschensem sub feudali nexu. Conjugem habuit Elisabetham, Philippi I Ducis Aurelianensis filiam natu minimam, atque ex ea genuit, præter complures alios liberos, jam defunctos, Franciscum Stephanum, Augustissimum Modernum Imperatorem, & Carolum Alexandrum, Magnum Teutonici Ordinis Magistrum, & Gubernatorem Belgii, cum Anna Carolina. Obit Leop. Jos. Dux. Liberi.

Anno 1730 Dux regnans Franciscus Stephanus Parisios profectus, Investituram in Barri Ducatum a Rege accepit. Inde redux Lotharingiam suam in optimum ordinem disposuit; atque Duci Bipontino Investituram contulit in iis feudis, quæ a Lotharingia dependent. A Cæsare vero petiit renovari feudum Mussipontanum, Nomenense, Blamontanum, Falckensteinense, Clermontanum, Salmense, Phalzburgense, Saarwerdense, pluraque alia. Succedit Franc. Stephanus.

Anno 1731 lustratis Aulis, Bruxellensi, & Anglicana, Nancei Academiam Equestrem erexit pro Nobilitate Lotharingica, ut bonis artibus, & equestribus exercitiis imbuatur.

Postquam Dux 1732 Viennam rediit, 1733 orto bello Polonico Galli Lotharingiam occuparunt. 1735 in Præliminaribus pacis conventum, ut Dux Lotharingiam retineat usque ad mortem Magni Ducis Florentiæ, Stanislao vero Regi quamprimum Ducatus Barrensis tradatur, proventus vero Duci compensentur. 182.

At vero Galli post præliminares istas pactiones urgebant, ut uterque Ducatus, Lotharingicus videlicet & Barrensis non primum post mortem Ducis Florentini, sed statim Stanislao Regi tradatur, Duci autem Lotharingiæ interim quot annis tres librarum Gallicarum milliones a Francis persolverentur. Lotharingiæ cum Florentia permutatio.

Anno sequenti, postquam Dux Lotharingiæ optimam partem elegit, atque Mariam Theresiam Archiducem nuptiali sibi fœdere conjunxit, conventio nova Imperatorem inter & Galliam fuit inita, 17 articulis comprehensa.

1. Quamprimum Cæsar & Imperium in possessionem eorum, quæ vi Præliminarium ei fuerunt addicta, venerit, præsidium Hispanicum ex munitis Florentiæ urbibus abscesserit, & permutatio, a Rege utriusque Siciliæ, & ejus patre Hispaniæ Rege fuerit ratificata, præter Barri etiam Lotharingiæ Ducatus Regi Stanislao cedetur.

2. Post mortem autem Stanislai hi Ducatus coronæ Gallicæ incorporentur.

4. Gallia spondet Duci Francisco Stephano eventualem successionem in Magno Ducatu Florentino.

5. Utraque Majestas procurabit sponsionem eorum Principum, qui in pace Risvicensi pro Lotharingia caverunt.

6. Domus Lotharingica retinet titulos, insignia, & prærogativas, sicut hactenus, in cessum tamen Ducatum jus nullum habeat.

7. Gallia solvet Duci usque ad mortem Gastonis 4 milliones cum 500000 librarum annuatim. Recipit etiam in se debita Ducatus, quæ ascenderunt ultra 8 milliones librarum.

8. 9. 10. Continetur dos viduæ matris: item Carolo Principi, ejusque sororibus præstanda a Gallis, donec Dux in plenam ac liberam possessionem Thusciæ veniat.

11. 12. 13. Dux Vidua Lunevillæ plena libertate fruatur. Duci Francisco ceduntur omnia bona mobilia. Lotharingia nomen suum semper retineat, & specialis sit provincia.

Conditiones. 14. Fundationes, sententiæ latæ, decreta, immunitates & privilegia Ecclesiarum, Nobilitatis & tertii status, atque nominatim Universitatis Mussipontanæ, inconcussa perpetuo maneant.

15. Omnes Officiales & famuli Domus Lotharingicæ retineant pristinas libertates, exemptiones & privilegia: atque nec ipsi subjecti sint Juri *Albinagii*, seu juri Principis in hæreditatem peregrinorum, quod alias in Gallia viget.

16. Lit-

16. Litteræ, documenta, & instrumenta utriusque Ducatus
Regi Stanislao tradantur, exceptis iis, quæ personas & Familiam
Ducalem concernunt, uti sunt pacta dotalia, testamenta &c. eorum autem, quæ sunt communia, utrique parti copiæ dentur.

17. Hæc acta conventioni generali inserantur, & intra mensem mutuo commutentur.

Actum Viennæ 28 *Aug.* 1736.

Dux ipse etiam his actis subscripsit, contestatus, quamvis difficillimum sibi accidat, avitam ac paternam hæreditatem suæ Domus fidosque suos subditos derelinquere, se tamen ex veneratione Utriusque Majestatis, & amore pacis, in Europa conservandæ, in præliminaria & conventionem consentire.

Art. II.

Lotharingia post mutationem sub Stanislao Rege.

Anno 1737 Lotharingiæ & Barri Ducatus Regi Stanislao fuerunt traditi. Is igitur, Versaliis Lunevillam profectus, capta possessione, summa mansuetudine & moderatione Regimen orsus est, ut Lotharingi eo facilius pristinos suos Dominos, multo gratissimos, obliviscerentur, & amorem in se transferrent. Quapropter Aulam suam ex Lotharingis potissimum constituit; non tamen oblitus Polonicæ suæ gentis, ex qua eminet Comes *Ossolinski*, Thesaurarius ante Coronæ Polonicæ, utriusque fortunæ socius & comes individuus; quem ditione Lignya donatum supremum Aulæ Præfectum constituit, qui tamen anno sequenti obiit. Academiam insuper pro nobili juventute Lotharingica & Polonica perfecit.

183. Stanislaus in possessionem. Ossolinski obitus. Acad. Nobil.

Anno 1738 Princeps pientissimus sceptrum & coronam Reginæ Cœlorum publice in templo obtulit; salutato prius Versaliis Genero. Aliquot autem legiones Gallicanæ in provinciam venerant, quarum Ductores diligenter Aulam invisebant.

Anno 1739 Rex Stanislaus, saluti etiam æternæ subditorum suorum ut consuleret, sacras Missiones per Lotharingiam fundavit, ac ad eas Patres Societatis Jesu selegit, qui rudes doctrina fidei & morum imbuerent, atque peccatores in semitam vitæ Christianæ reducerent. Octo autem personas ad sanctum hoc opus destinavit, quæ provincias obeuntes munere suo Apostolico fungerentur.

Sacræ Missiones.

Anno

Anno 1740 Bitſio munimenta, per pacem Badenſem detracta fuerunt reſtituta. 1743 Rex Stanislaus poſt prælium Dettingenſe non amplius Lunevillæ, ordinaria ſua Sede, ſecurum ſe eſſe ratus Nancejum conceſſit; cum famoſus Menzelius cum volatili manu in Lotharingiam irrupiſſet, prædasque ageret.

Sequenti vero anno, cum Auſtriaci in Alſatiam irrupiſſent etiam Nanceio relicto, Metas primum, dein Meudonem, in Galliam ſe recepit. Rex autem Ludovicus, poſtquam Metas pervenerat periculoſa febri correptus, ab 8 Aug. ad 22 decubuit, morientium ſacramentis jam proviſus. Sed placuit Deo, Ludovicum *multum Amatum* Franciæ ſuæ, totique Eccleſiæ diutius conſervare. Accurrit cum Delphino & Regia Familia Regina Conjux. 23 Aug. jam ita convaluerat, ut Schmettavium Boruſſicum, & Wachtendonckium Palatinum Miniſtrum ad alloquium potuerit admittere.

Rex Lud. Metis.

Digreſſo ex Alſatia hoſte, Rex Stanislaus Lunevillam rediit ubi poſtquam ad Socerum Gener inviſit, hic 2 Oct. Sarburgo, & Tabernis Argentinam venit. In Briſgoviam inde delatus, expugnato Friburgo, Verſalias reverſus eſt.

Obiit Commercii, Vitalitio ſuo, Eliſabetha Aurelianenſis Magni Hetruriæ Ducis Mater æt. 68. Principatus autem ad Lotharingiæ Ducatum rediit.

Obit mater Ducis.

Anno 1747 ad vitam æternam tranſiit Catharina, Stanislai Regis Conjux, Henrici Opalinski Poſnaniæ Caſtellani filia, æt 67. Vidit adhuc Nepotem, Delphinum Franciæ, cum Saxonica Principe conjunctum.

Stanislaus autem Rex bonarum artium uti gnarus, ita æſtimator æquiſſimus, Nancæi præter Academiam Nobilium, Societatem litteratorum, cum inſigni Bibliotheca erexit, tantaque ſuavitate, amore & moderatione ſubditos ſuos regit, ut Regis clementiſſimi ac beneficentiſſimi nomen ſit ſortitus.

Anno 1749 viſitato Rege genero, Commercium in Ducatu Barrenſi receſſit, ibique arcem reparari juſſit. Venit eo cum familia ſua Princeps *Craon*, qui Florentiæ hactenus erat Præfectus. Anno ſequenti, facto rurſus Lutetiam itinere, Lunevillam rediit.

Prout ſingulis ferme annis, ita etiam 1752 inviſit ad Regem generum, Reginam filiam, Delphinum nepotem, neptes, pronepotem, Ducem Burgundiæ, licet jam 76 annum ætatis ageret. Anno ſequenti novum pronepotem nactus eſt, Ducem Andegavenſem, & anno 1754 Bituricenſem. Ad utrumque inviſit, ſequenti vero arcem ſuam Regiam Lunevillæ incendio conflagrare vidit, eamque rurſus conſtruxit, per longævam ſuam vitam (quod magnarum mentium eſt) utramque fortunam pari animo ferre doctus.

CAPUT

CAPUT XI.

Status Hungariæ SÆCULO XVIII.

§. I.

Novi civilis belli initia.

Ineunte Sæculo XVIII nova, eaque graviſſima, rebellio pæne to- 184.
tam Hungariam corripuit. Auctor illius præcipuus Franciſcus Novum
Leopoldus *Ragocius*, nepos Georgii Ragozii, qui dum contra Ke- Hung. bel-
minium de Tranſylvaniæ Principatu contenderet, 1660 ad Claudio- lum.
polim a Turcis prælio victus interiit: filius vero Franciſci Ragozii,
qui matris Bathoriæ cura a Zrinii & Nadaſti conſpiratione abſtractus, Auctore
privatam deinceps vitam egit. Hujus vidua Zrinia (Töckelio dein Ragozio.
nupta) ſe cum filio (de quo loquimur) Franciſco Leopoldo Ragozio 1688 cum Mongatſina arce Cæſareis dedidit. Hic liberalibus diſciplinis probe imbutus, conjugem ſibi aſcivit Haſſo-Rhenofelſenſem, Principis Imperii titulum incaſſum a Cæſare precatus.

Non deerant, qui hominem, ſe ipſo non malum, repulſæ dolore, & objectis Majorum imaginibus, in ſpes magnas accenderent, Cauſæ.
hosque inter *Berezenius* comprimis, implacabili Germanorum odio inflammatus.

Utebatur Ragozius familiariter domi ſuæ Longevallio Procenturione Lotharingo. Hunc Pariſios ablegat, datis ad Regem litteris, quibus Procerum populique Hungarici pronam voluntatem jugum Auſtriacum abjiciendi ſignificat, petitque, militem & pecuniam ſubmitti. Nationem eo reſpicere, ut regnum formam, Polonico ſimilem, induat, aut potius, ut Hungaria & Polonia in unum regnum coaleſcant, quo potentius hinc Auſtriacis, inde Turcis reſiſti poſſit.

Longevallius hanc epiſtolam recta Viennam ad Cæſaream Aulam defert: diſſimulare juſſus, reſponſumque referre, Pariſios ad Regem abiit. Generalia duntaxat promiſſa Viennam primum, ad Ragozium dein cum retuliſſet, cum novis mandatis, admonito clam Cæſare, Lutetiam proficiſcitnr.

Captivus in carcerem Neostad. ducitur, cum sociis.

Ne autem malum ulterius serpat, per Solarium Comitem Ragozius cum Syrmaio & Vayo comprehensus, Neostadiensem in arcem captivus abducitur, Berezenio celeri fuga in Poloniam evadente.

Evadit.

Ragozius proprio chyrographo se convictum videns, Lechmannum centurionem, custodiæ Præfectum, promissis corrumpit, ut adeo hic, excubitore alio misso, fugæ occasionem faceret. Ragozius itaque gregarii veste indutus, saccoque onustus, vigilias cæteras innoxius pertransiit, paratoque equo exceptus avolavit.

In Poloniam ad Berezenium.

Centurio, diffractas fenestræ crates, funemque in vallum pendulum monstrans, hac, ait, evasit, simulque fugitivum persequi properat. Verum turbida fronte perfidiæ indicium præferens, sistere gradum, gladiumque ponere jussus, quæstione habita, quatuor in partes distractus est. Ragozius vero in Poloniam ad Berezenium fugit, atque cum eo nova perdendæ patriæ consilia excoxit. (1701.)

His occasionem præbuit Cæsarearum legionum ex Hungaria ad bellum Bavaricum & Italicum deductio, indeque oblata genti, a Germanico dominatu perpetuo alienæ, & per tributorum magnitudinem tunc non leviter irritatæ, plena turbandi facultas.

Inermis Hungaria.

Seditionis occasio.

Quippe Leopoldus Cæsar, contra ac Erdædius, ærarii Præses, aliique, quibus integra fides, Hungariæ Proceres suaserant, flagrante undique bello, necessitate ac magni fœderis respectu motus, deductis copiis, inermem prope Hungariam reliquit. Nec de tributorum gravitate quidquam remissum, sed in tantis necessitatibus majora insuper fuerunt imperata. Post pacem Carlovicensem plura propugnacula fuerant dejecta, tum ut militi ac sumptibus parceretur, tum ut majoris momenti urbibus prospici melius possit. Factum autem, ut ne his quidem de præsidio, annona, & bellico apparatu satis esset provisum, unaque in campo Montecuculi cataphracta legio superesset. His fontibus, dictu incredibile, quanta procella & veluti diluvium totum regnum inundaverit.

A duobus grassatoribus initium.

A tenuibus principiis orta tempestas. Duo grassatores, *Kisius* & *Etseus*, cum anno 1703 magni ad Italicum & Boicum bellum delectus fierent, latronum sibi gregem adjunxerunt. Mittunt e tribu sua duos Legatos in Poloniam ad Ragozium, eique obsequia sua deferunt. Laudantur tanquam primi liberatores servientis patriæ; jubentur, quot possent, conspirationi suæ delectuum specie aggregare: arma, vexilla, publicas litteras a Ragozio submissum iri.

Jam-

Jamque multitudo tumultuantium convenerat, quos *Karolyus* Comes, submissis a Nigrellio, superioris Hungariæ Gubernatore, copiis fudit, cæsis eorum centum septuaginta; Etseum jam e rustico Tribunum cum aliis, cæteros in sylvas dispergit.

Venit interea exeunte Junio (1703) ex Polonia Ragozius, atque ad Mogatsinum, castrum olim suum, duo grassatorum millia invenit. Missis circum litteris, tyrannidem Germanicam, veterem gentis gloriam, servitutis dedecus, recuperandæ libertatis opportunitatem extollit: sollicitat, promittit, minatur. Jungit se illis Ragozius, & Berezenius.

Mirum dictu: torrentis instar rapidi ad eum superior Hungaria omnis devolvitur. Tokaino ad Danubium usque, indeque ad Transylvaniæ fines Germanica præsidia omnia obsidentur: qua vi, qua proditione capiuntur: Karolyus, & Csakius, seu fidelitatis gratiam opinione minorem retulerant, seu populari turbine abrepti, seu fundorum vastatione in desperationem acti, ad Ragozium & Berezenium deficiunt, factionique se Duces præbent. Defectio Hung. super.

Ragozio in superiore Hungaria jam dominante, Berezenius Inferiorem incendiorum, populationum, suppliciorum terrore, vi, dolo, ad defectionem compellit: ut adeo anno 1704 tanta fuerit Hungariæ ruina, perduellionis æstus tam incitatus ardensque, ut multis simul locis bellum erumpens, momentoque hac illac transvolans, e duobus & septuaginta Comitatibus nullum prope intactum relinqueret: indeque ab Austriæ finibus ad Valachiæ Moldaviæque limites perpetuum quoddam incendium flagraret. Universale incendium.

Neque Hungariæ finibus se continebat furor, sed Berezenio ductore, in Moraviam & Austriæ fines irrumpens, tanto omnes terrore concussit, ut incolæ passim diffugerent, & Viennæ velut ab obsidione Turcica trepidaretur, præsertim cum simul nuntiaretur, ex altera parte a Gallo-Bavarico exercitu Passavium jam esse captum. Quapropter, ut incendiorum metu liberarentur Viennæ Suburbia, undique aperta, Eugenii Principis consilio, amplissimo circum ambitu sunt cincta aggeribus, quos hodie ad justæ propemodum munitionis formam, ad securitatem splendoremque regiæ urbis, atque vectigalium augmentum, muro lateritio convestitos cernimus. In Moraviam & Austriam effusum.

Et sane necessarium illud sepimentum fuit, cum perduelles incendiarii usque ad Viennæ Suburbia grassarentur, ipsis adeo Cæsaris hortis, una ab urbe leuca distantibus, incendio deformatis.

Triſtes ſimul ferebantur nuntii, Papenſes, Veſprinienſes, Bathiani Huſſaros una defeciſſe: Karolyum cum viginti millibus Neoſtadium tendere: Ozkayum Sopronii oppidum extimum cepiſſe: Budam arcte obſideri: Inſulam Schüttam, & Comaromium proxima deditioni: Quinque Eccleſias eſſe direptas, Ariam captam.

Dum hunc in modum, vel ſæviente bruma, ſurſum deorſum verſaretur Hungaria, Eugenius Princeps Poſonium profectus, per fidos homines Berezenio, qui Ragozii regnique erat potens, pacem obtulit. At ille typho elatus omnes conditiones rejecit. Quare Eugenius per Palfyum & Forgatſium Comites Regni Coronam ex Poſonienſis arcis turri Viennam deportavit.

Pacem oblatam reſpuunt.

Cum igitur ſpes nulla pacis ſupereſſet, Heiſterus, ab obſidione Kueffſteinii avocatus, in Hungariam mittitur. Ardua ſane erat provincia: legiones paucæ; hoſtis nullo loco conſiſtens: Hungaria in ejus manibus: obſidiones circumferre lentum & difficile: urbibus captis nullus præſidio imponendus miles: domita provincia terrore abſterſo in priſtinam perduellionem relapſura: Schlickius, & Palfyus ob copiarum paucitatem tantæ procellæ jam ante impares.

Heiſterus in Hungariam cum 5000.

Verum *Heiſterus* cum quinque millibus, (modico ſane pro tanta mole ſubſidio) in Hungariam profectus, multos dedititios recepit, multos vi ad obſequium redegit, Karolyo præſertim ad Albam Regalem profligato. Conſilium autem dedit, ut dedititii Comitatus exarmentur, ne terrore remoto, ut facere conſueverant, tam facile ad ingenium redeant; ſed a Senatu Aulico rejectum id effecit, ut multæ deinceps illuſtres victoriæ caſſæ redderentur.

Plures refert victorias.

Ad Jaurinum ab hoſtium multitudine cinctus, & cum ſuis quinque millibus in orbem pugnans, nobilem refert victoriam, adeo quidem, ut major eſſet cadaverum numerus quam vincentium. Ne victoriam proſequeretur, panis rerumque penuria obſtitit. Reddidere vices Hungari, Ritſano primum, dein Rabata victo: lateque per Styriam populatione circumlata.

Vices redditæ.

De pace dein rurſus actum: poſtularunt Hungari: tributa aboleantur; Heiſterus & Rabutinius Hungaria abſcedant; Cæſar Poſonii aut Budæ ſedem figat; Ragozio Tranſylvaniæ Principatus poſtliminio reddatur. Germanus miles oppidis omnibus excedat.

Poſtulata.

Atrociores hæ erant conditiones, quam ut a Cæſare iniri poſſint. Reſumptum igitur bellum. Sub exitum Decembris Ragozius, Berezenius, Karolyus, quamvis triginta millia ſub ſignis haberent, ab Heiſtero ad Tyrnaviam magna clade affecti. Sed cum ob cibariorum

riorum inopiam fugientes persequi non posset, spatium se colligendi nacti, tanquam victores per regnum dominabantur, Austriæ ipsi & Moraviæ incendia & populationem rursus inferentes. (anno 1704.)

§. 2.

Belli Hungarici Progressus.

Anno 1705 *Heistero* Mareschallo, Duci præstanti, sed ob militarem libertatem, quam ut parendi contumaciam accepit Consilium Aulicum, amoto in Hungarica Armorum Præfectura suffectus est *Herbevillius*, quarta post obitum Cæsaris Leopoldi die. 185. Heistero suffectus Herbevillius.

Quamvis autem Heisterus insignes de perduellibus reportarit victorias, multaque eorum millia ceciderit; quia tamen ingens erat multitudo, & bellum hoc volatile venationi simile, ultima insuper egestas Cæsareos premebat, ut propterea hosti circumvolitanti insisti non posset, & multæ urbes arcesque fame perirent, prout sub hoc ipsum tempus Vivarinum, Eperiesinum, Agria, Cassovia, heu quantis impendiis Turcis nuper ereptæ! ob rerum penuriam Ragozio se dediderant, afflictum undique Hungariæ statum Herbevillius invenit. Misera facies.

Quin ultra Hungariam in Transylvaniam quoque & Sclavoniam, quam Palfyus Croatiæ Bannus cum fida Austriacis gente hactenus defenderat, procellosus turbo desæviit. *Rasciani* Valachique agri sui populatione accensi, & alias ab Hungaris animo alieni, magno numero se conglomerant, ac Herbersteinio, Essekini Præfecto, Ductore, in fugam Hungaros conjiciunt. Tum vero iidem Rasciani, obnitente frustra Herbersteinio, populationem, rapinas, cædes late circumferunt. Et quia Græcanici schismatis homines, facem præferentibus Popis, odio Latinæ Religionis ardebant, Quinque Ecclesias, urbem Catholicam, fœde diripiunt. Nihil hic barbaræ crudelitatis omissum: spoliata & incensa templa, sacra polluta, sacerdotes atrociter interempti, interque eos duo Franciscani, Jesuitæ quatuor, religione & doctrina præstantes viri: ut adeo a talibus amicis plus metus esset, quam ab hostibus. Rascianorum rabies. Amici præ hostibus timendi.

Porro Herbevillius, novus belli in Hungaria Imperator, post finitum per Höchstadianam victoriam bellum Boicum, exactosque e Germania Gallos, duabus legionibus Danicis, aliisque copiis au-

 ctus,

ctus, occasionemque prælio decernendi aucupatus, ad Biberspurgum Palfyorum arcem, tribus a Posonio milliaribus dissitam, eandem invenit: ubi triginta millium exercitum, in quo plures erant Ductores Galli, unaque Germanorum ex transfugis conflata legio, pugna profligatum in fugam conjecit. Capta 30 minoris formæ tormenta, signa militaria 46, cum magna vi bellicæ & annonariæ penus. Sed plus fugæ quam cædis illatum.

Herbevill. cædit seditiosos.

Germanus quippe miles, disciplinæ militari assuetus, statario pugnandi genere valet; Hungari autem, qui se omnes milites nasci dicunt, Parthorum more bella gerunt. Rapto frequenter vivunt, nec impedimentorum mole, prout Germani, onerati, vim potissimam in primo impetu, & equorum celeritate reponunt. Neque e prælio fugere probro ducunt, mox redituri, si occasio ferat, & rursus pugnaturi. Victi etiam toto prælio se iterum mox conglobarunt, & tanquam non victi sed victores essent, pristino more sunt grassati. Quæ sane causa fuit, ut tot illustres Cæsareorum victoriæ sine fructu evanescerent.

Cur victoriæ frustraneæ.

Wagn.

Et post hanc ipsam Cæsareorum victoriam Hungari non modo per Hungariam universam & Transylvaniam tumultuabantur, sicut antea; sed Moravam quoque transgressi, more quasi annuo, ferro & igne Viennam terruerunt, dum ex mœnibus suis flammam, vicosque ardentes conspiceret.

Digresso subin Herbevillio cum exercitu, ut Transylvaniam, in exitium ruentem, sustentaret, Bothyanus & Ozkayus in supera & infera Hungaria in Moravia, Silesia, Styria, Austria, ad Viennæ usque suburbia terrore, cædibus, incendiis, omnia miscebant, Palfyo, qui residuum Cæsareorum manipulum ducebat, in Austriam ejecto, atque ad sistendum torrentem impari. (1705)

Wagn.

Josephus Imperator ad Insubriam vindicandam nervos ærarii, legionum robur, seque totum cum applicasset, ad edomandam Hungariam curæ minus impendit & apparatus. Ad defensionem igitur magis, quam inferendum respiciebatur. Sed & defensio erat ardua, quod non uno cum exercitu res esset, sed vagans per totam Hungariam, Sclavoniam, & Transylvaniam bellum, extinctumque uno loco incendium pluribus aliis vehementius exardesceret, injecto Cæsareis dubio, quo primo accurrerent.

Vires in Italiam aversæ.

Induciæ tum quidem, Angli Hollandique Legati opera, initæ, sed a seditiosis non servatæ, & Austriacis rebus noxiæ. Resumptis armis, dum Herbevillius procul in Transylvania abesset, Hungarico bello præfectus est Guido Stahrenbergius, Palfyo missionem petente.

Induciæ Breves.

te. Verum Cæsar virum fide ac bello præstantem jussit in statione persistere: meminisset, ne Regibus quidem adversus vulgi dicacitatem aliud esse armorum genus, quam contemptum. Quare cum copiarum parte ad bellum profectus Schütam Insulam expugnavit; Stahrenbergius vero *Strigonium*, paulo ante amissum recuperavit. (anno 1706)

Anno 1707 populatorium in Hungaria bellum laboris quidem & itinerum multum, memorabilium eventuum nihil habuit, nullas nobiles pugnas, nullas claras oppugnationes, sed vaga & volitans undique percursatio. Id male contentis, quo nomine appellabantur, propositum, Austriæ, Styriæ, Moraviæ, terrorem inferre, & continente discursu circumducere & fatigare statarium Germanum militem. Stahrenbergio prorogatum imperium. Vivarinum is oppugnare & Cassoviam destinaverat, sed plures se obices interponebant, donec annus efflueret, nullo memorabili operæ & impensarum pretio. Bellum vagum & volitans.

Anno 1708 Guido Stahrembergius, capto a perduellibus Maximiliano fratre, in Hispaniam missus, ubi opportunior bellicæ virtuti esset campus. Hungarico vero bello rursus præfectus est *Heisterus*, quo nemo melius pervicaces contundere atque compescere noverat. Sed vir asperioris indolis & adulari nescius, majori apud Cæsarem, quam Proceres ejus Aulicos bellique consilium, gratia valebat. Totam ille Hungariam longo usu mente sua habebat descriptam. Palantes opprimere subito, præsens adesse, cum procul abesse credebatur, hostes velut reti concludere, atque ad prælium adigere ad miraculum callebat. Unde etiam neminem magis formidabant. Heisterus resumit imperium.

Et sane mox experti sunt, adesse Heisterum. Magna quippe usus celeritate, Ragozium & Berezenium ad Trenchinium assecutus, grandem refert victoriam. Non alias toto hoc civili bello plus cladis datum. Cæsa 6000, multi capti: cum 50 signis, tormentis 14, impedimentis omnibus. Institit victor fugientibus, quos internecione delesset, nisi sylvarum latibulis multi vitam servassent. Tantus nihilominus victoriæ fructus fuit, ut ab ea die perduelles (qui confœderati volebant dici) nullum justum exercitum possent educere, pluresque ad pacem gratiamque Cæsaris respicerent. Hos inter fuit Joannes *Ozkayus*, (formidabile hactenus Moravicis tectis nomen) qui cum tota sua legione ad Cæsareas partes transit, Palfyi comprimis opera adductus. Idem cum legione sua facere tentaverat Bezeredius, magni vir nominis, sed ab amico, cui confiderat, proditus, cum aliis legionis suæ Ductoribus, captus, mortisque supplicio affectus est. Cædit Ragozium. Ozkajus cum legione sua ad Cæsarem redit.

Heisterus

Heifter reprehenfus.

Heifterus porro, recepto Nitriæ ampliſſimo Comitatu, amneftiam redituris promulgat: tantisque pro Republica rebus geftis, acrem a Confilio Aulico reprehenfionem accepit: fibi confifum refcriptis confilii morem non geffiffe: ærarii Præfectos acerbius infectatum: de occupando Vivarino promiffis non ftetiffe: Trenchinienfi victoria non fatis ufum.

Animofe refpondet.

At ille martia libertate, quæ crimini fibi darentur, vel ab ignorantia, vel invidia proficifci, repofuit: aliud effe ratiocinari in conclavi, quo fapere videantur, qui belli rudes effent, aliud pro eventuum varietate confilium in arena capere. Ea effe trimeftri expeditione gefta, quæ nemo fibi perfuafiffet, hoftibus ad petendam pacem adactis. Vivarini occupationem, in tanta copiarum paratusque paucitate, a fe non promiffam. Querelas de ærarii adminiftratoribus juftas fuiffe: vanis folatiis toties deludi egenum militem, qui fanguinem vitamque Reipublicæ immolat. Rerum penuria hoc & fuperioribus bellis optima fæpe confilia fuiffe fruftrata, vitio eorum, qui ex officio curare debuiffent.

Anno 1709 male contenti, Trenchinienfi fuperioris anni prælio fracti, inducias petierunt ex formula *uti poffidetis*, fed animo non bono: tempus fiquidem, quo fe colligerent, quærebant, follicitando interim ex Polonia fuppetias, & delectus in Turcico etiam folo, ære Gallico, habentes.

At vero Palfius cum Ozkayo, quem nuper cum legione fua ad Cæfarem tranfiffe diximus, afperrima hyeme Arvenfem Comitatum, montofum & fylveftrem, Poloniæ & Silefiæ conterminum pæne fubegit, multis Nobilium cum Ravayo Barone ad Regias partes traductis: Heiftero interea Hungariam Inferiorem, ut Auftria fecura effet, edomante: interceptis Simonthorna, Vefprinio, & Secfinio, munita Kohariorum Comitum arce, cum Gatfio caftro, fitu prævalido.

Poloni in Hung.

Venerat inter hæc ex Polonia Potockius, Kioviæ Palatinus, Svecicæ adverfus Auguftum Regem factionis caput, a Ruffis Polonia exactus, qui Ragozianis cum copiis fuis, quas adduxerat, fe jungebat. Sed opportune alter Polonus, Lubomirius Princeps, cum quinque fuorum millibus ad Cæfareas partes transgreffus, opitulante Ebergenio Auftriaco Duce, Potockio fufo, magnum captivorum numerum, Svecos, Gallos, Polonos, intercepit.

Sicking.

Nec minorem ftragem *Sickingius* & *Löffelholzius* fecerunt, Novigradenfi Comitatu Regi afferto, traductisque ad eundem plus quinquaginta tribunis & centurionibus, coactione potius quam volun-

tate

tate Ragozio adstrictis. Certe plurimi ex Hungaris, præsertim Catholici, nequaquam alieno a Rege suo erant animo, sed populationibus agrorum & incendiis in partes, quas detestabantur, fuerant abrepti. Protestantes vero plerique, Rege suo ejurato, toto hoc bello Ragozii partes sectabantur: relicto documento, quam periculosa sit conditio Principis, qui hujus fidei homines in provinciis suis tolerare cogitur. Ladislaum *Ozkajum*, ad Regem nuper reducem, postquam sinceræ & integræ fidei plura exempla dederat, per insidias intercipiunt, atque Vivarinum abductum loci Prætor, Calvinista ferox & virulentus, per eum, quo tonsore alias usus fuerat, obtruncari jubet. Fortiter mòrtem tulit, commendata filiorum tutela Palfyo.

Ozkajus captus & interemptus.

Neque impune Vivarino crudelitas abiit. Quippe Heisterus cum Palfyo, contra Consilii Aulici sententiam, munimentum, jam sex annis multarum in utramque Hungariam calamitatum seminarium, acri oppugnatione ad deditionem compulit: cum rebus mobilibus abire permissi incolæ: de fundis Aulæ gratiam implorare jussi. (1710)

Vivarinum captum.

Löffelholzius expugnavit Leutsoviam, cum arce Scepusiensi: Cusanus Marchio Zolnokinum: Palfyus Agriam: Virmontius Partfeldam, & Eperiesinum. Sickingius ad Ipolum Ragozianos profligavit, Hochbergius ad Egersegiam; ubique magna cum strage.

Ducum gesta.

Jamque post tot cædes, amissaque omnia prope munimenta, ad pacem adacti videbantur, cum *Baloghus*, celebris pervicacium Ductor, ultimos velut conatus exerturus, cum agmine, non admodum numeroso, omnem ferme Inferiorem Hungariam igni ferroque populatur. Victus denique, captusque capite crudelitatem luit. Traducti tunc iterum ad meliorem causam complures Nobiles, quos inter Andrasius, Redayus &c. (1710)

Baloghus crudelitatis dat pœnas.

§. 3.

Belli Hungarici Finis, & Pax.

Annus tandem 1711 calamitoso bello finem, & pacem attulit, 186.
omnium bonorum votis diu suspiratam. Cum enim renitentibus sola superesset Cassovia, Munkasinum, & arces paucæ, Joannes *Palfyus*, cujus singularis & in bello virtus & in Regem fides enituit, populares suos ad pacem per litteras est cohortatus: desinerent tandem se turbulentis consiliis perdere: sævitum satis in materna visce-

Palfii litteræ ad ſuos populares.

ra: inclitum regnum abiiſſe in triſte buſtum, miſeramque ſolitudinem: ſqualere ambuſtas urbes, diruta oppida, vacuos ſine colonis pagos: quos ferrum, fames, exilium non ſuſtulit, peſtilentia raptos. Si a Tartaris, Turcis, barbaris illata fuiſſet vaſtitas, mitius tolerandam fore: at cives mutuis cædibus occumbere, florentem antea patriam exſcindi, ſummaque imis miſceri, nullis ſat lachrymis deplorari poſſe. Libertatis legumque tuitionem defectioni obtendi, quibus tamen ab æquitate & clementia Auſtriaca nullum periculum. Unius hominis, regnum affectantis, ambitioni tot Hungarorum millia fuiſſe immolata. Quæ autem ſpes, Auſtriam, adverſus Turcas omnino neceſſariam, regno, a duobus jam ſæculis poſſeſſo dejici ſe paſſuram, aut tutam fore Hungariam Rege Ragozio? neque in Francia ſpem reponerent, cui alias ſatis negotii, ut ab infelici bello ſuo ſe expediat. Reſpicerent ſe ipſos & perpenderent etiam, quo loco res ſint renitentium, quam arcte conſtrictæ: conſulerent, dum tempus adhuc eſt, fortunis, liberis, ſibi.

Caroly ...lii que re...unt ad Regem ſuum.

Movit oratio plures, maxime Alexandrum *Carolyum*, qui primus naſcentem ſeditionem detectam Viennam nuntiaverat, ſed neglectus ab Aulicis, ut ſua a populatione ſervaret, in partes fœderatorum deflexit. Jam vero conciliatus Regi, cum ipſo Palfyo de fide & contumaces reducendi ſtudio certare viſus: ipſum adeo Ragozium eſt adhortatus, ut ſe patriamque a ruina liberet. Idque effecit, ut cum Palfyo in colloquium concederet. Sed Tranſylvaniæ ſpe ineſcatus, fiduciaque, in pace univerſali non minorem ſui quam Bavariæ Principum rationem a Rege Franciæ habitum iri, oblatam clementiam reſpuit; atque in Poloniam, nunquam in patriam rediturus, fugit.

Karolii erga Regem ſtudium.

Karolyus autem, traditis, quæ ſuæ poteſtatis erant, munitis arcibus copiisque, omni ſtudio contendit, ut plures pluresque ad Regis obſequium adduceret: tempus adeſſe, ajebat, quo amneſtiam amplexi, vitam & libertatem ſibi, patriæ tranquillitatem obtineant.

Caſſoviam eidem tradit.

Eadem ad Caſſovienſes perſcripſit, evicitque, ut urbem permunitam dederent.

Copiis juramentum præit.

Tum vero inclinatis ad pacem omnibus, idem Karolyus fidelitatis Sacramentum præit, ſubſequente exercitu, velut in aciem compoſito; ſigniferos longa ſerie vexilla demittere, tympana in unum locum jubet conjicere. Quibus per Germanos dimachas ſublatis, Palfyo pacis authori grates dicit, gratulaturque: hic viciſſim tanti operis confecti laudem in Karolyum refert: qui hymnum Ambroſianum concini juſſit. Ex 149 ſignis nonnulla Viennam tranſmiſſa.

In

In toto hoc negotio singulari Palfyus usus est prudentia, dum sollicite cavit, ne quid de morte Josephi Cæsaris ad Ragozianos efferretur, totum alicquin negotium fortassis abrupturos. Viennam autem perscripsit, inter Austriaca prodigia referendum, quod ea mors ipsos adeo duodecim dies celata fuerit. Karolyo amice excusavit Palfyus, quod elinguem Cæsarem per aliquot dies loquentem fecerit.

Palfius mortem Cæsaris clam habuit.

Pacificationis autem hæc erant capita.

1. Ragozio, si tres intra hebdomades, exauctorato milite, urbium arciumque præsidia dimiserit, libertas, dignitas, fortunæ redduntor.

2. In arcibus suæ ditionis Regium Regiis sumptibus præsidium habeto: vel in Poloniam, salvo tamen Vasalli officio, demigrato. Filii restituuntor.

3. Eadem gratia fruuntor Magnates, Prælati, majoris ordinis milites, qui in regno degunt. Arma autem bona fide ponunto.

4. Gregarii eadem amnestia comprehenduntor. Ad penates & agriculturam reversi, nec vi ad militiam trahuntor.

5. Cæterarum Nationum militibus, Gallis, Italis, Polonis liber ad suos reditus conceditor, transfugis exceptis, ad sua rursus signa traducendis.

6. Religiones, leges, immunitates, immotæ sunto.

7. Controversiæ in Comitiis ad regni leges judicantor.

8. Mortuorum pupillis & viduis bona, nisi alienata jam fuerint, Regis clementia redduntor. De alienatis ad Comitia refertor.

9. Dignitates autem ac munia ne inter bona censentor: atque de his aulæ judicium esto.

10. Hungari ac Transylvani captivi liberi sunto.

11. Horum approbatio quamprimum ab aula procurator, & promulgator.

12. Si quis alterum ob partes in hoc bello susceptas verbis aut factis lacessat, severe plectitor.

13. Transylvania huic pacificationi inclusa esto.

14. Ut experiantur Ordines, Regiam Clementiam fatali hoc bello nihil erga se imminutam esse, si quid ad incolumitatem suam pertinere existimaverint, libere in Comitiis flagitanto.

His pactis ab Hungaris & Tranſylvanis agminum Ductoribus 1 Maji 1711 ſingillatim fuit ſubſcriptum: atque univerſim facile octodecim millia Regi, patriæ, ſibi, fuerunt reddita.

Manipulus graſſatorum compeſcitur.

Supererat prædandi dulcedine retenta legio 800 capitum, e Svecis, Polonis, Ruſſis, Turcis, perfugisque Germanis ſcelerati factionis colluvies. In quos miſſus Actonus, in fugam actos diſſipavit. Ad Comitatuum autem capita mandata circummiſit Palfyus, ut vagos graſſatorum manipulos, antequam mora augeantur, intra ſylvarum latibula omni diligentia perſequantur, deprehenſosque ſupplicio tollant.

Munimenta Ragozi, qui in Galliam fugit, deduntur.

Pacato jam reliquo regno, duo adhuc munimenta Ragoziano præſidio tenebantur, *Unguarinum*, & *Munkaſinum*: illud admotis copiis Palfyo, hoc Löffelholzio ſe dedidit. *Berezenius* vero, totius ſeditionis auctor & moderator, cum Antonio Eſterhaſio, aliisque nonnullis Nobilibus, exilium patriæ, a ſe combuſtæ, prætulit.

Palfyus vero ad reparandas ruinas omni ſtudio incubuit. Minores arces, prædonum, qui nunquam defuturi eſſent, aſyla, dirui voluit: Zolnokinum vero, Tibiſci frænum, & cum Tranſylvania nexum, prout & Tokainum ac Zattmarinum, ejusdem Tranſylvaniæ januam, fortius communiri.

Fides & conſtantia Hungarorum.

Atque hic tandem perniciosiſſimi fuit belli civilis finis, miſeri ſemper, & præ aliis bellis calamitoſi: hæc illa pax, in hanc usque diem per quadraginta & ultra annos ab Inclita & Generoſa Natione Hungarica ſanctiſſime obſervata. Quin, mutatis etiam rebus, conſtanti fide periclitanti Auſtriæ valido fuit præſidio, verſoque in amorem odio, priſtinam ſeditionum labem, quæ tamen nullatenus fuit omnium, dudum abſterſit.

§. 4.

Carolus VI Rex. Bellum Turcicum. Victoria Petrovardina. Temeſia expugnata. Belgradum oppugnatum, & poſt victoriam expugnatum. Eugenii gloria.

187. Carolus VI coronatus Rex.

Anno 1712 poſt initam pacem in Regni Comitiis, Poſonii habitis, Carolus VI Imperator, magna cum ſolennitate coronatus eſt Rex Hungariæ. Corona S. Stephani, quæ belli tempore Viennæ fuerat aſſervata, Hungaris fuit reddita, ac novo Regi impoſita.

Con

Consecratoris munus obiit Cardinalis Saxo-Zeizius, Archiepiscopus Strigoniensis, Hungariæ Primas, assistentibus Zackio, Erdödio, Collonitsio, Episcopis, Paulo Esterhasio Palatino Hungariæ, Joanne Palfyo, Vicario Croatiæ, multisque aliis Regni Proceribus. Ragozius vero in Galliam exulatum abiit.

Sequenti anno Esterhasio defuncto Palatinus Hungariæ suffectus est *Nicolaus Palfyus*. Obiit quoque Michael Abaffius, stirpis suæ ultimus, jam dudum Viennam translatus; Transylvaniam vero Cæsar per Vicarios suos gubernavit, & munimenta, novis exstructis propugnaculis & castellis, reparavit, præsertim Albam Juliam (Weissenburgum) cui arcem adjecit, *Carolo-burgum* appellatam.

Nicol. Palfy Palatinus.

Abaffius obit Viennæ.

Jam anno 1714 Turcæ sub Achmete III Venetis bellum denuntiaverant, eo quæsito prætextu, quod jam ab anno 1699 Peloponesum, sive *Moream* injuste possiderent, Dalmatarum seditionem fovissent, nihilque occasionis prætermiserint, quo Turcarum navigationes & commercia turbare possent.

Prætextus belli Turcici.

Anno 1715 una expeditione totam Peloponesum sub jugum miserunt, plus octoginta Christianorum millibus in barbaram servitutem abstractis. Non adeo felix fuit eorum in Dalmatiam expeditio, Singo strenue resistente.

Morea amissa.

Succumbendum tamen haud dubie fuisset Venetis immani Musulmannorum apparatui, quem terra marique instruxerant, nisi Imperator venisset auxilio. Is etenim, intercedente pro Venetis, imo pro tota Italia, quæ discrimini erat exposita, Clemente XI summo Pontifice, bellum Turcis denuntiavit, icto cum Venetis fœdere.

Cæsar opitulatur.

Turcæ instituta solenni, multorumque millium frequentia celebrata, Meccam ad sepulchrum Mahometis peregrinatione, faustum armorum successum sunt precati: atque sub *Ali Bassa* Vizirio, Sultani genero, cum ducentis armatorum millibus Albam Græcam (*Belgradum*) usque sunt progressi. Eugenius Princeps exercitum, plusquam dimidia parte minorem, opposuit, multa millia in capite suo circumferens.

Quinta Augusti anno 1716 ad *Petrovaradinum*, commisso cruento prælio, Christianus exercitus insigni victoria est potitus, cæsis in acie triginta, ut fertur, Turcarum millibus, quinque vero millibus in fuga trucidatis. Inter cæsos fuit ipse Vizirius cum Bassis quindecim: inter captivos vero 56 Bassæ, cum 485 inferiorum belli officialium. Ex Cæsareis quatuor millia aut cæsa aut vulnerata numerabantur, atque inter illos Breunerus, Gehlenus, & Wallensteinius tribuni. Præda varii generis prorsus ingens fuit relata.

Eugenii ad Petrovaradinum insignis victoria.

Eugenius, Muſelmannis terrore perculſis, tanta victoria utendum ratus, victorem exercitum *Temeſvarino*, urbi amplæ & permunitæ, applicuit, quam Turcæ anno 1552 Chriſtianis ereptam, 164 jam annos poſſederant.

Temeſiam expugnat.

Commodum accidit, ut circumjectum urbi ſolum, quod paludibus frequens pluvia tempeſtate acceſſum negaſſet, ſudo conſtanter cælo eſſet exſiccatum. Unde oppugnatio ex ordine & regulis rei militaris adornari poterat. 2 Sept. viæ obſidionales ſunt apertæ, 1 Oct. Palanka Suburbium impetu captum, 12 Oct. urbs ipſa gratiæ Imperatoris ſe permiſit. Tentabant quidem Turcæ & Tartari obſidionem ſolvere, ſed a Steinvilio Lotharingo, Tranſylvaniæ Gubernatore fortiter repulſi ſunt. Atque hoc pacto Cæſar adeptus eſt permunitam adverſus Turcas urbem cum regione, 650 pagos complectente. Alexander autem Dux Wirtembergiæ factus eſt Temeſvarini Gubernator.

Belgradum obſidet.

Anno 1717 cum Cæſar Eugenium in Hungariam mitteret, hortatus eſt, ut cujusdam peritiſſimi Ducis in bello directionem ſequeretur, miranti Chriſti in crucem affixi effigiem porrexit, cujus ductu militaret. Et ſane ſecutus eſt. Nam primo Turcas Danubio ſubmovit. Tum ponte navali tranſmiſſo flumine 18 Junii obſidionem Belgradi cœpit, eamque per menſem eſt proſecutus, præſentibus 35 Principibus, aliisque Nobilibus innumeris, ſub tanto Doctore artem militarem diſcere cupientibus. Illos inter eminebant duo Duces Bavariæ, Emmanuel Princeps Portugalliæ, Alexander Dux Wirtembergiæ &c.

28 Julii imminebat hoſtilis exercitus, obſidionem ſoluturus, valloque ſe muniit. Res plena videbatur periculi. Chriſtianæ copiæ ſtabant mediæ inter immanem Turcarum exercitum, & urbem, triginta armatorum millibus ferocem.

Victoria ad Belgradum.

Tandem vero, poſtquam utraque acies hoc ſitu 14 diebus perſtiterat, Eugenius heroico prorſus facinore, ſimul & oppugnationem eſt proſecutus, & 16 Aug. 40000 millibus, hoſtium, qui 200000 ſuperabant, caſtra munita eſt adortus; Palfyo dextrum, Alexandro Wirtembergico lævum cornu ducente; tantaque fortitudine pugnatum, ut quinque horarum ſpatio parta ſit ingens victoria.

Fugientes, qua cuique patebat via, noſtri, ſummopere laſſati, non ſunt perſecuti; niſi quod *Eſterbaſius* cum Huiſſarorum manipulo *Orſovam*, a fugientibus deſertam, occuparit. *Viardus* vero Dux Cæſareus

ſareus in Tranſylvaniam fuga evadere tentantes, ita exceperit, ut plura eorum millia caderent.

Altero a pugna die (17 Aug.) Alba Græca, poſtquam ignis paulo ante præcipuam pulveris officinam, cum plurium millium jactura, in altum vibraverat, nullaque ſolvendæ obſidionis ſpes eſſet, candidum vexillum extulit, atque paciſci petiit. Eugenius retento in urbe apparatu bellico, ſua victis permiſit. Viginti virorum millia exceſſerunt, decem millia, quia ultro volebant, retenta ſunt. Quod ſe dedidit.

Ex noſtris cecidere *Heiſterus*, 18 vulneribus conſpicuus, Lobkovitius, Haubenus, Dahlbergius, Regalus, Bredæ Gubernator. Heiſter cadit.

Gemina immani clade attriti Turcæ, geminisque Hungariæ clavibus privati, pacem petierunt. Difficillimum accidit Cæſari, e mediis avelli victoriis, planumque ad Turcam Europa ſubmovendum iter, a Chriſtianis impediri. Quia tamen Alberonius in Mediterraneo turbabat, & Angli Hollandique pacem vehementer urgebant, ſeque illius Sequeſtros & Mediatores interponebant, *Paſſarovici*, Serviæ oppido, pax coaluit in ſequentes 20 articulos, ex formula potiſſimum, *uti poſſidetis*.

§. 5.

Pax Paſſarovicenſis.

I. Aluta fluvius ex parte Poloniæ, Tranſylvaniæ, Moldaviæ, & Valachiæ limes & terminus eſto. 188.

II. Infra Danubium vero fluvius Timockus in Servia.

III. A Drina ad Unnam Savus ad Cæſarem pertineat.

IV. Ad Unnam retinet Turca vetus Novium.

V. Novum vero Novium ad Chriſtianos pertineat.

VI. In Croatia fines maneant, prout in pace Carlovicenſi ſunt fixi.

VII. Determinatio limitum quantocius per Commiſſarios fiat.

VIII. Nec deinceps violentur.

IX. Unde in finibus conſtituantur perpetui Commiſſarii, qui lites illico componant.

X. Et

X. Et transgreſſores pacis puniantur.

XI. Chriſtiani in Turcia ne premantur: ſed omni protectione fruantur.

XII. Captivi commutentur & redimantur.

XIII. Commercium ſit liberum, atque de eo tractatus ineatur. Prædonibus nulla receptacula concedantur.

XIV. Omnes rebelles puniantur.

XV. Ragozi, Bereceni, Eſterhaſi, Forgatſch, Vay, & Czacki, aliique renitentes ac fugitivi, poterunt quidem in Turcia ſubſiſtere, non tamen in finibus utriusque Imperii.

XVI. Polonia ſit huic paci incluſa.

XVII. Legati utrinque mittantur.

XVIII. Qui ſecundum dignitatem tractentur.

XIX. Fiat ratificatio intra 30 dies.

XX. Hæ Induciæ 24 annis ſubſiſtant: & interea extendi poſſint.

Hanc pacem nomine Cæſaris inierunt *Virmondus* Comes, & *Talmannus*, Conſiliarius Aulicus: nomine Sultani Ibrahim Aga, & Mehemet Aga, Cameræ Præſides. Mediatorum officio fungebantur, Suttonus nomine Angliæ, & Colyerus Hollandiæ nomine. (*anno* 1718.)

Pacis commoda.

Multo quidem hæc pax, gemina expeditione procurata, ſanguine ſtetit, non parum tamen terræ, præter bina maximi momenti munimenta, firmiſſima Hungariæ & Tranſylvaniæ clauſtra, eorumque diſtrictus, Cæſari adjectum eſt. Quippe illius territorium ad 70 in Longitudine, 30 in Latitudine, & in toto ambitu ad 180 milliaria Hungarica protenſum dicitur, ditione Cæſarea late in Valachiam excurrente & Serviam.

Pax cum Venetis.

Veneti, qui poſt amiſſam Moream, non ſatis proviſam, conducto, ex Germania præſertim, valido exercitu, cui Schulenburgium præfecerant, inſtructaque claſſe terra marique rem ſtrenue geſſerant, atque Corcyram contra Turcarum invaſionem fortiter defenderant, & ipſi Ruzzinum Paſſarovicium ad pacem ſanciendam Legatum miſerunt; quem tamen Turcæ initio admittere detractabant, cum ſolis Venetis bellum proſequi cupientes. At vero cum Cæſar aut nullam, aut univerſalem cum omnibus Chriſtianis pacem ineundam diceret, etiam cum illis ad 24 annos factæ ſunt induciæ.

Præter aliquot loca in Dalmatia & Albania munimentumque Ismachium Venetis cessa, Insulamque Cerigo restitutam, tria munimenta, Butrintus, Prevesa, & Voinissa, Turcis hoc bello erepta, Venetis fuerunt relicta, sed Morea, celebre olim Spartanorum regnum, fuit perdita.

Demum subjunctus est commerciorum Tractatus inter Cæsareos & Turcas, quo stipulati sunt, ut navigatio per flumina & maria sit libera, ita, ut naves, Cæsareis vexillis distinctæ, portubus Turcicis secure recipiantur. A mercatoribus invehentibus & evehentibus merces non plus exigatur, quam tria pro centum: nec Turcici Ministri ulla munera exigant, nec ullo modo commercia turbent. In præcipuis emporiis constituantur Consules. Propter damna, a Melitensibus Turcæ illata aut inferenda, nulla vindicta, aut *Repressalia* exerceantur contra Cæsareos. Peregrinantes ad loca sacra nulla afficiantur molestia. Tractatus commercialis.

His ita compositis non parum temporis impensum est determinandis utriusque nationis limitibus, figendisque terminis. Comes autem Virmondus destinatus est Constantinopolim Legatus Cæsaris. Ragozio ad Pontum Euxinum sedes assignata.

§. 6.

Religionis dissidia. Novus Episcopatus, Senatus, & leges. Franciscus Dux Lotharingiæ Prorex Hungariæ. Coloniæ in Hungaria.

Anno 1719 bello Turcico finito, recruduerunt non levia de Religione in Hungaria certamina, Protestantibus variis querelis aures Cæsaris pulsantibus. Constituti propterea Budæ 24 Judices, qui secundum leges Hungaricas pronuntiarent. 12 ex eis erant Catholici, totidemque Protestantes. Verum tanta erat dissensio, ut anno sequenti hæc commissio absque fructu fuerit soluta. 189. Religionis dissidia.

Alexander Dux Wirtembergiæ renuntiatus fuit a Cæsare Gubernator Serviæ & Albæ Græcæ. Budæ vero Gubernator Löffelholzio successit Daunius; Steinvillio Gubernator Transylvaniæ Virmondus: qui anno sequenti Königseckio locum fecit: Mercius vero Gubernator Temesvarinus est designatus. Ut autem Transylvanis & Valachis, qui in ditionem Cæsaris concesserant, melius esset provisum, novum Episcopatum pro illis erigi curavit. Domui vero suæ Novus Episcopatus pro novis terris conquisitis.

ſuæ proſpexit, dum Sanctionem Pragmaticam de futura ſucceſſione in Comitiis Poſonienſibus promulgavit anno 1722.

Anno ſequente Buda ferme tota in cineres abiit, 700 hominibus diſrupta turri pulveraria obrutis. Obiit etiam Collonitſchius, Archiepiſcopi Viennenſis nepos, ultimus Illuſtriſſimæ hujus Familiæ de ſtatu ſæculari. Plures vero Auſtriaci Nobiles in Status Hungariæ fuerunt aſſumpti. Peculiarem autem anno 1724 Senatum, ex ſolis Hungaricis Proceribus conſtitutum, Cæſar erexit, eique Nicolaum Palfyum, Regni Palatinum, Præſidem dedit. Utque fertile ſolum Pannonicum plures cultores haberet, plures ex Germania Colonias eo deduxit, maxime in agrum Temeſvarinum. Munitæ inſuper Alba Græca ſeu Belgradum, & Orſova.

Peculiaris Senatus Hungaricus.

Coloniæ.

Anno 1725 mortuo Cardinali Saxonico, Archiepiſcopo Strigonienſi ac Regni Primati ſucceſſit Emericus Eſterhaſius, in Jaurinenſi vero Epiſcopatu Sinzendorffius, Cancellarii Aulici filius.

Anno 1728 quasdam urbes & oppida Hungariæ Archiducatui Auſtriæ unire conabatur Imperator, Belgradum cum diſtrictu Regno Hungariæ paratus adjungere. Sed Hungari, detrimentum coronæ afferri credentes, tantopere ſe opponebant, ut Cæſar a propoſito deſiſtendum putaverit. Mongazium autem Lothario Comiti Schönbornio Electori Moguntino, Surzinum & Surduckum ejusdem Nepoti Friderico, S. R. I. Procancellario, donavit.

Anno 1729 Rex ſtatuit, ut bona *Ruſticalia*, ab Eccleſiaſticis aut Nobilibus empta, contributioni ſint obnoxia, ſicut antea fuerant. In futurum autem legem *Amortizationis* tulit; juſſitque, ut utrique de jure ſuo in ſubditos authenticis documentis edoceant, ſalvis cæteroquin privilegiis. Tranſylvani hæc onera 50000 florenis redemerunt. Ubi illis ſimul promiſſum dicitur, Principatum Tranſylvaniæ nunquam Hungariæ incorporatum iri.

Novæ leges.

Anno 1730 Imperator plura in Sclavonia bona attribuit militibus bene meritis. Obiit Valachiæ Princeps (*Hoſpodar*) Maurocordatus, Græcæ religionis, Sultano vectigalis.

Anno 1732 *Franciſcus* Dux Lotharingiæ a Cæſare renuntiatus eſt Prorex Hungariæ, atque cum magna gentis lætitia exceptus, munimenta viſitavit. Cum Proteſtantes ſe vellent extendere, novasque Eccleſias erigere, remiſſi ſunt ad Decreta Comitiorum, quibus limites ipſis fuerant poſiti.

Dux Loth. Prorex Hung.

Anno 1733 obiit Comes Draskovicius, *Bannus*, ſeu Præſes Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ, cui ſucceſſit Princeps Joſephus Eſter-

Esterhasius, supremus Excubiarum Præfectus Cæsareus: Comes vero Bathiani supremus Aulæ Præfectus est renuntiatus.

Anno 1734 habita Comitia Posonii in Hungaria, & Hermanstadii seu Cibinii in Transylvania; in quibus decreta Imperatori pecunia pro bello Polonico. Plures hoc anno ex Austria in Transylvaniam emigrarunt. Protestantes autem in regno, multis se terminis restringi passi, ingeminabant frivolas suas querimonias. Delegati ad causam hanc examinandam Cardinales Kollonischius & Sinzendorffius, cum P. Tönnemanno Cæsaris confessario, aliisque etiam sæcularibus viris. Protestantes turbant.

Anno 1735 Ordines Hungariæ Regi præbuere 640000 florenos cum frumento, subsidium, ut vocant, *Charitativum* pro bello Gallico. Cæsar autem eis concessit, ut in quinquennium fructus suos & pecora libere educere valeant.

Quia Cardinalis Cienfuegos Archiepiscopatum Montis Regalis in Sicilia, & Card. Althan Barensem in Neapolitano regno amiserat, datus est illi Episcopatus Quinque Ecclesiarum, huic vero Weizenus in Hungaria.

Conglobarunt se 800 prædones, quos ad Aradum obvallatos aggressus Traunius prope delevit. Superstites carnifici sunt traditi.

§. 7.

Bellum Turcicum ob Moscos cœptum, & minus feliciter gestum, sub Seckendorffio & Wallisio. Strages ad Kroskam. Turca ad Belgradum.

Cum Cæsar pacem Turcas inter & Moscos in *Niemerovensi* congressu frustra conatus esset reducere, Ottomanno Asoffum & Ozacovium repetente, omnemque ob damna, a Tartaris illata, satisfactionem recusante, Imperator officii sui esse putabat, amicam & fœderatam sibi Russiam potenti auxilio sustentare. 190. Bellum Turcicum ob Moscos cœptum.

Quapropter anno 1737 grandem Cæsar exercitum in Hungariam misit, cui Fridericum Henricum Comitem *Seckendorffium*, Lutheranæ professionis hominem præfecit: qui exercitum, contra, ac Magnus Eugenius facere consueverat, multas simul vulpes capturus, in multas partes divisit. Principem Saxo-Hildburgshusium in Bosniam cum parte exercitus misit, ubi ad *Bagnalucam*, quam obsidebat, con- A Seckendorffio male gestum.

ſerto prælio, magnam paſſus cladem, ejectus eſt, Rainachio cum ſuis abſciſſo & cæſo.

Walliſius in Tranſylvaniam miſſus, ut inde in Valachiam Turcicam irrumperet: ſed a Turcis cæſus & retruſus eſt. Kevenhüllerus ſecundum Danubium procedere juſſus, cum ſex legionbus & mille Huſſaris, ad Widdinum occupandum, redire compulſus, ad Timocum velut in caſſes hoſtium incidit, fuiſſetque ad internecionem cæſus, niſi ſua & militis ſui virtute viam fugæ perfregiſſet, graviter de Seckendorffio, ſuccurrere negligente, queſtus.

Pfefferkornius ad Koſſavam cæſus. Eſterhaſio cum 33 cohortibus & 20 turmis ad Unnam in Croatia juſſo conſiſtere, defuit agendi occaſio. Pallavicinus cum claſſe octo bellicarum & 5 triremium Danubium obtinere juſſus impar claſſi Turcicæ, duas bellicas amiſit.

Seckendorffius autem, belli Imperator, cum robore exercitus in Servia ſubſtitit. Occupata Niſſa, præſidio deſtituta, ſed iterum amiſſa, Tribuno *Doxat* urbis Præfecto Belgradum ob deditionem præcipitem in quæſtionem tracto. Suſcepta Zwornickæ oppugnatio, ſed ſoluta, oppugnantibus Belgradum ſub tormentorum protectionem confugientibus. Ut adeo Seckendorffius tota hac expeditione multa fecerit, nihil perfecerit, florentiſſimumque Chriſtianum exercitum miſere attriverit, cum quo Eugenius Thraciam occupaſſet.

Datus propterea in cuſtodiam.

Quapropter Viennæ, negato Cæſaris alloquio, in cuſtodiam ductus eſt. Vitio maxime datum, quod exercitum, in multas partes diſſectum, variis itineribus otioſe, imo ad perniciem, circumductum perdiderit, creditumque, quodſi, munimentis limitaneis juſto præſidio firmatis, ſecundum Danubium unitis viribus proceſſiſſet, inſignem Chriſtiani nominis hoſtibus plagam fuiſſet illaturus. Hoc certum, Montecuculos, Carolos Lotharingos, Ludovicos Badenſes, Heiſteros, Eugenios Sabaudos, ſummos belli Imperares, per geſta Seckendorffii non parum fuiſſe laudatos.

Königseckius belli Imperator.

Præcipitatis ſuperiore anno rebus, difficile fuit anno 1738 ruentem impetum ſiſtere. Exercitus priori non erat comparandus; crevit hoſtibus animus, decrevit noſtris, plures opportunæ occaſiones amiſſæ. Ardua proin Comiti *Königsekio* demandata eſt provincia, dum ſucceſſor Seckendorffii eſt renuntiatus.

Turcæ jam ineunte Martio ad expeditionem accincti, 24 Martii Uſſizam, caſtrum arduæ rupi impoſitum, expugnarunt, dein vero Novam Orſovam, quam in Danubii Inſula ab anno 1729 Chriſtiani

ni conſtructam gemina arce egregie firmaverant, tum munitum tranſitum Meadiæ, & Semendriam, Chriſtianis ultra Savum Semlinum propulſis.

Königseckius 28 Maji in caſtra ad Belgradum venit, promotisque Grotskam, Caranſebes, Zlatinam caſtris, 4 Junii ad Corniam ſunt locata, ubi Ottomannorum turma fuit cæſa. Meadia a noſtris recepta, ſed mox rurſus poſt infelicem dimicationem amiſſa. Ratskæ, tranſitus ad Savum, obſidium Hildburgshuſius, abactis Turcis, ſolvit. Quibus geſtis in hyberna conceſſum.

Orſovæ præſertim jactura Chriſtianis acerba accidit. Ad ejus nuntium *Kornbergius*, urbis illius Præfectus, licet 83 diebus eandem defendiſſet, Belgradi juſſus eſt cuſtodiri, Vienna exiſtimante, Orſovam per ſe ipſam & duabus arcibus tantopere munitam, absque vitio non potuiſſe expugnari. Sed Kornbergius, dum defenſionem ſui paravit, in cuſtodia morbo extinctus eſt. Orſova amiſſa.

Fatum acerbius fuit Tribuni *Doxat*, qui ob deditam præpropere, ut dicebatur, Niſſam, Belgradi carnificis manu cecidit. Fuit Calviniſta ex ditione Bernenſi, 38 annis Architectus militaris. Doxæ interitus.

Anno 1739 ut ſingulis annis, quo noxium nihil magis ad bonum publicum eſſe poteſt, novus belli Imperator, renuntiatus eſt Olivierius *Wallisſius* Mareſchallus, qui tandem res jam inclinatas ad *Groskam* omnino præcipitavit, dum Chriſtianum exercitum per ſaltus & anguſta viarum in locum inſidiarum, velut in pedicas & caſſes duxit. Wallisſius pugna ad Kroskam rem perdidit.

Cum enim non dubitaret, Belgradum eſſe Turcarum ſcopum, iis obviam procedendum cenſuit, & ad Kroskam opportunum locum occupandum; præceſſit igitur cum equitatu, Hildburgshuſio cum peditatu ſubſequi juſſo. Conſilii hujus conſcii Turcæ, præoccuparunt opportuna ad nocendum loca, atque copias & tormenta ita diſpoſuerunt, ut in ſubeuntem equitatum Chriſtianum ſtygia velut peſte fulminarent, antequam in aciem ſe poſſet diſponere. Hinc ſtrages potius, quam pugna ordinata fuit, eo pluribus cæſis, quo plures per anguſtias penetrabant. Venit quidem Neupergius cum 13000 ſuppetiis, ſed adeo omnia confuſa invenit, ut deſperata victoria, attritæ copiæ Belgradum, qua via cuique patebat, ſe fuga reciperent: cumque nec ibi ſe tutas ſatis crederent, transmiſſo Danubio, in Bannatum Temeswarienſem immigarunt, atque ad leve immanis jacturæ ſolatium 15000 Turcarum ibidem oppreſſa victaque in fugam Vipalanckam usque propulerunt.

 22 Julii

22 Julii fuit, qua infelix laniena Kroskana patrata eſt, equitatu nobiliſſimo tormentis potiſſimum aliaque igniaria grandine proſtrato. Circa numerum cæſorum, ut fieri conſuevit, varius omnino erat computus, aliis in immenſum illum augentibus, aliis forte plus juſto minuentibus. Hoc certum, quod nimium magnus fuerit, & cum ingenti rei Chriſtianæ detrimento conjunctus.

Nam Magnus Vezirius *Mahmet Paſcha*, tantæ victoriæ fructus lecturus, ad Belgradum, firmiſſimum adverſus Ottomannicam potentiam aggerem, illico exercitum admovit, eamque tota vi oppugnare cœpit. Quamvis autem Succovius ſtrenue eandem propugnaret, quia tamen Chriſtianæ copiæ magis erant acciſæ, quam ut obſidionem poſſent ſolvere, Cæſar Neubergio poteſtatem fecit, conciliatore Villenovano, Galliæ Legato, pacem ineundi. Is igitur in caſtra Turcica ad Belgradum progreſſus 18 Aug. in probroſum tractatum præceps ruebat.

§. 8.

Præliminaria Pacis Belgradenſis.

[illegible]91. 1. Belgradum & Sabazum traduntur Turcis, cum jure tamen novas munitiones, a Cæſare conſtructas, demoliendi.

2. Cæſareis fas ſit, rem armamentariam, cibariam, aliaque bona mobilia, cum omnibus navibus in Danubio & Savo avehere.

3. Tota Servia ceditur Turcis. Boſnia ad fines pacis Carolovicenſis reducitur. Danubius & Savus fines determinent.

4. Valachia Auſtriaca ceditur Turcis.

5. Prout etiam Orſova cum Inſula. Cæſar vero retinet Bannatum Temmeswarinum, cum diruta Meadia.

6. Poſt quintum a ſubſcriptione Præliminarium iſtorum diem inchoetur demolitio novarum Belgradi munitionum & operum, retentis interea obſidibus in caſtris Turcicis. Quamprimum autem ea demolitio ad portam Würtembergicam facta] fuerit, 500 Turcæ eam portam occupabunt, & per aggerem a reliquis partibus maneant ſeparati, donec demolitio ſit abſoluta.

7. Hoſtilitas ceſſet a die ſubſcriptionis: omnibusque incolis amneſtia promittitur. Decem poſt diebus fiat initium Tractatui pacis Definitivo. Et poſt ratificationem Præliminarium ſub eadem mediatione Legati Gallici inchoetur pacificatio cum Ruſſia.

Sicut

Sicut autem subscriptio horum Præliminarium 1 *Sept.* a Neupergio facta, sic Tractatus etiam Definitivus ita præcipitabatur, ut Instrumentum pacis jam esset confectum signatumque, antequam Dalmannus cum nova instructione & ratihabitione Præliminarium advenire posset. Constabat autem hoc pacis Instrumentum 23 articulis, quorum epitomen subjungo.

§. 9.

Pax Belgradensis. Crises de illa.

Primi VI articuli continent id, quod in Præliminaribus conventum est. 192.

VII. Tractat de navigatione & piscatione in Danubio & Savo.

VIII. De venia danda subditis, qui durante bello alterutri parti adhæserunt.

IX. De captivis soluto lytro redimendis.

X. De libertate commerciorum.

XI Sultanus Algerianis, Tunetanis, Tripolitanis, & Dulcignotis prædationes prohibeat.

XII. Agit de teloniis, & quantum pro mercibus solvendum.

XIII. Intra mensem commissarii fines determinent.

XIV. Termini autem fixi maneant immoti.

XV. Si lis inde oriatur, Commissarii eandem ocius componant.

XVI. Omnis hostilis irruptio prohibetur.

XVII. Si bellum oriretur, possint subditi cum bonis suis se subtrahere.

XVIII. Rebellibus non præbeatur asylum.

XIX. Czackius tamen potest remanere in Turcia, non tamen in locis limitaneis.

XX. Quomodo Legati utrinque recipiendi.

XXI. Ratificationes intra 30 dies commutandas.

XXII. Pax 27 annos duret.

XXIII. Etiam Tartarorum Princeps & omnes Tartarorum nationes hanc pacem ſervent. Secus graviter puniendi.

Actum ad Belgradum ſub tentoriis
18 *Sept.* 1739.

Adjuncta ſunt alia duo puncta: 1 hanc pacem non obſtare fœderi cum Ruſſis, utpote quod eſſet perpetuum 2. Cum Schmettavius pronuntiaret, ad demolitionem novarum Belgradi munitionum 6 menſes requiri, conventum eſt, ut intra 45 dies dimidia urbs Turcis dederetur, ea tamen lege, ne demolitio impediatur.

Pax deproperata,

Paradoxa cum hac pace, ita præcipitata, orbis Chriſtianus non fuit contentus, minime vero Cæſar, quia per illam uno ictu abſciſſa ſunt, quæ Princeps Eugenius anno 1717 Chriſtianis terris adjecit. Quare Cæſar per Legatos ſuos in Aulis Europæis, quantum ſibi diſpliceret, ſignificavit, de negotio deproperato conqueſtus; quippe jam ante ratificationem ſuam, ad valorem roburque totius pactionis neceſſariam, exemplo inaudito, cœptam Belgradi demolitionem; cum igitur res non amplius eſſet integra, coactum ſe permittere, quod emendari amplius non poterat.

Diſplicet Cæſari.

In epiſtola maxime, propria manu ad Ruſſiæ Imperatricem ſcripta, dolorem ſuum teſtatus, multa, inquiebat, ſe in vita ſua paſſum aſpera, ſed nunquam tanta correptum animi ægritudine: id unum in tanta calamitate ſibi eſſe ſolatio, quod nullam in iis, quæ triſtia acciderant, partem habuerit.

Quid culpæ datum Walliſio.

Varius tunc ſermo per omnes pagellas volabat. Plerique culpam in Walliſium, Neupergium, & Villanovanum rejiciebant: in primum quidem, quod contra regulas militares non explorata hoſtium ſtatione ſituque, copias per fauces in locum inſidiarum improvide deductum, cladi objecerit, qua jam equitatus affectus fuiſſet, antequam peditatus e viarum præruptis anguſtiisque eluctari poterat: quod lentus & imprudens ubique hoſtem prævenire & ſtationem opportunam capere paſſus ſit: quod denique in ſuis Viennam datis epiſtolis ſcripſerit, Belgradum impar eſſe ulteriori defenſioni, litteras vero Succovii, contrarium ſcribentis, ſuppreſſerit. Privatus propterea militari Imperio, & *Arreſto* ſubjectus.

Neu-

Neupergio datum vitio, quod contra instructionem, a Cæsare acceptam, totum pacificationis negotium egerit, nec eo tempore, quo in castris Turcarum fuit, ullam informationem Viennam miserit, atque, dissuadente conciliatore Legato Gallico, Belgradum obtulerit; mox dein jam 2 Sept. cœpta demolitione, ac porta una Turcis aperta, coegerit quodammodo Cæsarem, Præliminaria habere rata. Excusavit hæc acta Neupergius Vezirii minis, abrupturum se tractatum, nisi absque mora hæc fierent. Quid Neupergio.

Alii altiori quadam auctoritate Neupergium hæc fecisse, sunt suspicati, quo fundamento nescio, nisi quod ex levitate pœnæ & intentione occulta, prout linguæ hominum sunt audaces, id conjectari posse autumabant.

Sunt alii, qui prudenter a Neupergio actum dicunt; pacem enim fuisse necessariam: exercitum Cæsareum strage Kroskana morbisque adeo fuisse attritum accisumque, ut nec solvere obsidionem, nec hosti, in Hungariam irrupturo, potuisset resistere: Russos, propter quos cum Turcis pax esset fracta, tum venatorio cum Tartaris bello fuisse distentos, tum ad unam vel alteram Moldaviæ urbem lentos hæsisse. Fuisse proin prudentis hosti victori potius cedere, quam integram Pannoniam in discrimen adducere. Crises de pace.

Alii illud insuper observant, quod si ex eventu metienda essent consilia, factum provide. Si enim in annum sequentem, quo mortuus est Imperator, productum fuisset bellum Turcicum, in tanto Europæ motu magnum Domum Austriacam orbemque Christianum omnem fuisse damnum incursurum.

Cæterum Turcæ non modicam offerebant pecuniæ summam, ut munimenta Belgradi relinquerentur ipsis integra; sed tenori pacificationis standum erat, flebilique jure suo usi Christiani, iis manibus præclaras munitiones disjecere, quibus easdem ingenti labore sumptuque, ex bonis Ecclesiasticis potissimam partem desumpto, construxerant. Quatuor omnino menses triste hoc laboriosumque demolitionis solatium absumpserat, cum finiente anno 1739 nostri emigrantes, infidelibus locum cessere. Stabat tamen adhuc arx, Cæsareo custodita præsidio, donec per legatos facta fuisset mutua pactorum commutatio; interim vero Vezirius quinque nobiles, Grossum, Salmensem, Guicciardum, Wallisium, Herbortum, ceu obsides secum Cpolin abduxit; ubi omnes Christiani captivi dimissi sunt liberi. Secuta est mox etiam pax Russica: quod suo loco dicetur. Nova Belgradi munimenta diruta.

Ulefeld Cpolim.

Anno 1740 Legatus Cæſaris Cpolin abiit Comes Antonius *Ulefeldius*, cujus Majores ex Dania in Auſtriam domicilium tranſtulerant, eumque etiam poſt mortem Cæſaris Maria Thereſia, quæ pacem Belgradenſem ratam habuit, in hac dignitate confirmavit. A Sultano vero Orator Viennam miſſus Ali Baſſa. Tum vero milites Chriſtiani etiam arcem Belgradenſem demoliti ſunt, & rudera reliquerunt. Utinam conventum fuiſſet, ne poſſent amplius exſtruere.

Meadiam & Orſovam veterem, ad Bannatum Temeswarienſem pertinentes, Turcæ Cæſari reſtituerunt, ſed prius dirutas. Orſovam vero Novam cum munitionibus, a Cæſare conſtructis, retinuerunt. Finibus quoque per Commiſſarios deſignatis, quinque obſides, large a Sultano donati, remiſſi ſunt. Mariam Thereſiam Hungari vi Sanctionis Pragmaticæ, dudum acceptatæ, poſt mortem Patris mox Reginam ſuam ſalutarunt.

§. 10.

Hungariæ Comitia. Poſtulata. Maria Thereſia Poſonii coronatur. Nuntiata irruptione in Auſtriam, decernitur inſurrectio. Movent in hoſtem.

193. Regni Comitia.

Anno 1741 habita ſunt Poſonii Regni Comitia, prius a Regina indicta. 18 Maji frequentes in curia aderant 4 Regni Status, Prælati videlicet, Regni Barones, Status Equeſtris, & Deputati liberorum Ordinum. Vices Ducis Lotharingiæ, Hungariæ Palatini abſentis, obiit Joannes Palfy de Erdœdi. 34 Viennam deputati, qui Reginam ad comitia & coronationem invitarent. Caput hujus Legationis Comes Erdœdi Epiſcopus Erlavienſis capita obtulit, quæ ſibi concedi Status petebant. Acceptavit Regina, & Comiti Bathyano, Cancellario Hungariæ Aulico, diſcutienda tradidit. Hæc autem erant Ordinum Poſtulata.

Poſtulata Ordinum.

1. Ut confirmatio jurium & privilegiorum regni inferatur Capitulationi Regiæ.

2. Ut civile regimen in Hungaria, Bannatu Temeswarino, Sclavonia, & Servia, non amplius ſit ſubjectum militari.

3. Ut Regina nullum cum Turcis tractatum ineat, Statibus inſciis, atque ut Hungari non ſecus ac Auſtriaci in Aula habeantur.

4. Solu-

4. Solutio copiarum non amplius per Commiſſarios Militares ſed per Nationales reguletur juxta ordinem anni 1722.

5. Erecta Viennæ Cancellaria Hungarica ex ſolis Hungaris conſtet; idemque circa Regni Miniſteria obſervetur.

6. Ut Hungaris liceat ſuos fructus in Auſtriam & Styriam evehere, tertius nummus, pro peregrinis mercibus ſolvi hactenus ſolitus, abrogetur: atque ut Venetis in Hungaria boves emere liceat, ſublato Monopolio.

7. Nobilitas ab omnibus oneribus ſit libera: & quod a quolibet Comitatu præſtandum eſt, ſit proportionatum.

8. Dignitas Palatini juxta Decretum Regis Mathiæ de anno 1485 integre rurſus reſtituatur.

9. Omnia Eccleſiarum Catholicarum Miniſteria incolis conferantur: & ordinationes, in favorem Proteſtantium factæ, executioni mandentur.

Proteſtantes in Hungaria mittebant Viennam, qui pro libero religionis exercitio, & abrogatione gravaminum precarentur. Sed Regina per Cancellarium eis reſpondit, ſtandum ordinationibus anni 1731, & 1736.

Poſthæc Regina, comitante Sereniſſimo Conjuge, ejusque fratre Carolo 19 Junii Poſonium iter ſuſcepit, obviam eunte Colozenſi Epiſcopo cum 40 Deputatis a regni ordinibus, & ſpatio ſemihoræ reliquis Epiſcopis ac Prælatis, cum Eſterhaſio, Banno Croatiæ & Dalmatiæ, præcipuaque Nobilitate, usque ad pontem, qui Hungariam ab Auſtria dividit; ubi ab Eſterhaſio de Galantha, Archiepiſcopo Strigonienſi, Hungariæ Primate, oratione excepta eſt, cui clementiſſime reſpondit. **Maria Thereſia Poſonium.**

Die ſequenti Regina in arcis aula, ubi Ordines Regni erant congregati, comparuit, thronoque inſidens, per Cancellarium ſuum Aulicum propoſitionem fecit, quam ipſa latino ſermone facunde eſt proſecuta, non tam Reginam quam Matrem ſe exhibituram pollicita, diſcuſſisque poſtulatis gravamina ablaturam.

Eloquenti huic orationi reſpondit Primas, gratiisque actis, nomine Statuum, indiſſolubilem fidem ſpopondit. Tum vero Ordines, in curiam Regiam progreſſi, relegebant factam propoſitionem, atque ex arcis turri ſacram coronam, ſceptrum, ſanctam crucem, cum enſe S. Stephani ad Reginam detulerunt: electoque prius Joanne Palfyo Regni Palatino, coronatio a Strigonienſi Archiepiſcopo **Regina coronatur.**

po Primate ſuſcepta eſt in templo S. Martini, cum maxima ſolennitate, conſuetisque ceremoniis, quas longum foret enarrare.

Poſtulatorum confirmatio differtur.

Poſt abſolutam coronationem Status Reginæ conſuetum donum obtulerunt, centum florenorum millia. Sed petierunt rurſus ſua Poſtulata confirmari, novaque alia addiderunt. Reſponſum, facturam Reginam, quæ ſine coronæ & dignitatis ſuæ præjudicio fieri poſſint; nunc tamen res tanti momenti non poſſe omnes expediri: in proximis Comitiis hoc negotium poſſe abſolvi. Propoſita etiam quæſtio de aſſumptione Conjugis in Con-Regentem: quæ initio pluribus diſplicuit. Sed poſtquam Regina diſerte explicuit, nullum per hoc Regno afferri præjudicium; cum ſuprema & innata regia poteſtas nihilominus penes Reginam & Regnum reſideat, Dux Lotharingiæ cum conjuge & Joſepho Archiduce, pridie Vienna advecto, throno inſidens, agnitus eſt Con-Regens.

Nuntiatur irruptio.

Interea vero, dum hæc agebantur Poſonii, nuntiata eſt irruptio Electoris Bavariæ & Gallorum in ſuperiorem Auſtriam. Quare Regina 11 Sept. Regni Ordines in Regiam arcem convocat, atque mœſta voce ſermone latino proponit ſumma coronæ ſuæ pericula, ſuæ perſonæ, filii, totiusque Domus verti incolumitatem, vitam, & ſpiritum. In forti & generoſa Natione Hungarica, populo ſuo, collocari jam ſuam fiduciam, nec dubitare, quin Reginam ſuam & Filiolum in ſpem Regni natum, adverſus potentiſſimos hoſtes pro ſua fide & magnanimitate ſit defenſura.

Reginæ oratio.

Universalis inſurrectio decernitur.

Hæc aliaque cum Regina eſſet prolocuta, Regni Ordines alta voce, ſanguinem & vitam pro Majeſtate ſua ſe profundere paratos, ſunt conteſtati: decretaque eſt univerſalis Nationis excitatio & ſub ſigna evocatio, ita, ut e populo 30000 ſelecta in 13 pedeſtres legiones diſtribuantur, Nobiles vero omnes, qui poſſent, equos conſcendant, propriisque mereantur ſtipendiis: ſimilis autem evocatio fieret in Croatia quoque, Dalmatia, Sclavonia, Tranſylvania &c. acceſſerunt tres legiones Hungaricæ ex Italia, Palfyana, Giulana, Vetteſiana. Jam menſe Octobri 15000 Nobiles inſurgentes cum equis ſuis ad Poſonium metati dicuntur, Reginæ imperium opperientes.

Reſponſio Ordinis Eccleſ.

Ordo Eccleſiaſticus etiam in ſumptuum partem vocatus, ut decimas in bellum impenderet, fuit imploratus. At ille reſpondit, inſurrectionis negotium eſſe perſonale, Palatinatibus proprium, quod

quod cum bonis Ecclesiasticis, omnino exemptis, nihil commune habeat. Si decimas aliquando Clerus contribuerit, in bellis duntaxat id factum Turcicis, in quibus religionis etiam defensio agebatur. Neque integrum sibi esse, absque Sedis Apostolicæ indulto in petita consentire. Regina, sedatis pro sua pietate discordiis, liberale Cleri subsidium acceptandum censuit. Hungariæ porro Regnum primum declaravit; cum hactenus cum Bohemia de prioritate controverteret.

Anno 1742 ineunte Hungaricæ & finitimarum gentium copiæ ad expeditionem erant accinctæ. Constabant etenim non modo ex Hungaris, sed etiam ex Croatis, Sclavonibus, Rascianis, Transylvanis, Uskochiis, Morlachis, Maroschis, Warasdinis, peregrinæ linguæ, habitus, & morum hominibus, qui partim in Austriam, partim in Bohemiam, partim etiam per Tyrolin in Bavariam profecti, legionibus, disciplina militari imbutis, miscebantur. *Insurgentes*, uti vocantur, nobiles equites magno numero in Bohemiam moverunt. Esterhasius, Andrasius, Vivarius, Bethlemus, Forgatschius, singuli singulas legiones conduxerunt, & in Bavariam duxerunt. Adjecit Archiepiscopus Colossensis Hussarorum aliquot turmas, habitu & apparatu præ aliis visendas. Quid copiæ istæ Reginæ, ab omnibus Principibus desertæ, in superiori Austria, Bavaria, & Bohemia præstiterint, *in Hist. Germ.* diximus. Variarum gentium expeditio.

Anno 1743 varia ex Hungaria, Transylvania, aliisque Pannoniæ, Daciæque provinciis supplementa ad exercitus in Bohemiam, & Bavariam mittebantur; & quia gentes istæ, in Germania nunquam antea visæ, strenue rem gerebant, Regina omnes eis suas libertates & privilegia confirmavit. Comitem autem Bathyani Bannum Croatiæ constituit, & Kalnockium Tribunum legionis Transylvanicæ, recens erectæ. Confirmantur privilegia.

§. II.

Nova insurrectio in Borussum. Sclavonia Hungariæ unita. Comitia. Mors Traunii, Joannis Palfy. Bathyani Palatinus. Protestantium querelæ.

Postquam anno 1744 Rex Borussiæ Bohemiam denuo invasit, 194.
Regina se Posonium ad Regni, quæ indixerat, Comitia contulit, laudataque Gente Hungarica ob insignia hactenus præstita belli obsequia, Nova insurrectio.

ſequia, ac præſertim ob heroicum trajectum Rheni, non modo Bo
hemiæ, ſed etiam Hungariæ a novo inexſpectato hoſte imminen
periculum ob oculos poſuit. Generoſa Natio, Boruſſo indi
gnata, univerſalem rurſus *inſurrectionem* decrevit, atque id effe
cit, ut hoſtis, Bohemia & Moravia expulſus, Sileſiæ etiam part
fuerit multatus Inſurgentes autem, qui ad 25000 numerabantur
a Rudolpho Palfio, & Eſterhaſio Regni Mareſchallo ducebantur.

Nadaſtio reſtituta bona.

Comiti *Nadaſtio* ob res fortiter bello geſtas Regina omnia av
ſui bona reſtituit, quæ a Leopoldo Imperatore Fiſco olim fueran
addicta. Palfius Palatinus generoſo ſonipede & pretioſo enſe do
natus.

Obiit Erneſtus Baro *Petraſchius*, Generalis Caſtrorum Præfe
ctus. Anno vero ſequenti Emericus Eſterhaſius, S. R. I. Princeps
Archiepiſcopus Strigonienſis, Primas Regni, Conſiliarius Intimus
qui ante 5 annos Reginam unxit & coronavit. Succeſſit Sigismun
dus Comes Kollonitſius Archiepiſcopus Viennenſis.

Anno 1746 Reginæ mandato omnes Hungari, armis ferendi
apti, a 20 ad 40 ætatis annum ſunt conſignati, quorum numerus a
centum octoginta millia aſcendiſſe dicitur. Princeps autem Hild
burgshuſius militiam in Croatia magna cum laude ordinavit, in qua
tuor legiones regulares diſtributam, Herberſteiniam, Petazziam
Guicciardiam, & Dilleſiam. Quævis legio contineat 4 agmina
quodvis agmen 1000 viros.

Ludovicus Comes Bathianus officium ſupremi Regni Cancella
rii ob virium debilitatem abdicavit, eoque ornatus eſt Leopoldus
Comes Nadaſtius, Pro-Cancellarii vero Comes Barkocius.

Anno 1747 Peſti celebrata eſt Dieta Præſide Eſterhaſio, Re-
gni Mareſchallo. Propoſitæ in ea querelæ Proteſtantium; in quo-
rum favorem peroravit Nadaſtius Cancellarius, quamvis Catholicus.
Conceſſum etiam Hungaricæ Nationi, ut quot annis 4 menſibus res
venales libere exportare aut evehere valeant.

Sclavonia juncta Hungariæ.

Regnum Slavoniæ unitum eſt hoc anno cum Regno Hungariæ,
in 4 Comitatus diviſum, Comite Karolio & Draskovicio, Com-
miſſariis Regiis hoc opus perficientibus. Engelshovio vero Tribuno
mandatum, ut eam gentem diſciplina militari imbuat, atque ad mo-
dum Croatiæ in legiones & agmina pedeſtria diſtribuat. Samuel au-
tem

tem Mikovinus Hungariam dimetiri jussus est, & pro quolibet Comitatu mappam geographicam conficere, atque in ea omnes fluvios, amnes, lacus, paludes, montes & sylvas exprimere. Sunt autem in superiori Hungaria 35 Comitatus, & in inferiori 13.

Anno 1748 obiit Hermanstadii seu Cibinii in Transylvania Ferdinandus Traunius 71 ætatis anno, heros prudentia & virtute militari clarus. Successit ei Gubernator Transylvaniæ in militaribus Comes Brounius, civilibus vero præest Hallerus. Uterque autem Gubernator Cibinii residet. Traunii obitus.

Quia Dux Mutinæ ultimo bello Borbonicas partes fuerat secutus, Regina privavit eum bonis in Hungaria sitis, quæ Carolus VI parenti ejus donaverat. Sed cum Aquisgranensi transactione ex integro esset restituendus, eadem anno 1749 recepit, ea tamen lege, ut *melioramenta* compensaret.

Perpetuæ Protestantium querelæ obstrepunt, adimi sibi Ecclesias; quas videlicet contra leges regni aut construxerant aut rapuerant Catholicis, turbatis Reipublicæ temporibus. Jaurinensis præsertim Academia, recens ædificata, erat eis sudes in oculis.

Anno 1751 celebrata sunt Posonii Comitia Regni, præsente Regina, cum Augustissimo conjuge, & tribus Archiducibus filiis. Primum, quod susceptum fuit negotium, electio erat Palatini; quippe Joannes Palfy de Erdödi, quo nemo magis fide, integritate, constantia, auctoritate, Domui Austriacæ fuerat addictus, hoc anno ætatis 92 Palatini dignitatem pientissima morte vacantem reliquit. Comitia regni.

Regina pro more quatuor Illustres viros proposuit, Ludovicum Esterhasium, & Ludovicum Bathianum, Catholicos, Comitem Revayum & Baronem Zayum, Protestantes. Ex his unanimi voto electus est Comes *Bathyanus*, jam ab anno 1732 Hungariæ Cancellarii munere summa integritate perfunctus. Comes Bathyani Palatinus.

Palatino constituto, Regina Ordinum postulata, sigillo clausa, reddidit, atque Viennam rediit, relicto Dietrichsteinio Principe, qui nationis gravamina reciperet, atque Reginæ proponeret.

Dum Comitia Posonii agebantur, Imperator Schemnicium, Cremnitium, aliasque ad urbes Montenses, in inferiori Hungaria sitas, profectus est, ut auri, aliasque metallorum fodinas viseret. Excurrit etiam utraque Majestas in castra, ad Pesthum non procul Buda magno cum apparatu constructa.

Archi-

Archiepiscopatus Strigoniensis jam quinque annis vacaverat. Tandem Regina ad illum nominavit Nicolaum Comitem Czacki Colossensem ante Archiepiscopum, qui factus est simul Primas Regni, Apost. Sedis Legatus natus, Cancellarius Regius, & Princeps Imperii. Multæ aliæ a Regina factæ promotiones.

Protestantium querelæ.

Cum Protestantes identidem gemerent, quod non permitterentur pro libidine grassari, scripto etiam ad Regem Borussiæ libello supplici, Padanus Vesprinienfis Episcopus, qui ab eis ad Catholicos transierat, libellum illum confutavit, edito libro de hæreticis & apostatis, atque demonstravit, nullum illis in Hungaria jus competere, cum Episcopi & Clerus contra omnes permissiones, vi metuque extortas, semper sint protestati.

§. 12.

Concilium Albanum, anno 1703.

195. Celebratum est anno 1703 a Vincentio Zamajevich, Archiepiscopo Antibarensi, Apostolico Visitatore, Serviæ Primate; cui interfuerunt alii duo Archiepiscopi, & quatuor Episcopi Græcorum unitorum, pluresque apud Albanenses Missionarii. Tractatum de fide, eamque prædicandi ratione, & Ecclesiasticorum Canonum observatione; de Sacramentis: de personis in Ecclesiastica dignitate constitutis: de Parochis &c. Sub pœna excommunicationis prohibetur, ne Turcarum præsidium imploretur, ad evitandas censuras Ecclesiasticas. Tolli jubet abusum, quo non nisi post annum ætatis 16, 18, aut etiam 20 ad Sacramentum pœnitentiæ accedebatur; aut quo in patrinos baptismi assumebantur infideles & schismatici: aut infantes, a Turcis oblati ad baptismum, ad eum solummodo finem, ut a sordibus corporis abluantur, & ab incursu noxiorum animalium custodiantur, baptizabantur. Tolli denique jubet eam gentis illius persuasionem, septem duntaxat annis servandum esse jejunium quadragesimale.

CAPUT XII.

De Bohemia

Primis ſæculi XVIII annis Bohemia nihil peculiare habuit, quod cum rebus Germanicis non fuerit conjunctum. Quod autem Joſephus Imperator anno 1708 in Comitiis Ratisbonenſibus Electoratum Bohemiæ in omnia jura ſeſſionis & voti in Electorali Collegio non tantum in Comitiis generalibus, ſed aliis etiam Imperii Conventibus introduxerit, Part. VIII & IX dictum eſt.

§. 1.

Canonizatio S. Joannis. Varii obitus. Boruſſus in Sileſiam. Pugna ad Molvicium. Capta Praga. Mutata ſcena, recepta Praga, Maria Thereſia Regina coronata.

Anno 1728 habita ab Ordinibus Sileſiæ Dieta Principum, in qua 196.
poſtulatum Cæſaris propoſitum, ut videlicet contribuerentur, pro fundo Militari 1646666, pro Camerali 100000, & pro munitionibus 30000 floreni.

Anno 1729 Bohemiæ ſpecialis honor & ſolatium acceſſit ex Canonizatione S. Joannis Nepomuceni Martyris, quem anno 1383 Wenceslaus in Moldavam præcipitari juſſit, quod nollet prodere, quæ Regina in ſacro tribunali confeſſa eſſet. Pretioſa ejus tumba in templo Cathedrali Pragæ ad latus ſummi altaris ſupra geminam aram ſublimis pendet; ad quam ſacrificium Miſſæ offerre potuiſſe Deo, magno mihi fuit ſolatio. Lingua ejus incorrupta in altari laterali viſitur, ſanctum ac perenne Sacramentalis ſigilli monumentum. Miracula, quæ Deus per hunc Sanctum patrat, numerari non poſſunt omnia, evidenti argumento, cultum ejus Deo eſſe gratum. *Canonizatio S. Joannis.*

Anno 1730 in Comitiis Regni, Pragæ celebratis, a Comitibus Dietrichſteinio, & Clario ab Altringen nomine Regis poſtulati ſunt pro quanto Militari duo florenorum milliones: pro Camerali 150000: pro munitionibus 30000: pro extraordinario 470000.

Anno 1731 obiit Ferdinandus Comes Kühnburgius, Archiepiſcopus Pragenſis, primum Cæſaris Camerarius, dein Epiſcopus Laubacenſis, Legatus ad Aulam Luſitanam, denique anno 1710 Archi- *Obit Archiepiſc. Prag.*

episcopus. Non parum promovit Canonizationem cultumque S. Joannis, Bohemiæ Patroni. Anno 1723 Pragæ coronavit utramque Cæsareo-Regiam Majestatem. Successit Daniel Mayerus, Cathedralis ante Præpositus & Generalis Vicarius.

Anno 1732 ad familiare colloquium Pragæ congressi sunt Imperator & Rex Borussiæ. Creditum, in eo actum de sponsione Sanctionis Pragmaticæ, & successione Juliacensi. Uratislaviæ obiit Franciscus Ludovicus, Comes Palatinus, Elector Moguntinus, Archiepiscopus Uratislaviensis; cui suffectus est per electionem Capituli Philippus Ludovicus Sinzendorffius, magni Status Ministri filius, Episcopus ante Vivarini in Hungaria.

Et Uratislav.

Anno 1733 non diu perfunctus Archiepiscopi Pragensis dignitate Mayerus obiit, Bohemiæ Primas, Universitatis Cancellarius perpetuus: cui successit Adamus Comes *Wratislavius*. Verum ille paulo post apoplexia tactus, locum reliquit Comiti Mauritio *Manderscheidio* de Blanckenheim, origine Westphalo.

Aliique.

Anno 1734 viginti millia Bohemicæ militiæ, pro tuenda patria, aliisque in Germania Austriacis provinciis designari jussa, cum legiones, disciplina imbutæ, vel ad Rhenum vel in Italiam essent avocatæ.

Anno 1735 octo Russorum legiones equestres Lascius in Bohemiam duxit, atque inde per Palatinatum superiorem, lentis licet passibus, Rhenum versus. Anno sequenti absoluta fuit insignis Statua, S. Joannem Nep. referens. Anno vero 1737 Aula Saxonica Neohusium in Bohemiam concessit, ubi Wilhelmina Amalia, mater Reginæ, eandem exspectabat. 1738 Ernestus Comes Lichtensteinius ab Episcopatu Seccaviensi translatus ad Olomucensem. Anno vero sequenti bona temporalia in feudum accepit.

Anno 1740 mortuo Cæsare Fridericus II Rex Borussiæ, postquam subscriptam a patre Sanctionem Pragmaticam defensurum se recepit, irrupit cum exercitu in Silesiam, protestatus, se nullatenus hostili animo id fecisse, sed ad jura sua vindicanda, ne alius illa præoccupet, id ipsum misso Gottero Viennam Legato contestatus. Interea vero in dies ulterius in Silesiam penetrabat, direptis variis provinciis.

Borussus Silesiam invadit.

Uratislaviæ, quæ præsidium Austriacum, privilegia sua obtendens, prius admittere detrectaverat, *neutralitas* primum a Rege Borussiæ fuit promissa, dein vero occupata est, præsidio imposito. Regina vero sub Neupergio copias in Silesiam misit. Certatum interea pluribus ultro citroque Juris Deductionibus.

Anno

Anno 1741 Rex progreſſus ſuos in Sileſia proſecutus ad *Molvicium* Neupergium cædit, *Briegam* expugnat, &, inſuperhabita tranſactione *Schnöllendorffenſi*, *Neuſſa* capta, in ſuperiorem etiam Sileſiam, Glazenſem Comitatum, & Moraviam ſeſe infudit, ubi Olomucium intercepit. Suſceptum Uratislaviæ homagium: cuſtodiæ datus Epiſcopus.

Pugna ad Molvicium.

Bavaricus inter hæc exercitus, ſuperiori Auſtria occupata, adjunctis auxiliaribus Galliæ copiis, in Bohemiam progreſſus, Pragæ ſe applicuit, venientibus in auxilium 24000 Saxonibus, 10000 vero Boruſſorum in Circulo Reginæ-Gradecienſi eminus ad terrorem incutiendum ſe oſtentantibus.

Boji Gallique in Auſtr. & Bohemiam irruunt.

Tot hoſtibus cum undique ſe cinctam, & tribus in locis a Gallis, Bavaris, & Saxonibus invaſam cerneret, dedere ſe coacta fuit: Auſtriacis, qui 40000 cenſebantur, cum urbi ſuccurrere non poſſent, Budovicium ſe recipientibus.

Pragam capiunt.

Anno 1742 verſa eſt belli alea; licet enim a fœderatis expugnata eſſet Egra, & Auſtriaci ad *Zaslaviam* a Boruſſis victi, tamen, cum Saxones & Boruſſi a fœdere recederent, Auſtriaci vero cum Hungaris Bavariam invaderent, obſeſſi ſunt Pragæ Galli, & tandem deſerere eandem ſunt coacti, quo pacto Bohemia, Egra & Comitatu Glacenſi exceptis, ad Reginæ obſequium rediit.

Mutata ſcena.

Anno 1743 tandem etiam Egra fuit 7 Sept. expugnata, Gallico præſidio capto, & per Bohemiam diſtributo. Regina vero Pragam cum magna ſolennitate ingreſſa, recepto homagio, a Lichtenſteinio, Epiſcopo Olomucenſi coronata eſt. Ad Archiepiſcopum Pragenſem alias hoc munus pertinet; ſed quia Electori Bavariæ nimium favere viſus fuerat, gratia excidit, prout etiam Comites de Bubna, Kaiſerſtein, Ferdinandus de Kolowrat, Carolus Laſcanschy &c. Principis Fürſtenbergici, Comitis Königsfeldii, & viduæ Ferdinandi Mariæ Ducis Bavariæ bona, in Bohemia ſita, ærario publico ſunt addicta, illa Reichſtadio in Bavariam juſſa recedere.

Regina coronata.

Bonorum confiſcatio.

§. 2.

Boruſſus redit in Bohemiam. Pragam capit, & amittit cum parte Sileſiæ. Sed Fridbergenſi, Soppaviano, Sorano, & Keſſeldorffenſi prælio victor, pacem Dresdenſem init. Schaffgotſius Uratislavienſis Epiſcopus: quem Legatus Apoſtolicus conſecrat.

Anno 1744 Rex Boruſſiæ, inita Unione Francofordienſi, poſt- 197.
quam Princeps Carolus in Alſatiam exercitum trajecerat, numeroſo

Boruffus iterum in Bohemiam. cum milite in Bohemiam denuo irruit, auxilii Cæfari oppreffo ferendi obtentu Pragam jam cum magna Bohemiæ parte occupaverat, cum advenientibus Carolo Principe & Saxonicis copiis, relicta Praga & Bohemia, in Silefiam fe recepit; retractis etiam copiis, quæ Moraviam vaftaverant. Auftriaci vero fugientium hærentes veftigiis, Silefiam fuperiorem, Neiffa & Cofela exceptis, Brandenburgicis ademerunt. Atque hac ratione intra duorum menfium fpatium Rex Bohemiam occupavit, & amifit. (*vid. Germanica*)

Sed repulfus.

Cardinali Sinzendorffio, Epifcopo Uratislavienfi, novi quid accidit. Rex illi & Capitulo Cathedrali nuntiari juffit, ob publicas utilitates renuntiatum a fe Coadjutorem Epifcopi (45 tunc annos nati, viribus integris) Gothardum Schaffgotfchium, Canonicum Uratislavienfem, omniaque deinceps Beneficia Ecclefiaftica fe collaturum. Permittendum, quod impediri non poterat.

Schaffgotfch Coadjutor.

Anno 1745 non eadem, qua anno fuperiore in Boruffos felicitate, geftum eft bellum. Quippe cæfis *Fridbergenfi* prælio in Silefia Auftriacis & Saxonibus, Hungaris vero ad *Soppaviam*, rurfusque ad *Sooram*, Saxones primum in Lufatiam, dein vero in Saxoniam reverfi ad *Keffeldorffium* victi, pacem Dresdenfem fanxerunt. (*vid. Germanica*)

Boruffi victoriæ.

Plura Judæorum millia Praga expulfa, permiffo tamen in reliquo regno & Moravia domicilia. Obiit Sternbergius Bohemiæ Vicarius, feu Gubernator; cui fuffectus eft Princeps Lobkovicius.

Anno 1747 Imperator Stephanum Kinskium ex antiqua Bohemiæ Familia cum omnibus fuis fucceffloribus S.R.I. Principem creavit. Celebrata Pragæ Dieta, in qua actum de contribuenda pecunia & milite ad bellum Belgicum & Italicum, Buquojo, Kolowrato, Zenitio Commiffariis Regiis.

Kinski S.R.I. Princeps.

Quomodo, mortuo Sinzendorffio Epifcopo Uratislavienfi, fuffectus fit Gothardus Schaffgotfius, jam antea electus Coadjutor, alias diximus, Rege Inveftituram in temporalibus prætendente, eamque per Comitem Müncovium exercente; licet opponeretur, hunc Epifcopatum olim Archiepifcopo Gnefnenfi in Polonia fuiffe fubjectum, dein vero ab eo exemptum, immediate a Sede Apoftolica dependiffe. Sicut autem Rex Catholicis Berolini novum templum conceffit, fic & Calviniftis Uratislaviæ. Ratio nempe Status hæc fuadebat.

Schaffgotfch Epifc. Uratislav.

Anno 1748 celebratum Pragæ Comitium, Comite Haugvicio Præfide. Actum de Rufforum per Bohemiam tranfitu ordinando. Idem factum in Moravia, ubi Cæfarea utraque Majeftas tranfeuntes Mofcoviticas legiones præfens infpexit, atque Repninum earum

Ducem

Ducem large donavit. Ex Bohemia per superiorem Palatinatum & Franconiam iter tribus agminibus prosequebantur.

In Silesiam venit Archintus, Legatus Apostolicus, qui nomine Pontificis, compositis quibusdam controversiis, Episcopum inter & Canonicos Uratislavienses exortis, Schaffgotsio Bullam confirmationis in Episcopatu obtulit. Neque enim Rex Borussiæ juris dictionem in spiritualibus impediebat. Suscepta dein magna cum solennitate Consecratio in Ecclesia Cathedrali Uratislaviensi, præsentibus etiam Status Ministris. Similiter Rosenbergæ electio libera novi Abbatis & Præpositi a Canonicis Regularibus fuit peracta. Legatus Apost. in Silesiam.

1749 præter alias Ordinationes politicas, in Bohemia & Moravia peractas, Cancellaria Bohemica cum Austriaca fuit conjuncta, Harrachio Præside. Uratislavia vero, fulmine in turrim pulverariam illapso, grandi incendio est devastata.

Princeps Aurspergius Investituram super Münsterbergensi in Silesia Principatu per procuratorem a Rege Berlini accepit. Idem Rex anno 1751 cum fratribus suis in Silesiam profectus, copias suas lustravit, atque militaria earum exercitia præsens inspexit. Adversæ acies non aliter certabant, ac si hostili conflictu dimicarent. Celeritas, promptitudo, & in armis tractandis dexteritas omnium admirationem meruit.

Obiit Pragæ Hermannus Comes Ogilvius, supremus Castrorum Præfectus, Consiliarius bellicus, & tribunus, 71 ætatis anno. Pragam hostibus Reginæ bis tradere debuit, videlicet anno 1741 Gallis, Bavaris, & Saxonibus; dein anno 1744 Regi Borussiæ. Ortus fuit ex vetusta in Hibernia familia, quæ etiamnum ibidem floret, jam pater domicilium in Bohemiam transtulerat, variis in ea muneribus perfunctus.

Anno 1754 obiit Pragæ Comes Chotekius 80 æt. anno, relictis duobus filiis, Joanne & Rudolpho, summis hodie apud Augustissimam Reginam muneribus fungentibus.

Anno 1756 bellum gravissimum Bohemiæ quoque incubuit, de quo postea in Appendice plura. Post *Lobcosiciam* ancipitem pugnam, anno 1757 ad *Pragam* commissa atrocior. Oppugnata vehementer triurbs. *Planiana* victoria obsidionem solvit; expulsus Bohemia Borussus, qui tamen per frequentia agmina postea rursus irrupit, regnumque vastavit; quod dein, retruso in Saxoniam & Silesiam bello, aliquantum respiravit.

Hæc omnia ob rerum connexionem uberius tum in Appendice, tum in Germanicis & Borussicis relata invenies.

CAPUT XIII.

Status Poloniæ

SÆCULO XVIII.

§. 1.

Suecus in Poloniam. Electus Stanislaus. Poloniæ diſſidia. Suecus in Saxoniam. Pax Alt-Ranſtad. turbata Religio in Sileſia.

198. Aug. in Livoniam. Anno 1700 Auguſtus Rex Poloniæ, icto cum Moſco fœdere, Livoniam, quam vi pacis Olivenſis Suecus poſſidebat, invaſit, Rigamque per Flemmingium, qui Saxones ducebat, necquidquam oppugnavit. Irritatus Carolus XII Suecorum Rex, cæſo Ruſſo, trajectoque Duna, Saxones invaſit, vicitque, inde vero, occupato in Curlandia Mietavio, in Lithuaniam & Poloniam movit, Vilna & Varſavia interceptis, quamvis Primas, aliique proteſtarentur, hoc bellum a Saxonibus, absque Reipublicæ conſenſu ſuſceptum, nihil ad ſe pertinere.

Car. XII in Poloniam.

Verum Carolus, non quieturum ſe repoſuit, donec Polonia, exauthorato Auguſto, alium ſibi Regem eligeret. Diviſa tunc erat Reſpublica, quibusdam cum Sapieha & Primate, Cardinale Ragiozkio Caroli partes ſecutis, & Confœderationem contra Regem ſuum ineuntibus, aliis Auguſto adhærentibus, & Carolum Reipublicæ hoſtem declarantibus. (1703.)

Electus Stanisl.

Æſtuantis inſtar pelagi fluctuante Polonia atque Lithuania, Rex uterque arma circumferebat; & Carolus quidem in Boruſſia Polonica, Elbinga, Thorurcio, & Marienburgo occupatis, Varſaviam Comitia indixit, in quibus, depoſito Auguſto, electus a quibusdam in Regem eſt Stanislaus Leſcynski, Poſnaniæ Palatinus, ex clariſſima & pervetuſta Familia; parte alia Auguſtum Regem ſuum venerante, & cum eo Varſaviam expugnante. Löwenhauptius autem Suecus & Sapieha Princeps Lithuanos & Saxones prælio vicerunt, prout etiam Meierfeldus ad Poſnaniam.

Verum

Verum cum Auguſtus a Moſco millibus aliquot fuiſſet auctus, recta Varſaviam movit, parumque aberat, quin Stanislaum cum ſua Familia, Primate, Lubomirskio confœderationis Mareſchallo, & pluribus Senatoribus, adhuc ibidem congregatis, interciperet; reliquis fuga elapſis. Aliqui Magnates capti ſunt, cum Poſnanienſi Epiſcopo, qui Stanislaum fratrem ſuum Regem promulgaverat. Traditus hic fuit Nuntio Apoſtolico, eum repoſcenti, a quo Romam miſſus, ibidem mortuus eſt. Hornius vero, qui cum 600 Suecis in arcem confugerat, dedere ſe coactus eſt Auguſti arbitrio: dum interim Carolus Lembergam caperet, recepta paulo poſt Varſavia.

At vero Wiſnowiskius cum manipulo Saxonum, Polonorum, & Moſcorum, Sapieham, Stanislai Ducem, aggreſſus, multis cæsis, captisque, re armamentaria & impedimentis eundem exuit. Vices reddidit Suecus, cæſis magna ſtrage Saxonibus, Auguſto Rege Dresdam ſe recipiente. (1704)

Anno 1705 Stanislaus cum Catharina conjuge Warſaviæ coronatus eſt a Leopolitano Epiſcopo, præſente huic ſolennitati Carolo XII Suecorum Rege. Primas vero, Cardinalis Ragioskius Gedani mortem oppetiit, cenſura Romana, cum clero Stanislao adhærente, perſtrictus; quia Pontifici, qui nolebat, Auguſtum regno exui, parere detrectaverat.

Inter hæc autem res Auguſti in Polonia in dies arctiores fiebant, cæſis in Curlandia Ruſſis, & in Polonia Saxonibus, & Polonis, qui partes Auguſti adhuc ſequebantur.

Igitur Auguſtus, cum bello in Occidente flagrante auxilia alia obtinere non poſſet, congreſſus cum Petro Moſcoviæ Duce fœdus renovavit. Promittit Ruſſus, ſe fœderatis ſuis aſtiturum milite & armento ad finem usque belli: reſtituturum Reipublicæ omnia loca, Coſaccis in Ukrania & a Moſcis in Lithuania occupata: permiſſurum denique Religionem Catholicam in Moſcovia liberam, & templum Capucinum in urbe Moſcua. Fœdus cum Moſco.

Contra vero pars Stanislao addicta, ut Suecis arctius ſe conjungeret, in has leges cum iis convenit, ut nulla pars Reipublicæ ab ea abſcinderetur, neque gubernatio mutaretur, aut cum Rege Auguſto ulla fieret tranſactio, niſi abdicato regno, neque cum Zaro, donec omnia damna illata reparaſſet; aut Suecia bellum finiret, usque dum tota Reſpublica cum Rege Stanislao eſſet tranquilla. Ad hunc finem obtinendum poſſe Suecum in Polonia conducere militem, & peragrare cum exercitu omnes provincias, omnesque contractus Cum Sueco.

adver-

adverſus Sueciam decerni irritos. Domum Sapieha reſtituendam in integrum: Electorem Brandeburgicum agnoſcendum Regem, ſi Stanislaum ille Regem recognoſcat. Proteſtantes in Polonia fruantur libertate, qua hactenus.

Hoc totum erat, quod Carolus pro hominibus ſuæ religionis obtinere poterat. Volebat illis concedi templa; ſed Epiſcopus Caminieci adeo zeloſe ſe oppoſuerat, ut a petitione ſua deſiſtendum duceret. Scripſerunt exinde confœderati ad Papam litteras, quibus ſignificabant, Stanislaum eſſe electum coronatumque Regem, rogabantque, ne deinceps amplius reciperet nominationes ab Auguſto. At hic ad flammas damnavit libellos, qui editi fuerant a Stanislai ſectatoribus contra cenſuras Pontificis adverſus clerum, qui eidem Stanislao adhærebat.

Secuta eſt Suecorum ad *Frauenſtadium* victoria, qua Saxones rurſus fuerunt gravi clade affecti.

Suecus in Saxoniam.

Anno 1706 cum Carolus XII cerneret, Auguſtum Regem poſt tot clades adhuc validum, accurrentibus identidem ex Saxonia novis ſubſidiis, fontem hunc ut obſtrueret, Saxonicam expeditionem decrevit. Unde cum exercitu, ne quidem ſalutato Cæſare, in Sileſiam movit, ubi pro arbitrio in favorem Lutheranorum diſpoſuit, indeque in Luſatiam, atque Saxoniam, ignes minatus, ſi quis ſe auderet opponere, aut lares deſerere.

Incredibile dictu, quantum pecuniæ fuerit exactum, qua dein militem numeroſum ex Germania conduxit Suecus, quot incendiis, rapinis, vaſtationibus ſævitum. Certe tanta erat calamitas opulentæ alias provinciæ, ut Rege Auguſto in Polonia diſtento, Imhofius & Pfingſtius Senatores *Alt - Ranſtadenſem* pacem inierint, turpiſſimam ſane & plenam ignominia.

Pax Ranſtad.

Conventum ſiquidem, ut Auguſtus Regnum Poloniæ abdicet; Stanislaum Regem agnoſcat; Sobieskios Principes, quos interceptos in cuſtodiam abduxerat, libertati reſtituat; fœderi cum Moſco renuntiet; Suecis hyberna in Saxonia concedat.

Indignitas hujus tractatus totam Europam ſermonibus implevit. Incredibile viſum, ab Auguſto, qui validum adhuc in Polonia habebat exercitum, multoſque Proceres ſibi conſentientes, a potenti inſuper ſocio, Petro Moſcoviæ Duce, erat ſuffultus, datam Legatis poteſtatem, pacem duram adeo conficiendi. Miſſos propterea in cuſtodiam Imhofium & Pfingſtium referunt.

Quam

Quam autem sancte tractatus iste a Suecis sit observatus, ex eo mox patuit, quod Mardefeldius, quem Carolus in Polonia cum parte copiarum reliquerat, licet de conventione constaret, Augustum prælio sit aggressus, sed damno suo ingenti, cum victus cladem insignem retulerit. Interea autem duo Reges amico congressu se mutuo salutarunt. Scripsisse etiam epistolam ad Stanislaum, Sueco petente, Augustus fertur, qua Regem salutarit, meliora, ac sibi accidissent in Polonia, tempora precatus. Patkulus gente Suecus, ad Augusti castra transgressus, extradi Carolo debuit, capite truncandus.

Anno 1707 Carolus exhaustam denique Saxoniam deserit, 40000 millium educens exercitum, quamvis cum 14000 tantum ingressus esset, auctum videlicet tantopere auro Saxonico. In Silesia substitit, multaque in favorem Lutheranorum circa religionem mutavit. Adempta Catholicis templa, & Protestantibus tradita, protestante licet Cæsare; sed non ea erant tempora, quibus injuriam vindicare potuisset. Suecus in Silesia Religionem turbat.

Pax Ranstattensis diversis in Polonia animis fuit accepta, multi acta in Saxonia irrita esse dicebant; neque enim Augustum coronam, a Republica acceptam, absque hujus assensu potuisse abdicare, ac proin thronum non esse vacuum. Alii ad novam Regis electionem procedendum putabant, plurimi autem Stanislaum Regem suum agnoscebant; qui reditu Caroli in Poloniam aucti sunt.

Anno 1708 præter civiles discordias, nihil actum memorabile, Stanislao secundum Ranstadensia pacta regnum nacto, Augusto vero in Saxonia ruinas reparante.

Anno 1709 Pultavensis Svecorum clades aliam omnino faciem rebus Polonicis induxit. Augustus cum Germano exercitu e Saxonia rediit: Stanislaus, cum Crassavio Chiliarcha, qui Suecorum legiones aliquot in Polonia retinuerat, in Pomeraniam Suecicam se recepit.

Augustus porro publico monumento declaravit; abdicationem regni fuisse irritam, cum duo Ministri mandatum sint transgressi; neque enim intentionis suæ unquam fuisse, coronæ renuntiare, quod facere non potuisset sine consensu unanimi Reipublicæ, a qua illam accepisset, ac propterea duos Ministros, qui tractatui Ranstatensi subscripsissent, fuisse condemnatos, alterum capitis, ad perpetuos carceres alterum. Adhæc electionem Stanislai neque liberam fuisse, neque concordem, cum pars sibi adhærens nunquam eo potuerit adigi, ut thronum vacuum declararet:

denique tractatum illum vi & metu injusto fuisse extortum, ac proin nullas sortitum vires.

Contra hæc varia pro Stanislao scripta sunt edita; non esse vero simile, Pfingstium & Imhofium in puncto tanti momenti non fuisse instructos, Augustum, ne Saxonia penitus opprimeretur, amore patriæ & subditorum, tractatum habuisse ratum; demonstrari id ex congressu cum Rege Sueciæ, & litteris, ad ipsum Stanislaum datis, neque, cum Augustus eligeretur, consensum nationis fuisse unanimem, nec satis liberum. Quid ex istis veritati sit consentaneum, prudentis lectoris judicio relinquo: dolendum, non dari dominium duorum in solidum, cum uterque fuerit dignissimus: quamvis utrique corona fuerit spinis contexta.

Rex Augustus, throno rursus conscenso, in id incubuit, ut animorum æstus defervesceret, & Polonia, immanibus tot annorum calamitatibus fessa, in quietem reponeretur. Mosci tamen adhuc pertinaciter incubabant provinciis, non sine tacita, ut securus esset, Regis voluntate, at invita omnino Republica, quæ eos exactos volebat, Turca etiam id postulante, sed conatu irrito.

§. 2.

Augustus iterum Rex agnitus. Turbæ recrudescunt Polonos inter & Saxones. Transactio Lublinensis. Juramentum Militiæ.

199. Anno 1712 in Regni Comitiis, Varsoviæ celebratis, Augustus iterato agnitus est Rex legitimus, qui Nationi privilegia sua & jura confirmat. Inquisitum etiam in media, quibus Russis persuaderi posset, ut Polonia excedant, & pax cum Suecis componi. Stanislaus ad Regem Sueciæ in Turcia invisit. Potokyus autem ejus amicus a Baurio tribuno Russico cum sua turma in fugam conjectus est: Jablonoskius in Saxoniam captivus abductus. Plures alii Dantisci comprehensi, quod Stanislao adhæsissent.

Augustus Rex agnitus.

1713 Rex Augustus in Pomeraniam adversus Suecos expeditionem suscepit. Turcicus legatus pro Stanislao, ejusque amicis, fugitivis aut captivis intercessit, ut restituerentur. Annuebatur petito sub conditione, si se submitterent. Plures id præstiterunt cum Kiowskio, Wiesniowiskio, Smigelskio.

1714

1714 Pax Carlovicensis Polonos inter & Turcas, cum illius ruptura timeretur, confirmata est. In Pomerania autem Augustus vi fœderis ad octo millia adversus Suecum habuit.

1715 Inter ipsos Polonos & Saxones ventum ad arma. Occasio hæc fuit. Priore anno Augustus plures in Poloniam adduxerat copias adversus Carolum Sueciæ Regem, si iter ex Turcia per Poloniam tentaret, paratas. Cum autem is alia via Stralsundam evasisset, & arcte obsideretur, postularunt Poloni de libertate sua solliciti, ut miles Saxonicus rursus abduceretur. Quod cum non illico præstaretur ex integro, aliquot velitationibus fuit certatum, Flemmingio Saxonibus præfecto. Tandem vero anno Turbæ recrudescunt.

1716 tumultus fuit Ravæ compositus his conditionibus:

1. Cesset omnis hostilitas.
2. Comitia celebrentur.
3. In iis de abitu Saxonum tractetur.
4. Interea a Polonis alantur. Conventio Polonica cum Saxonibus.
5. Confœderatio Polonorum interim persistat.
6. Ecclesiastici & Nobiles a contributionibus sint liberi.
7. Deposita in urbe Zamoiscio (a Flemmingio astu occupata) dominis suis restituantur, subsistente interim in illa præsidio Saxonico, donec res componatur.
8. Cum Suecia pax ineatur.
9. Russi abscedant ex Polonia.

Hanc conventionem cum ægre ferrent multi ex Polonis, mox ad vim & arma redierunt. Lemberga ab iis capta, sed brevi a Saxonibus recepta. In Posnania ventum ad manus, succumbente Saxone: qui tamen ad Dobrozymum vices reddidit.

Zaro dein mediatore Lublini institutus novus pacis congressus, Dolorughio præside, factis induciis. Postularunt Poloni, ut miles Saxo intra duos menses recedat. Rex promittat, pacta servare. Frustrata. Sancita fœderatorum sint salva. Ablata restituantur. Captivi liberentur. In Polonia nullus Saxo sit Officialis bellicus. Nec Oeconomiæ præsit exterus. Condemnatis a tribunalibus Rex veniam non concedat. Debita solvantur a Saxonibus.

Augustus graviter ferens sibi leges præscribi, Majestatem non eo deprimendam putabat: Respublica libertates suas servandas integras; unde conveniri non poterat, sed commissæ prælio copiæ: quo victi licet a Bosenio Poloni Posnaniam, capto Seidlitio tribuno, expugnarunt.

Imminebant exteri, Tartari pro Republica, cui Turca favebat, Russi pro Augusto Rege. Quare Poloni, facile prospicientes, quam cruentum belli theatrum in patria sua esset erigendum, proniores transsactioni aures dederunt. Inita hæc est *Lublini* in hæc puncta.

Transactio Lublinensis. 1. Sit pax in Polonia & Lithuania, serventurque illæsa jura & prærogativæ Majestatis, Senatus, & Nobilitatis more majorum.

2. Exterus miles post ratihabitam hanc conventionem abscedat, nec deinceps reducatur, exceptis 1200 Saxonibus, quos Rex suis sumptibus ad corporis custodiam retinere potest: Dux autem eorum juret fidem Regi & Reipublicæ: nec alii Saxones in Polonia remaneant, excepta Cancellaria Saxonica, quæ tamen sex tantum personis constet, nec Polonicis rebus se immisceat.

Rex nunquam sine consensu totius Reipublicæ bellum offensivum suscipiat. Singulis bienniis Comitia convocet: neque ultra tres menses extra Poloniam subsistat. Neque extra illam degens officia distribuat. Nec Polonica negotia per Saxones, nec Saxonica per Polonos tractentur. Nemo, nisi judicialiter convictus & condemnatus, in carcerem detur.

Articuli. Omnes gratiæ exspectativæ circa Beneficia Ecclesiastica, dignitates & officia, irritæ sunto, sub pœna inhabilitatis ad futura. Dignitates Poloniæ non dentur Lithuanis, qui non degunt in Polonia, nec Dignitates & Officia Ducatus Lithuaniæ incolis Regni Poloniæ, qui in Lithuania non degunt, conferantur, sub pœna amissionis. Excipiuntur tamen moderni possessores.

3. Omnes tempore belli ortæ confusiones aboleantur, regnumque secundum leges antiquas fundamentales administretur. Unde omnia fœdera sublata, & nova prohibita sunto: prout etiam evocatio status equestris ad expeditiones bellicas, quæ ad solum Regem spectat, secundum leges Regni. Militia Nationalis ita ordinetur, ut nullo extero auxilio adversus Suecos aut alios regni hostes opus sit.

4. Dissidentes in religione cultum suum in templis antiquis sinantur peragere. Nova contra, quæ tempore belli fuerunt constructa, diruantur. Reliqui Dissidentes devotioni suæ in privatis domibus, attamen sine concione & cantu permittuntur vacare. Ministris externorum Principum exercitium religionis tantum pro suis domesticis liberum esto.

Decreta, in favorem Episcopi & Capituli Cujaviensis lata, adversus Dantiscum ratione juris Ecclesiastici, executioni mandentur.

5. Mili-

5. Militiam Status Reipublicæ una cum Rege solvant: Ducesque belli jurent, se gladio non usuros nisi ad mandatum Reipublicæ. Quod si non fecerint, pœnam læsæ majestatis incurrant.

6. Principes Sobieskii, Jacobus & Constantinus, pro se & suis bonis securitatem habeant, atque pro iis, quæ ipsis debentur, satisfactionem. Sed Regi & Reipublicæ fidem jurent.

7. Nemo præsumat, incolas regni extra fines ejusdem, aut provincias, ad illud pertinentes, educere.

8. Sit amnestia universalis; ac propterea omnes condemnationes, tempore belli factæ, cassantur, una cum omnibus decretis, omnesque captivi liberantor. Ab hac tamen amnestia excluditur Stanislaus Leszinski, cum omnibus ei adhærentibus, nisi intra tres menses ad Rempublicam redierint.

9. Sit etiam sublata Confœderatio Sendomiriensis, de Reipublicæ libertate licet optime merita.

10. 30 Jan. 1717 miles Saxo abscedat, & militia confœderatorum dissolvatur: Ducesque, imperio deposito, Regis gratiam experiantur. Hic pacis tractatus actis Comitiorum inseratur, & deinceps pro regula serviat. Quicunque autem se opposuerit, pro hoste patriæ habeatur. Illi quoque puniantur, qui deinceps cum externis potestatibus aut hostibus commercium habuerint.

Paci huic subscripsit Princeps Doloruki tanquam Mediator (Commissarii item Regis & confœderatorum: Præfecti autem copiarum Reipublicæ, quæ pacis tempore secundum Ordinationem 8 Dec. 1716 factam 15000 circiter conficiunt) Regi & Reipublicæ jurarunt, hos articulos pacis se defensuros, copiis non nisi ad arcendos hostes & quietem patriæ usuros, pro securitate Regis & Reipublicæ; cum externis nullum commercium habituros: electionem Regis liberam nullatenus turbaturos, sed in finibus regni adversus vim externam excubaturos: se ipsos a communibus contributionibus non exempturos: militiam ab omni insolentia, vi, prædatione cohibituros, curaturos denique, ne belli Officiales ex Dissidentium religione in præjudicium Catholicorum nimium augeantur.

Dantiscanæ civitati, quæ contra Suecos nihil hactenus præstiterat, Zarus sub comminatione vindictæ præscripsit, quænam deinceps auxilia usque ad finem belli Suecici præstari oporteat. Russi, post confectam etiam Regem inter & Polonos pacem, Polonia excedere tergiversabantur, ita, ut toto adhuc anno 1717 aliquæ tur- Russi hærent in Polonia.

mæ atque cohortes in eadem ſubſiſterent, non ſine gravi Polonorum moleſtia.

§. 3.

Ruſſi tandem Polonia excedunt. Poloni Curlandiam feudum ſuum defendunt. Sobiesky calamitas propter filiam. Cauſa Thorunenſis. Proteſtantium querelæ. Polonorum reſponſio. Boruſſi poſtulata. Cauſa Curlandica circa electionem Mauritii.

Anno 1718 Ruſſi tandem exceſſerunt Polonia, quietem nacta,
200. Ad ann. 1717. qua a multis jam annis caruit, internis externisque fluctibus jactata; unde quidam dixit, macros annos jam elapſos, ſucceſſuros deinceps pingues: id quod Legatus quoque Turcicus, ad Regem miſſus, Reipublicæ augurabatur, ſinceram Sultani amicitiam conteſtatus.

Stanislaus. Stanislaus poſt mortem Caroli XII, poſtquam Guſtavus Samuel Bipontini Ducatus poſſeſſionem adiit, relicta ea provincia in Alſatiam conceſſit, jam Weiſſenburgi, jam Tabernis, jam Argentinæ degens. Dicitur voluiſſe ſe Regi Auguſto ſubmittere, ſi bonis ſuis in Polonia, quæ fiſco fuerant addicta, una cum Regio titulo frui ſineretur. Sed hic ei negabatur. Poniatowski vero, aliique, qui partes ejus ſecuti fuerant, cum Rege ſunt conciliati.

Curlandia. 1719 Curlandia, feudum Poloniæ, Ruſſicis adhuc præſidiis tenebatur, obtentu Annæ, relictæ a Friderico Wilhelmo Duce, anno 1711 ſine liberis defuncto, viduæ, Petri I ex fratre Joanne neptis (quæ poſtea in ſolium Moſcoviæ fuit evecta) Hanc ſponſam petebat Fridericus Brandeburgicus, Svetenſis lineæ, ut hoc pacto Curlandia poſt mortem Ferdinandi, ultimi ex Kettleriana familia Ducis, jam anno 1655 nati, & tunc adhuc cœlibem vitam agentis, Domui Brandeburgicæ infereretur. Et ambiebat pars utraque hoc connubium, Zaro & Boruſſo vota iſta probantibus. At toto niſu ſe oppoſuit Polonia, non commiſſura, ut exteri Principes de feudo alieno diſponant. Atque proteſtatione ſua id effecit, ut hæc conſilia effectus deſtituerit. At Curlandia multum adhuc diſputationis pariet.

Jac. Sobieski. Jacobus Sobiesky, Joannis III Poloniæ Regis filius, natu maximus, qui ex Italia rediens Olavii in Sileſia (quod pignoris titulo poſſidebat) domicilium fixerat, hoc anno eam urbem arcemque, imo

imo totam Sileſiam deſerere debuit, quod non efficeret, ut filia Jacobo III Angliæ Regi deſponſa, in captivitatem Oenipontanam, ex qua evaſerat, rediret. Dandum hoc erat amicitiæ Anglicanæ. Confiſcato pignore, Princeps in Poloniam abiit: poſtea tamen fuit reſtitutus, ſummis per Europam familiis ſanguine vel affinitate junctus.

Obiit Princeps Radzivilius Dux Olyckenſis, Lithuaniæ Cancellarius; cui ſolenniter parentatum. Succeſſorem in dignitate habuit Principem Wieſniovitium.

1720 jactis quibusdam cum Svecia Præliminaribus ad pacem borealem, Brunſvici ineundam, Lubomirski Princeps in Sveciam abiit, Poloniæ nomine Friderico coronam gratulaturus; Epiſcopus vero Cracovienſis ad Brunſvicenſem Congreſſum Legatus.

Cardinali Salerno Rex Auguſtus propria manu Galerum impoſuit.

1721 in Comitiis agebatur de exauctorando Comite Flemmingio, qui militi Saxonico, ad corporis cuſtodiam relicto, præerat. Annuit ultro Flemmingius, fuerantque a Rege deſignati Lubomirskius & Dænhofius. Sed magnatibus inter ſe diſſentientibus Comitia ſoluta ſunt.

1722 Rex multas dignitates & Officia diſtribuit, Ermelandico præſertim Epiſcopo ad Gneſnenſem Archiepiſcopatum & Primatum Poloniæ nominato. Cæterum Rex ſingulis prope annis in Poloniam, & inde in Saxoniam profectus eſt, ut utrobique cura vigili rei publicæ provideret. Rex munera publica diſtribuit.

1723 ſatis pacata fuerunt omnia in Polonia, Rege licet in Saxonia abſente. Obiit primogenita Jacobi Sobiesky, Mauritii Principis Turenii ex Domo Bullionica ſponſa, qui poſt ejus mortem ſororem Carolinam duxit. Sed in nuptiarum apparatu & ipſe occubuit. Quare ejus frater Godofredus Carolinam ſibi junxit; Pontifice in impedimento diſpenſante. Epithalamium in leſſum.

Anno 1724 Hiſtoria Polonica nihil famoſius habet, quam cauſam *Thorunenſem*, quæ ingentes in Europa motus excitavit. Ea ſic habet: Thorunii in Boruſſia Polonica Catholici dum per cœmiterium proceſſionem ſolennem, deportato Venerabili Sacramento, inſtituunt, Studioſorum quidam Catholicus Lutherano proterve adſtanti pileum manu decuſſit. Conglobantur mox Lutherani, & Studioſum illum male exceptum, in carcerem abripiunt. Studioſi Gymnaſii S. J. eundem repetunt: at fruſtra. Lutherani alterum etiam ex Studioſis captivum abducunt. Illi Lutheranum quendam Cauſa Thorunenſis.

com-

comprehenſum ad Gymnaſium ducunt, breviqne iterum liberum dimittunt.

Armati mox cives Lutherani Gymnaſium circumſiſtunt, illudque una cum Collegio & templo S. J. invadunt, confringunt, lacerant obvia: ſacras imagines conſcindunt, proculcant, & in ignem, quem in platea excitaverant, projiciunt: neque blaſphemis clamoribus abſtinent. Sacerdotem ex Societate, vim ſacrilegam prohibere volentem, ferro & ſudibus proturbant.

Proteſt. inſolentia.

Diſperguntur quidem a milite Polonico præſidiario. Sed rurſus, interfecto uno ex militibus, vim arcere conantibus, in globum coacti irrumpunt in Collegium, illudque ſpoliant & devaſtant.

Quinque omnino horas tumultus hic & furor Lutheranorum tenuit, in ſacra & profana graſſantium.

Natio Polonica, potiſſimam partem apprime Catholica, exhorruit, ubi petulans facinus inaudiit. Miſſi igitur a Rege & Republica Thorunum Commiſſarii, tum ex Eccleſiaſticis, tum ex ſæcularibus Senatoribus, aliisque coronæ officialibus electi, qui cauſam iſtam rite examinarent, atque ad regni Senatum referrent. Hic novum tribunal erexit, Varſaviæ, in quo cauſa iſta cognoſceretur & judicaretur.

Polonorum ſententia.

Pronuntiata tandem ſententia, ut aliqui ex reis morte plecterentur, alii carcere, alii mulcta pecuniaria punirentur. Statutum inſuper, ut Senatus Thorunenſis media parte ex Catholicis conſtet, ad militiam quoque urbis Catholici Officiales admitterentur. Templum B. V. M. ad Catholicos transferretur. Lutheranum Gymnaſium urbe excederet, & alibi ſedem figeret. Denique duo Præcones Lutherani proſcriberentur.

Miſſus ad executionem ſententiæ Princeps *Lubomirskius* cum aliis Commiſſariis. Promulgata Varſavienſis tribunalis ſententia, *Röſnerus* Præſes cum octo aliis capite plexi ſunt: reliqua pariter ſecundum ſententiam executioni data.

Röſnerus capite plexus.

Dici non poteſt, quantos hæc executio inter Proteſtantes motus concitarit. Pacem Olivenſem, quæ Boruſſis Polonicis libertatem religionis indulgeat, violatam queſti: vim a Catholicis inchoatam: quidquid ſecutum levis plebeculæ eſſe piaculum: Röſnerum ac Senatum Thorunenſem fuiſſe inſontem.

Itane vero? pax Olivenſis a Senatu Regio ipſoque Rege fuit violata? permittit illa Thoruni Lutheranis liberum religionis exercitium: an non etiam Catholicis? an Lutheranis concedit truculentam petulantemque violentiam in perſonas & ſacra Catholica? an

Proteſt. querelæ.

Rex

Rex & Senatus Catholicus complicatis manibus tanta subditorum suorum crimina intueri debet? Patrent hæc Catholici in civitate Lutheranis subjecta; heu! quæ pœnæ plectendo sceleri?

At vis a Catholicis fuit inchoata, inquiunt. Proh quanta vis, si adolescens petulanter adstanti sacratissimo Mysterio pileum manu decutiat! Ergo urbs ruat in arma: cædes patrentur, invadantur ædes, spolientur, devastentur, sacra omnia sursum deorsum eant. Quoties hoc ipsum contigit in aliis civitatibus, ut juvenis homini irreverenti pileum decusserit; quis prudens propterea tantas insolentias excitandas putavit. Manerent domi, aut discederent tali tempore, quo sacra nostra peragimus; Deo injuriam & despectum publice fieri, non ferendum putamus. Responsio.

Sed vilis duntaxat plebeculæ, dicunt, fuisse tumultum: Rösnerus urbis Præfectus & Senatus fuerunt innocui. Verum, qui ex officio deberet publicas turbas impedire, & non impedit, an dicemus innocuum? deinde cur P. Rectori Secretarius Senatus est minitatus? cur milites civitatis Lutherani a tergo furentis plebeculæ steterunt armati? cur portæ urbis fuerunt clausæ, cum tumultus ingrueret? ne videlicet Catholica suburbia accurrerent. Nihil a Rege & Republica præcipitatum: nil actum temere: omnia probe & exacte fuerunt examinata, donec ferretur sententia. Despectum Numinis, sacrilegam petulentiam, vim publicam armatamque, invasiones truculentas, cædesque, direptiones, concussiones, rapinas, vindicare debuit scelerum ultrix justitia, in eo etiam temperata clementia, quod pluribus reis pepercerit.

Heterodoxi nihilominus quas minas non intentarunt? & Svecus, & Danus, & Prussus, & Anglus, quin & Hollandus quantos extulerunt clamores? quas vindictas coquebant? at Rex Augustus atque animosa Natio, non esse sibi exteris rationem de iis reddendam rati, quæ in regno suo agerent, id solum responderunt, secundum leges regni acta esse, quæcunque acta essent; tam violentas subditorum seditiones, concussiones, & enormes excessus in nullo regno, recte ordinato, impunes fore. Executionem Thorunensem justam esse delictorum pœnam. Non pertinere ad alios, de hac justitia judicare. Non quærere se, quid alibi agatur, an justæ sint Catholicorum oppressiones, sed nec velle, ut alii sibi leges præscribant, quærantque, quid agatur in Polonia. Polonorum generositas.

Hanc generosæ gentis animositatem expertus est Finckius, Legatus Anglicus, ne quidem admissus, quod acerbius latam Reipublicæ sententiam, executionemque illius perstringeret.

Postulata Borussi.

Anno 1725 Rex Borussiæ, executione Thorunensi offensus, a Polonis postulavit 1. ut sal Halla in Borussiam libere & absque vectigali traducatur. 2. Ut telonia in Polonia & Lithuania auferantur. 3. Poloni Borussos transfugas remittant. 4. Propter dominia quædam sibi satisfieri petit, & fines ocius determinari, Regiumque titulum sibi tribui. 5. Episcopum Cujaviensem puniri, quod alienum in territorium sacerdotes Catholicos induxisset. 6. Scire petit, cur intercessio sua pro Thorunensibus non sit audita. An, & quid Poloni responderint, non invenio.

Causa Curlandica. Electio Mauritii.

Anno 1726 causam Thorunensem excepit *Curlandica*. Cum enim Ferdinandus Dux septuagenarius jam esset, & adhuc cœlebs, Status Curlandiæ, in futurum solliciti, successorem elegerunt Comitem Mauritium de Saxonia. Indigne hoc ferebat tum Ferdinandus Dux, tum Russia, quæ Gottorpiensem eligi optaverat, tum etiam Polonia, ad se pertinere existimans de Curlandia & Semigallia, tanquam feudo suo in eventum aperturæ disponere.

Irritata a Polonis.

Res Grodnensibus in Comitiis fuit proposita, statutumque, 1 ut Mauritius, quod nec in Comitiis comparuisset, nec acta suæ electionis ad illa misisset, proscriberetur, & pro hoste patriæ haberetur. 2. Ut Mietavium mitterentur, qui causam examinarent, & Curlandiam in statum suum reponerent.

1727 Commissio Mietaviensis electionem Mauritii irritam declavit, addita prohibitione, ne is unquam Curlandiam intraret. Statibus vero provinciæ mandatum, ut Reipublicæ fideles cum nullo unquam extero Principe de electione novi Ducis tractarent. Quo animo Rex Augustus hæc sanguinis sui fata tulerit, facile est conjicere. Verum providentia majores ad lauros palmasque Mauritium reservavit.

Cosacci.

Anno 1729 Cosacci in Uckrania turbabant. Plures sub protectionem Turcicam se receperunt. Querela ad Gubernatorem Cozimensem delata, respondit is, Cosaccos liberam videri gentem, quæ modo a Turcis, modo a Polonis protectionem quærant. At Poloni hoc responso non contenti, immisso exercitu renitentes ad obsequium reduxerunt.

Obiit Varsoviæ Vincentius Santini Nuntius Apostolicus; cui successit Paoluccius.

Comitia dissoluta.

Anno 1730 indicta a Rege fuerant Comitia Grodnensia; jamque Varsoviam usque pervenerat, cum aliqui Deputati Provinciarum protestationibus suis effecerunt, ut dissolverentur, antequam initium acciperent. Idem fere accidit anno sequenti, Deputato Borussico

ruſſico proteſtante; unde Rex ipſe, qui peracto longo itinere Grodni præſens jam aderat, re infecta iter remetiri Dresdam debuit. Doluit etiam Diſſidentibus, diſſoluta fuiſſe Comitia, in quibus ad commendationem Proteſtantium. Principum ſperabant, ſe varios circa religionem favores impetraturos. Sors eadem comitiorum fuit anno 1732.

§. 4.

Obitus Auguſti II. Electio duorum competitorum. Ruſſorum irruptio. Auguſti III coronatio. Gedani expugnatio. Pax Polonica.

Anno 1733 obiit Varſoviæ Fridericus Auguſtus Rex Poloniæ, 201.
anno æt. 63, Regni 36, Electoratus 39; Primas Regni Theodo- Obit Aug.
rus *Potocki* Archiepiſcopus Gneſnenſis, ſede vacante pro more re- Rex Polo-
gimen auſpicatus eſt: Comes vero *Poniatowski* Regni copias rege- niæ.
bat. Primas Regni Varſoviam convocavit Status de negotio electionis deliberaturos. Habitis aliquot congreſſibus *generalem confœderationem* inierunt, 61 articulis comprehenſam, atque a Primate, octo Epiſcopis, 296 Senatoribus & provinciarum legatis ſubſcriptam juratamque. Confœderatio.

In iis ſtatutum, neminem niſi Piaſtum vel Polonum eſſe eligendum, qui Catholicam Religionem profiteatur. Electionem debere eſſe omnino liberam, eamque 25 Aug. loco conſueto intra Warſaviam & Wolam eſſe ſuſcipiendam.

Duo autem præcipui erant coronæ Canditati, Fridericus Auguſtus videlicet, Saxoniæ Elector, Regis defuncti filius, a Rege Jagellone deſcendens: alter Stanislaus Leſcinsky, Regis Franciæ Socer, jam anno 1704 electus in Regem, cujus pater fuerat Theſaurarius Poloniæ, mater ex Illuſtri Familia Jablonowskia. Duo competitores.

Stanislao adhærebat Primas cum non paucis Magnatum. At vero Cæſar & Imperatrix Ruſſiæ ceu ſponſores libertatis confœderationem illam improbabant, cuique votum ſuum relinqui liberum debere contendentes. Reipſa Stanislaum, cum Gallia intime conjunctum, averſabantur habere vicinum. Quare, ut efficacius id, quod mente conceperant, aſſequerentur, Anna Imperatrix copias militares in Lithuaniam duxit, Cæſar quoque exercitum in Sileſia Copiæ exteræ.

 colle-

ctum Poloniæ finibus admovit, ut electionis libertatem adversus Primatis, ut dicebant, machinationes protegerent.

Nihilominus 25 Aug. Primas Potoki, cum *Regimentario* Poloniæ Poniatowski, multisque aliis Stanislaum, in loco electionis præsentem, Regem renuntiavit. Regimentarius vero Lithuaniæ Wisniowiski cum multis Nobilibus, protestatione interposita, campo electionis excessit, atque ad Moscos se contulit, proditor & hostis patriæ propterea declaratus. Spoliatum Warsaviæ palatium Löwenwoldi Legati Russici, uti etiam Cracoviæ palatium Regium.

Electio discors.

At vero, cum Mosci Vistula trajecta Warsaviam occupassent, Stanislaus cum Primate Dantiscum fugit, & copiis Polonicis, quas Potokius novus Regimentarius duxerat, dispersis, nova electio fuit indicta ab Episcopo Posnaniensi, munere Primatis fungente. Electus est Elector Saxoniæ, & ab eodem Posnaniensi Rex *Augustus III* proclamatus; cujus nomine Wackerbartus *pacta conventa*, 76 articulis comprehensa, confirmavit, Rex vero Augustus, postquam ei electio Dresdam fuerat nuntiata, amnestiam universalem promulgari jussit.

Sed Josephus Potoki, frater Primatis, Kioviæ Præfectus, nihilo secius in majori & minori Polonia, uti etiam Lithuania magnos motus excitavit; sed postquam Dux Weissenfelsius, & Tribunus Baudisius cum copiis Saxonicis advenere, quies aliquanta fuit reddita.

Stanislaus Gedanum.

Quia autem Rex Stanislaus Dantiscum confugerat, Lascius Russicum urbi illi admovit exercitum, relictis ad Varsoviam 15000 sub Lubrasio. Weissenfelsius vero occupata Posnania Dantisco omne auxilium interclusit.

Saxo coronatus.

Anno 1734 Rex Augustus III magno cum comitatu Cracoviam ingressus, atque 17 Jan. in Ecclesia Cathedrali a Lipskio Episcopo loci summa cum solennitate una cum Regina Maria Josepha inter sacra Missarum Officia fuit coronatus. Celebrata dein Cracoviæ fuerunt Regni Comitia, sed propter magnum numerum, Regi Stanislao adhuc adhærentium, nihil admodum perfici in iis potuit; nisi quod aliqua officia a Rege Augusto sint distributa, & confœderatio quædam fuerit inita. Rex autem cum Regina in Saxoniam rediit.

Rex Stanislaus, quod dictum, cum Primate & Montia Legato Gallico Gedanum seu Dantiscum se receperat; igitur Russi sub Lascio ad eam urbem expugnandam se accinxerant. Urbs autem promissis a Gallia subsidiis confisa, animosam defensionem præparavit. 20 Martii cœpta obsidio. 28 viæ obsidionales apertæ. 20 Maji venerunt suppetiæ Gallicæ, 2400 viri, ad Vistulæ Ostium (*Weixelmünde*) munimentum, milliari a Gedano dissitum, appulsæ. Sed Dux Weissenfelsius cum majoribus multo copiis Saxonicis 22 Junii hoc munimentum ad deditionem compulit. Gedanum obsessum.

Gedanum, cum jam in tertium mensem multas calamitates esset perpessum, nec ulla solvendi obsidionem via appareret, Legatos, qui cum Russis & Saxonibus transigerent, misit. At hi ante omnia Stanislaum Regem, Primatem, & Marchionem de Monte sibi tradi postularunt. Igitur Stanislaus 8 Julii mutato habitu noctu ex urbe evasit, salvusque Regiomontum pervenit. Postridie deditionis leges sunt conceptæ. Deditur.

1. Urbs agnoscit Augustum III, legitimum suum Regem, eique fidem & obedientiam pollicetur. 2. Privilegia tamen & jura urbis confirmentur. 3. Promittitur amnestia. 4. Milites peregrini sint captivi. 7. Urbs nunquam assistet hostibus Russiæ. 8. Solennem Deputationem mittet Petroburgum, veniam precaturam. 9. Millionem thalerorum Russis solvet pro sumptibus. 10. Campanæ 30000 aureorum redimantur. 15. Urbs millionem solvet ob dimissum Stanislaum, nisi culpam diluat. &c. Conditiones.

Multi Poloniæ Magnates, qui cum Rege Stanislao Gedanum se receperant, Regi Augusto se subjecere, & 2 Julii urbs Eidem homagium præstitit. Rex Münchium gladio, Lascium annulo magni pretii donavit.

Toto anno 1735 Rex Augustus cum Regina Varsoviæ versatus, de Republica constituenda deliberabat, ubi id ei felix faustumque accidit, ut Josephus Potoki, Kioviæ Palatinus, coronæ exercitui præfectus, Primatis frater, cum copiis suis se submitteret. Supplicatum etiam Regi, ut Primas regni, qui Gedano Thorunium captivus fuerat abductus, liberaretur. Quod ubi obtentum, Primas Varsoviam profectus, ac Regi se subjiciens, in gratiam fuit receptus, sequentibus exemplum pluribus Proceribus, atque integris provinciis. Potokii Fratres ad Aug.

Indixerat equidem Rex Comitia, contra quæ tamen, qui Stanislao adhuc cum Comite Tarlo, Lublinensi Gubernatore, adhæ-

rebant, vulgato per provincios ſcripto, proteſtabantur: cumque provinciarum deputati nollent Comitiorum Mareſchallum eligere, niſi prius exterus miles e regno eſſet dimiſſus, res effectu caruit; quamvis jam octo Legiones Ruſſorum, & quatuor Saxonum in Germaniam eſſent dimiſſæ, atque Rex promitteret, poſtquam omnia in Polonia conquieſcerent, omnes exteras copias inde abductum iri, exceptis 1100 Saxonibus, jam anno 1717 Regi ad corporis cuſtodiam conceſſis.

Interea autem toto hoc anno Stanislaus Regiomonti morabatur: ejus autem adhærentes, comes Tarlo cum Rudzinskio, Steinpflicto Sapieha, Pozievio &c., per Poloniam adhuc cohortes ſuas & turmas circumferebat, donec de Præliminaribus, Viennæ initis, fuit nunciatum, conventumque, ut Stanislaus Poloni regni poſſeſſionem abdicaret, Regium tamen titulum retineret. Quo facto plerique omnes Poloni ad obſequium Regis Auguſti flexi, amneſtia, ab eo promulgata, frui voluere.

Pax Polonica.

Anno 1736 habita Comitia, in quibus pax tandem inita, 343 articulis contenta; quibus, præter alia multa, ſtatuitur, ut omnes priores Confœderationes, & ſcripta, contra Auguſtum III edita, ſint abolita. Reſpublica eum agnoſcit legitimum ſuum Regem, & pro hoſta patriæ habebit, qui adverſus eum aliquid machinaretur. Electio ſit liberes; privilegia rata; Saxones & Ruſſi intra 40 dies Polonia excedant: ſecus hoſtes patriæ habendi, quin Rex id læſæ Majeſtatis ſuæ crimen reputet. Retinere tamen poteſt 1200 Saxones pro corporis cuſtodia, quorum Dux Reipublicæ fidem jurabit, & jurisdictioni Marſchalli coronæ ſubjectus erit.

Curabit Rex, ut perſonæ abductæ & loca omnia reſtituantur. Solus deinceps omnia coronæ officia conferet. Diſſidentibus permittitur ſua religio. Amneſtia ſit univerſalis. Reginæ, ſi fiat vidua, aſſignantur 200000 floreni, & inſuper 2000 aureorum pro ſcatulla: Curlandiæ, poſtquam Kettleriana Familia fuerit extincta, permittitur libera electio Ducis, qui tamen confirmationem a Rege petet. Comitiorum Marſchallus prima die eligendus &c. Poſt hanc Conventionem Rex, donatis Senatoribus, collatisque variis officiis, in Saxoniam rediit, relictis 1200 Saxonibus ſub Comite Sulkovskio.

Republica ſic conſtituta, omnes Principes Auguſtum Regem agnoſcunt. Marchio de Monte e cuſtodia liber dimittitur. Deducuntur ab oſtio Viſtulæ Saxonicæ copiæ, & munimentum Gedanis red-

redditur. Rex Augustus, Sulkovskius, Brühlius ab Anna Imperatrice Russiæ ordine *S.* Andreæ donantur. Comites de Tarco &c., in gratiam recepti.

§. 5.

Obitus Ferd. Ducis Curlandiæ. Electio Bironii. Capitulatio. Ejectus in exilium. Comitia regni dissoluta. Beveranus electus Dux Curlandiæ, & depositus, Russorum revolutione. Mors misera Comitis de Tarlo. Contentio de Augusto ab Austria abstrahendo.

Anno 1737 obiit Ferdinandus Dux Curlandiæ ad Religionem Catholicam conversus, ultimus Kettlerianæ familiæ, cujus pro avus Gotthardus Kettler, cum esset in Livonia & Curlandia Magister ordinis Teutonici, eidem utramque provinciam, ducta uxore, perfide eripuit, atque, sicut Borussiæ Magister, sub protectionem Poloniæ confugit, atque ab ea Ducatum clientelari ac fiduciario jure possidendum accepit. 202. Obit Ferd. Dux Curlandiæ.

Cum igitur Ferdinandus nulla relicta prole obiisset, ad Status Provinciales, secundum conventionem cum Polonis initam, devoluta est electio Ducis. Tres erant Candidati, Mauritius Saxo, Regis frater naturalis, Princeps Hasso-Homburgicus, Ernestus Comes Bironius, natus 1690 in Curlandia, Camerarius Annæ Imperatricis, cujus favore electus est Dux Curlandiæ & Semigalliæ; qui per Finckensteinium a Rege Poloniæ confirmationem electionis petiit. Eligitur Biron.

Antequam tamen illa impertiretur, Reipublicæ Delegati has Mietavii ei leges jurandas proposuerunt. 1. Quod homagium personaliter Poloniæ præstare velit. 2. Catholicis liberum Religionis suæ exercitium permittere. 3. Tempore belli 00 pedites aut 100 equites præbere Reipublicæ. 4. Polonis & Lithuanis, in Curlandia domicilium figentibus, æquales libertates indulgere. 5. Bona, a Kettlerianis pignori aut hypothecæ subjecta, reluere. 6. Sub nullius alterius protectionem concedere. 7. Nemini jus *Indigenatus* seu incolatus largiri, sed petitores ad Comitia regni remittere. 8. Curare, ut Acta Curialia, & Archivia, a Suecis Rigam asportata, restituantur. Capitulatio.

Rex

Rex hoc anno Senatus Consilium habuit, in quo actum de futuris Generalibus Comitiis; de controversia circa Jus Patronatus per Concordatum cum Sede Apostolica finienda: de Legato Niemeroviam ad Congressum pacificationis mittendo, de Neapolitanis creditis reposcendis: de violentis delectibus militum coercendis.

Obiit Jac. Sobieski. Obiit Jacobus Sobiesky, Joannis Poloniæ Regis filius, ætatis 70. Genuit ex Hedvige, Philippi Wilhelmi Electoris Palatini filia, (præter Carolinam, ex duobus fratribus Ducibus Bullioniis uni desponsatam, alteri nuptam) Clementinam, Jacobo Eduardo Stuarto, Angliæ Regi datam conjugem; ex qua nepotes nactus est Carolum Eduardum, & Henricum Benedictum, suos cum Bullionia hæredes. Verum Princeps Radzivilius bona Domus Sobieskiæ, in Polonia sita, ab iis emit.

Anno 1738 inchoata sunt Varsoviæ Comitia: sed cum aliqui Deputati Provinciales a Rege exigerent, ut impediret Russorum transitum per Poloniam, hoc autem non tam facile ac tam cito fieri posset, dissoluta sunt.

Lipskio Cardinali Rex ipse pileum imposuit. Post obitum Potokii ex Episcopo Cracoviensi factus is est Archiepiscopus Gnesnensis & Primas Regni. Verum renuntiavit his dignitatibus, & recepit Episcopatum Cracoviensem.

Anno 1739 Bironius electus Dux Curlandiæ, cum æger esset, per Finckensteinium Varsoviæ coram throno Regio, homagio præstito, feudum recepit, sumptu mille thalerorum.

Zembackius Episcopus Cujaviæ renuntiatus Archiepiscopus Gnesnensis ac Primas Regni. Alexander Ferdinandus Princeps de Thurn & Taxis a Rege adscriptus Ordini Equestri Albæ Aquilæ.

Comitia dissoluta. Anno 1740 in Comitiis Varsoviensibus tractandum erat de pace cum vicinis Principibus servanda; de solutione militiæ facienda; de munimentis limitaneis reparandis, & armamentariis instruendis; de Elbingensi territorio, titulo pignoris a Rege Borussiæ detento, reluendo; de commerciis augendis, re monetaria emendande. Verum inter provinciarum nuntios super his tantæ ortæ sunt discordiæ, ut absque comitiali Decreto discederetur; Rege in Saxoniam redeunta.

In Posnaniensi Palatinatu Borussi Monasterium, quod Paradysum appellatur, fuerunt deprædati, quia Abbas in suo territorio delectus militum vetabat. Poloni in Ducatu Crosnensi, quem Borussi occupaverant, usi sunt *Repressaliis* jure retorsionis.

Anno

Anno 1741, cum Ducatus Curlandiæ per ruinam Bironii vacare a Russis nuntiaretur, Respublica Status provinciæ monuit, ut ad electionem novi Ducis procederent. Electus est Ernestus Brunsvico-Beveranus Princeps Ulrici Frater. At vix ascenderat, cum, nova in Russia revolutione omnia invertente, lapsu graviore ruit, & fuga saluti suæ consulere debuit. Quamvis enim Curlandia feudum esset Poloniæ, & Regem veneraretur suum Dominum, Russi tamen, quia militare suum in ea habebant præsidium, omnia pro arbitrio versabant, Polonis, potentiam veritis, & pacis amore conniventibus. **Biron depositus, & Beveranus.**

Unde etiam in bello Successionis Austriacæ neutras partes secuti sunt, aliquot duntaxat Legiones ad tutelam Regni in finibus locatæ sunt. Quin bello divites facti videri possunt, cum plurimo frumento, aliisque alimentis magno pretio Borussis juxta & Austriacis in Silesia venditis, grandem pecuniæ vim patriæ importarent.

Rex hoc anno in Poloniam non venit, Vicariatu Imperii & bello adversus Austriam districtus.

Anno 1742 Rex *Fraustadium*, urbem ad fines Poloniæ, tribus duntaxat milliaribus Glogavia distantem, Senatus Consilium indixit; quo multi Poloniæ Proceres convenerunt. Rex plures quæstiones iis proposuit. **Fraustadiense S. C.**

1. Quomodo interna Poloniæ quies firmanda, cum Rex propter bellum Germanicum in regno suo subsistere non possit? *Responsum*, Regi non defore media, quibus etiam eminus, tractis in curarum partem Primate, Senatoribus, Status & belli Ministris tranquillitati consulere possit.

2. Quomodo Commercium præsenti bello conservandum? *Responsum*, Conservandam Balthici libertatem, finesque a Coronæ Duce tutandos.

3. Quanta Summa determinanda pro reparando Caminieco? *Responsum*, 16000 florenos Polonicos ex ærario coronæ esse desumendos.

Collatis tum pluribus Regni Dignitatibus, creatisque Albæ Aquilæ Equitibus Rex Dresdam rediit.

Anno 1743 Princeps Radzivilius causam obtinuit ratione bonorum Domus Sobieskiæ adversus Comitem de Tarlo, qui illa hypothecario duntaxat jure possederat. At Comes a Senatu ad Comitia Regni appellavit. Princeps Lubomirskius jam anno superiore plura bona in Moravia coemerat, hoc vero insuper arcem &

& ditionem Seloviciam, pretio, ut fcribitur, 400000 florenorum fupra millionem.

Rex Elifabetham, Ruffiæ Imperatricem, in Ordinem Equeftrem Candidæ Aquilæ affumpfit.

Anno 1744 inchoata funt Grodnæ Regni Comitia tam feliciter, ut aufpicatum omnino exitum fortitura crederentur. Aderant 162 Provinciarum & Civitatum Deputati, qui Comitem Oginsky elegerunt Marefchallum Comitiorum. Materia tractanda propofita, de adminiftranda Juftitia, reftituendis Commerciis, reparandis metalli fodinis, domeftica & externa fecuritate firmanda, copiarum augmento. Actum quoque de fupplendis Coronæ Officiis, quæ ad initium Comitiorum completa effe debent.

At fubito curfum tam aufpicato cœptorum ftitit Deputatus Wisnenfis, qui publice faffus eft ultro, a Wallenrodo Legato Boruffico fibi & novem aliis Commiffariis datam pecuniam, eum in finem, ut Comitia difturbarent, ne videlicet in favorem Regis ceu Electoris Saxoniæ, cujus territorium Boruffi fuerant ingreffi, aut Reginæ Bohemiæ, in quam hoftiliter denuo irruperant, aliquid ftatueretur.

Pecunia corrupti Comitiales Legati.

Deputatus, quem dixi, pecuniam acceptam (3000 aurei fuerant promiffi, & 350 traditi) in medium projecit, comminatus, fe reliquos novem, ejusdem culpæ reos, nominaturum, nifi fe ipfos manifeftarent. At illi tacuerunt. Quare eos prodidit. Pars negavit: pars faffa eft. Inde autem exorto tumultu, quidam Regionarii Nuntii, cum proditores patriæ compellarentur, ex Congreffu eruperunt, nec reduci amplius poterant; atque hac ratione ad votum Wallenrodi Comitia diffoluta funt.

Habitum dein a Rege Senatus Confilium, quo deliberatum, quomodo his in turbis provideri queat, ne Respublica detrimentum patiatur, ftatutumque, ut a Rege Boruffiæ fatisfactio petatur. Pecuniam, a Nuntio Wisnenfi projectam, Orphanotrophio Varfavienfi Rex donavit, illum vero, in fuam protectionem affumptum, 2000 thaleris ex Coronæ thefauro remuneratus eft.

Mors mifera Comitis Tarlo.

Comes Adamus Tarlo, Lublinenfis Palatinus, fingulari cum Comite Poniatowsky certamine congreffus, gladioque confoffus periit. Meliori fato obiit Wisniovitius, Vilnæ Palatinus, ultimus ex ftirpe Jagellonica.

Fran-

Francofurtensis unio omnem conatum adhibuit, ut Augustum III Poloniæ Regem ab Austria ad se attraheret; quare Legatus Borussicus adhuc ante finem hujus anni 1744 Varsaviæ eidem, si unioni accederet, obtulisse fertur, ut Regnum Bohemiæ dividatur, atque sex Circuli Regi Poloniæ, qua Electori Saxoniæ, obtingant; præterea pars Moraviæ, Teschensis Principatus, cum transitu Jabluncæ, ut communionem cum Polonia habeat: Borussiam omnem operam collaturam, ut regnum Poloniæ hæreditarium Domui Saxonicæ evadat: Confraternitatem hæreditariam constituendam Domos inter Bavaricam, Saxonicam & Brandenburgicam, vi cujus Bohemia & Silesia obveniant superstiti reliquis. Galliam eadem Saxoniæ præstituram subsidia, quæ Anglia promisisset; sex memoratos Bohemiæ Circulos mox Electori tradendos. Certamen de Saxone.

Verum hic tam splendidis promissis nequaquam se passus est abstrahi a fœdere Austriaco, sed arctius adhuc eidem se adstrinxit, inito 8 Jan. 1745 Varsaviensi tractatu, Austriam inter, Saxoniam, & utramque Potentiam Maritimam, prout in Germanicis dictum, sancito.

Mortuo dein Carolo VII Imperatore, Franciæ & Borussiæ Reges adhuc ardentius institerunt, ut Regem Poloniæ lucrarentur, oblata etiam Cæsarea Dignitate. At ille memorabili constantia fide sua stetit, quamvis videret, quanto discrimini se & provincias suas objiceret. Conjunxit igitur copias suas cum Austriacis, donec Fridbergensi, Sorano, & præsertim Kesseldorffensi prælio victus, in pacem Dresdensem consensit.

Obiit Theodorus, Princeps Lubomirsky, Cracoviæ Palatinus, Reginæ Hungariæ Generalis Mareschallus, qui frustra conatus fuerat, Poloniam ad Austriacas & Saxonicas partes pertrahere.

§. 6.

Obitus Reginæ. Ejus liberi. Carolus Princeps tertiogenitus eligitur Dux Curlandiæ.

Postquam Rex cum Familia sua sub initium anni 1746 203.
Dresdam rediit, atque Saxoniam suam calamitatibus, quas bellum intulerat, hiantem composuit, cum Regina ad Comitia Varsaviensia

 pro-

profectus eſt. Electus Mareſchallus Princeps Lubomirskius, Caſimiriæ Præfectus, & Rawæ Deputatus. Stanislaus vero Zaluskius, Magnus, ut vocant, Coronæ Cancellarius, materiam tractandam Regis nomine Comitiis propoſuit: quomodo videlicet proventus Reipublicæ augeri poſſent: quomodo abuſus tribunalium tollendi: amicitia inter Illuſtres Familias concilianda; augendus Coronæ exercitus. Verum cum inde contentiones orirentur, abruptum eſt rurſus Comitium.

Anno 1747 Polonia Regem ſuum non vidit; quia apparandis tergeminis nuptiis in Saxonia detinebatur. Vacantia nihilominus Regni Officia & Dignitates diſtribuit. Zaluskius Regni Cancellarius nominatus Epiſcopus Cracovienſis.

Ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem & Primatum Poloniæ Rex nominavit Komorowskium, Præpoſitum Cracovienſem, (1748) cui Pontifex præter Confirmationem ſpecialia alia privilegia conceſſit. Poſtquam Henricus, Comes Brühlius, primus Electoris Saxoniæ Miniſter probavit, familiam ſuam ex Polonia oriundam eſſe, magnos in ea fundos ſibi comparavit. Inter cætera Sierakovium emit a Regina Galliæ, ad quam materno jure ſpectabat, duobus, ut fertur, millionibus. (1749.)

Rex petit, Bironium reſtitui.

Rex, datis ad Eliſabetham Ruſſiæ Imperatricem litteris, ſuo & Reipublicæ nomine petiit, ut Erneſtus Bironius, anno 1740 in exilium ejectus, libertati & Curlandiæ Ducatui reſtitueretur. Sed impetrari id non poterat. Comitia Regni propter diſceſſum & pertinaciam unius Deputati rurſus ſunt diſſoluta. Unde Rex cum conjuge Dresdam rediit: poſtquam varia officia diſtribuit, & Varſoviæ Equites Candidæ Aquilæ creavit, Carolum AnſelmumPrincipem hæreditarium de Taxis, Principes Radzevilium & Lubomirskium, L. B. Weſſenbergium, apud Reginam Aulæ Præfectum, Comites Potokium, & Oſſolinskium. (*anno* 1750.)

Anno 1756 exorto graviſſimo bello Polonia neutras quidem partes ſecuta eſt, non tamen propterea indemnis abiit, jam Ruſſis, jam Boruſſis eandem inviſentibus, & illis etiam hyberna in eadem figentibus.

Obit Regina.

Anno 1757 pientiſſime, ut vixit, obiit Dresdæ, multas belli calamitates forti animo perpeſſa, Maria Joſepha, Regina Poloniæ, & Electrix Saxoniæ, nata anno 1699 ex Joſepho Imperatore, nupta Viennæ Friderico Auguſto, moderno Regi Poloniæ; ex quo genuit 11 proles, 5 maſculas, & 6 fœmineas, omnes hodiedum viventes,

Liberi.

videlicet, 1. *Fridericum* Electoralem Principem, deſponſum Mariæ

An-

Antoniæ, Caroli VII Imperatoris filiæ, felici jam nunc octo liberorum matri. 2 *Franc. Xaverium* bellicis gestis Ducem clarum. 3 *Carolum* Curlandiæ Ducem. 4 *Albertum*, bellicis quoque muneribus conspicuum. 5 *Clementem* Ratisbonensem & Frisingensem Episcopum.

Ex filiabus 1 *Amaliam*, Caroli III Hispaniarum Conjugem, in cœlis jam regnantem. 2 *Annam Sophiam*, Maximiliano Josepho Bavariæ Electori desponsam. 3 *Josepham* Galliæ Delphino nuptam. 4 *Christinam*. 5 *Elisabetham*. 6 *Cunigundam*.

Anno 1758 Regis Poloniæ luctum ob amissam conjugem lectissimam, & dolorem ob oppressam Saxoniam, aliquantum temperavit solatium, quod attulit creatio *Caroli Principis* in Ducem Curlandiæ & Semigalliæ, atque homagium ab Ordinibus eidem præstitum. Nemo tunc reclamabat, sed Status universi, Mietavii congregati, publicum gaudium, bis explosis centum majoribus machinis, compulsatione campanarum, & nocturna urbis illuminatione sunt contestati, quod tot annis capite destituti, dignum in Saxonico Principe Ducem sint consecuti. Electio Caroli.

§. 7.

Concilium Zamosciense anno 1720.

Celebratum est hoc Concilium apud Ruthenos in Polonia, 204.
Præside Grimaldo Archiepiscopo Edesseno, Legato Apostolico, præsentibus quatuor Archiepiscopis, duobus Episcopis, cum Exarcha totius Russiæ, pluribusque Archimandritis. Præmissa & subscripta ab omnibus Professio Fidei secundum formam Concilii Trid. lectæ litteræ Clementis XI, quibus eos ad hoc Concilium invitavit. Philippi cujusdam hæresis damnata, qui Divinarum Personarum distinctas naturas asseruit, negavitque Sacramenta. Nefas esse dixit, libros impressos legere. Cruces argenteas damnavit, quia Christus in lignea fuit mortuus.

CAPUT XIV.

Status Sveciæ SÆCULO XVIII.

§. 1.

Polonus & Russus invadunt Svecum in Livonia. A quo vincuntur. Irruit in Poloniam, ubi Varsaviam & Cracoviam occupat; Regemque novum eligi imperat. Expilat Saxoniam. Movet in Russiam, vincit ad Mobilaam, ad Pultavam & Boristenem penitus profligatur. Fugit in Turciam.

205. Bella Borealia.

Ineunte Sæculo XVIII Augustus Rex Poloniæ, indicto Svecis bello, Livoniam invasit, Riga per Flemmingium obsidione cincta. Creditum, Daniam fuisse hujus incentricem belli, ne Svecus Gottorpiensi possit succurrere, in cujus provincias Rex Daniæ irruperat, easque, sola Töninga dempta, occupaverat. Advolarunt in Ducis auxilium Sveci cum Luneburgicis, qui nolebant, Danum in Holsatia crescere. Cum autem Rex Sveciæ in Zelandiam irruisset, jamque Hafniæ immineret, Danus cum Holsato pacem *Travendalensem* iniit, quam vide in Danicis.

Caroli XII victoriæ.

Petrus autem Moscoviæ Dux, magnorum spirituum Princeps, haustaque per Europam regnandi arte instructus, inito cum Rege Poloniæ fœdere, Svecis bellum indixit, locum ad Balthicum ut munitum quæreret, & ambitioni suæ velificans, Nationem Russicam, hactenus ferme ignotam, & neglectam, in Europæ lucem æstimationemque extraheret. Ardua quidem, cum inconditus populus militari disciplina necdum esset subactus, omnia expertus est; nam cum *Narvam* obsideret, a superveniente Carolo XII Svecorum Rege immani prorsus clade fuit affectus. (*Anno* 1700)

Ingens tunc nomen Caroli, 19 ætatis annum necdum egressi, gentium ubique cœpit inclarescere, præsertim ubi *Dunam* transgressus, & castra Saxonica adortus, alteram victoriam reportavit. Cum autem Mietavium, principem Curlandiæ urbem expugnasset, & cum victore

re exercitu Poloniæ immineret, Primas, datis ad eum litteris, ad pacem adhortatus est, bellum hoc, inquiens, non esse Reipublicæ, sed Saxonum & Moscorum cum Svecia. (1701)

Respondit Carolus, coactum se ad bellum contra Regem Augustum, a quo injuste contra *pacta conventa* esset appetitus. Medium aliud non superesse, quam ut tanquam inhabilis ad regendam Rempublicam in Saxoniam remittatur: se aggressurum hostem, ubicunque ille versaretur.

Poloniam ingressus *Varsaviam* occupavit, prout etiam Dünemundam, nobile in Livonia munimentum, quod anno superiore Saxones occupaverant.

Non ita felix Svecis fluxit annus 1702, quo Russi magna in Livonia clade eos affecerunt. At vero Carolus XII dimisso tantisper Mosco, totus in Augustum Poloniæ Regem incubuit, eumque ad *Clissonum* in Polonia prælio vicit, quamvis minori instructus esset copiarum numero (1702). At cecidit ea in pugna Dux *Holsato-Gottorpiensis*, sororius Caroli, ac belli socius. Victor exercitus Cracoviam mox ingressus est; Augustus vero Sendomiriæ Senatum suarum partium congregavit, a quo Suecus Reipublicæ hostis fuit declaratus. Oginskius Vilnæ in Lithuania Præfectus 600 Svecos occidit, 400 captivos abducit. Wisniowiskius quoque manipulum eorundem cædit. Sapieha autem, potens in Lithuania Familia, ad Svecos transiit, quod Augustum Regem sibi minus faventem crederet. Nec minus ei adversabatur Cardinalis Ragiozkius Archiep. Gnesnensis ac Regni Primas. Pugna ad Clissonum.

Hac Poloniæ dissensione haud operosum admodum erat Sueco Augustum Regem vincere, atque id efficere, ut anno 1704 Stanislaus Lescynski Rex Poloniæ a multis optimatibus eligeretur, anno sequenti coronatus. In Saxoniam irruit.

Anno 1706 Carolus, relicto in Polonia Mardefeldio, cum 14 Suecorum millibus in Saxoniam irrupit. Lipsia portis apertis illum excepit. Quantis dein exactionibus oppresserit Saxoniam, alias diximus. Certe tanta erat calamitas, ut pacem Ranstadiensem, quantumvis duram, utpote qua Augustus coronam abdicavit, extorqueret. Sed necdum miseriarum finis; toto anno Svecus pressit nobilissimam provinciam, pecuniisque extortis, non modo exercitum non minuit, sed grandibus etiam incrementis auxit, Protestantibus passim ex Germania, ipsaque adeo Helvetia ad eum accurrentibus. Certe in omnem Europam terrorem sparsit, suspensis exspe-

ctatione

ctatione populis, in quem irrueret, metuentibus maxime Imperatore, Anglis & Batavis, ne Galliæ socius accederet.

At ille votorum potitus in Saxonia atque Polonia, expeditionem in Moscoviam adornavit, Petrum quoque Czarum throno dejecturus. In tres igitur partes suas copias divisit. Secum in Polonia 40000 habuit, in Livonia sub Löwenhauptio 15000, in Finnia sub Meidelio 9000.

Et Moscoviam.

Zarus tanta tempestate territus pacis conditiones proposuit, quas respuens Carolus, in Moscovia se pacem facturum reposuit. Ad Russorum igitur fines progressus, ad *Mobiloam* memorabili eos prælio fundit. In Ucraniam inde movens, cum cibaria deficerent, Löwenhauptum cum suis 15000 & 8000 curribus, commeatu onustis ex Livonia accivit. Verum ille, cum imperata facturus ad *Proniam* fluvium venisset, in Moscos incidit, paratos ad prælium, atque ab iis ita contusus est, ut 5000 concisi, 300 capti, reliqui dissipati sint, 8000 curribus cum omni annona & apparatu bellico in Russorum manus dilapsis.

Ad Pultavam & Boristenem ad internecionem cæsus.

Carolus hac clade minime territus, sed proposito suo, plane audaci, in cor ipsum Moscoviæ penetrandi, insistens, *Pultavam*, in Kioviensi ditione urbem, obsidere cœpit. Zarus plurimum sua interesse ratus, hunc Russiæ aggerem conservari, ad solvendam obsidionem accurrit.

Aderat jam fatalis epocha, unde Carolus XII Suecorum Rex gloriæ suæ finem, & immanium calamitatum principium duceret, grandi futurus documento posteris, terminos humanæ ambitioni esse positos, quos ultra non procedat, nec magnam fortunam, conjunctam cum audacia, procul esse a præcipitio.

Commissa quippe ad Pultavam 27 Junii 1709 est pugna decretoria, quam præsentia utriusque Principis animabat: eamque tandem obtinuit Petrus victoriam, cui pares non multas legas. Novem Svecorum millia in acie cæsa, capta 3000 cum omnibus impedimentis, re armamentaria, castrisque ditissimis. Pars hæc tantum erat victoriæ, complementum accessit ad Boristenem; cum enim Carolus cum exercitus reliquiis, in Poloniam rediturus, eo profugeret, Menzikofius fugientes assecutus est, Regeque jam ultra flumen provecto, octodecim Suecorum millia captivos cum Löwenhaupto, eorum Duce, se dediderunt. Quis hoc credidisset de gente, & telluris suæ genio & longo bello durata? sed hæc est timoris vis. Ubi sese infuderit, ferrata etiam pectora colliquescunt.

Fugit in Turciam.

Caro-

Carolus Rex, ad cujus nomen totus Septentrio intremuerat, per vastas solitudines prope solus penetrans, fuga præcipiti in Turciam evasit; & primum quidem Ozakovii se abscondit, dein vero Tegini (Bender) a Bassa receptus est. Atque hoc pacto, cum pugna ad Pultavam esset Carolo, quod Pompejo Pharsalica, una dies omnes lauros & palmas uno ictu succidit. Felicior tamen fuit Carolus abavunculo suo Gustavo Adolpho; cui per duos duntaxat annos sævire in Germania licuit.

Quamvis autem vires & fortuna Carolum destituerint, non tamen magnitudo animi, quem vel inter Turcas luculente demonstravit. Sollicitare istos & instigare non desiit, ut Russiæ bellum inferrent, & obtinuit. Sed Vezirius præcipiti pace spes delusit. Sancitum equidem, ut liber & securus Regi concederetur transitus, sed Turca executionem non urgente, Carolus exul vivere debuit.

§. 2.

Sveci ubique cæsi, Bremam, Tönningam, Stetinum, Finiam amittunt. Rex captivus. Stralsundam redit. Contra 5 Reges certat, etiam Stralsundam & Rügiam amittit. Jactat tamen brachia. Occumbit. Effigies.

Anno 1712 Fridericus IV Rex Daniæ Stadam, præcipuum 206.
Ducatus Bremensis munimentum, Svecis vi eripuit, totamque provinciam fidem sibi jurare coegit. Verum paulo post a Steinbockio, commisso in Mechlenburgicis prælio cæsus, in Holsatiam se recepit: Russis Stralsundam & Insulam Rügiam irrito conatu tentantibus.

Brema ad Danum.

At versa fuit belli alea anno 1713, Svecis multo infelicissimo. Nam postquam Comes Steinbockius Altonam incendio ferme deleverat, imminentibus undique magno numero Russis, Danis, & Saxonibus *Tönningæ* mœnibus cum copiis suis se inclusit. At cum tres fœderati urbem arcta obsidione cingerent, & annona obsessos deficeret, cum exercitu suo, ad tredecim millia virorum excurrente, captivum se dedere coactus est.

Svecorum ruina.

Hæc tanta ruina mox alias non leviores traxit: nam & Tönninga Danis tradita solo æquatur, & Holsatia Ducalis vastata, & *Stetinum*, princeps Pommeraniæ munimentum, a Russis expugnatur, atque, cum Imperium hanc urbem Moscovitis nollet concedere, Borussicis, & Holsatis præsidiis cum aliis locis in *sequestrum* datur. Nec

Stetinum ad Russos.

Et F[illegible]

Sveci in Finnia cæsi.

in Finlandia sors Svecorum melior; nam *Ahrenfeldio*, qui novem eorum millia collegerat, a Gallicinio acie victo ac profligato, tota Finlandia ad Russos transiit.

Carolus Rex captivus.

Quod denique miserrimum, Rex Carolus, qui prope Teginam seu *Bender* propugnaculum sibi construxerat, a Turcis Tartarisque oppugnatus, vulneratus, atque captivus, privati & facinorosi instar hominis Demoticam, locum quinque ab Adrianopoli in Thracia leucis dissitum, abstractus est. Hæc nempe erat Turcarum fides, cui coronatum caput se crediderat. Et gratiæ loco habere debuit, quod Sultanus, hæc inscio se patrata fuisse, diceret.

Stralsundam redit.

Tot calamitatum pertæsus Rex, anno 1714 Stralsundam rediit, Regnum suum nobilissimis provinciis, & dimidio sui exutum contuens, simulque novas iterum clades passurus a fœderatis, Danis præsertim & Russis, terra marique cædentibus Svecorum reliquias.

Brema ad Hannoveranum.

Retinere potuisset Rex Carolus Wismariam, Wolgastum, Stralsundam cum Insula Rügia, si tractatu sequestri stare voluisset. At ille animo ferox pactionem omnem, nisi omnia sibi restituerentur, respuens, Stetinum a Brandeburgis repetiit. Hannoveranus vero, cum Bremensem Ducatum a Danis pecunia emeret, pariter huic bello involutus est.

5 Reges contra Svecos.

Cum quinque igitur hostibus prævalidis, Moscoviæ Imperatore, Regibusque Poloniæ, Daniæ, Borussiæ, & Angliæ, qua Hannoverano Electore, laceræ Sveciæ dimicandum fuit, singulis ex prostrato Colosso membrum aliquod sibi decerpentibus: solo vero Holsato-Gottorpiensi, & Hasso-Cassellano Svecum juvare volentibus magis quam valentibus. Gallia alias erat Sveciæ fiducia, at illa longo gravissimoque Hispanicæ successionis bello attrita, proprios Penates tueri debuit. Accessit mors Regis Ludovici, quæ omnem auxilii spem abrupit.

Sveci etiam Stralsund. & Rügiam perdunt.

Igitur Carolus, sola mente non dejectus, unus contra omnes arma, ut ut hebetata, circumtulit, conatu magno, sed irrito. Nam anno 1715 a quinque Regibus undique concisus, Insulam quoque Rügiam, Stralsundam, & reliqua, quæ in Germania adhuc habebat, loca amisit; vindicante cælo Germaniam, igni ferroque olim vastatam.

Carolus nihilominus impetrare a se non potuit, ut pacem peteret, sed bellum spirans, cum quodam dicere videbatur: *aut Cæsar, aut nihil.* Quippe, postquam Stralsundam jam non amplius defendi posse viderat, inde elapsus rigente hyeme magna inter pericula

mare

mare trajecit in Scaniam, ubi, quasi puderet Holmiam Regiam suam ingredi, subsistens, reparandis copiis belloque omnes vires impendit, adeo quidem, ut collectis brevi ex bellatrice illa gente octodecim millibus, expeditionem in Daniam adornaret. **Jactat nihilominus lacertos.**

Hyems erat perfrigida, quæ Balthicum glacie ita obduxerat, ut firmum militi gressum præbere videretur; sed, quasi etiam elementa in perniciem Svecorum conspirassent, resoluta leni temperie subito glacie, multi aquis sunt hausti. Ne tamen nihil egisse putaretur, anno 1716 in Sundico Insulam Huenam, Uraneburgo Tychonis olim celebrem, occupavit: indeque in Norvegiam penetrans, Christianiam & Friderici Hallam expugnavit quidem, sed affluentibus magno numero Danis easdem relinquere & viam in Sveciam relegere coactus est. (anno 1716). Fortassis intenta Russi & Dani in Scaniam expeditio calcar addidit.

Anno 1717 Carolus Rex Lundæ in Scania subsistens bello apparando incubuit. Cumque Sveci piratæ Balthicum infestum redderent, & Anglicas etiam atque Hollandicas naves interciperent, Georgius Rex Angliæ classem, 26 bellicis validam, Bingio commisit, in Balthicum ducendam, ut prædones inhiberentur.

Wismaria, in pace Westph. Svecis cessa, priore anno a fœderatis expugnata, hoc anno 1717 munimentis suis, quæ habuerat firmissima, a Danis nudata est.

Demum annus 1718 Carolo XII Svecorum Regi vitæ turbulentæ finem attulit; cum enim bipartito exercitu, quorum alterum ipse ducebat, alterum Ahrenfeldio commiserat, in Norvegiam irrupisset, & sæviente bruma Friderici Hallam obsideret, 11 Dec. glande plumbea percussus occubuit, anno ætatis 37, regni 20. Filius fuit Caroli XI, nepos Caroli Gustavi, cui Christina regnum cesserat. Princeps excelsi & Martii omnino spiritus, ad audaciam usque & temeritatem generosi, atque in rerum asperis admiranda magnitudine & periculorum contemptu sibi constantis. **Donec occubuit.**

Primum regni dimidium super aera eum extollere videbatur, alterum ad calamitatum abyssum præcipitavit. Cum devicta Polonia & Saxonia victorem exercitum in Moscos duceret, eorum quoque Imperatorem throno dejecturus, anno 1709 Pultava & Boristenes stiterunt victoriam, exercitu ejus ad internecionem ferme deleto. Cum paucis in Turciam fugit, ibique summa inter capitis discrimina quinque annis versatus est, captivusque in Thraciam abstractus, 1714 Strahlsundam rediit: 1715 in Sveciam, **Elogium.**

regnum undique mutilatum intueri coactus: illudque reparandi ſpes heroem in Norvegia ſepelivit 1718.

Cœlibem vitam duxit. Ex Sophia vero ſorore ſeniore nepotem reliquit Carolum Fridericum Ducem Holſatiæ, & Ulricam ſororem juniorem, Friderico Principi Haſſo deſponſam. Supererat etiam Guſtavus Samuel ex eadem Domo Bipontina, qui Ducatum obtinuit.

Quia autem Caroli XII ſingularia prorſus ſunt fata, & hiſtoriam totius Septentrionis complectuntur, juvat hic ea, memoriæ gratia, in unum cumulum conjicere.

Carolus XII Sveciæ Rex, dum Auguſtus Rex Poloniæ & Petrus I Moſcoviæ Imperator Livoniam ei nituntur eripere, utrumque vicit, ſcriptisque ad Polonos litteris jubet, ut Saxonem in patriam remittant, aliudque caput ſibi eligant. (anno 1701)

Moſci cladem reponunt. Carolus nihilominus in Poloniam effuſus, ad Cliſſonam Saxones cædit, amiſſo tamen Gottorpienſi ſororio, & ſuffoſo, cui inſidebat, equo, graviter læſus, fracta coxendice. Victor exercitus, nemine obſiſtente, Cracoviam ingreditur. Sendomiriæ autem Carolus hoſtis Reipublicæ declaratur. (anno 1702)

Saxones rurſus prælio ſuperantur. Initoque fœdere cum Rege Boruſſiæ, Carolus Thorunium occupat, civibus Lutheranis colludentibus, Saxonico præſidio capto. Idem fuit Elbingæ fatum. Pax negatur Auguſto. (1703)

Stanislaus Lescynsky eligitur Rex Poloniæ (26 tunc annum ætatis agens) contradicente parte, Auguſto adhærente; quæ ad Selburgum a Svecis vincitur, & ad Poſnaniam. Auguſtus auctus 6000 Ruſſis & 4000 Coſaccis ad Varſoviam cladem Svecis reddit, multis eorum cæſis aut captis: rurſusque ad Polangam. Svecus vero Lembergam intercipit, relataque victoria Saxones Polonia expellit. (1704)

Löwenhauptus in Curlandia gravi ſtrage profligat Moſcos. Sed Petro cum magna multitudine imminente, Rigam ſe recepit. Auguſtus autem Moſcis adhuc arctius ſe adſtrinxit, Carolo cum Polonis in nova pacta eunte. (1705)

Frauſtadiana relata victoria Carolus cum exercitu Luſatiam & Saxoniam ingreditur, & utraque expilata, Tractatum Ranſtadienſem extorquet. A Maderfeldio Auguſti copiæ iterum cæduntur in Polonia. (1706)

Carolus

Carolus non obstante tractatu Ranstadiensi Saxoniam ingentibus exactionibus vexare pergit. (1707.)

Innovatis multis in favorem Lutheranorum in Silesia (in quem finem etiam ab Imperatore, bello Hispanico tunc distento, concessionem, rei Catholicæ noxiam, extorsit) regressus in Poloniam, Russiæ quoque Imperatorem solio suo dejicere statuit. Et videbatur cœptis aspirare fortuna; nam ingressus fines Russiæ, gemino prælio hostes fudit. Sed Löwenhauptus, cum vellet Regi annonam, qua laborabat, adducere, a Moscis cæsus, cum reliquiis ad Regem penetravit. (1708.)

Carolus, superato Boristhene in extremam Vohliniam penetravit, Pultavam urbem, in qua dives horreum annonarium Moscorum erat reconditum, expugnaturus. Ad pugnam decretoriam ibi deventum, qua ad internecionem cæsi sunt Sueci, reliquiæ vero ad Boristenem fugientes, a Menzicovio captæ sunt, & inter eas præcipui Duces, Löwenhauptus, Rinschildius, Wirtembergius Princeps &c. Rex natando per Boristenem evasit per varia deserta in Turciam, primum quidem Ozakovium, dein vero Teginum. Et *Bender.* huc tandem evaserunt tot octo annorum triumphi Caroli XII Suecorum Regis, quem velut Alexandrum, aut Cæsarem sui sæculi Protestantes celebrabant, ut vel apud barbaros asylum quæreret. Pompejum aptius dixeris in campis Pharsalicis, cui unus ictus omnes lauros incidit. (1709.)

Retro lapsa tunc siquidem est tota Suecorum gloria. Residui in Polonia cum Stanislao fugam arripuerunt. Augustus in thronum repositus. Cum Zaro, Dano, Brandeburgo, Hannoverano, Polono Sueciæ attritæ dimicandum. Adeo advolarunt omnes, ut Leoni prostrato jubas evellant. Primus erat Danus, infusus Scaniæ, ubi Helsimburgum, aliaque loca occupavit, sed a Steinbockio gravi clade est multatus. Zarus victor plures in Livonia urbes cepit. (1710.)

Mosco in Turcas averso, Danus Rostochium occupavit, atque Pomeraniam ingressus Stralsundam & Wismariam tentavit (1711.) Sultanum sollicitat Carolus, ut securam viam in Sueciam sibi pandat. Promittit ille, idque cum Mosco in pactum deducit. Sed nulla fit executio (1712.)

Varnizæ prope Teginum præsens vitæ discrimen subit; dum Chamus Tartarorum, & Seraskierus cum militum globo in domo sua eum aggrediuntur. At ille stricto gladio, pluribus Turcis interfectis, viam sibi aperit, accepto vulnere in capite (1713.)

 Dum

Dum a Dano & Mofco ejus provinciæ diripiuntur, cum 4 duntaxat comitibus iter ingreditur, ut Stralfundam fervet. (1714.)

Cum illam defendere non ultra poffet, clam evadit in Sueciam, pacem omnem refpuens, nifi omnia ablata fibi reftituantur (1715.)

Collecto milite irruit in Norvegiam, fed viam in Sueciam relegere cogitur. (1716.)

Novum exercitum comparat adverfus Ruffos, Danos, Polonos, Brandenburgos, Hannoveranos (1717.)

Irrumpens denuo in Norvegiam glande plumbea fternitur. Et fic tandem quievit; fi tamen quievit. (1718.)

§. 3.

Litem de Succeffione abfcindunt Status, dum regnum electivum ftatuunt. Eliguntque Ulricam, novamque regni formam ftatuunt. Suafu Reginæ eligunt ejus conjugem, & Capitulatione circumfcribunt.

207. *Lis de fucceffione.* Igitur mortuo absque liberis Carolo XII orta eft quæftio, cuinam ex tribus illis perfonis jus fucceffionis in regno competat. Omnes tres defcendebant ex Catharina, Guftavi Adolphi Regis forore, Joanni Cafimiro, Duci Bipontino nupta, cui Guftavus Samuel gradu erat propior, fimulque fexus prærogativa gaudebat. At forores Caroli XII & ultimo huic poffeffori fanguine, & primo acquirenti propiores erant linea.

Igitur quæftio maxime vertebatur, an præferendus fit primogenitæ fororis, jam defunctæ, filius, matrem repræfentans, an vero fecundogenita, adhuc vivens.

Status eligunt Ulricam juniorem. Sed quæftiones iftas uno ictu amputarunt Status Sueciæ, dum declararunt, Sueciam non effe regnum hæreditarium, fed electivum; nemini proin, Rege fine defcendentibus mortuo, jus ad illud competere: nec fummam deinceps, & independentem a Statibus Regiam poteftatem effe debere.

Acceptavit conditionem Ulrica, foror defuncti junior, & mox electa fuit Regina, proteftante Friderico, & jus fuum fibi refervante.

Comitia novas leges condunt. Anno 1719 congregata funt regni Comitia, ex Statu Equeftri, Ecclefiaftico, Civili, & Ruftico conflata. In his conditi funt multi articuli, quorum magis notabiles videntur.

1.ʳ Religio maneat in statu pristino.

2. Regina justitiam administret secundum leges: novæ vero sine consensu Ordinum ne introducantur.

3. Regnum perpetuo electivum maneat.

4. Suprema potestas sit penes Reginam & Comitia simul, & extra ista penes eandem Reginam, & Senatum regni. Hic autem constet 24 personis, eligendis a Regina ex iis, quos regni Status proposuerint. Nullus tamen sit exterus.

5. Senatus bonum & libertatem regni tueatur, quin necesse sit, ut Reginæ mandatum exspectet.

6. Vacante throno regimen sit penes Senatores regni.

7. Reginæ fas sit, Comites, Barones & Nobiles creare.

8. Singulis saltem trienniis Comitia Regni celebrentur.

In reliquis statuitur, quot debeant esse in Consilio aulico, bellico, marino, camerali, commerciali, revisorio &c.

Tum vero Upsaliæ Regina fuit coronata ab Archiepiscopo, uti vocant, Upsalensi & Comite Gyllensteinio: Conjux vero Reginæ Fridericus Cassellanus supremus belli Præfectus fuit renuntiatus: Regni Officiales Guldenstern, Reinschild, Horn, Cronhielm. Senatores etiam regni electi: indictaque in annum sequentem Comitia, in quibus regiminis forma ulterius ordinetur. Denique Görzius Baro capite plexus, quod Regi defuncto noxia, ut fertur, suggessisset consilia. Regni Ministri.

Anno 1720 Fridericus Hasso-Cassellanus Princeps, Ulricæ Reginæ Conjux, & armorum superiore anno creatus Præfectus, in Regem Sueciæ ab Ordinibus regni electus est. Comitia in hanc rem celebrata sunt, in quibus Regina id petiit. Obstabat Friderico potissimum religio Calviniana, in qua in Hassia fuerat educatus. Sed Regina Status securos reddidit, conjugem facile ad Lutheranam professionem transiturum. Fridericus Hassus Rex eligitur.

Quo audito pronas omnes Reginæ aures dabant; Capitulationem tamen confecerunt, quam novus Rex juraret. Notabiliora ejus puncta hæc videntur. Et Capitulationibus circumscribitur.

1. Religionem Lutheranam publice profiteatur.

2. Solis Lutheranis officia conferat.

3. Nulli alteri Religioni conventus publici concedantur. Legatis privatim in domo sua conceditur.

4. Rex non minorem Reginæ amorem & æstimationem exhibeat.

5. Secundum novam formam introductam regat.

6. Prin-

6. Principibus Regiis non dentur in ſubſidium vitæ aut dotem bona immobilia, ſed pecunia.

7. Nulla graviora negotia in aula expediantur, ſed in regni ſenatu, & deſtinatis Collegiis.

8. Statibus ſemper liberum ſit, convocationem Comitiorum petere.

9. Minora belli officia Rex conferet: at majora non niſi cum conſenſu totius ſenatus.

10. Nemo ſine prævio ordinario proceſſu officio ſuo privetur.

11. Privilegia quatuor Statuum Rex non diminuat, aut mutet.

12. Diſpoſitio de publicis pecuniis in ſenatu, & Collegiis deſtinatis fiat.

13. Nulli exteri ad officia admittantur: nec Rex pro Germanicis ſuis provinciis plures officiales habeat, quam ſit neceſſe.

14. Germanicis provinciis non renuntiet.

15. In abſentia Regis ſenatus gubernet.

16. Rex tantum pro ſuis deſcendentibus & uxore ſucceſſionem prætendat in regno. Poſtea electio libera eſto.

17. In Decretis & Ordinationibus nihil mutet.

18. Res monetaria reducatur ad taxam, quæ fuit tempore Caroli XI.

19. Circa Univerſitates & Jus patronatus nihil mutetur.

20. Idem circa ſtipendia, nec fas ſit Regi piis cauſis aliquid demere.

21. Qui contra hanc conventionem aliquid moliri auſus fuerit, tanquam proditor puniatur.

Huic Capitulationi, qua Regem circumſcripſit Suecia, illico ſubſcripſit Fridericus, ac dein edita publice profeſſione fidei Lutheranæ, cœnam Lutheranam ſumpſit, credens, ut præſeferebat, ſe vere corpus Chriſti ſumere, quod hactenus negaverat. Acta hæc ſunt Carlspergæ; coronam vero accepit Holmiæ, ſimulque a 4 regni Ordinibus homagium.

Nova ſtatuta. Antequam autem Comitia ſolverentur, formatus eſt Regni Receſſus in hanc ſententiam.

1. Confirmant Status electionem Regis, & ejus filiorum, quos ex Regina eſſet ſuſcepturus.

2. Regina reſumat regimen, ſi Regi ſupervivat.

3. Si autem nullum filium relinquerent, locum habeat nova electio.

4. Su-

4. Suprema & independens Regia potestas in perpetuum sublata esto.

5. Initi cum Anglia, Dania, Borussia pacis ac fœderum tractatus confirmantur.

6. Cum Russia bellum continuetur, donec pax honesta obtineatur &c.

Subscripserunt 4 Status: rusticus tamen non nisi cum protestatione contra ea, quæ in præjudicium suum possent vergere.

§. 4.

Pax cum Electore Hannoverano.

Post mortem Caroli Regis Sueci, tot cladibus & jacturis fessi, 208.
totque hostibus impares, cum in dies magis attererentur, & hinc Danus ex Norvegia irrueret, inde Russi ad ipsa prope Holmiæ mœnia prædas agerent, ad pacem serio respexerunt. Quia autem difficilius erat, cum omnibus fœderatis simul eandem pangere, cum singulis seorsim tractare cœperunt: & primo quidem Holmiæ jam anno 1719 cum Georgio Electore Hannoverano, cui Ducatum Bremensem & Verdensem, a Rege Daniæ venditum meminimus; cesserunt Sueci juri suo in utrumque, jam per P. W. adquisito; illudque una cum jure voti & sessionis in Hannoveranum transtulerunt. Hic vero propterea millionem thalerorum Suecis solvit; eundemque Electorem, relictis fœderatis suis Borealibus, socium Suecis accessisse, inde est colligere, quod mox Anglia prævalidam classem sub Norrisio Archithalasso immiserit Balthico, Suecos defensuram.

§. 5.

Pax cum Rege Borussiæ.

Mediante dein per Milordum Carteret Anglia, cum Rege Bo- 209.
russiæ sub initium anni 1720 *Holmiæ* pax fuit conclusa: cujus hæc summa.

1. Sit pax constans inter Sueciam & Borussiam.

2. Et amnestia cum liberatione captivorum sine lytro.

3. Suecia cedit Prussiæ Stetinum, cum districtu inter Viadrum seu Oderam, & Penum fluvium: insulas item Wollinum & Usedom, ut adeo Penum sit deinceps limes Pommeraniæ Suecicæ & Borussicæ.

4. Suecia ratione Pommeraniæ votum & sessionem in Comitiis Imperii habeat.

5. Borussus religionem in cessa Pommeraniæ parte ne mutet.

6. Subditi privilegiis acceptis gaudeant.

7. Proprietariis vi amnestiæ erepta restituuntor.

8. Debita publica solvuntor.

9. Archivia extraduntor.

10. Ad Penum nulla telonia eriguntor. Commercia promoventor.

11. Pars utraque conetur libertatem a vectigalibus in Sundico a Dania obtinere.

12. Res veredaria ordinetur.

13. Borussus bello inter Suecos & Russos ne se misceat.

14. Borussus solvet Suecis duos milliones Hamburgi.

15. Suecia autem insuper cedit Borusso duas urbes, Damum & Golnavium trans Viadrum. Contra vero Borussus teneatur operam suam impendere, ut Sueci honestam ab hostibus suis pacem obtineant.

16. Pax Westph. subsistat in omnibus, in quibus ei per hanc pacem non fuit derogatum.

17. Paciscentes curabunt, ut Cæsar aliique Principes hujus pacis sint sponsores.

Plures additi sunt articuli, qui tamen minoris ad eruditionem, quam solam hic intendimus, videntur esse momenti.

§. 6.

Pax cum Rege Daniæ.

216. Eodem anno 1720. pax cum Daniæ quoque Rege, interlocutore eodem Cartereto, Angliæ Legato, fuit composita; cujus notabiliores conditiones sunt.

1. Sit pax perpetua inter Daniam & Sueciam, cum plena amnestia.

2. Commercium terra marique sit omnino liberum.

3. Renuntiatur utrinque omnibus fœderibus, quæ huic paci sunt contraria.

4. Dani

4. Dania bello, inter Suecos & Moscos adhuc vigenti, se non immisceat.

5. Cum Dux Holsatiæ huic paci ratione Schlesvicensis Ducatus se posset opponere, Suecia promittit, quod nullatenus se sit oppositura iis, quæ a Gallia & Anglia mediantibus in favorem Daniæ essent pronuntianda.

6. Dania cedit Sueciæ Pomeraniam usque ad Penum fluvium, Stralsundam, Insulam Rügiam, Marstrandam munimentum in Norvegia, omniaque alia illi erepta; cum Wismaria.

7. Contra vero Suecia Daniæ in Sundico vectigal solvat, sicut alii, ita ut nulla sit inter Nationes differentia. Ac insuper sexcenta thalerorum millia Hamburgi.

8. Hac pecunia a Suecis soluta, Danus prædicta loca illis tradet.

9. Exules restituantur. Oriturae vero controversiæ per Commissarios componantur.

10. Captivi sine lytro liberi sunto.

11. Fines in Lapplandia per Commissarios determinantor secundum veteres tractatus.

12. Quot hebdomadis Posta Suecica per Daniam, & Danica per Scaniam libere transeat.

13. Omnes priores conventiones de novo confirmantur.

14. Wismaria non amplius muniatur.

15. Veredi in alieno territorio cornua non inflanto.

§. 7.

Pax cum Polonia.

Cum Augustus Rex Poloniæ cerneret, Regem Angliæ, Borussiæ, & Daniæ, pacem cum Suecis tractare, noluit esse ultimus; ac proin eodem anno 1720 conventionem iniit, qua Suecia Augustum legitimum Poloniæ Regem agnovit, eumque, quem post Augusti mortem Respublica esset electura, pariter se agnituram promisit. 211.

Præliminaria hæc duntaxat appellabantur; nam ad pacem universalem totius Septentrionis, quam videlicet omnes, qui bello illi Boreali erant impliciti, essent inituri, se referebant. Sed pax cum Moscis necdum satis maturuerat.

§. 8.

Pax cum Russia.

212\. Contrariis omnino principiis erant imbuti, Carolus XII Rex Sueciæ, & eo defuncto regni Status atque Rex Fridericus. Ille cum Russis pacem sanciendam putabat, ut reliquis Borealibus hostibus majori vi posset occurrere.

Quapropter suos in Insulam Aland legatos mittebat, qui cum Moscis ibidem tractarent. At vero post ejus mortem Suecia cum reliquis hostibus paciscendum existimavit, ut eo potentius in Moscum posset incumbere, dissolvitque Congressum Alandinum.

Indignatus Zarus, terra marique legiones infudit Sueciæ, qui eandem igni ferroque devastarent. Et sensit Suecia ultrices flammas, plus viginti urbibus, 1361 oppidis in cineres aut alias in ruinam datis, ærifodinis quoque, quibus abundat Suecia, ingenti damno destructis. Et quamvis Anglica classis, Balthico invecta, sisteret aliquantum impetum, terrestres tamen populationes prohibere non potuit.

Pax Neostadiensis. Quare versis in pacem cum hoc etiam potenti hoste Suecorum animis, *Neostadium* in Finnia delectus est congressui locus, in quo tandem in hæc potissimum pacta conventum. (Anno 1721.)

1. Pax esse jubetur perpetua cum plena amnestia, qua omnes fruantur, exceptis Cosaccis, qui ad Suecos transierant.
2. Diebus 14 lapsis post signatam pacem cessent hostilia.
3. Livonia, Estonia, Ingria, cum parte Careliæ, a Suecis in Russos transferuntur.
4. Finniæ vero partem potissimam Zarus restituit, cum duobus thalerorum millionibus.
5. Suecis conceditur annua exportatio certæ quantitatis frumenti.
6. Zarus se non miscebit novæ in Suecia regiminis formæ, aut successioni in regno.
7. Determinantur limites.
8. Subditis in cessis provinciis sua relinquantur privilegia; uti etiam religio Lutherana.
9. Bona confiscata restituantur, absque tamen perceptis fructibus.
10. Captivi sint liberi.

11\. Zarus

11. Zarus Poloniæ Regem & Rempubliam huic paci vult inclusos, tanquam fideles suos confœderatos. Sueci vero includunt Angliam: iis tamen exceptis, in quibus Zarus se gravatum putat.

12. Commercium utrinque sit liberum.

Pacem hanc composuerunt nomine Sueciæ Liliensteтus, & Strömfeldius, nomine Zari vero Brucius, & Ostermannus, Westphalus.

Post pacem hanc *Neostadiensem*, qua tot provinciæ Russiæ sunt adjectæ, Petrus I. Magnus Moscoviæ Dux titulum *Imperatoris*, a Synodo & Senatu Russico sibi delatum, acceptavit: dictus a suis *Petrus Magnus*, *Pater Patriæ*, *Russorum Imperator*: Imperatoris titulum ei mox detulerunt Rex Borussiæ, Hollandi, Sueci, alii vero tardius.

§. 9.

Fœdus Russicum. Caussa Ducis Gottorpiensis. Conditiones, quibus Suecia accessit fœderi Hannoverano. Societas mercatoria Chinensis. Tractatus subsidialis primum cum Gallia, dein cum Anglia. Sinclari cædes.

Anno tandem 1722 Suecia, pace undique composita, in mediocritate sua conquievit; ruinis suis reparandis intenta. Convocata sunt hoc fine in annum sequentem Regni Comitia, in quibus multa disputatio cum statu Rustico, æqualitatem cum tribus reliquis Statibus in omnibus exigente. 213.

Anno 1724 omnino fœdus Russos inter & Suecos coaluit, cui postea etiam Cæsar accessit. Confirmatur in eo pax *Neostadiensis*, spondeturque auxilium, si pars alterutra invaderetur. Suecus mittet 10000, Russus 16000: adjecta utrinque classe, sumptu proprio. Neutra pars contraria his pacta inibit, nec pacem aut inducias sine altero. Hoc defensivum fœdus 12 annis vigeat. Fœdus cum Moscis.

Additus articulus secretus, in hunc sensum: cum Dux Schleswico-Holsata, jam per tot annos Schlesvicensi Ducatu sit privatus, utriusque autem partis intersit, ut restituatur, atque hoc pacto plena quies in Septentrionem reducatur, ideo obligant se ad omnia bona officia, apud Danicam aliasque aulas efficaciter impendenda, ut hic publicæ tranquillitatis obex omnino tollatur. Causa Ducis Holsatiæ.

Obtinuit insuper Bassevitius, Ducis Legatus, ut Suecia promitteret, se post mortem Regis & Reginæ in electione novi Regis rationem habituram Holsatiæ Ducis, interim vero in annos singulos 48000 thalerorum in subsidium eidem præbituram.

Proniores in his Dux invenit Status senatumque Sueciæ, atque adeo ipsum etiam Regem Fridericum, quam Ulricam Reginam, suam materteram, quæ nescio quo odio nepotem suum persequebatur, fortassis ideo, quia filium sororis, natu majoris, esse meminerat.

Partes Ducis gnaviter adjuvabat Bestucheffius Russiæ Legatus, Holmiæ præsens; qui multum etiam laborabat, ut controversiæ de finibus, in Finnia determinandis, componerentur. Dux autem, quem duximus, ea apud Moscoviæ Imperatorem valebat gratia, ut Annam, primogenitam suam filiam, ei conjugem daret, atque hoc pacto ad geminum regnum spem acciperet; quippe, si primogenituræ jus valeat, debebatur ei corona Sueciæ, & per Legatum suum Bassevitium apud illam gentem sedulo instabat, ut saltem post mortem Friderici & Ulricæ Rex designaretur, *Celsitudinis Regiæ* titulo non tantum ab utroque Imperatore, Romanorum & Russorum, sed ab ipsa etiam Suecia, quæ eum nuper præterierat, decoratus.

Anno 1726. Rex Angliæ vehementer instabat, ut Suecia fœderi Hannoverano accederet, utque aptius ad persuadendum diceret, misit Wagerum Archithalassum cum classe in Balthicum, qui Holmiam, negotium confecturus, abiit. Rex, Imperatorem, Russum, & Hispanum, qui ad pacem Viennensem acceptandam hortabantur, reveritus respondit, rem eam tanti esse momenti, ut ad Status regni referri debeat. Convocata igitur Comitia, quæ in annum usque 1727 protracta fœderi tandem Hannoverano subscripserunt in hanc sententiam.

Suecia accedit fœderi Hannoverano.

1. Promittit Suecia fœderi accedere, &, si casus fœderis contingeret, tria peditum, & duo millia equitum mittere.

2. Gallia & Anglia Sueciam in fœdus recipiunt, omnesque hujus conditiones servabunt.

Quibus conditionibus.

3. Actus hujus accessionis a Rege & Corona Sueciæ, uti etiam a Regibus Galliæ & Angliæ duos intra mensas ratus habebitur.

Additi sunt septem articuli separati in hunc sensum.

1. Sicut Hannoveranum fœdus defensivum non alium finem respicit, quam ut quies & pax in Europa, ac præsertim Septentrione

ne conservetur, sic alii tractatus per hanc accessionem minime infringuntur, sed potius roborantur.

2. Cum Suecia extra Europam impræsentiarum nihil possideat, sponsio illius ultra eandem non porrigitur.

3. Promissæ auxiliares copiæ non mittantur in Italiam aut Hispaniam.

4. Per ea, quæ articulo V fœderis Hannoverani de rebus Imperii dicuntur, Suecia non intelligit alia, nisi quæ a Statibus Imperii consueto more sunt recepta.

5. Accedit quoque Suecia separatis tractatus Hannoverani articulis, quia non sunt contrarii obligationibus, quibus Rex, ceu Status Imperii Imperatori & Imperio est devinctus.

6. Nullus ex fœderatis tractatum ineat, huic contrarium.

7. Contra omnes hostiles incursus promptissime succurratur. Neque negentur auxilia prætextu proprii belli.

Secreto adjecto articulo Sueciæ ab Anglia & Gallia promittuntur per triennium quot annis 50000 Sterlingarum. Suecia vero ultra prædicta 5000 adhuc 10000 armatorum, stipendiis fœderatorum nutrienda spondet, revocanda tamen, si defensio patriæ exigeret.

Anno 1728 venit Holmiam Legatus Turcicus, qui restitui petiit pecunias, quæ Carolo XII in exilio suo fuerant subministratæ. Id solum constat, hunc exactorem solenniter fuisse exceptum, eique in singulos menses 300 aureos ab aula fuisse numeratos, & cum discederet, mille, ipsius vero comitatui 400 Ducatos, pro more Sueciæ in discessu talium Legatorum.

Upsaliæ erecta Academia Scientiarum, pro excolendis studiis Philosophicis, Mathematicis & Arithmeticis.

Anno 1730 mortuo Carolo Hassiæ Landgravio successit filius Fridericus Rex Sueciæ, qui tamen administrationem Wilhelmo fratri suo juniori tanquam Vicario commisit. Instituta hoc anno nova mercatorum Societas, in Chinam navigantium, obluctantibus nequidquam Hollandis: cum cautum sit, ut non attingantur portus & loca, Europæis nationibus subdita. 19 Articuli pro hac Societate ordinanda concepti sunt, atque Rex ipse protectionem suam eidem addixit. In Comitiis generalibus 24 Regni Senatores ad 16 reducti sunt. Navigatio in Chinam.

Post ultimum bellum Russicum Suecia reparandis salinis & ærifodinis erat intenta. At vero anno 1732 Sparro Archithalasso mandavit, ut naves bellicas ad 42 augeat, cum reliquo rei maritimæ

appa-

apparatu. Inita etiam est cum Polonia concordia, quæ a Carolo XII jam ante plures annos fuerat interrupta.

Tract. subsidiorum.

Anno 1733 Gallia per Legatum suum Casteia Sueciam sollicitavit, ut in favorem Stanislai turbis Polonicis se immisceret, permoveri tamen non poterat, nisi, ut veterem cum Francia amicitiam renovaret, & ad servandam pacem Olivensem, cujus esset sponsor, Polonos per suum Varsoviæ legatum hortaretur.

Anno 1734 Comitia Regni Holmiæ celebrata approbarunt novum Corpus Juris Suecici, omissis legibus antiquatis & inutilibus, declaratisque obscuris ac dubiis, ad recentiora tempora accommodatum.

Turbas movet.

Anno 1735, ut Gallia Sueciam a fœdere Russico retraheret, per Legatum Casteia Tractatum subsidiorum, quæ annuatim 450000 thalerorum conficere dicuntur, renovavit, reservata tamen ratificatione Regis Christianissimi. Cum autem Suecia nihilominus fœdus defensivum cum Russis de novo confirmasset, Rex Tractatum subsidiorum ratum habere noluit: id maxime objiciens, quod Stanislao & Dantisco recusasset succurrere. Suecia autem cum Anglia Tractatum subsidiorum iniit iisdem conditionibus, quibus ante cum Francia. (1736) Anno sequenti Comes Casteia 2000 aureis pro more donatus, locum Legati reliquit Comiti San - Severino Italo; qui anno 1738 Subsidiorum Tractatum renovavit, promissis in annos singulos 300000 thaleris, qui a Gallia hoc anno præstiti sunt Sueciæ, ut a Russis & Anglis abstraheretur. Anno 1739 abdicati sunt Senatores, qui Gallis fuerant adversi, adnitente Comite Tessino, Comitiorum Mareschallo, Gallicis partibus admodum addicto.

Sinclari cædes.

Eodem anno Suecia, recepto chirographo Caroli XII, quo se Turcis obligaverat, iniit cum Sultano fœdus defensivum, oppositum velut fœderi Austriaco - Russico. Sinclärus Suecus excubiarum Præfectus, cum Cpoli rediret, occultis litteris instructus, in Silesia a duobus larvatis fuit interemptus, ac litteris spoliatus; quæ res multam in Europa suspicionem, altosque clamores excitavit, ut adeo Aula Viennensis & Petroburgensis datis ad Legatos suos litteris sint publice contestatæ, se non modo cædis Sinclärianæ nullam habere partem, sed etiam illam tanquam infame latrocinium detestari.

§. 10.

§. 10.

Belli cum Russis Causæ. Suecorum clades. Lövvenhaupt belli Imperator capite plexus. De successore eligendo. Tres Competitores. Minitantur Sueci, se Principem Daniæ electuros, ut pacem a Russis obtineant.

Per Sincläri cædem, fœdus Turcicum, Cæsaris & Annæ, Russiæ Imperatricis obitum, adventum Classis Gallicanæ in Balthicum, per soluta subsidia, Antini Franciæ Legati flabella, impedire conantis, ne Russia successioni Austriacæ, belloque inde orto, se miscere posset; per turbas denique Russicas, & spem Sueciæ recipiendi, quæ 20 ante annos per pacem Nüstadiensem Moscis cedere cogebatur, sparsa sunt Russici belli semina: præparatæ classes, auctæ copiæ, & sub Löwenhauptio in Finniam traductæ: denique 8 Aug. 1741 Holmiæ plenis in Comitiis decretum ac publice promulgatum adversus Russos bellum. 214. Bellum cum Russis.

Additæ belli causæ: ruptam a Russis pacem Nüstadiensem, & jus gentium: contra Articulum VII miscuisse se Moscos in res Sueciæ, formam regiminis, negotium successionis: additas minas: negatam Sueciæ subditis in tribunalibus Russicis justitiam: contra Articulum VI potius aliis nationibus quam Suecis concessam licentiam, frumenti exportandi: interfectum a Russis Sinclärum, & litteris spoliatum. Causæ.

Mosci vero ad 50000 ad Wyburgum in Finnia sub Lascio, supremo belli Præfecto, collecti, & ipsi Suecis bellum indixerunt, conquesti, fractam ab illis pacem Nüstadiensem, non aliter ac hostes Russos habitos: ac denique nunc bello petitos: inter barbaros etiam non facile auditum esse, bellum indici, antequam rationes belli publicentur.

Sed a verbis brevi ventum ad verbera. Wrangelius cum tribus millibus prægressus, ad *Wilmanstrandum* ad internecionem a Lascio cæsus est. Löwenhauptus vero, qui serius advenerat, in hyberna cum exercitu suo concessit, sparsis tamen libellis, affuturum se Elisabethæ, &, si exterum Ministerium abdicetur, nullum Suecis cum Russis bellum fore. Cæsi Sueci a Lascio.

Et sane Elisabetha, ad thronum evecta, haud alieno erat a pace animo; unde ad eam, conciliatore Franciæ Legato Chetardio, componendam, quatuor mensium inducias concessit. Sueci

reposcebant Careliam cum parte Livoniæ. At, dum Russia mallet accipere quam dare, spe in totam Finniam porrecta, resumpta sunt arma 1742.

Apparatus. Löwenhauptus sub signis habebat 28000 pedites & 13000 equites, non annumeratis Regiis Custodiis, & machinatoribus. Classis vero Suecorum, quam Siæsterna gubernabat, 24 bellicis majoribus, & 20 minoribus navibus constabat, quibus impositi dicuntur 22000, qua remiges, qua milites nautici. Contra vero Russorum in castris ad Wiburgum censebantur 70000, militari disciplina subacti, cum 12000 promiscuæ multitudinis. In Ingria remanebant 10000, & in Esthonia & Livonia 13000. Classiarii in portu Cronstadiensi numerabantur 8000, præter 15000, qui in 70 triremibus continebantur.

Sueci debellati. Dum Russi Fridrichshamo imminebant, Sueci eam incenderunt, atque munimentum hosti permisere. Fugientes persecuti sunt Mosci ad *Helsingfortum* usque, permunitam in Finnia Suecorum urbem, ad quam classis Suecica pariter se applicabat: sed a classe Russica ita ibidem includebatur, ut sine pugna elabi non posset. Terrestris quoque exercitus, quamvis sub tutela & præsidio tormentorum staret, ita tamen a Russorum ignibus infestabatur, ut 4 Sept. 1742 Capitulatione inita, Helsingfortum, ad mare Finnicum in peninsula situm, Russis cum tota provincia Nulandia relinquerent, impetrata tamen facultate in Sueciam se recipiebant.

Dimisso exercitu & classe Suecica, facile fuit Russis cum Aboa & Biörneburgo potissimam Finniæ partem subigere, præsertim, cum milites Finlandici, ad 8000 æstimati, nollent patriam deserere, sed relictis Suecis, in verba Russorum jurarent.

Löwenhaupt capite plexus. Löwenhauptus cum suo Legato Budenbrockio, ob rem male gestam, jam ante exauctoratus, Holmiamque revocatus, in custodiam datus est, & in quæstionem vocatus, coram sex tribunis, quorum Præses Hamiltonus. Löwenhauptus ea excusatione se defendebat, ideam belli, sibi propositam, fuisse observatam: ligatas sibi fuisse manus, quo minus libere ageret; donec Holmia venirent imperia, optimas occasiones fuisse elapsas: classem detrectasse obsequium, prout etiam plures Duces sui exercitus: mediam denique propemodum copiarum partem morbis interiisse.

Sed hæc argumenta non valuerunt eum morti subtrahere; quippe anno sequenti ex sententia Comitiorum damnatus, e carcere elapsus, sed a fuga retractus, & carnificis manu capite plexus est, rusticorum præsertim Ordine adversus conjugis & liberorum

lachry-

lachrymas, atque clientelarum, gratiam implorantium, preces inflexibili. Ita finiit Löwenhauptus anno ætatis 51, quem paulo ante Sueci Comitiorum Mareschallum, & supremum belli Imperatorem elegerant. Idem ferme supplicium Budenbrockius quoque, gente Pomeranus, subiit.

Alterum caput, quod in Comitiis Regni agitabatur, erat electio successoris. Obierat quippe jam anno 1741 Ulrica Eleonora, Caroli XII soror, natu minor, anno 1718 ad solium evecta: cumque anno 1720 ipsius voluntate Ordines regni sceptrum in conjugem Fridericum transtulissent, ea fuit adjecta conditio, ut, si Ulrica improlis decederet, integrum esset Statibus, Friderico Rege adhuc vivente, successorem designare.

Tres maxime Candidati in deliberationem veniebant: & primus quidem Carolus Petrus Ulricus, Dux Holsato-Gottorpiensis, ex Wassorum genere descendens: ipsius siquidem avia paterna Hedvigis soror erat Caroli XII natu major. Quare, si sanguinem Regium spectes, nemo illo erat propior. Et expediebat Sueciæ, ut benignam a Russis pacem impetraret, illum eligere. Sed religionem Græcam assumpserat: statutum autem a Suecis fuerat, neminem eligendum, qui Lutheranus non esset. Successor eligitur.

Alter fuit Fridericus Hassiæ Princeps, Regis Sueciæ ex fratre Wilhelmo nepos, gener Regis Angliæ, a quo in his belli infausti turbis auxilii opportuni spes. Et alliciebat Regis patrui gratia.

Tertium Gallia commendabat Christianum IV Ducem Bipontinum.

Denique 5 Nov. 1742 electus est 239 suffragiis Dux Holsatiæ Ulricus, contra 237, quæ Hasso favebant. Missi in Moscoviam, qui nuntium electionis ferrent Bondeus, Hamiltonus, Schäferus. At Ulricus jam denuntiatus fuerat successor in Imperio Russico; nec constat, cur non acceptarit electionem, utramque aliquando coronam conjuncturus, aut cur Elisabetha Imperatrix non omnem suam, ut id fieret, auctoritatem impenderit. Elisabethæ nepos. Sed detrectat.

Commendabat autem illa Ordinibus Sueciæ *Adolphum Fridericum*, Ulrici ex eadem Gottorpiana Familia agnatum, & antea tutorem, hodiernum Regem Sueciæ, in gratiam Elisabethæ & Ulrici anno 1743 electum, ut mox videbimus.

Tertium caput, in Comitiis deliberandum erat, quomodo post tantas clades pax a Russis esset impetranda. Et sane accommodum huic fini medium fuit Ulrici electio, quamvis politica duntaxat, cum facile Sueci prævidérent, eam ad effectum non deducendam. Nihilominus per eandem, uti & spem, Ulrici agnatum Adolphum Fridericum electum iri, tantopere Elisabetham Imperatricem flexerunt, ut in pacem componendam consentiret.

§. 11.

Congressus Aboensis. Pax. Adolphus Gottorp. electus successor in favorem Russiæ. Dahlenses rustici rebelles. Nuptiæ Adolphi cum Borussa. Natus eis Gustavus filius. Fœdera. Medicus capite plexus.

215. Congressus Aboensis. Igitur ineunte Martio 1743 Russia *Aboam* ad pacis congressum misit Alexandrum Romanzow, cum Tribuno de Lubras, Suecia vero Hermannum de Cederncreuz, cum Status Secretario Nolckeno. Sed multis inter se parasangis distabant. Russi ex interdicto *uti possidetis* transigere volebant: Sueci non modo Finlandiam, nuper armis occupatam, sed Livoniam quoque, pace Nüstadiensi Russis cessam, reposcebant; ut adeo pacis negotium in longum protraheretur, magnique ex parte utraque ad bellum continuandum apparatus fierent: nihil tamen admodum magnum gestum. Insula Aland, quæ media est inter mare Balthicum, sinum Bothnicum, & sinum Finnicum, recepta a Russis, rursumque amissa.

Tandem Sueci categoricam a Russis responsionem petebant, quantum ex acquisitis sibi cedere vellent, additis minis, se hæreditarium Daniæ Principem in successorem electuros, nisi Finniam aliaque plura redderent.

Russi, ne id fieret, & Dania ac Suecia aliquando sub unum caput redirent, faciliores paci Suecorumque postulatis aures præbuerunt. Unde *Aboæ* 1743 27 Junii a Commissariis subscripta sunt præliminaria: quibus statuitur, ut cesset hostilitas terra marique. Ut Suecia ad commendationem Imperatricis & Magni Principis Adolphum Fridericum Holsatiæ Principem eligat in successorem coro-

næ

næ Suecicæ. Reliqui articuli distinctius comprehenduntur in articulis pacis, 7 Aug. conclusæ.

1. 2. 3. Sit pax & amnestia perpetua. Pax.

4. Suecia cedit Russiæ iterum omnes regiones, quas art. 4. & 5. pacis Nüstadiensis eidem cessit.

5. Ex Finnia provinciam Kymenegard, monumenta Fridrichsham, Wilmanstrand, Pittis, Nyslot cum districtu.

6. Russia restituit Sueciæ reliqua, quæ in Finnia occupaverat, uti Aboam, Biörneburg, Insulam Aland, Cajaniam, Bothniam, Tavastum, Nulandiam, partem Careliæ.

7. Fluvius Kümene, in sinum Finnicum influens, limites utriusque Nationis determinet.

8. 9. Religio, jura, privilegia, in locis cessis sint salva.

10. 11. 12. 13. In Finnia maneant omnia munimenta, arces &c. in statu præsenti: quæ tamen Russi intulerunt, abducere possunt. Cessent contributiones. Captivi reddantur sine lytro. Sueci possint certam frumenti quantitatem ex provinciis ad sinum Finnicum emere.

14. 15. 16. Commercium sit liberum. In naufragio merces salventur, & dominis suis restituantur.

17. 18. Si Russicæ naves bellicæ Suecicum monumentum prænavigant, primi eas salutent explosione tormentorum Sueci, & vicissim. In mari autem sibi occurrentes salutationem omittant, donec hæc res componatur.

19. 20. Confirmatur pax Nüstadiensis. Omnes differentiæ per Commissarios complanentur.

21. Hæc pax intra tres septimanas ratificabitur.

Additum fuit, Regem Sueciæ non usurum titulis provinciarum, per pacem Nüstadiensem aut istam cessarum; sed solam Imperatricem iis posse uti.

Per hanc pacem utrique parti videtur satisfactum; nam Suecia integras provincias recepit, hoc bello abstractas; Russia vero pluribus locis est aucta; & obtinuit successorem in regno Sueciæ, quem optaverat. Nam

Adolphus Holsatus electus succesfor.

Electus paulo post cum magna solennitate est successor Adolphus Fridericus, atque Hamburgo in Sueciam deductus: ubi postquam Regi fidem juravit, primus ei in Senatu regni locus est datus.

Dahlenses rebelles.

Dahlenses rustici, inconditum hominum genus, ad 4000 conglobati Holmiam processerunt. At portas occlusas invenerunt. Rex ipse equo insidens egressus ad quietem eos est hortatus. Verum illi armata vi in urbem irruperunt, ubi velut in loco capto grassantes, rejecto Adolpho, Principem Daniæ successorem eligi postularunt; sed reversæ opportunæ copiæ navales eos displosis sclopis urbe ejecerunt. Missi dein in terram eorum milites, rebelles ad obsequium coegerunt.

Matrimonium successoris.

Anno 1744 Adolphus Fridericus, successor electus, sponsam suam, Ludovicam Ulricam, Borussiæ Regis sororem, in Suecia excepit, &, postquam illa Lutheranam professionem edidit, matrimonio sibi junxit.

Venit illico Borussicus Holmiam Legatus Finckensteinius, Lubrasius Russicus, Rumpfius Hollandus: Tessinus vero Berolinum abiit. Russi milites, rebus cum Dania compositis, liberaliter donati, Suecia excesserunt.

Anno 1745 Sueci Judæis & Janseniſtis Gothenburgi liberum cultus sui exercitium concesserunt.

Filius natus.

Anno 1746 Adolpho successori natus est filius, qui Gustavi nomen accepit. Patrini erant Rex Fridericus, Elisabetha Imperatrix Russiæ, Rex Borussiæ, & Ordines Regni Sueciæ.

Orientalis Sueciæ Societas a Comitiis confirmata est in 20 annos, concessumque, ut trans Promontorium Bonæ Spei libere commercari possit. Gothenburgensi e portu naves solvere jubentur, atque in illum rursus invehi.

Fœdera.

Anno 1747 nullum quidem in Suecia fuit bellum, varii tamen motus eandem colliserunt, gemina præsertim factio, quarum altera Russica dicebatur, altera Borussica, aut Gallica. Illa persuadere conabatur accessum ad fœdus defensivum, Austriacos inter & Moscos percussum, allaborante in id Holmiæ Korffio Legato Russico. At prævaluit altera, ita quidem, ut Suecia cum Borusso fœdus

fœdus icerit, & ſubſidiorum tractatum, 1738 cum Gallia initum, renovarit. Promiſit Lanmarius Legatus, penſuram Franciam eam pecuniæ ſummam, quam a novem jam annis ſolverat, trecenta videlicet Imperialium millia.

Plura verbis & ſcriptis in utramque partem ſpargebantur, præſenti etiam Sueciæ Regiminis formæ, ut credebatur, perniciosa. Captus Springerus Mercator Holmienſis; qui quæſtioni ſeveræ ſubjectus, cum ſententia eſſet pronuntianda, e carcere elapſus, in domum Legati Anglici profugit. Extrahitur armata manu, jus gentium inclamante legato. Lata in reum ſententia, quod propter ſeditioſa, & inimica in Status regni conſilia agitata, & vetito litterarum commercio nutrita, capitis pœnam ſit promeritus; hanc tamen in perpetuum Marſtrandi carcerem mutari.

Gravius punitus eſt Blaquellus, Regis Medicus, quod clancularii machinationibus ſucceſſionem in regno, ab Ordinibus ſtatutam, intervertere, & Regis auctoritatem independentem reddere attentarit. Caput illi carnificis manu decuſſum. Cremati quoque tres libelli, quorum auctores latebant. Contra vero Comes Teſſinus, a Legato Ruſſico aliisque accuſatus, quod partes Gallicas illicitis modis promoviſſet, cauſa a Comitiorum Deputatis cognita, abſolutus, primique Miniſtri dignitate ornatus eſt. Medicus plexus.

Bona Comitis Löwenhauptii & Baronis Buddenbrockii, qui in eodem fermento capite plexi fuerant, Fiſco illata, hæredibus rogantibus a Comitiis ſunt reſtituta.

Cum Imperatrix Ruſſiæ cum Imperatrice Romana fœdus iniiſſet, Sueci copias in Finniam transportarunt, locaque Ruſſiæ vicina munierunt, vel ut bellum inferrent, vel ut in Galliæ gratiam Ruſſos a ferendo Auſtriacis auxilio continerent.

§. 12.

Obitus Friderici Regis. Adolphus Fridericus coronatur. Bellum gerit in Pomerania contra Boruſſos.

Anno 1748 Friderico Rege gravi infirmitate detento, ſucceſſor Adolphus, præoccupata induſtria, curas ſuas regno dependit, 216.

ex

ex Boruſſa conjuge filium alterum nactus Carolum. Suſpicio non levis Suecos in fermentum agitavit, ne regnum adeptus regiminis formam mutaret, Teſſino Comite præſertim, ejus miniſtro tam Gallis grato, quam Ruſſis inviſo, accuſato, quod independentis Monarchiæ conſilia Domino ſuo inſpiraret.

Obitus Regis.

Anno 1751 obiit Fridericus Rex Sueciæ anno ætatis 75, regni 31, Landgraviatus Haſſiæ 21, Princeps optimæ indolis, cui præter religionem nihil deerat. Regnum per uxorem Ulricam eſt conſecutus, quamvis mutilum, & Ordinibus obnoxium. Nolebant enim redire Caroli XII tempora. Unde etiam ab Adolpho Friderico novo Rege juramentum publicum exigebant, quo ſponderet, ſe juxta formam, anno 1720 introductam regnaturum, in quam jam antea etiam, (1743) cum ſucceſſor declararetur, juraverat, religionem videlicet, jura, & libertatem ſe tuiturum perpetuo, habiturumque pro hoſtibus & proditoribus patriæ, qui conarentur independentem poteſtatem reducere. Suſcepta dein coronationis ſolennitas, non Upſaliæ, prout alias conſuetum, ſed Holmiæ, nec Regi duntaxat hic honor collatus, ſed Reginæ quoque Ludovicæ Ulricæ. Primas partes in his ſolennitatibus eloquentia ſua condecorandis habuit Carolus Guſtavus Comes Teſſinus, Regni Cancellarius, Senator, ac Moderator Guſtavi, Regii Principis.

Promulgatio & coronatio novi Regis.

Cum Rex Boruſſiæ anno 1756 Saxoniam occupaſſet, Rex Sueciæ, ceu vas pacis Weſtphalicæ obligatum ſe credidit, eandem tueri. Involutus igitur ultimo contra Boruſſum bello, militem in Pomeraniam miſit, qui reciprocantis inſtar marini æſtus fluxit & refluxit, procurrit & recurrit; victor in æſtate, victus in autumno, prout in appendice referetur.

Poſtquam autem Ruſſiæ novus Imperator a fœdere receſſit, etiam Suecia cum Rege Boruſſiæ pacem iniit, relicta Saxonia in ejus manibus.

CAPUT

CAPUT XV.
Status Borussiæ
SÆCULO XVIII.

§. 1.

Frid. I Rex primus Borussiæ. Cur sibi coronam imposuerit. Rex salutatur a Cæsare & Protestantibus: reclamante Ordine Teut. Coloniensem agrum invadit. Geldriam capit. Causa Novocomensis.

Anno hujus sæculi primo Fridericus I Elector Brandeburgicus & Dux Borussiæ, non tam amplitudine, credo, quam multitudine provinciarum elatior, sibi ipsi Regiomonte in Borussia coronam imposuit, seque Regem dixit, factique rationem, missis ad Europæos Principes Legatis, reddidit. 217. Frid. I se Regem dicit.

Borussiam, inquiebant, antiquis temporibus regnum fuisse; & quamvis postea clientelari jure fuerit innexa Poloniæ, hoc tamen nexu dudum per pacta publica, cum Rege Casimiro inita dissoluto, supremum se & nemini, nisi Deo, obnoxium dominium illius esse consecutum, cuivis autem domino, ab aliis potestatibus independenti, fas esse de re sua disponere, formamque aut titulum pro arbitrio defigere, neque rem istam novi esse exempli. Argumenta.

Aristobulum, Judæ Machabæi pronepotem, Alexandri M. successores, Rodulphum Burgundiæ Comitem, Rogerium utriusque Siciliæ, & Boleslaum Poloniæ Ducem, a se ipsis creatos esse Reges. Henricum VIII Angliæ Regem Ducatum Hiberniæ ad regni honores extulisse. Illos videlicet, potentia sua suffultos, non indignos se judicasse suprema in terris dignitate. Fridericum quoque provincias opesque possidere, tanto fastigio non impares.

Romanum Imperium nihil inde detrimenti passurum; Fridericum fore Regem Borussiæ, independentis ab Imperio, simulque Electorem Imperii, qualis ante fuisset; nec aliam in Comitiis sedem, nec potestatem novam, aut prærogativam accessuram. Archiduces Austriacos Hungariæ & Bohemiæ, Oldenburgicos Comites Daniæ,

Bipontinum Ducem Sueciæ, atque novissime Electorem Saxoniæ Poloniæ Regna consecutos, nec inde quidquam derogatum Germanæ Reipublicæ.

Quin imo pertinere ad Majestatem & gloriam Imperii, in civibus suis tot Reges ostentare posse, & in vasallis coronata capita. Neque opponi posse pactum cum Polonia, ut extincta hac Electorum stirpe feudi nexus in agnatos hæredes recidat; nam & Neapolis Regnum Romanæ Ecclesiæ beneficiario jure esse obnoxium.

Rex salutatur a Cæsare.

Imperator, ut in illa temporum difficultate potentem amicum haberet, omnium primus Regem salutavit, Borussiamque regnum declaravit. Quæ res Friderico adeo placuit, ut & Imperatorem, ceu Christianorum Principum caput, cujus esset Reges creare, prout Angliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Daniæ &c. Regna ex hoc fonte profluxissent, Dignitatis suæ Regiæ auctorem prædicaret, & decem armatorum millia ad bellum Hispanicum promitteret, remissis centum Imperialium millibus, quos ei Cæsar debebat.

Et protestantibus.

Quam levi autem impendio Imperator hæc commoda est consecutus, tam adversæ Catholicorum quorundam voces audiebantur: quo usque progrederetur Cæsar in exaltandis augendisque Protestantibus; nuper Hannoveranum renunciatum Electorem, nunc Borussum Regem, non levi Catholicæ rei præjudicio. Galli potissimum erant, qui ad conflandam invidiam hæc objectabant. Alii futuras in electione & capitulatione Cæsarea turbas formidabant. Certe Austria postea experta est, quam Domum exaltarit. Protestantes vero Reges ac Respublicæ sine cunctatione novo Regi novam dignitatem gratulabantur. Galli vero & Hispani primum post pacem Ultrajectensem agnoverunt Regem.

Reclamante Ordine Teut.

At vero Equitum Teutonicorum ordo, contestatione gravissima, in acta publica relata, juribus suis, quibus nunquam renunciasset, sibi cautum voluit. Quomodo autem Albertus Brandeburgicus, Magister hujus Ordinis, Borussiam ad se taxerit, alias meminimus.

Bello dein Hispanico Rex Borussiæ Rhenobergam, Electoris Coloniensis urbem permunitam, diuturna obsidione pressit, Cohornius Bonnam. Quamvis autem Borussi milites, in Belgium potissimum translati, non admodum multum pro tantis viribus præstitisse legantur, reportarunt tamen in præmium locatæ operæ Geldriam.

Alio

Alio insuper distractus in privata commoda, causam communem languidius adjuvabat. Anno 1703 cum Carolus XII Sueciæ Rex Poloniam opprimeret, Regemque Augustum persequeretur, tractatum cum eo iniit, quo se obstrinxisse fertur, ad invadendam Rempublicam, si illa contra Suecos se declararet. Eodem anno *Geldriam* urbem Borussus expugnavit post quinque mensium obsidionem. Geldriam capit.

Anno 1707 orta est controversia de Principatu Novi Castri, seu Neoburgi, vel Novocomi, in 17 Castellanias divisi, quarum sola Landeronia est Catholica. Ad Domum Longavillanam pertinuerat, quæ 250 annis hunc Principatum (Comitatui Burgundiæ & Helvetiæ interjectum) possederat. Ea autem extincta familia 17 erant, qui se hæredes ferebant, Galli potissimum Principes, Domui Longavillanæ innexit. At omnibus prævaluit Rex Borussiæ, ex Domo Nassovia, Auriaca, & Catalaunensi, jus suum accersens. Reponebant Galli, familias istas nunquam possedisse Novocomum, & adesse propiores Domus Langavillanæ hæredes, Contios & Aurelianenses. Neque ea erant tempora, quibus Ludovicus Rex propter hunc exilem Principatum multum virium ac sumptuum posset impendere, tot cladibus attrita Gallia. Adhæc Angli, Hollandi, Bernates & incolæ Calviniani, aperte favebant Borusso. Imperatori necessaria erant ejusdem subsidia. Atque hac ratione Borussus, sua fretus & sociorum potentia, possessionem adiit, atque in ea per pacem Ultrajectensem fuit confirmatus, extincto etiam, quod allegaverant, jure coronæ Gallicæ, asserentes, Novocomum feudum esse Burgundiæ, ac proin, emortua Domo Longevillæa, eidem esse apertum. **Neuchatel.** Causa Neocomensis. *Orange. Chalon.*

§. 2.

Meursia augetur. Obit. Succedit Frid. Wilh. Pacem Ultraject. init cum Gallia. Conditiones. Stetinum emit a Russo. Caussa Auriaca. Leibnicio succedit Gundling Præs. Acad. scient. Coccejus obit. Dissensio cum Cæsare. Miscet se causæ Thorunensi &c. accedit fœderi Hannoverano. Obit Chauvinus, & Metternich Catholicus, Thomosius, Gundling. Causa Limpurgica.

218. Meursia. Anno 1712 Meursiam Rex Borussiæ Hollandis eripuit. Pertinuerat illa ad Domum Auriacam, ex Comitatu anno 1706 in Principatum commutata.

Obitus Frid. III. 1713 obiit Fridericus III Rex primus Borussiæ, ætatis anno 56, regni Borussici 13, Electoratus 25. Successit *Fridericus Wilhelmus* filius: qui Dohnam Pommeraniæ & novæ Marchiæ, Ilgenium Borussiæ, Prinzenum Geldriæ & Cliviæ, Bartholdum Marchiæ Brandeburgicæ, Blaspielum Westphalicis Provinciis, Cameckum Halberstadio & Magdeburgo gubernatores præfecit. Ejus copiæ hoc tempore 40000 circiter constare dicebantur.

Pax Ultraject. Conclusa est hoc anno pax Ultrajecti, inter Galliam & Borussiam quoque, quam in Hispanicis exhibui. Statuitur amnestia & amicitia. Pax West. sit salva. Geldria Hispanica transfertur in Borussum, prout Carolus II possedit: salva religione. Gallia agnoscit Prussum tanquam supremum Dominum Principatus Neocomensis (*Neuchatel*) Prussus cedit Galliæ Principatum Auriacum. Helvetia paci includitur. Separato articulo Gallia Borussum agnoscit Regem. Rhenobergam Borussus reddet Coloniensi, salvis tamen suis prætensionibus.

Stetinum ad Borussum. Expugnatum a Russis Stetinum, quod dein Borusso pro 500000 thaleris concessum. Berlini celebratum primum Reformatæ, ut prætendunt, religionis sæculum.

1714 Borussus Stetinum in sequestrum accepit. Milites numerabat 42000. Regimen Ducatus Magdeburgici translatum Halla Magdeburgum.

1715. Cum reliquis fœderatis Borealibus Suecum Germania expulit. Hoc anno in Saxoniam & Marchiam Brandeburgicam venerunt novi prophetæ, quales olim erant Lutherus, Calvinus, Münzerus. Sed fortior spiritus expulit minus fortem.

1716. Elector Viennæ per Comitem Metternichium præstito homagio Investituram suorum feudorum coram throno Cæsareo accepit, etiam ratione Principatus Meursii. Lis inter lineam Onolsbacensem & Baruthanam a Judicio Aulico decisa, ut in munere condirectorii alternent singulis trienniis.

1717. Rex bona Equestria, soluto nexu feudali, declaravit allodialia & absolute hæreditaria, reservato tamen non exiguo canone annuo. Plures Equites illa Regi vendebant. Judæos expulit, quod nollent solvere, quantum petebatur.

1718. In puncto hæreditatis Auriacæ etiamnum inter Borussum, & Nassovio - Diezanum, cujus causam Hollandi propugnabant, fervebat controversia, contestante per exceptionem fori declinatoriam Borusso, hanc causam a tribunalibus Belgicis definiri non posse; sed aliis utendum mediis. Ad eandem hæreditatem litigiosam pertinet Herstallum, de quo in Belgicis. Causa Auriaca.

Cum Domo Mechlenburgica confirmata fuit fraternitas & unio hæreditaria.

In Borussia agri inculti & prata gratis distributi, ut cultores alliciantur, & frequentia populi augeatur. Pannificium etiam, fabricæ, artes mechanicæ ad perfectionem deductæ auctæque, ut pecunia attrahatur, aut saltem in subditis provinciis retineatur. Præsertim vero militiæ augendæ impensum studium, ut adeo 70000 milites numerarentur: inter quos multi procero corpore, per Europam conquisiti. Doctissimo *Leibnizio* mortuo suffectus *Gundlingius* Præses Academiæ Scientiarum. Provinciis providetur. Leibniz. Gundling.

1719. Rex multum conquestus de oppressionibus, ut prætendit, Calvinistarum in Polonia & Palatinatu, armorum minas adjecit, & *repressalia* Magdeburgi & Mindæ imperavit.

Magdeburgum, alias jam munitum, novis propugnaculis eximie instructum.

Francofurti ad Viadrum ætatem 77 annorum clausit Henricus *Coccejus*, illustre sidus Jurisprudentiæ politicæ. Mors Coccei.

In provinciis Regis hoc anno 306000 nati infantes scribuntur.

Anno 1720 per pacem cum Suecis Rex in Pommerania non parum terrarum ditionibus suis adjecit, prout dictum in Suecicis.

Peregrinationem instituit in Hollandiam, ibique Amstelodamum, Hagam, Roterodamum &c. visit: salutatoque Hannoveræ socero, Berlinum rediit.

1721. Rex novos conquestus obtinuit in Pommerania; tum vero Borussiam aliasque provincias suas visitavit: ubi tribunalia, fabricas, opera publica, commercia, artificum tribus, omniaque ad politicam spectantia rite ad emolumentum tum suum, tum subditorum ordinavit, ejectis etiam omnibus peregrinis medicis, qui deinde affines regiones inundarunt.

Causa Teck. lenburg. 1722. *Causa Tecklenburgensis* in Westphalia non parum negotii facessebat. De Comitatu illo inter Comites Bentheimenses & Solmenses jam dudum lis vertebatur. Isti anno 1707 jus suum Electori Brandeburgico vendebant; ac proin hic in litem cum Bentheimensibus successit. Agitata fuit illa Viennæ in Judicio Aulico, a quo plura mandata adversus Brandeburgum sunt emissa, executione Hannoverano & Wolferbytano commissa; quæ tamen propter potentiam & renitentiam possidentis nunquam fuit suscepta. Hæc, uti & sic dicta *repressalia*, propria authoritate facta, aliaque plura Aulam Cæsaream ab aliquot annis alienarunt, supremi in Imperio Judicis officium violatum pluribus scriptis demonstrantem. Certe tantum exarsit dissensio, ut bellum timeretur.

Frigus inter Aulam Vien. & Boruss.

1723. Rex multas exteras familias in Borussiam introduxit, ut loca sterilia ac deserta, præsertim in tractu, Lithuaniæ imminente, ad fertilitatem perducerent. Berlini Collegium Medico-Chirurgicum constituit, sex Professoribus constans, qui Medicas, Chirurgicas, Anatomicas, Botanicas, Chymicas, Mathematicas operationes & demonstrationes exhiberent.

Rex se miscet causæ Thorn.

1724. Rex primus causæ Thorunensi se miscuit, aliosque Protestantes exemplo & hortatu traxit, ac si Borussia esset Europæ arbitra. Hinc illa etiam ab Aula Cæsarea aversio. Deferbuerat quidem aliquantum contentionis æstus, sed non omnino subsidit. Propterea

Accedit fœderi Hannoverano.

Anno 1725. Rex fœderi Hannoverano, adversus pacem Viennensem concepto, prompte subscripsit: suscepto etiam Hannoveram ad Angliæ Regem socerum suum itinere.

Obiit Berolini Stephanus *Chauvinus* ex Gallia fugitivus, auctor Lexici Philosophici. Successorem in Cathedra Philosophica habuit Paschalem, popularem suum.

1726.

1726. Cum Rex, executione Thorunensi, quamvis re inter alios acta, offensus, varia postulata & prætensiones adversus Poloniam formaret, hæc, nequaquam territa, Elbingam cum Dynastiis Dragmiro, & Ostenda repetiit.

Verum non modo Catholicis ubique se infensum exhibuit Fridericus, sed etiam Lutheranis: quod vel ex eo est colligere, quod subditis suis omnibus severe prohibuerit, ne ad Academiam Wittenbergensem accedant. Litterarum tamen æstimationem præsetulit, dum (sicut pater Leibnizium) Gundlingium Baronem creavit, suumque Camerarium. Infensus Catholicis & Lutheranis.

1727. Agebatur de fœdere defensivo, Cæsarem inter & Borussum; sed quia obtineri non potuit, ut Domus Solisbacensis jure suo in Ducatus Juliæ & Montium cederet, aut absolutum id non fuit, aut effectus illius latuit.

Extincta linea seniore Domus Baruthanæ, successit ex altera Georgius, qui hactenus Rottenburgi ad Tuberam sedem fixerat, non obstante prætensione Regis Borussiæ ob debitum 800000 thalerorum.

Obiit Ratisbonæ Comes Metternichius, Brandeburgicus ad Comitia Legatus, qui paulo ante mortem Catholica sacra est amplexus. Metternich obit Catholicus.

Anno 1713 apertum Imperio fuerat feudum Comitatus *Limpurgensis*, jam a Cæsare Leopoldo Regi Borussiæ promissum. Sed Wolrathus ultimus possessor undecim filias reliquerat, quæ rogarunt Cæsarem, ut interim, donec, quæ bona sint feudalia, & quæ allodialia, esset definitum, in possessione relinquantur. Causam is delegavit Bambergensi, Herbipolensi, & Würtembergensi. Judicium vero Aulicum anno 1728 Investituram Regi contulit, salvo tamen jure filiarum Limpurgensium, & ulteriori causæ discussione.

Obiit 1728 Christianus *Thomasius*, æt. 74, magnum Jurisprudentiæ decus, editisque libris clarus. Regis Borussiæ Consiliarius intimus, Academiæ Fridericianæ Director & Professor Primarius. Sunt in Marchia Brandeburgica Protestantes, qui Equitum Melitensium S. Joannis nomen gerunt, etiam conjugati, Sonneburgi. Tales hoc anno plures creati sunt. Mors Thomasii,

Anno 1729 Borussici conductores militum in agro Brunsvicensi custodiæ sunt traditi, quod subditos vi abstraxissent, neque querelis unquam responsum fuerit. Ne scintillæ istæ in apertam belli flammam erumperent, Ducis Saxo-Gothani opera effectum. Querela ista non erat unius Domus Brunsvicensis.

Obiit

Et Gundlingii. Obiit Nicolaus Hieronymus *Gundlingius*, Academiæ Hallensis famosus Professor, de re litteraria, præsertim de Jure Publico, civili, feudali, & studio Historico bene meritus.

Anno 1730 Rex cum filio ad varias Germaniæ aulas invisit. Filiam primogenitam Culmbacensi despondit. (1731) Friderico autem Principi hæreditario Elisabetham Beveranam.

§. 3.

219. *Divisio hæreditatis Auriacæ. Causam Juliacensem cum Palatino vult transigere. Obit. Succedit Fridericus II Heros invictissimus. Gesta in Silesia. Pax. Ludvigum, Böhmerum, Wolffium, Hoffmannum, viros doctissimos colit. Irruit denuo in Bohemiam. Frisiam Orientalem occupat. Lis de illa. Pignus luit.*

Divisio hæreditatis Auriacæ. Anno 1732 Berlini divisa tandem est pinguis hæreditas Auriaca, quam Wilhelmus III Rex Angliæ reliquit, inter Domum Brandeburgicam & Nassovio-Diezensem hactenus controversa.

Rex Borussiæ retinet Principatum Meursiæ, & Comitatum Lingensem in Germania, Præfecturam Montfortensem in Geldria: plures ditiones in Hollandia: arcem Gravesand: Heristallum cum districtu in agro Leodiensi. Telonium Genepense in Brabantia cum ditione Turnhutensi: Domum Hagæ, cum omnibus provisionibus & melioramentis.

Principi autem Diecensi, Frisiæ Gubernatori, ceduntur reliqua, uti Gertrudenberga, Ulissinga, Comitatus Burensis, Breda, Gravia, aliæque multæ ditiones, decimæ, in Hollandia, & aliis provinciis. Utraque Domus potest uti titulis & insignibus successionis Auriacæ. Princeps recipit in se omnia debita, passiva & activa Auriaca. Prætereo plura alia particularia bona ac jura, hinc atque inde cessa.

Anno 1733 Imperator per Seckendorffium cum Rege tractatum iniit, quo hic decem armatorum millia promisit adversus Gallos: qui tamen ita properarunt, ut primum mense Junio anni sequentis in castra venerint, Chetardio retardante. Sicut autem Franciscus Stephanus Magnus Dux Hetruriæ jam ante, sic anno isto Princeps Eugenius Junior Berolinum venit, cum omni honoris significatione a Rege exceptus.

Anno

Anno sequenti Rex cum filiis Friderico, Wilhelmo, Henrico, & Leopoldo Dessavio, ad Rhenum profectus, a Magno Eugenio singulari cum apparatu exceptus est. Postquam autem omnia lustravit, domum rediit. Obiit Alexander de Wartensleben, omnium Mareschallorum antiquissimus, Gubernator Berolini, magna apud Regem pollens gratia: & anno sequenti Georgius Marchio Baruthanus, nono Regiminis sui anno. Successit filius Fridericus, 24 ætatis anno. Rex Societatem Scientiarum Berolinensem 3000 librorum auxit, & Cameram rerum naturalium plus quam trecentis raris monumentis. Rex Rhenum salutat.

Anno 1736 Stanislaus Rex Poloniæ Regiomonte Berolinum venit, Regio more exceptus, atque inde in Franciam abiit.

Anno sequenti Rex cum Electore Palatino Carolo Philippo transigere voluit, imploratis etiam Anglis Hollandisque. Igitur per Degenfeldium, Ministrum suum, significandum curavit, quamvis vi Tractatus, anno 1670 initi, Juliacensis Ducatus ad Domum Brandeburgicam pervenire debeat post extinctam Domum Neoburgicam, Regem tamen Borussiæ Ducatum illum post mortem Electoris Principi Solisbacensi relicturum, modo illi Ducatus Montensis, cum Düsseldorpio, Ravensteinio, Winnenthalio, & Breckensando cedantur. Quo facto spondet Rex, se thalerorum millionem Solisbacensi soluturum, & tribus ejus fratris defuncti filiabus 150000, & singulis pro dote 30000. At Elector respondit, se de manifestis juribus Principis Solisbacensis nihil posse remittere; quæcunque anno 1670 pacta sint inita, non potuisse iis, tanquam inter alios actis, juribus tertii præjudicium afferri. Causa Juliacensis.

Rex Berolini pro emigrantibus ex Bohemia novum templum exstruxit. Munimenta Stettini reparavit auxitque.

Anno 1738 Rex cum filiis Friderico & Wilhelmo Mindam, Hamum, & Vesaliam profectus, tres ibidem legiones, Dessaviam, Dohniam, & Borckiam lustravit. Ad aulas dein alias assymbolus divertit. Anno vero sequenti in Borussiam abiit, cura in omnes provincias, late diffusas, exporrecta. Neque magnis œconomo in paucis claro sua itinera sumptibus constitere. Chetardium Marchio Valory sublevavit.

Annus 1740 fatalis fuit magnis Principibus, nam Romano Imperio, Russiæ, & Borussiæ caput abstulit. Et quidem *Fridericum Wilhelmum*, Borussiæ Regem ultima Maji hydrope extinxit Pozdami, postquam 51 annis vixit, & 27 regnavit. Obitus Regis.

Ex Sophia Dorothea, Georgii Ludovici, Hannoverani Electoris, & Regis Angliæ filia, genuit 14 liberos, septem masculos, & totidem fœminas. Ex illis superstites reliquit, Fridericum successorem, natum 1712, Wilhelmum natum 1722, Henricum natum 1726, Ferdinandum, natum 1730.

Liberi.

Ex fœminis prima nupsit Marchioni Culmbacensi, altera Onolsbacensi, tertia Carolo Duci Brunsvicensi, quarta Marchioni Suetensi, quinta Adolpho Friderico Regi Sueciæ. *Fridericus II* vero desponsus est Elisabethæ Christinæ Ferdinandi Alberti Ducis Beverani filiæ.

Frid. succedit heros clariss.

28 Annorum erat Heros iste, cum regnare cœpit; deinceps vero tanta gessit, quæ omnis stupeat posteritas. Homagium recepit Regiomonti in Borussia 16 Jul. in Marchia Brandeburgica 2 Aug. & Magdeburgi per procuratorem, Vesaliæ in Clivia 29 Aug. tum variis terris sub nomine Comitis de Ruppin peragratis, Brunsvici fratrem Wilhelmum, supremum militiæ Mareschallum, ac Gubernatorem Pomeraniæ, 18 tunc annorum juvenem, despondit cum Ludovica Amalia conjugis suæ sorore.

Prima gesta.

A bellis regimen orsus, copias propter Herstallum Leodiensi primum agro, atque defuncto Carolo VI Silesiæ infudit; quæ omnia supra de rebus Germaniæ sunt relata. Ovans Berolinum regressus aulam Ministris, militiam Ducibus instruxit, creavit Comites & Equites Nigræ Aquilæ; quin novum Ordinem *Pour les Merites* fundavit.

Anno 1741 post victoriam *Molvicensem* ab Inferiore Silesia homagium recepit, & in superiorem quoque, imo & in Moraviam & Bohemiam, direpto Glacio, irrupit. *Ludwigum*, inter eruditos celebrem, Cancellarium Magdeburgensem creavit: Christianum *Wolffium*, famosum Philosophum ac Mathematicum, Marpurgo Hallam reduxit, unde a Præconibus fuerat expulsus. Samuelem *Schmettavium* ab Austriacis castris ad sua traduxit. Denique cum Regina Hungariæ pacem iniit, tota ferme parta Silesia. Hallæ Saxonum obiit *Hoffmannus* Medicus celeberrimus.

Quomodo anno 1744 irruperit Rex denuo in Bohemiam, Pragamque expugnarit, brevique, advenientibus Austriacis & Saxonicis copiis, eam rursus reliquerit, in Silesiam redierit, dictum est in Germanicis.

Lud

Ludovicam Ulricam sororem suam, anno 1720 natam Rex despondit Adolpho Friderico, electo in Suecia successori, hodierno Regi Sueciæ.

Justus Henningus *Böhmerus*, Consiliarius Regis intimus & Professor Hallæ Saxonum, renuntiatus est Cancellarius Ducatus Magdeburgici, magno litteratis incitamento, cum viderent, homines eruditos tanto Regi esse in pretio. **Böhmerus Cancellarius.**

Obiit hoc anno Aurici Carolus *Edzardus* Princeps Frisiæ Orientalis, æt. 28, stirpis suæ ultimus. Rex Borussiæ, misso milite, ocius provinciæ possessionem cepit, exacto homagio, eo juris obtentu, quod Imperatores Leopoldus, Josephus, & Carolus VI hoc feudum, si Imperio aperiretur, Domui Brandeburgicæ (data *exspectantia*) promisissent. **Rex Frisiam Orientalem occupat.**

Crediderant autem Batavi Embdenæ civitati & Statibus provincialibus supra millionem ducenta florenorum millia, & Principi Ezardo defuncto trecenta millia, sub hypotheca ditionum. Hollandi igitur præsidium Embdenæ aliisque locis imposuerunt; quæ res varias lites concitavit. At Rex Borussiæ, restituto Hollandis credito, provinciam ab eorum jure pignoratitio redemit: simulque Investituram a Cæsare, & Votum in Collegio Principum postulavit. **Batavis mutuum restituit.**

Sed intercessit Elector Hannoveranus, pacta confraternitatis atque unionis hæreditariæ, cum Principibus Ostfrisiæ inita, obtendens. Magna inde contentio, scriptis & Juris Deductionibus ultro citroque fervide agitata. Accessit tertius competitor Comes Widensis, qui promiscuum esse feudum prætendit, illudque filiis suis, quorum mater & avia fuissent prognatæ ex familia Ostfrisia, vindicavit. Sed Borusso sua mansit possessio, cujus confirmationem Monachii a Vicario Imperii petiit, obtinuitque. **Caussa agitata.**

Cæterum Rex per Andrium, suum Londini Ministrum, Neucastlio Secretario Status scriptum hoc anno tradidit, quo caussas novæ suæ in Bohemiam irruptionis exposuit. Plenum est querelarum in Hungariæ Reginam: omnia ab ea rejecta pacis consilia. Electionem Cæsaream, ab ipso etiam Rege Angliæ, ut Electore Hannoverano, communiter factam, ab ea declaratam irritam, electumque throno suo rursus deturbandum, vel, ut consortem æqua potestate fruiturum recipiat, cogendum. Copias Imperatoris ex Imperio pulsas. Membra in caput concitata. His se permotum Imperatori succurrere, prout Anglia & Hollandia Reginæ succurrissent, & cum aliis Imperii Principibus unionem inire; nullatenus vero ut dominationem suam extendat, sed ut Germana libertas conservetur, & **Cur bellum instaurarit.** **Angliæ respondet.**

pax æqua obtineatur. Quid facturam Magnam Britanniam, ſi in ejus Regnis talis tragœdia exhiberetur, aut, ſi quis Regi coronam detrahere, & Prætendenti alicui imponere conaretur? Sicut igitur nullus Germanus cogitet, rebus Anglicis ſe immiſcere, ſic ſperare Regem, Anglicanam Nationem non miſſuram falcem in alienam meſſem. De cætero ſe debita Sileſiæ, per tractatum Uratislavienſem ſibi impoſita, usque ad ultimum aſſem ſoluturum. Hujus ſcripti multa exemplaria Miniſter Boruſſicus in populum ſparſit, indignante Rege Angliæ, & privatum Articulum Unionis Francofurtenſis objiciente, quo Bohemia inter Cæſarem & Boruſſum fuiſſet diviſa.

§. 4.

Geſta in Sileſia & Saxonia. Ordinem Proceſſus Judicialis per Coccejum reformat. Lis ob ſponſionem pacis Dresdenſis ab Imperio procurandam. De Montium Ducatu. Exſtruitur templum Catholicum & ſacellum pro militibus Berolini. Regis bellicæ & politicæ virtutes.

220. Rex ubique victor triumphat.

Anno 1745 Rex, parta *Fridbergenſi* in Sileſia victoria, ac ſubin etiam Sohrana, bellum in Luſatiam atque Saxoniam tranſtulit. Keſſeldorffenſe denique prælium pacem Dresdenſem peperit; prout ſupra in Germanicis prolixius relatum. Rex autem Berolinum triumphans ingreſſus eſt, comitantibus Wilhelmo & Henrico fratribus, atque Ferdinando Brunſvicenſi, glorioſæ expeditionis ſociis. Diſtributæ Belliducibus urbes & provinciæ gubernandæ, rerum feliciter non minus ac fortiter geſtarum præmia. Flancio commiſſa Memelia, Budenbrockio Uratislavia, Kleiſtio Colberga, Kalchſteinio Glogavia, Daſſovio Veſalia. Geslerus ſupremi Ducis Legatus, natus in Suevia, ſed oriundus ex Helvetia, propter heroica, in pugna præſertim Fridbergenſi edita, cum tota ſua familia Comitis dignitate, honoribus, & opibus auctus.

Novus proceſſus Judicialis.

Ut autem Rex Fridericus non tantum ſummum belli Imperatorem, ſed Politices quoque & Juſtitiæ vindicem ſe probaret, per Coccejum Baronem, Juriſprudentiæ decus, ad decurtandas lites, novum Proceſſus Judicialis ordinem conſtituit. Catholicis vero copiam fecit, Berolini propriis eorum ſumptibus Eccleſiam conſtruendi. Ferberus ab arcano Regi conſilio Spandavi capite plexus

eſt

est propter vetitum cum hoste commercium, propria, ut fertur, manu prod tus, convictusque.

Qu mvis per pacem Dresdensem compositæ viderentur diffidentium Principum controversiæ, novæ tamen mox iterum Domum inter Austriacam & Borussicam succrescebant. Potissima vertebatur circa sponsionem Imperii; nam summi contrahentes Art. IX pacis Dresdensis receperant, curatum iri, ut Imperii Ordines vades illius pacis sponsoresque accedant. Novæ tricæ cum Austria

Nec abnuit Austria; sed voluit, ut etiam simul sponsio Imperii, anno 1732 præstita de ordine successionis Austriacæ, in Sanctione Pragmatica comprehenso, renovaretur. Plura, satis prolixa, in hanc rem scripta utrinque sunt publicata.

Excipiebant Borussi, successionem Austriacam nihil commune habere cum pace Dresdensi, aut hujus sponsione; cum ergo Regina laudato Art. IX promiserit, curaturam se, ut vadimonium Imperii impetretur, Decreto Commissorio Cæsaris hoc esse urgendum, quin de successione Austriaca quæstio, de qua nihil in pace Dresdensi, misceatur. Ob sponsionem pacis Dresd.

Sed replicabant Austriaci, Regem non modo memorato sæpius Art. IX pro omnibus provinciis & ditionibus Reginæ spopondisse, sed jam dudum antea, tum privatim, tum etiam anno 1732 cum toto Imperio, fide interposita, pro Sanctione Pragmatica, & contento in ea successionis ordine cavisse. Si igitur petat, ut Regina fidem suam liberet, merito jure reciproco exigi, ut & ipse suam exolvat, & Imperium sponsionem suam pro Sanctione Pragmatica renovet, idque eo magis, quod Ordines nunquam pro pace Dresdensi caverint, bene vero Sanctione Pragmatica. Certe explorati juris esse, ut quod quisque juris in alterum statuit, eodem & ipse utatur.

Postquam hæc rationum momenta Bernesius Cæsareus Legatus Berolini obtulerat, Brandeburgicum Ministerium longa Deductione anno 1747 *Duplicando* respondit, disparem esse rationem sponsionis Borussicæ & Austriacæ; nam anno 1728 inter Carolum VI Imperatorem & Fridericum Wilhelmum Regem Borussiæ arcanum fœdus Berolini fuisse percussum, quo Rex sponsionem pro Austriaca successione susceperit quidem, sed ea conditione & cautione, ut Cæsar Regi spondeat possessionem Ducatus Montium, post obitum Palatini Electoris Caroli Philippi obtinendam, atque sub eadem conditione datum a Rege postea suffragium in Comitiis pro sponsione Sanctionis Pragmaticæ. Arcana deteguntur

At vero poſtea Cæſarem anno 1737 ab hoc fœdere receſſiſſe, atque per Legatum ſuum Hagæ Comitum Franciæ & Hollandis declaraſſe, ſe pro caſu obitus Electoris Palatini Comitem Palatinum (Modernum Electorem) in poſſeſſionem Juliæ & Montium, armata etiam, ſi opus ſit, manu, introducturum, atque in hanc rem anno 1739 Verſaliis peculiarem tractatum fuiſſe initum, a Lichtenſteinio oratore Cæſareo, & Ameloto Regio Status Secretario ſubſcriptum.

De Montium Ducatu.

Cum igitur Auſtria ab arcano Berolinenſi fœdere receſſerit, neque Regem ſe amplius eo obſtrictum credidiſſe. Hæc aliaque, tum ultro citroque ventilata, publicis in monumentis extant. Ut tamen Cæſar benevolum erga Regem animum ipſo opere demonſtraret, infeudationem Friſiæ Orientalis, a Vicario Imperii anno 1745 eidem factam, confirmavit.

Anno 1747 poſitus eſt nomine Regis a Comite Haackio primus lapis Berolini pro templo Catholico, Ceremonias ritu Catholico peragente Turno, Abbate Premetenſi Ordinis Ciſtercienſis. Lapidi ſupponebatur numiſma, cujus ex una parte Regis effigies viſebatur, ex altera hæc inſcriptio: *Fautori ſuo Religio Romano-Catholica die 13 Julii 1747*, adjectis litteris Regiæ conceſſionis, lingua Germanica & Gallica. Lapidem tegebat bractea cuprea, cui impreſſum erat nomen Benedicti XIV Papæ, & Regis Friderici II, cum nomine S. Hedvigis Patronæ Sileſiæ.

Initium templi Catholici Berolini.

Aliud ædificium Berolini Rex molitus eſt pro infirmis militibus, adjecta gemina capella, altera Proteſtantibus, altera pro cultu Divino Catholicis deſtinata. Frons hujus domus hanc inſcriptionem præfert: *læſo & invicto Militi.* Potsdami quoque novum palatium voluptuarium erexit; cui nomen *Sans Soucy*, hoc eſt, *ſine cura* impoſuit.

Verum raro ſine curis fuit, uti militaribus, ita politicis artibus & œconomicis excellens hic Princeps. Tondebat quidem oves, ſed ut vellera poſſent ſuccreſcere, eis providit: agriculturam, commercia, artes mechanicas, & quidquid pecuniam, rerum agendarum nervum, ſubditis afferre poſſet, exporrigente ſe in omnem partem ſollicitudine, florentem ad ſtatum perduxit. Hinc Svinemundanus portus navigationibus aptatus: immiſſæ naves mercatoriæ pelago: Embdanus in Oſtfriſia portus Indias cum Europa conjunxit. Dici ſane de Magno hoc Principe poſſet, quod ille quondam: *utinam noſter eſſes!*

Laus Regis.

§. 5.

§. 5.

Codex Fridericianus introductus. Embdena navigatio. Obit Böhmerus, & Wolffius. Lis ob jus Stapulæ. Aliquid de bello ultimo & Mechlenburgico Ducatu.

1748 Regiæ Scientiarum Academiæ novum ornamentum acceſſit a Cardinale Quirino & Scipione Maffeo, qui Academiæ illi, cujus Præſes erat Clariſſimus *Maupertuis*, ſunt aſſociati. Ordinatio Proceſſus Judicialis ad decurtandas lites, a *Coccejo*, Cancellario & Arcani Senatus Miniſtro confecta, per Provincias Regis fuit introducta. Fridericus ex linea Brandeburgica collaterali Dux Baruthanus filiam ſuam magnas inter ſolennitates deſpondit Duci Würtembergico regnanti. 221.

Codex Fridericianus.

Anno 1749 Rex, ceu ſupremus Dux Sileſiæ, throno inſidens, Principi Lobkovicio flectenti genua Saganum Principatum jure beneficiario poſſidendum tradidit: prout etiam Schaffgotſio, Epiſcopo Uratislavienſi Principatum Neuſſæ & Grotkaviæ.

Obiit Juſtus Heninges *Böhmerus*, Hallæ Profeſſor Jurisprudentiæ famoſus, Cancellarius Magdeburgicus, & Regius Senator. Scripſit Jus Canonicum, quale ab homine Lutherano exſpectes. Cum Proteſtantes nullum habeant Jus Eccleſiaſticum, Pontificum Decretalibus uti coguntur; ſed illas mutilant, variant, & pro libidine ad ſuas ideas detorquent, præſertim ubi de matrimonio aliisque Sacramentis, de ſacris Ordinibus, uſu Pallii, Immunitate Eccleſiaſtica, poteſtate Pontificis & Epiſcoporum, de Regularibus, eorumque votis, de Beneficiis Eccleſiaſticis, & Concordatis Germaniæ loquuntur.

Böhmeri obitus.

Anno 1750 & 51 Rex cum fratribus ſuis & Ferdinando Brunſvicenſi Principe, comite aſſiduo, viſitandis ordinandisque provinciis ſuis impendit. Singulari apud eum valuit gratia famoſus *Voltaire* Philologus, quem Camerarium ſuum renuntiavit, 3000 thalerorum penſione auctum; qui tamen poſtea gratia excidit, & Genevam diſceſſit. Embdenæ Societati mercatoriæ, ſub protectionem aſſumptæ, inſignia privilegia collata.

Voltaire.

1752 Rex duas naves mercatorias Embdena in Chinam miſit, diſſimulantibus Anglis & Hollandis. Anglos tamen nautas dimittere oportuit, cum lege cautum eſſet, ut nullus Anglus peregrinis in navibus ſerviat. Ut juſtitiæ adminiſtratio promoveretur, Rex in lites & proceſſus pendentes inquiri juſſit, atque 9366 invenit; ex quibus eodem adhuc anno 6802 per ſententiam ſunt expediti. Nobiles

biles 20mo, civium vero filios 21mo ætatis anno *Majores* declaravit, sic tamen, ut usque ad 24tum annum capitalia & bona immobilia alienare non possent. Pomeraniam 59 pagis, & 876 familiis auxit. Tres Borussiæ Circulos in octonos divisit, deductis eo coloniis.

Embdena navigatio. 1753 *Embdena navigatio* in solam Chinam hactenus erat destinata, unde oneraria hoc anno venerat, jam vero etiam in Bengala commercandi privilegium eidem Societati mercatoriæ fuit concessum, ea tamen lege, ne merces venderet in provinciis, in quibus erectæ sunt fabricæ Regis. Arx Marchionis Baruthani cum templo aulico tota propemodum in cineres redacta.

Wolffius obit. 1754 Ericum de *Plotho* renuntiavit Arcani Status Ministrum, suumque ad Comitia Ratisbonensia Legatum. Obiit Hallæ Saxonum Baro Christianus *Wolfius*, 75 æt. anno, natione Silesius, famosus Philosophus & Mathematicus, intimus Regis Consiliarius, Academiæ Hallensis Cancellarius, Senior, & Professor Matheseos, Juris Naturæ & Gentium, contra quod tamen non uno duntaxat loco impegit. Cum res physicas ita explicaret, ut etiam miracula Christi e medio tollere videretur, urgentibus Prædicantibus Halla excedere debuit, sed postea magno cum applausu fuit reductus. Viri docti laudem ei nemo ademerit.

Lis ob Jus Stapulæ. 1755. Initus fuit jam anno 1728 Saxoniam inter & Brandeburgiam Tractatus Commercialis, quo Lipsiæ Jus *Stapulæ*, a Cæsare & Imperio ei dudum collatum, asserebatur, quo videlicet merces per urbem & certum illius districtum transvectæ publice venales ad certum tempus exponi debent. Hoc vero anno Magdeburgum simile Jus Stapulæ cœpit exercere, atque mercibus, Lipsiam deferri solitis, vectigal imponere. Declinatis igitur terris Brandeburgicis merces Hamburgo Lipsiam deportabantur, longiore licet via.

Ventum tandem ad transactionis tractatum. Verum anno sequenti, cum majora jam agitarentur consilia, Commissarii Brandeburgici re infecta sunt avocati.

Fridericus Marchio Baruthanus hoc anno, peragrata Gallia, Avenione substitit, indeque Genuam transmissus, Italiam visit. Rumore autem serpente de mutandæ religionis consilio, Rex Borussiæ per suum Ratisbonæ Legatum, significasse dicitur, mirari se, illum rumorem spargi, cum ex Familia sua ab aliquot centenis annis nemo religionem mutarit. Incredibile est, Regem eruditissimum hæc dixisse; cum notorium sit, Electores Brandeburgicos a Luthero ad Calvinum transiisse, & Christianum Wilhelmum, Joannis Sigismundi Electoris fratrem, Relig. Catholicam Viennæ fuisse amplexum.

Quantum

Quantum anno 1756 fuerit bellum excitatum, omnes novimus, satisque experta est Saxonia, Bohemia, Borussia, Pomerania, Silesia, Moravia, Lusatia, Mechlenburgum: pugnæ cruentæ, Lobosicia, Pragensis, Planiana, Rosbacensis, Preslaviensis, Lissana, Jägersdorffensis, Zorndorffensis, Hochkirchensis, Kunnersdorffensis, Torgaviensis, omnes a Rege Borussiæ consertæ, testes. Quot urbes oppugnatæ, aut expugnatæ, aut ignibus infestatæ? Wittenberga, Torgavium, Lipsia, Dresda, Praga, Regino-Gradecium, Zittavia, Budissa, Olomucium, Berolinum, Uratislavia, Schweidnizium, Cystrinum, Regiomontum, Colberga, Glacium, quanta nomina! loquuntur. In appendice uberior de his erit sermo. De Bello ultimo.

Anno 1760 Wernerus Dux Borussicus in *Mechlenburgicum* Ducatum movens, litteras patentes præmisit ad Magistratus & Præfectos, quibus eos totamque Schwerinensem provinciam Regi Borussiæ subjectam esse declaravit, exegitque sub incendiorum comminatione, præter ingentem pecuniæ vim annonam & cibaria pro suis copiis. Respondit Ducis Schwerinensis nomine Lantingshusius, militiæ Suecicæ Præfectus, adhortando Provinciales, ut Duci Domino suo fidem servent; non esse in Werneri potestate, alienos subditos a vinculo subjectionis absolvere, & alterius Domini potestati subjicere. Si autem Regis voluntate hæc attententur, apertam fore rupturam pacis Westphalicæ, sub sponsione & fidejussione coronæ Suecicæ constitutæ. Prohibet denique, ne quidquam contribuant Borussis, sine Ducis Domini sui consensu, promittitque Ducatus tutelam. Verum, cum Sueci recederent, prævalenti potentiæ cedendum fuit. Exactus a Würtembergensi Principe Imperialium missio cum magno apparatu rei annonariæ. Surgebat nihilominus tantos inter fragores Ducis liberalitate Buzoviæ nova studiorum Universitas, tranquilla Musarum sedes. De Mechlenb. Ducatu.

Anno 1761 Dux Schwerinensis subtraxit oculos patriæ servientis spectaculo, atque Lubecam modo, modo Hamburgum concessit; juvenilis quoque pubes recessit, ne sub signa cogeretur. Copiæ vero militares Mechlenburgicæ adhuc in Insula Rügia morabantur; quia Dux nolebat vim vi repellere, sed via juris Ratisbonæ, quamvis frustra, procedere conabatur; cum inter armorum strepitum leges non exaudiantur.

Quinta Maji 1762 novum Russiæ Imperatorem inter & Regem Borussiæ per Golzium Baronem, & Woranzovium Comitem pax fuit composita, qua opimiorem Borussi ne quidem poterant appetere. Reddita Pomerania atque Borussia, Schweidnicio & Glazio adhuc sub potestate Austriaca persistentibus, Rhenanis vero provinciis, Geldria & Clivia, sub præsidiis Gallicis detentis, donec & illas annus 1763 restituit.

CAPUT XVI.
Status Daniæ
SÆCULO XVIII.
§. 1.

Danus Holſatiam Ducalem invadit. Pax Travendalenſis, rupta poſt Pultavanam Sueci cladem. Dani, a Suecis ad Helſinburgum victi, Scania ejiciuntur. Roſtochium capiunt.

822. Anno 1700 Dux Holſato-Gottorpienſis munimenta quædam ſua in ditione erexerat, Suecico recepto præſidio, quod indigne ferens Rex Daniæ, Wittenbergum cum 12 armatorum millibus Holſatiæ Ducali immiſit, eamque totam propemodum occupavit, Tönninga obſidione tentata. At accurrentibus in auxilium Ducis inde Suecis, hinc Luneburgicis, inita eſt Pax *Travendalica* his conditionibus.

Pax Travendalica, Omnium, quæ bello acta ſunt, ſit oblivio & amneſtia, qua etiam fruantur Lubeca & Hamburgum. Tractatus antiqui renovantur. Uterque Holſatiæ Ducatus, Regalis videlicet & Ducalis, maneant æquales, ita quidem, ut Rex & ejus ſucceſſores neque ratione Ducatus Holſato-Schleſvicenſis ullam ſibi prærogativam aut jus in Gottorpienſes poſſit arrogare. Rex Duci in damnorum compenſationem ſolvat 260000 Thaleros Imperiales, neque a Suecis aliquid repetet. Domus Luneburgica nullum feret auxilium Regi Poloniæ, qui Livoniam invaſit, contra quem & Moſcum Carolus XII Rex Sueciæ bellum apparat.

Conquievit dein Dania, paci huic inſiſtens, quamdiu Rex Sueciæ in Polonia & Saxonia tumultuabatur. At poſtquam is anno 1709 fuit per cladem Pultavanam fractus, Fridericus IV Rex, percuſſo cum Auguſto Poloniæ rurſus Rege, & Petro Magno Duce fœdere, Suecis bellum denuntiavit; regiones ſeptentrionales ab aliquot annis a Suecis fuiſſe turbatas, inquiebat; notam abunde eſſe inquietam & ferocem Caroli indolem, quæ in ipſa etiam Regum capita

Poſt Pultavanam pugnam rupta.

pita grassetur: perspectum insuper ejus in se aninum & consilia, ambitione & ubique dominandi libidine turgentia. Daniam variis affectam injuriis. Et quæ sunt plura similia, a Suecis postea confutata.

Ac ferro efficacius fortiusque quam penna disputarunt Sueci, dum Danos, Ranzovio ductore in Scaniam trajectos, atque insigni ad *Helsinburgum* prælio a *Steinbockio* victos, in Zelandiam suam rejecerunt.

Dani, Russicis auxiliis succincti, alteram aleam tentandam putarunt, & in Scaniam expeditionem repetendam. Commissum navale prælium, quod ventorum turbines disjecere.

Cum expeditio in Sueciam minus prosperum successum habuisset, ad Germanicas Suecorum ditiones Rex animum consiliaque convertit, & primo quidem Rostochium expugnavit, dein vero Stralsundam & Wismariam infestare est aggressus, sed conatu irrito.

§. 2.

Annis sequentibus feliciores Dani Stadam cum Bremensi Ducatu occupant. Profligato captoque Steinbockio, plures urbes. Pax. Quæ Slesvicensem Ducatum Danis attulit. Accedunt fœderi Hannoverano. Succedit Friderico IV Christianus VI, qui fœdus init cum Cæsare, Russia, ac dein etiam Sueco. Subsidia dat Anglo præ Gallo. Filio Sueciæ coronam imponere conatur, ut tria regna conjungat. Sed Holsatus eligitur. Promittit tamen Suecia se non miscere causæ Slesvicensi.

Anno 1712 Dani expugnata *Stada* Bremensem Ducatum occuparunt. Sed paulo post in Megapolitano Ducatu a Suecis acie sunt victi. At anno sequenti Dani, Russi & Saxones Steinbockium, Suecorum Ductorem, ad *Tönningam* in Holsatia, eo adegerunt, ut cum toto suo exercitu more militari captivum se dederet. Tönningæ vero (quæ ad Ducem Gottorpiensem pertinebat) munimenta solo æquata sunt; anno 1714 insuper Insulam Heilglandiam Suecis eripuerunt Dani: & anno sequente Insulam Rügiam; 1715 Stral-

223. Sueci a Danis victi.

ſundam, Rege ipſo Friderico IV triginta ſex armatorum millia in Pomeraniam ducente.

Anno 1716 Dani Suecos, in Norvegiam irrumpentes, retuderunt. Intenta vero in Scaniam irruptio effectu caruit. Proximo anno Wiſmaria, Suecis erepta, a Danis munimentis omnibus eſt exuta. Magnus Steinbockius victor victusque obiit in Danica captivitate. Dani magna ſolennitate alterum fidei Lutheranæ ſæculum celebrarunt. Documento aptiore fateri non poterant, quam antiqua ſit ſua fides & Eccleſia. Anno 1718 Daniæ vires in defendenda Norvegia erant occupatæ, in quam Carolus Sueciæ Rex magna ferocia irruerat, ſed mortem reportavit: poſtquam Sueci fugerunt in patriam. 1719 munimentum Marſtrandenſe expugnarunt Dani cum caſtello Carlſteinio. Danckwartus vero urbis Præfectus ob deditionem a Suecis capite plexus eſt. Adveniente ſub Noriſio claſſe Anglica induciæ ſex menſium Suecos inter & Danos fuerunt initæ. 1720 mediante Anglia tandem pax eſt conſecuta, cujus articulos, aliaque ad hoc bellum pertinentia prolixius in Suecicis dedimus. Fructus belli præcipuus erat Ducatus Schleſvicenſis, a Suecia ſub cautione Galliæ & Angliæ Dano conceſſus, non attenta proteſtatione Gottorpienſi.

Pax cum Suecis.

Anno 1721 obiit Ludovica Mechlenburgica, Friderici IV Daniæ Regis uxor. Altero poſt illius ſepulturam die Rex publicavit ſuum conjugium cum Reventlavia, Cancellarii ſui filia, quam, jam ab anno 1713 cognitam, Schleſvicenſem Ducem creaverat. Non dabatur ei initio Reginæ titulus, donec Rex ipſe poſtea illum eidem tribuit. Hübnerus in ſuis tabellis genealogicis diligenter annotat pellices & proles illegitimas Catholicorum Principum: cur non etiam Lutheranorum?

Pluribus dein annis Rex bona pace fruebatur, & viſitando Norvegiam, Sleſvicum, Holſatiam, Oldenburgum, ſuas extra Daniam provincias, quæ ex uſu eſſe videbantur, ordinavit: punita etiam conſpiratione, quæ in Norvegia fuerat detecta.

Dania ad fœdus Hannoveranum.

Cum *anno* 1726 Ruſſiæ Imperatrix, inſtructa claſſe, Ducem Holſatiæ in Ducatum Schleſvicenſem reſtituere cogitaret, claſſis Danica Anglicæ juncta ad Livoniam excubabat, impediitque, ne illa emitti poſſet. Cæterum fœderati Hannoverani vehementer urgebant, ut Dania tractatui illorum ſocia accederet, quod tandem anno 1727 obtinuerunt.

Anno 1728 ingens incendium Hafniam prope in cineres redegit. Conflata nihilominus nova mercatorum Gröningensis societas. Navigatum in Gröningam, sed nullo operæ pretio. Varia etiam inita consilia, quibus Indica Orientalis societas languenti commercio succollaret. In Lapponiam quoque extensa lucrandi cupiditas, merces, modo peregrinæ sint, facile emptores inventuras rata.

Anno 1730 obiit *Fridericus IV* Rex Daniæ, æt. 60, Regni 31. Regina vidua, Comitis Reventlavii filia, mox ab Aula recessit. Funus Rotschildam, Regum Daniæ sepulchrum, delatum. Successit filius *Christianus VI* natus 1699 ex prima patris conjuge Mechlenburgica. Anno sequenti unctus & coronatus est ab Episcopis. Creati plures Equites Ordinis Elephantini, & Dannebrogici. Reventlavii Comites muneribus dejecti: aliis, ut fieri amat, ascendentibus, aliis descendentibus.

Friderico IV succedit Christ. VI.

Anno 1732. Rex Ordinem *Fidelitatis* fundavit, in quem multos utriusque sexus suscepit. Triplex inde fœdus initum, inter Cæsarem, Russiam & Daniam. Septem articulis constat.

1. & 2. Promittitur constans amicitia, & promotio communis utilitatis.

3. Excluduntur omnia fœdera, huic contraria. Promittitur defensio omnium provinciarum, defacto possessarum.

4. Præsertim vero Rex Daniæ cavet spondetque pro Sanctione Cæsaris Pragmatica.

5. Si pars contrahentium invaderetur in Europa, reliquæ assistent; nec arma ponent, donec ex integro fuerit satisfactum.

6. & 7. Liberum est aliis, huic Tractatui accedere. Intra 3 menses fiat ratificationum commutatio.

Fœdus cum Cæsare & Russia.

Actum Hafniæ 26 *Maji* 1732.

Præterea separato articulo promittit Rex Daniæ millionem thalerorum, si Gottorpiensis Dux desistat a sua prætensione in Ducatum Schlesvicensem; danturque ei duo anni ad deliberandum.

Anno 1734. Rex vi fœderis Cæsari ad Rhenum misit 6000 virorum, quos ipse Altonæ lustravit; Hamburgum inde & Oldenburgum progressus, comitante conjuge Baruthana. Cum vero Gallica & Russica classis in Balthico ob bellum Polonicum appareret, Dania & Suecia, sepositis simultatibus, fœdus defensivum percusserunt; quo promittitur amicitia & communis commodi cura, cum sponsione pro iis, quæ actu possident. Pro casu invasionis alter contrahens alteri assistat 2000 equitibus, & 6000 peditibus, 4 tor-

Cum Suecia.

mentis campeſtribus, & 6 navibus bellicis, probe inſtructis, atque pluribus etiam, ſi neceſſitas requirat, iisque ſit liber ingreſſus in portus alterius. Hoc fœdus non obſtet tractatibus, cum aliis initis.

Actum Holmiæ 5 Oct. 1734.

Subſcripſerunt pro Rege Daniæ Seſtadius Legatus, pro Rege Sueciæ Hornius cum aliis 5 Miniſtris. Sed nullus erat hoſtis. Claſſis Gallicæ ac Ruſſicæ Dantiſcum erat ſcopus.

Anno 1736 Rex ſalubri conſilio prohibuit, ne quis aurum vel argentum in veſtimentis portet. Annis ſequentibus litis aliquid intercesſit cum Hollandis propter telonium in freto Oreſundico, & piſcationem.

Anno 1739 Gallus & Anglus certabant, quis alter alteri Danum præripiat. Chavignius Franciæ Legatus invitabat Regem, ut Tractatui ſubſidiorum, cum Suecis anno ſuperiore concluſo, accederet, promiſſis, ut fertur, in annos ſingulos octingentis florenorum millibus. Sed prævenit Titleus Anglus, qui cum Rege pactum icit.

Confirmantur tractatus anteriores. Dania alet 1000 equites & 5000 pedites. Anglia autem ſolvet tribus annis 25000 thaleros, cum delectuum ſumptibus. Anglia aſſiſtet Daniæ terra marique.

Anno 1740 cum Galli Weſtphaliam ingrederentur, Rex Angliæ petiit promiſſas auxiliares copias, & impetravit: in Holſatiam miſſæ, trajectoque Albi cum Hannoveranis ſe conjunxerunt.

Anno 1742 & 43. Cum in Suecia agitaretur negotium de ſucceſſore in regno eligendo, Rex Daniæ Principem ſuum hæreditarium vehementer commendabat, omnia, ſi eum eligerent, pollicitus: tria ſic Regna, Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ rurſus conjunctum iri, ſicut per Unionem Calmarienſem 1398 fuiſſent conjuncta: offerebat fœdus off- & defenſivum, cum 12 navibus bellicis, & 12000 armatorum.

Rex tria regna unire cogitat per filium.

Berckentinus Holmiam miſſus, cum Gyllenborgio Sueciæ Cancellario, Teſſino, Wrangelio aliiſque regni ſenatoribus negotium egit. Prædicantibus & ruſticis placuit Danus, atque obtinenda per eum regnorum unio, non autem Nobilium & civium Ordinibus. Hinc iſti de induſtria Comitia differebant, donec pax Aboana eſſet compoſita, ut dein velut cogerentur Adolpho Holſato ſuffragium dare. Et ſane hæc erat callida ſenatorum politica, ut & haberent ſucceſſorem, quem volebant, & ſimul per comminationem Dani eligendi terrerent Ruſſos, metuentes, ne per Danum tria

illa

illa regna coaleſcerent, atque hoc pacto obtinerent pacem, non ut victi ſed victores.

Cum dein Holſatus electus eſſet, Rex Daniæ, ut creditu pronum, id graviter ferens, electionem irritam dixit, eo quod major Statuum pars Principi Regio ſuffragium dediſſet: certam inſuper ſibi datam ſpem, imo aſſecurationem, ratione Ducatus Schleſvicenſis in pace Aboana, peculiari articulo ſibi ſecuritatem iri præſtitum, jam vero nec mentionem de eo factam. Holſatum electum graviter fert.

Repoſuit Comes Teſſin Legatus Suecicus, Principem Regium ante electionem habuiſſe quidem Statum Eccleſiaſticum & ruſticum ſibi faventes, at in ipſa electione mutaſſe ſententiam. De Schlesvicenſi cauſa Ruſſos noluiſſe tractari, ſed eam in aliud tempus remiſſam.

At vacuam hanc excuſationem eſſe Rex exiſtimans, terra marique bellum apparavit. Sed ubi videt Suecos non timide reſponſuros, & inſuper totas Ruſſiæ vires in ſe pugnaturas, iram ſuam temperandam aliquantum duxit, atque id tantummodo petendum, ut Adolphus, ſucceſſor declaratus, ſuo in Holſatiam juri renuntiet; quo amicitia inter utrumque regnum reſtaurari poſſet.

Propoſita hæc poſtulata ſunt Adolpho ſucceſſori. Is autem reſpondit, coactam ſibi renuntiationem iſtam videri; dein non ad ſe, tutorem hactenus duntaxat, ſed ad Fridericum Principem Ruſſiæ, ceu caput Domus Holſato-Gottorpianæ pertinere, de Holſatiæ juribus diſponere. Atque hoc pacto petitionem odioſam a ſe amoliendam putavit. Senatus autem Sueciæ repoſuit, jam art. 6 pacis, anno 1720 concluſæ, promiſſum a Suecis, ſe nec directe nec indirecte immiſturos in cauſam Schleſvicenſem, aut Duci Holſatiæ in hac parte opitulaturos. Hanc autem ſufficientem utique eſſe cautionem pro Dania, ultra quam non appareat, quid exigi vel ab amica vel hoſtili etiam gente poſſit, præſertim cum jam primo articulo fœderis defenſivi, anno 1734 icti, a Suecis cautum ſit pro omnibus ditionibus, a Dania poſſeſſis.

Regius Princeps, qui excidit ſpe Sueciæ, ad alia vota tranſiit, & Regiam Principem thori conſortem ſibi adlegit, Ludovicam videlicet, Georgii II Britanniæ Regis filiam, magno cum apparatu in diverſis prius arcibus voluptuariis, ac denique Hafniæ exceptam.

§. 8.

§. 3.

Succedit Frid. V Angli gener. Quamvis Sevensi Tractatui per Linardum fidejussor accesserit, toto tamen ultimo bello neutras partes secutus est. Comitem S. Germani copiis præficit.

1744. Quamvis anno superiore omnia bellum, Sueciam inter & Daniam gerendum spirare videbantur, hoc (1744) industria Comitis Tessini Legati Sueci, imminens procella amica conventione est aversa. Dania renuntiat prætensioni ad coronam Suecicam. Hæc vero renovat tractatum anni 1720, & 1734, quo promisit, causæ Schlesvicensi se non miscere. Simultates quoque inter Aulam Danicam & Russicam sunt compositæ.

Ut Rex Christianus VI Fridericiam, novam ac munitam urbem, incolis & commercantibus frequentem redderet, potestatem fecit Catholicis, Calvinistis & Judæis, templa pro se construendi.

Anno 1745. Rex subsidiorum tractatum in duos annos prorogavit. Gallia promittit 1200000 Imperialium. Dania autem nulli externo præbebit auxilia. Quæ proin, cum Prætendentis filius in Scotiam solveret, Anglia frustra petens a Dano, ab Hassia obtinuit.

Obit Christ. VI. *Anno* 1746 obiit *Christianus VI* Rex Daniæ & Norvegiæ, æt. 47, regni 16. Funus Rotschildam, consuetum Regum Mausolæum, deportatum. Ex Sophia Culmbacensi reliquit successorem *Fridericum V*, natum 1723, Angliæ Regis generum. Qui, Aula sua constituta, cum Algerianis transegit, ne naves, sub vexillis Danicis in Mediterraneo comparentes, deprædarentur. Pro quo Piratarum beneficio Legatus Danicus obtulit non modicam vim rei armamentariæ.

Succedit Frid. V.

Anno 1747. Rex Fridericus V cum conjuge sua Friderico-burgi solenni pompa fuit coronatus.

Cum Rege Utriusque Siciliæ Tractatum commercialem iniit, 40 articulis comprehensum.

1749.

1749. Rex solenne per omnes suas provincias triduum indixit, quo celebraretur memoria XII Regum, qui ex Domo Oldenburgica per tria sæcula continua serie regnassent. Oratores & Poetæ hic pharetras suas exhauserunt.

Fœdus cum Suecis in alios 15 annos prorogatum. Ut annosæ lites amputarentur, Rex viva voce Recessus formari coram Judicibus jussit, abolitis scriptorum ambagibus.

Magno vitæ periculo in examinanda re armamentaria Rex defunctus, amisit Reginam conjugem, Georgii II Angliæ Regis filiam, in puerperio una cum prole extinctam.

Solus ferme Europæos inter Principes Rex Daniæ nullas in partes abiit, dum bellum ultimum totam prope Europam, quin Asiam quoque, Africam & Americam pervagaretur. Consultius videlicet visum Regi sapientissimo, populos a Deo sibi concreditos in pace tranquilla gubernare, quam belli calamitatibus & incertis eventibus exponere. Maria interim, aliis turbida, & oppessulata, Daniæ erant aperta & pacata, ingenti commerciorum proventu. Sevensi equidem tractatui, Gallis fatali, per Linardum Comitem sponsor & fidejussor accesserat; sed nescio, quo fato, optima ejus, quod præsumendum, intentio fuerit frustrata. Neutralis.

Cum classis Anglica in Balthicum ventura nuntiaretur, Danus accessit tractatui, anno 1759 Russiam inter & Sueciam pro securitate & libertate navigationum & commerciorum inito, atque in eum usum sex naves bellicas instruxerat. Nec minus eruditioni consulebat, dum viros doctos in Thraciam, Syriam, & Arabiam ablegavit, ut doctrinæ monumenta inde eruerent.

Comes de *S. Germano*, postquam a castris Gallicis ad Danica transierat, Regis voluntate haud procul Hamburgo 15000 armatorum castra locaverat. Comes S. Germani.

Similia castra in Holsatia Rex posuerat, vel ad exercendum militem, vel demonstrandum, quantum momentum esset additurus, si alterutri belligerantium parti se se adjungeret.

Anno 1762, postquam novus Russiæ Imperator pacem cum Borussis percusserat, Daniæ minitari videbatur, ut Regem Holsatiæ possessione dejiceret. Factus utrinque apparatus; sed postquam Imperator throno suo fuit deturbatus, causa Berolini fuit composita.

CAPUT XVII.
Status Moscoviæ
SÆCULO XVIII.

§. 1.

Carolus XII Petrum I variis primum cladibus affecit, sed ad Pultavam penitus est profligatus. Zarus Livoniam occupat. Turcam primum vincit, dein vero conclusus pacem obtinuit.

225. Sub initium sæculi XVIII Moscovia, hactenus in tenebris ferme sepulta, nec magno nexu Europæ cohærens, a Petro I arte militari exculta, vires suas, & immensam provinciarum amplitudinem noscere & æstimare cœpit. Ut adeo non modicam hodie partem Historiæ constituat. Suecia visa idonea, quam bello appeteret, cui alias jam Augustus Poloniæ Rex bellum indixerat. Huic fœdere junctus Petrus *Narvam* obsedit; sed Carolus XII Sueciæ Rex cum parva, in comparatione Moscovitici exercitus multitudine, manu Russos immani illata clade penitus profligavit. (1701.)

Petrus vincitur a Car.

Digresso dein Sueco in Poloniam ad Augustum Regem profligandum, Moscus Livoniam pressit; expugnat anno 1704 *Narvam* cum memorabili Suecorum clade. Mittit aliquot millia Regi Augusto in Poloniam. Occupat *Mietaviam*; a Löwenhauptio tamen victus, copias suas ad propriam defensionem ex Polonia revocavit.

Narvam & Mietaviam capit.

Vario deinceps Marte certatum ad annum usque 1709, qui in suo principio Moscoviam in magnum discrimen adduxit, in decursu vero ad fastigium gloriæ & felicitatis provexit; quippe, cum Carolus XII Sueciæ Rex dejecto Augusto Poloniæ throno, Petrum quoque Magnum Moscoviæ Ducem e dignitatis apice præcipitare constitutum haberet, cum valido & victoriis assueto exercitu in Russiam movit, & Pultavam, munitam in Ucrania urbem, obsedit.

Decretoria ad Pultavam victoria.

At incidit in heröem, bellicarum non minus, quam politicarum, quas per Europam didicerat, artium gnarum, Petrum I, qui commissa pugna acerrima grandem Colossum uno veluti ictu penitus pro-

prostravit, captis, quæ cladi Pultavanæ supererant, ad Boristenem Suecorum reliquiis, ipsoque Rege in parte felicitatis ponere coacto, quod rimam invenerit, per quam penetraret in asylum Turcicum. Zarus vero triumphum solennem egit, ingressusque est Moscuam eques, latera stipantibus hinc Menzikofio, illinc Doloruckio. Captivi Sueci pedites sequebantur, quos inter eminebant, Comes Piper, primus Sueciæ Minister, Reinschildus, Löwenhauptus, Schlippenbachius, Roseus, Stackelbergius, Hamilton, aliique plures agminum Duces & Chiliarchæ. Post hos vehebantur capta Suecorum arma, tormenta bellica, machinæ &c.

Initium hoc magnitudinis Russicæ, & decrescentis Sueciæ. Omnia siquidem deinceps Zaro in Livonia, Ingria, & Finnia fuere proniora. Nam Rigam, Dünemundam, Pernavium, Revalium cum tota Livonia, atque Wiburgum, Abonam, aliasque urbes in Finnia expugnavit (anno 1710.) Capta Livonia.

Progressibus Moscorum ulterioribus intercessere Turcæ, qui a Carolo Sueciæ Rege permoti sunt, ut Russis bellum denuntiarent, quo Carolus & Stanislaus in regnum reducerentur. Primum in Russicas provincias irruptionem fecerunt Tartari, sed a Galizio strenue sunt repulsi. Zarus, tracto in suas partes Cantemirio Principe, in Moldaviam movet, inde in Turciam penetraturus. Ad Pruthum pugna conseritur, qua Russus victor non levem Tartaris & Turcis cladem infert. In Turcam movet.

Verum accurrentibus undique magno numero cum majoribus machinis Turcis, conclusus veluti fuit caudinas inter furcas Russorum exercitus. Petrus magnitudine periculi territus, pacem a Vizirio petiit, aureoque, ut fertur, ariete barbari pectus perfringit. Sancitur pax in has leges. Primum vincit. Dein concluditur.

1. Assacum (Asof) præclarum ad Ostia Tanais munimentum, Moscus Turcis restituat, cum omnibus ab eo dependentibus.

2. Tangarocum, Camenecium, aliæque munitiones, recens a Russis constructæ, solo æquentur.

3. Zarus se non amplius misceat rebus Polonicis, Cosaccis, aut Tartaricis.

4. Sueciæ Regi liber permittatur transitus ad suas provincias.

Quamvis autem hæc pax Pruthena Turcis fuerit admodum proficua, ob receptum præsertim Assacum, non defuere tamen scriptores, qui cum Aurignio Vezirium grandis imprudentiæ ob præcipitatam hanc pacem accusent.

Pacem obtinet. Eam fuisse Russici exercitus inclusi conditionem, inquiunt, ut una die ad internecionem concidi, Stanislaus in regnum, & Carolus in Status suos potuisset restitui, Portæ Ottomannicæ majora commoda provideri, & omnia, quæ ex Pultavensi clade consecuta sunt, damna reparari. Sed tractatus isti facilius sunt concepti, quam executioni dati. (1711.)

§. 2.

Pax cum Turcis. Prosecutio belli cum Suecis. Zari filius Alexius fugit. Obit in carcere: relicto Petro filio. Pax Suecica. Imperatoris titulus. Expeditio ad Caspium. Holsatus gener Zari. Hujus mors. Elogium. Stemma.

226. Conventio cum Turcis. Post Pruthenam pacem, cum Turcis initam, Russi anno 1712 Tanain (Asof) permunitam ad Paludem Mæoticam & Ostia Tanais urbem, iisdem reddiderunt. Cum autem Turcæ novum bellum, ob retentas in Polonia copias, & forte etiam in favorem Caroli XII apud eos adhucdum exulantis, minitarentur, nova iterum conventio est inita. Vi cujus Russi intra tres menses Poloniam desererent, nec reverterentur: Carolo regressum ad suum regnum concederent. Intra Tanain & Circassiam nulla munimenta construerent. Kioviam & Ucraniam retinerent, cum Cosaccis tamen ultra Boristenem nihil negotii haberent.

Continuatio belli Suecici. Anno 1713 Zarus expeditionem in Holsatiam & Finniam feliciter suscepit; prout dictum in Suecicis. Anno sequenti Russi Ahrenfeldium terrestri, Wartrangum navali prælio superarunt. 1715 pro Rege Augusto & Saxonibus Russi ad 30000 in Polonia contra confœderatos Polonos & Lithuanos excubabant. 1716 & sequenti Zarus, continuato quamvis adversus Suecos bello, peregrinationem in Germaniam, Hollandiam, Galliam suscepit, comitantibus Doloruckio, Schaffiroffio, & Coarackino, primæ in Moscovia dignitatis proceribus. Multa de his itineribus scribuntur & dicuntur, quæ longum fuerit enarrare. Hoc certum, eum omnia lustrasse, & pro excolenda prudenti & ordinata politica varia documenta hausisse.

Zarovicii fuga. Anno 1718 Alexius (*Zarovizium* Mosci dicunt) primo genitus Zari filius, ob conceptam, ut quidam putant, in patrem conspirationem, cum is ex peregrinis regionibus rediret, fugam arripuit;

puit: & primo quidem Viennam ad Aulam Cæſaream, & præſertim Imperatricem Eliſabetham, cujus ſororem Conjugem habuerat. Sed cum Imperator Zarum nollet offendere, Neapolim profectus eſt. Verum etiam ibi ab exploratoribus deprehenſus, in Moſcoviam ad patrem, graviter offenſum iratumque, reductus eſt.

Ubi in conſpectum patris venit, procumbens in genua veniam inter lachrymas petiit. Promiſſa illi, ſi cauſam fugæ, omnesque illius ſuaſores fideliter aperiret.

Interim tamen Zarus Status ſuos, eccleſiaſticos & ſæculares convocavit, & coram illis, Alexio, ex prima uxore genito, tanquam inepto & reo abdicato, Petrum, ex ſecunda uxore, ſibi chariſſima, natum ſucceſſorem declaravit. Atque huic diſpoſitioni omnes Proceres debebant ſubſcribere. Abdicatur.

Severa dein quæſtio in Principem habita. Princeps Kikinus & Patriarcha Roſtoffenſis ceu complices conſpirationis in vitam Zari rota contriti, Alexius vero in arctam abductus fuit cuſtodiam: & tandem a commiſſione delegata capitis condemnatus. At, dum hæc aguntur, extinctus eſt, morte an naturali, an veneno parato, incognitum. Altiori hæc judicio relinquuntur. In carcere obit.

Credibile videtur, Alexium fuiſſe inſontem, nec fugiſſe, niſi, ne artibus novercæ adigeretur renuntiare juri ſucceſſionis, juniori fratri deſtinatæ. Reliquit autem ſuperſtitem filium Petrum ex Carolina, Welfertano Blanckenburgici Ducis filia, Imperatricis ſorore, genitum; qui poſtea ad ſolium evectus eſt. Relicto Petro filio.

Anno 1719 mortuus eſt Petrus, ſexto ætatis anno, quem Zarus, ex ſecunda conjuge ſuſceptum, anno priore ſucceſſorem ſuum ſolenni ritu deſignaverat: neque alium amplius habuit filium.

Cum Suecis in Inſula Aland pacis ineundæ rationem inierat. Verum illi tractatu abrupto bellum proſequebantur. Quare Zarus excandeſcens, validiſſimam claſſem, 40000 armatorum, ut narratur, inſtructam, ſub Apraxino pelago immiſit, quæ variis in locis exſcenſu facto, Sueciam miſere devaſtabat, donec Sueci calamitatibus feſſi pacis conſilia ſuſciperent. Suecia contrita.

Anno 1720 pergebant nihilominus Moſci variis invaſionibus Sueciam premere, donec claſſis Anglicana impetum aliquantum continuit. Interea autem Zarus ſuum Petroburgum novis ædificiis ac palatiis ad omnem ſplendorem auxit.

1721. Tandem pax cum Suecis Neoſtadii in Finnia coaluit; quam in Suecicis exhibui. Acceſſit Ruſſiæ Livonia, Ingria, Eſtonia, pars Careliæ & Finniæ. Pax cum Suecis.

Hoc anno Zarus titulum *Imperatoris Russorum*, ab Ordinibus Moſcoviæ ſplendida ſolennitate ſibi delatum, acceptavit: quem jam a Maximiliano I Cæſare Magno Moſcoviæ Duci datum dicebant. Alii ex Europæ Statibus eum mox hoc charactere venerati ſunt, alii vero tardius, nec ſine difficultatibus.

Titulus Imperatoris.

Imperator Chinenſis Ruſſis mercatoribus poteſtatem fecit, ut quot annis bis in Imperium ſuum venire liceat; quapropter Zarus ſolennem ad eum legationem miſit. In regno Siberiæ multi adhuc erant gentiles Tartari; quorum multi ad Græcam religionem ſunt converſi.

1722 Edictum promulgavit, ut parentibus liberum ſit, quemcunque ex filiis ſuis bonorum immobilium hæredem ſcribere, non attento ordine ætatis. Pro Domo autem ſua ſibi libertatem reſervavit, quemcunque ſucceſſorem deſignandi.

Expeditio in Georgiam.

Poſt hæc novam expeditionem ad mare usque Caſpium ſuſcepit, ea intentione aut prætextu, ut Sophum Perſiæ Regem contra Miriweiſium aliosque rebelles ſubditos tueretur. Aſtracano Derbentum venit, quam urbem expugnavit: ſicut ab Occidente, ſic ab Oriente protendens fines Imperii, Muſulmanno ex obliquo lividis oculis hæc grandia incrementa aſpiciente.

1723. Ulterius progreſſus plura ad mare Caſpium loca occupavit, ad Schirvanam usque Perſarum provinciam. Venit etiam Perſicus in Moſcoviam Legatus, a *Thamaſio* juniore Sophio miſſus, cui inito fœdere Ruſſiæ Imperator auxilia promiſit, reſervatis ſibi iis, quæ ad Caſpium conquiſierat. Sed non legimus deturbato Perſarum Regi multum auxilii fuiſſe allatum.

Schaffiroffii ruina.

Schaffiroffius Cancellarius & primæ admiſſionis Miniſter ad mortem condemnatus gratiæ debuit, quod exulare licuerit.

Anno 1724 Zarus cum tota Aula ſua, optimatibus & Principum Miniſtris Moſcuam conceſſit, ibique Catharinam Conjugem ſuam Majoris & Minoris Ruſſiæ Imperatricem magnifica ſolennitate coronavit, Novogrodenſi Archiepiſcopo ſacris operante. Adduxit Zarus exemplum veterum Imperatorum Græcorum, Juſtiniani, Heraclii, Baſilii, Conjuges ſuas coronantium. Præluſit nempe iis, quæ anno ſequente facturus erat.

Holſatus Zari gener.

Acceſſit ſolennitas altera, qua Zarus Annam, filiam ſuam natu maximam deſpondit Friderico, Holſato-Gottorpienſi Duci, qui, a Corona Suecica excluſus, ſpes ſuas ad Moſcoviæ Imperatorem attulit, & jam per triennium apud eundem commoratus, eum

Mo-

Monarchæ amorem æstimationemque meruit, ut generum suum eligeret.

Anno 1725 ineunte obiit Petrus I Alexievizius, Russorum Imperator, Stranguriæ morbo oppressus: Princeps vere magnus, qui Russiam e barbarie extraxit, & toti mundo conspicuam reddidit. Vile, obscurum & ignotum prope erat Moscorum nomen, at ille ad summum potentiæ & gloriæ apicem evexit. Attrita Suecia, mutilata Persia, Livonia, Esthonia, Ingria, Carelia, Finlandia, Astracanum regnum, Derbentum, ipsum adeo mare Caspium, perpetua sunt virtutis & magnitudinis monumenta. Carolum XII Sueciæ Regem, quem ceu heroem vinci nescium totus expavit Septentrio, fregit, & quidem solus, dum adhuc esset integer, & ovans victoriis. Tota deinceps vita trophæis signata, ad immortale suum & gentis decus.

Obitus Zari.

Elogium.

At non militaribus duntaxat Moscoviam imbuit artibus, terra marique potens, sed civilibus quoque & politicis, quas Europam peragrando apud cultas Nationes didicerat. Nauticam, architectonicam, mechanicam, commercia ad fastigium provexit, accitis magno pretio magistris. Ut Europæ esset propior, indeque velut auram politiorem spiraret, Petroburgum jam anno 1703 in Careliæ & Ingriæ finibus condidit, splendore, magnitudine, opulentia, præcipuis Europæ urbibus parem, quam commerciorum centrum, suamque regiam esse voluit.

Quæ itinera confecerit, cogitando vix assequi possumus: uno sæpius anno quatuor orbis plagas emensus, non ire, non currere, sed volare videbatur. Jam in Polonia, jam in Pommerania, jam in Holsatia, jam in Dania, jam in Hollandia, jam in Gallia, jam iterum in Germania, jam Rigæ, jam Petroburgi, jam Moscuæ, jam in Persia visebatur. Utinam ita cucurrerit, ut comprehendat, & manentem civitatem attigerit.

Obiit anno ætatis 53, regnavit 5 annis cum fratre Joanne: 37 annis solus. Res gestæ pluribus sæculis regnasse prædicarent. Patrem habuit Alexium Michaelovizium ex gente Romanowia, anno 1676 mortuum. Reliquit is tres filios, qui omnes regnarunt, Theodorum natu maximum, qui patri successit. Sed post 6 annorum Imperium improlis obiit 1682. Successerunt ei duo fratres juniores Joannes & Petrus, qui in quintum annum simul regnarunt.

Prosapia.

Quia

Quia autem Joannes ſenior debilitate mentis & oculorum laborabat, abdicavit ſimultaneum Imperium, illudque in ſolum Petrum, fratrem juniorem tranſtulit, regnandi artibus adeo excellentem, ut natura, quod ſenioribus fratribus negaverat, huic ſoli reſervaſſe videatur.

Porro Joannes reliquit duas filias, in Hiſtoria Ruſſica memorabiles: 1. Catharinam, Duci Mechlenburgico nuptam. 2. Annam Duci Curlandiæ collocatam, poſtea Imperatricem.

Genealogia. *Petrus* autem I duas Conjuges habuit: 1. Eudoxiam Lampuchinam, Magnatis Ruſſici filiam, ex qua genuit *Alexium*, qui, propter fugam gratia patris excidens, in carcere mortuus eſt. Habuit is Conjugem Carolinam, Welferbyto-Blanckenburgicam, Romanæ Imperatricis ſororem, ex qua reliquit *Petrum II* poſtea Imperatorem.

Ex ſecunda Conjuge *Catharina* Alfendeylia, in Livonia, ex officiali bellico, ut fertur, nata, vel, ut alii volunt, bello Livonico capta, progenuit 1. *Annam*, Carolo Friderico Duci Holſato-*Gottorpienſi* deſponſam, ex qua natus eſt *Carolus Petrus Ulricus* 1728. 2. *Eliſabetham*, Moſcoviæ Imperatricem: cui, dum hæc ſcribo, defunctæ ſucceſſit memoratus Carolus Petrus Ulricus 1762. Sed eodem anno throno & vita deturbatus, Conjuge Anhaltina habenas capeſſente.

Hanc Genealogiam intelligat neceſſe eſt, qui Hiſtoriam hujus temporis Moſcoviticam vult intelligere, quia omnes perſonæ ſunt notabiles.

Cæterum Petrus I Imperator Ruſſiæ primam uxorem, poſtquam ex ea Alexium genuit, divortio, jam anno 1698 a ſe ſeparatam, monaſterio incluſit, in quo diu ſuperſtes vixit, poſt mortem mariti liberata. Quam ob cauſam hoc Petrus fecerit, & quomodo ſecundum matrimonium conſtare potuerit, me latet.

§. 3.

§. 3.

Succedit uxor secunda Catharina. Erectio Academiæ Petroburgensis. Mors Catharinæ. Succedit Alexii filius Petrus II. Schaffiroffi & Menzicoffi ruina. Münchii potentia. Tract. cum Hisp. Pax cum Persis. Obitus Petri II.

Vivente adhuc Petro Senatus & Synodus jurabant, se eum acceptaturos successorem, quem aut quam ipse nominaret. Nominavit autem Catharinam alteram uxorem suam, quam jam ante Imperatricem coronaverat. Igitur illa mox post mortem mariti proclamata est hæres Imperii, quod summa omnium voluntate est auspicata; anno ætatis 42, secutaque rationem status, quam maritus iniverat. 127. Succedit Catharina.

Prima inter negotia in eam curam incubuit, ut Petroburgi Academiam scientiarum artiumque, a Petro jam designatam, erigeret, in qua Philosophia maxime, Mathesis, & litteræ humaniores docerentur. Advocati magno pretio peritissimi Professores, Insulani ex Gallia, Bernullii ex Helvetia, Bülfingeri, Beckensteinii, aliique ex Germania. Academia Petroburgensis.

Principes quoque Germaniæ, Holsati & Homburgici Aulam Petroburgensem illustrarunt. Singulari autem apud Imperatricem gratia valuit Carolus Fridericus Dux Gottorpiensis, cujus sponsalia cum Anna Imperatricis filia in matrimonium transierunt. Nihil omissum, ut Ducatum Schlesvicensem consequeretur; adornata propterea classis, quam tamen, ne excurreret, classis Anglica Danicæ juncta, continuerunt.

Irata erat Moscis Anglia, quod Catharina ad pacem Viennensem accessisset, novum fœdus icisset cum Cæsare, qui paci Neostadiensi accessit. Non omissa in his tractatibus causa Schlesvicensis, in favorem Gottorpiensis urgenda. Sed vigilabat Danus, & per accessum ad fœdus Hannoveranum præcavit.

Catharina, postquam duos annos sapienter regnavit, e rerum humanarum theatro abscessit, anno ætatis 44. Ante mortem memorabile testamentum condidit, quo *Petrum Alexiowizium* (quod sane mirum) Alexii in carcere mortui filium duodecimum tunc ætatis annum agentem, successorem denominavit, nullo sanguinis vinculo Catharina Imp. obit.

Succedit Alexiovicius Petrus II.

ſibi junctum, quamvis duas haberet filias, Annam & Eliſabetham, ex Petro I ſuſceptas ac regno aptas. Fortaſſis dedit Cæſaris favori & Imperatricis Romanæ, cujus ex ſorore nepos erat Petrus, rationique, quæ maſculum fœminis præfert: prout etiam hoc teſtamento ordinavit pro futuris temporibus.

Teſtamentum.

Non tamen præteriit filias ſuas, ſed grandem eis dotem cum ampla penſione annua reliquit, cum omnibus bonis mobilibus. Voluitque, ut Petrus, donec 16 ætatis annum impleret, ſub earum tutela & adminiſtratione, uti etiam Ducis Gottorpienſis, & Conſilii Aulici, quod novem præcipuis Imperii proceribus conſtaret, educaretur.

Ordinavit præterea, ut, ſi Petrus absque liberis decederet, ei ſuccederet Anna, Gottorpienſi nupta, cum ſuis deſcendentibus; ſi autem tales non relinqueret, Imperium devolveretur ad Eliſabetham, ſecundam Petri I & Catharinæ filiam, quam hodie feliciſſime regnantem conſpicimus.

Obligavit etiam novum Imperatorem, ut Domum Holſatam defendat, omnemque Duci Carolo opem præſtet ad obtinendum Ducatum Schlesvicenſem, & ſi is throno Ruſſico admoveretur, cum regno Sueciæ amicitiam & conjunctionem colat. Quæ idem Dux in Moſcovia percepit, nullatenus cadant in debitum, quod ab eo exigatur. Imperatori Petro Principis Menzikofii filiam deſponderi voluit. Concordiam denique totius Familiæ commendavit, juſſitque Imperatorem Romanum requiri, ut ultimæ huic voluntati ſponſor accedat.

Petrus II igitur adeptus Imperium, & coronatus Moſcuæ, ſponſalia cum Menzikovia contraxit. Verum illa non tantum hoc jam anno 1727, quo nata ſunt, fuerunt reſciſſa, verum Princeps ipſe Menzicovius, poſtquam ad ſummas dignitates fuerat evectus, & per 40 annos officia ſua Imperio conſecravit, primusque Miniſter, Imperatorem ipſum habiturus erat generum, non raro in rebus humanis exemplo, ſubito gratia omni excidit, adeo quidem, ut nefarii inſtar hominis, in cuſtodiam datus, exilium dein, non rediturus, ſit paſſus.

Ruina Menzikovii & Schaffiroffii.

Crimini illi dabatur, quod Alexium, patrem Imperatoris, ad mortem usque ſit perſecutus, ſuaſorque fuerit Petro I, ut primam ſuam uxorem, Alexii matrem repudiatam, in Monaſterium detruſerit, multosque alios in exitium præcipitarit, atque pecuniam publicam in privatos uſus converterit. Hæc & alia narrabantur. Fortaſſis nimiæ potentiæ invidia, conſueta aulis machina, rotam verſabat.

Quo

Quo autem profundius Menzikovius est prolapsus, tanto altius *Ostermannus* fuit evectus. Schaffiroffius ab exilio revocatus. Doloruckii, Gallizini, Gallowini, Apraxini, Kurakini quoque in altum sublati.

Carolus Fridericus, Dux Holsatiæ, cum Anna conjuge, quamvis inter tutores Imperatoris & Imperii Administratores a Catharina fuerit designatus, post sexennem in Moscovia commorationem, non ultra subsistendum ratus, Kielam in patriam rediit. Carolus autem ejus patruelis, moderni Sueciæ Regis frater, destinatus sponsus Elisabethæ, hodie regnantis, Petroburgi obiit (*anno* 1727.)

Petrus II igitur ad solium evectus, splendido cum comitatu Ducis de Liria, aliorumque Legatorum, abiit Petroburgo Novogrodum, atque inde Moscuam, ubi ab Archiepiscopo Novogrodensi in templo cathedrali inter Missæ solennia coronatus est. Auctum est gaudium, dum ex Holsatia nuntiatum est, Duci Gottorpiensi ex Anna Petrowna (Petri I filia) natum Carolum Petrum Ulricum, qui tamen brevi matrem amisit. Funus Kiela Petroburgum deportatum. Obiit quoque Nathalia, juvenis Imperatoris soror unica (1728.) **Petrus II coronatus.**

Præcipua apud novum Monarcham gratia valuit Christophorus *Münchius*, quem, Germanus licet esset, in Frisia Orientali patre Consiliario Principis natus, copiis suis præfecit, totamque ejus familiam Comitum dignitate ornavit; postquam ingentis operis Canalem Ladoganum, commerciis opportunum, duxit, & Chinensem etiam mercaturam promovit, auxitque Petroburgum novis munimentis, ædificato etiam pro Lutheranis templo. Nec minus favit Academiæ Petroburgensi, quæ commentarios suos scribere aggressa, Europam crisi suæ subjecit, confidentibus Musis in loco hactenus inculto. **Münchii potentia.**

Anno 1729 suasu Ostermanni Procancellarii Petrus adhuc duas Academias scientiarum erexit, alteram Dörptæ, Novogrodi alteram: in suburbiis autem Moscuæ tria templa: primum pro Catholicis, alterum pro Anglis, tertium pro Hollandis; utque commercia latius extenderentur, initum est inter Russos & Hispanos fœdus commerciale, opera Ducis de Liria. Conventum in eo, ut merces Russicæ in portubus Hispaniæ dimidium tantum ejus pendant, quod aliæ nationes pendere consuerunt. Eodem privilegio in portubus Russiæ gaudeant naves Hispanæ. Liquores autem omnino sint a vectigali immunes. Hispanis liceat, in Moscovia bellicas & mercatorias naves fabricare: Russis vero quot annis navem unam in Americam mittere, ibique negotiari. **Tract. cum Hisp.**

Pax cum Persia. Cum *Esseffo* quoque Persiæ usurpatore pax inita. Imperator Russiæ Persiæ restituit provincias Astrabat, & Tabristan ad mare Caspium, cum ea tamen conditione, ut a regno Persiæ non alienentur; contra vero retinet Derbentum, & regiones circumjectas; ubi plura loca nominantur. Lites confinium per Commissarios componantur. Commercia utrinque sint libera.

Obiit hoc anno in exilio infelix Menzikovius, quem totus veluti orbis tempore Petri I adoraverat. Hæc mundi fiducia.

Obit Petrus II. Anno 1730 Petrus II Imperator Russiæ, cum sponsalia, cum Catharina, Principis Doloruckii Status Ministri filia, per nuptias vellet complere, variolis extinctus est, in flore juventutis, ætatis nempe anno 15, Imperii 3.

§. 4.

Succedit Anna Joannis filia. Doloruckii ruina. Navigatio per mare boreale. Tartari invadunt Cosaccos. Bellum Polonicum. Bellum Turcicum. Involvitur Cæsar. Pax Belgradensis macra.

228. Succedit Anna Curlandica. Extincta Domus Romanowiæ mascula in Petro II progenie, ad fœminas ex eadem Familia devolutum est Imperium. Supererant earum quatuor, Catharina, Caroli Leopoldi Ducis Mechlenburgici Conjux, Anna, Friderici Curlandiæ Ducis vidua, & Proscovia cœlebs; omnes tres natæ ex Joanne Alexievicio: quarta vero Elisabetha, Petri I filia.

Ex his Senatui & Ordinibus Imperii placuit *Anna*, jam ab anno 1711 vidua, quam Petrus II proposuerat. Missi igitur nomine totius corporis Russici Metavium in Curlandiam tres Legati, a Senatu Dolorukius, a Statibus Gallizinus, a militia Leontifius, qui nuntium deferrent.

Anna mox altera die Moscuam profecta, a Novogrodensi Archiepiscopo est coronata, atque consilio arcano, quod Monarchicam potestatem coarctare voluerat, abrogato, Senatum constituit, & novos S. Andreæ Equites creavit; inter quos Soltikovius Aulæ Præfectus, Weisbachius tribunus, & Wratislavius Legatus Cæsareus. Schaffiroffius, olim Procancellarius, in exilium missus, commerciis præfectus, Ostermannus & Bironius S. R. I. Comites

a Cæsare

a Cæsare renuntiati. Jaguzinskius equestri torque donatus ad Aulam Borussicam ablegatus, Romanzovius Constantinopolim, Gallowkinus Parisiis Hagam, Löwenwoldus Viennam. Gallicinus Cameræ, Princeps Nariskinus, ab exilio revocatus, dictus Præses commerciorum.

Quo altius autem isti ascenderant, eo profundius dejectus Alexius Princeps *Dolorukius*. Omnia is sub Petro II in Aula poterat, adeo quidem, ut, dum Imperator ejusdem sibi filiam desponsisset, in societatem velut Imperii vocatus videretur. At versa subito fortunæ rota, pro versatili rerum humanarum genio, addictis fisco Domus opulentæ bonis, cum tota sua familia in exilium ejectus est. Doloruckii tragœdia.

Culpæ datum, quod sanitatem Petri Imperatoris neglexisset, imo per immodicas venationes, rigente bruma institutas, corrupisset. Eidem filiam suam absque præscitu regnatricis familiæ clam desponsasset, imo obtrusisset, ficto etiam Petri testamento, quo hanc sponsam post fata sua Imperii hæredem declarasset. Aulam pro libidine versasset: pecuniam publicam defraudasset: cumque fratres Alexii & agnati horum aut complices aut conscii fuissent, eandem exilii pœnam ipsis subeundam. Accessit casus Principis Sapieha, militiæ præfectura exuti. Culpa.

Beringius centurio, ut commercia cum Japonia, China, & India Orientali faciliora redderentur, jussus est per mare Boreale viam tentare; cumque ad 67 gradum latitudinis navigando pervenisset, regressus, viam inventam nuntiabat. Navigatio per mare boreale.

Anno 1731 Anna Imperatrix novum senatum bellicum constituit, assumptis in eum Trubezkio, Weisbachio, Lascio, Münchio, Soltikovio, Uschakovio, Schwerino, Fortio, Löwenwoldio, Hochnuthio, aliisque pluribus. Ut vero nobilis juventus Russica bonis artibus & militari præsertim disciplina aptius imbueretur, equestrem Moscuæ Academiam, heroum seminarium, erexit.

Ne autem successio in Russiæ Imperio turbas aliquando excitaret, Petri I patrui sui exemplo juramentum a Proceribus & populo exegit, eum successorem se recepturos, quem ipsa esset designatura; id enim in Russia summi Imperantis esse proprium, ut successorem sibi possit statuere. Præstitum juramentum: mussitantes exulatum missi. Magni vero & infelicis Menzikovii filius, e Siberia revocatus, custodiæ corporis præfectus.

Cum in Perſia, interempto Eſſeffo uſurpatore, Princeps Thamas paterno throno fuiſſet reſtitutus, Anna Schaffirovium Iſpahanum gratulatum miſit, qui cernens, ſummam rerum penes *Kulicanum*, militiæ Præfectum, eſſe, illius quoque benevolentiam captavit.

Moſcuam vero, ubi Imperatrix toto anno verſabatur, venerunt Legati Junſchini Sinarum Imperatoris, ut felix regimen precarentur, & amicitiam renovarent. Solenniter auditi, & gratiis actis cum largis muneribus dimiſſi ſunt.

Tartari in Coſaccos.

Cum Turcis pax dubia; nam Crimmæi Tartari Coſaccorum regiones late vaſtabant, actisque prædis grandia damna inferebant. Ruſſiæ Legatus querelam detulit ad Sultanum, qui miſſo Moſcuam Legato promiſit, ſe Chamum ejusque ſubditos coerciturum, ut pacem deinceps ſanctius colant. Sed verba hæc data, quia bellum inter Turcas & Perſas recruduerat: ſerio nihil actum, cum Tartari non deſinerent, prædationibus ſuis Moſcoviæ ſubditos affligere.

Præter Eudoxiam, primam Petri I conjugem, ſed repudiatam & in Monaſterium detruſam, atque a Petro II nepote ſuo liberatam, obiit Proſcovia, ſoror Imperatricis Annæ natu minima, quæ cœlibem ſemper vitam duxerat.

Münchii dignitas.

Anno 1732 Anna Imperatrix Petroburgum redux, *Münchium*, hujus urbis Præfectum, Præſidem Imperialis Collegii, & ſupremum armorum Præſidem edixit, copiasque ſuas terra marique auxit, ut adeo 230437 capita numerarentur, reparatis ubique munitionibus, ampliatisque. Et, quia Tartari non deſinebant populari Uckraniam, ductus eſt agger, multo milite cuſtoditus. Canalis Ladoganus abſolutus.

Novus rurſus e regno Sinenſi aderat Legatus, amicitiam & commercia confirmaturus. Princeps Haſſo-Homburgicus, provinciis ad mare Caſpium a Perſis reportatis præfectus. Teutonicæ aliarumque nationum homines ad militaria atque civilia munera promoti. Academia Equeſtris, Moſcuæ erecta, tanta ſumpſit incrementa, ut 325 nobiles Ruſſi, Livones, & Eſthones in ea educarentur.

Anno 1733. Imperatrix amiſit & alteram ſuam ſororem, natu majorem, Catharinam, Carolo Leopoldo Duci Mechlenburgo-Suerinenſi nuptam, ex quo genuit *Eliſabetham Chriſtinam*, quæ nomen Annæ cum Religione Ruſſica aſſumpſit, ceu hæres veluti præſumptivus coronæ, Regiæ Celſitudinis titulo propterea honorata. Læta ac triſtia illius fata exhibebunt anni ſequentes. Princeps Beveranus

An-

Antonius Ulricus, futurus ejus ſponſus, venit Petroburgum, magno cum honore exceptus.

Miſcuit ſe hoc anno Imperatrix electioni Polonicæ, atque copias terra marique contra Stanislaum emiſit, ab Optimatibus quibusdam implorata. Graviter id tulit Sultanus, qui propterea Calmuccos Tartarosque in ditiones Ruſſorum irruere & impune graſſari permiſit, quin oleum flammæ affudit, erupturus in apertum bellum, niſi bellum Perſicum adhuc enſem in vagina continuiſſet. Sed & Ruſſia prurientes in vindictam manus inhibuit, Polonico adhuc bello diſtracta. Anna ſe miſceſcet electioni Polon.

Ex Academia Equeſtri Nobilium Juvenum extracta eſt prima cohors, cujus caput Princeps Repninus, exercitiis bellicis, quorum coram Imperatrice illuſtre ſpecimen dabant, probe imbuta. Templum Gallicum Petroburgi conſecratum.

Anno 1734 Tartari, Sultani ſubditi, ad Pontum Euxinum & mare Caſpium, pergebant in ditiones Ruſſicas graſſari, prædari, urere, trucidare, in barbaram ſervitutem abſtrahere. Ruſſia adhuc bello Polonico ſuſpenſa, hoc anno ſatis habuit, apud Portam querelas deponere, quamvis absque remedio. Graſſatio Tart.

Multam quoque controverſiam attulit cauſa Marchionis de *Monte*, Legati Gallici, quem poſtulantibus Ruſſis Dantiſcum tradere debuit. Jus gentium læſum, querebatur Marchio: ſe Legati characterem nunquam poſuiſſe, nec quidquam eo indignum egiſſe.

At Ruſſi reponebant, eum ab Imperatrice ſua nunquam fuiſſe agnitum Miniſtrum publicum, præſertim poſt mortem Auguſti II. Non poſſe proin Legati ſanctitatem obtendi. Præterea plura ab eo geſta hoſtilia in favorem Stanislai: conductam legionem; non Legati ſed militis actam perſonam: ſparſos libellos inimicos, populos concitatos adverſum Moſcos. Peſſimam fore ſummorum Imperantium conditionem, ſi hoſtem apertum, Legati nomine abutentem, non poſſent perſequi. Igitur Marchio Elbingam abductus eſt in cuſtodiam. Dantiſcani vero Petroburgum Legatos deprecatum miſerunt. Gemina quoque Legatio ex Perſia a Kulicano nomine Junioris Sophi venit, amicitiam cum Ruſſia renovatura. Cauſa Marchionis de Monte.

Initus cum Anglis Tractatus Commerciorum in 15 annos. Gens quædam, ultra Caſpium mare poſita, cum ſuo Chano Ruſſiæ Imperatrici ſe ultro ſubjecit, miſſis in eam rem Petroburgum Legatis. Princeps Homburgicus & Kurakinus, Comites item Münchius, Oſtermannus, Apraxinus, ad præcipuos honores promoti. Obiit vero Comes Gallofkin Cancellarius Ruſſiæ. Aulæ Miniſtri.

Anno

Anno 1735. Tartarorum Crimensium Chanus, collecto 80000, ut narratur, exercitu, Dagestanam Russorum provinciam aggressus, eam gentem ad rebellionem pertraxit, Russosque vicit, occiso Weisbachio eorum Duce. Finito bello Polonico missus in Uckraniam cum exercitu adversus Tartaros Münchius, supremus armorum Præfectus.

Antonius Ulricus Beveranus Princeps custodiæ corporis præfectus, Homburgicus rei tormentariæ. Obiit Comes Löwenwoldus, intimæ admissionis Minister.

Bellum cum Tartaris. Cum pluribus jam annis Crimæi seu Præcopenses Tartari grassationibus suis Russici Imperii subditis gravissima damna intulissent, connivente aut etiam probante Turcia, Anna Imperatrix id non ultra ferendum rata, finito bello Polonico, 80000 exercitum sub Münchio & Lascio Ducibus in eos misit. (*anno* 1736.)

Precopium Asof Captæ. Primo expugnantur eorum ad utramque Tanais ripam castra & munitiones, tum cæso Chano *Precopium*, permunitam Crimeæ urbem, capto 2550 Tartarorum Turcarumque præsidio, extorquent. Cecidit pariter ingens munimentum Tanais (*Asac* aut *Assoc* vulgo nuncupatum). Liber abitus concessus numeroso Turcarum præsidio. Fatum hujus urbis secutæ sunt plures. Penetratum in interiora Crimeæ Peninsulæ; incensa Chani sedes. Sed Caffa volantem victoriam stitit.

Nec minus fortiter atque feliciter bellum gessit *Donducombus*, Calmuckorum, qui Russico subsunt Imperio, Ductor. Is etenim cum 40000 in Cubanam (in qua Asof) Tartariam, insignem victoriam reportavit, cæsis multis, captis pluribus, sub protectionem Russorum confugientibus plurimis.

Kulicanus, supremus in Persia belli adversus Turcas Præfectus, missa legatione fidem dedit, se nullam, in qua Russia non comprehenderetur, cum Turcis initurum pacem. Secutus mox ad Imperatricem Legatus alter, qui nuntiavit, Kulicanum sub titulo *Schach Nadyr* thronum Persicum conscendisse, constantemque cum Russia culturum amicitiam. (*anno* 1736.)

Niemerowiensis congressus. Anno 1737. Quamvis *Niemerovii* congressus ad conciliandam pacem Russos inter & Turcas institueretur, Cæsarque omnem lapidem moveret, ut ea componeretur, bellum nihilominus majori adhuc atque anno superiore vi continuabatur; quippe Anna Imperatrix duos grandes exercitus in hostem misit, Münchio alterum,

Lascio

Lascio commissum alterum. Ille *Ozakovium*, viginti Turcarum millibus & centum tormentis firmatum, & alioquin situ & opere permunitam urbem expugnavit generoso assultu. Præsidium cum magno rei armamentariæ apparatu captum. Numerus eorum, qui utrinque cæsi scribuntur, est incredibilis. De 17 Turcarum, & 18 Moscorum millibus quidam memorant. Hoc certum, Seraskierum, multosque Duces aut cæsos, aut captos, novem quoque caudas equinas in manus venisse. Ozacovium.

Quamvis autem occupationes tot locorum ingenti Russis steterint impendio, tamen, quod mirum videri posset, dirutis munimentis, Precopium cum Crimæa deseruerunt, annonæ haud dubie compulsi inopia. Geminam quoque classem Russi Euxino immiserunt, quarum altera Münchio ad Ozakovium præsto esset, altera Lascio in Crimæa.

Anno 1738. Münchius, ut Benderam, & Chozimum occuparet, per difficillima itinera & ambages copias (cum Cæsareis in Servia debuisset succurrere) circumduxit, vix alio operæ pretio, quam ut suum attereret exercitum, atque provincias vastaret, in Ukraniam tandem & Poloniam se recipere coactus, Tartaris Turcisque reddentibus verbera, quæ acceperant. Classis autem Russica Asofium sub tormentorum præsidium se recepit. Münchius male administrat.

Anno 1739. Mosci, relata a Turcis insigni victoria, Chozinum, munitissimam in Moldavia urbem, occuparunt, cum Jassio ad Pruthum Hospodarii sede, tota provincia in Russiæ protectionem concedente. Ad Teginam dein (Bender) Bessarabiæ munimentum expugnandum se accinxit Münchius, cum de pace muntiatum est.

In ea Russia nec Cæsaris socii, nec sui ipsius fatis memor fuisse videtur; nam post tot victorias, post tot munimenta capta, post fusum humani sanguinis diluvium, post tot damna a Tartaris illata, fructus vix alius fuit reportatus, quam ut loca capta redderentur, & pristini Imperii utriusque fines manerent iidem. Taurunum (*Belgradum*, *Alba Græca*) belli sacrificium esse debuit: socio luente suas suppetias. Pax macra.

Ozakovium, Cozinum, Asoffium (quanta nomina!) restituenda, sed ultimum dejectis munimentis, non amplius restituendis. Ne Russici Cosacci, aut Calmukii Turcicos Tartaros aut alios subditos infestent, interdicitur, & vicissim. Transgressores puniantur. Cubanenses Tartari sint liberi, & veluti limes utriusque gentis. Captivi sine lytro reddantur, exceptis, qui religionem mutarunt.

Articuli.

Naves Rufficæ Ponto Euxino abftneant. De cætero commercia libera funto. Si diffidia oriantur, per Gubernatores componuntor. Ruffi absque tributo in terram fanctam peregrinantor. Circa titulum Imperatricis conveniatur. Legati Ruffici excipiantur, ficut aliorum magnorum Principum. Ratificationis inftrumenta intra tres menfes Marchioni de Villeneuve Mediatori extraduntor.

Actum in caftris ad Belgradum 18 *Sept.* 1739.

Subfcripferunt Ludovicus Salvator Marchio de Villeneuve, nomine procuratorio.

Mehmet Pafcha, Magnus Vizirius. Rex Galliæ autem hujus pacis fidejuffor acceffit.

Villeneuve Mediator.

Nota. Tam Cæfar, quam Imperatrix Marchioni *Villanovano*, Gallico ad Sultanum Legato, in caftris Turcicis ad Belgradum præfenti poteftatem fecerunt, eorum nomine pacem componendi, fub refervatione tamen ratificationis. Conceptum autem fuit pacis, tam Cæfareæ, quam Rufficæ inftrumentum lingua Italica & Turcica.

3. Oct. fub eadem mediatione Gallica per eundem Procuratorem Niffæ adjecti funt articuli tres, qui ad fines determinandos fpectant, conventumque, ut ex parte Occidentali Borifthenis verfus Poloniam maneant limites, anno 1705 determinati: ex parte Orientali ad fontes Borifthenis a flumine Saliva ufque ad flumen Berda ducatur linea.

Nuptiæ neptis.

Dum pax ifta conficeretur, Petroburgi folennes nuptiæ contractæ funt inter Antonium Ulricum, Principem Brunfvico-Beveranum, natum 1714, & Annam, Imperatricis ex defuncta forore Catharina (Carolo Leopoldo Duci Mechlenburgico nupta) neptem, præfumptivam Ruffiæ hæredem, præfente etiam Elifabetha Petri I filia.

Erupit hoc anno proditio Doloruckiana, feu Dolghoruckiana, qua familia ifta, in exilium ejecta, conabatur Regimen mutare. Sed quia multi conjuraverant, facinore detecto, auctores capite plexi funt: quos inter erant ex principe Dolgoruckiana gente Bafilius pluribus antea legationibus perfunctus, Sergius, & Joannes. Bafilii fratres, quod proditionem non detexiffent, exilio multati: in quo Alexius, Catharinæ Petri II fponfæ parens, jam perierat.

Loco

Loco Osteinii Comitis Petroburgum venit Legatus Cæsareus Marchio de Botta, Marchio de Chetardie Gallicus. Crammus Brunsvicensis ob nuptias gratulatum venit.

§. 5.

Obiit Anna Imp. succedit Joannes pronepos. Mater Bironio dejecto tutelam arripit. Sed mox cum filio & marito a throno ad carcerem ducitur: Elisabetha, Petri I filia, ad coronam vocata. Holsatus successor declaratus. Procerum plurium ruinæ.

Anno 1740 obiit Anna Russorum Imperatrix, ætatis 47, Imperii 10. Ante mortem autem plures adhuc Nobiles cum Comite Wolinsky capitis damnavit ceu Majestatis reos; dein successionis ordinem præscripsit. 229. Obitus Imp.

Nominavit igitur successorem, ex ordine primogenituræ, *Joannem*, trium mensium infantem, suum ex Catharina sorore pronepotem. Quippe Catharina ex Carolo Leopoldo Duce Mechlenburgico genuit Annam, hæc ex Antonio Ulrico Beverano Joannem, destinatum successorem. Tutor ei datus Bironius, Dux Curlandiæ, apud Annam Imperatricem singulari valens gratia. In hanc Ordinationem jurare debuerant Primores Imperii. Successorem nominat Joannem pronepotem.

Mortua Anna Joannes proclamatus Imperator, eique homagium præstitum, & Bironio tutori ac Regenti Imperii jurata fides.

At grandium semper tragœdiarum theatrum fuit Moscovia. Vix Ernestus Bironius, ex nobili factus Comes, ex Comite Dux Curlandiæ, ex Duce supremus Imperii Russici Moderator, cum ecce! repente, versa fortuna, concubia nocte e lecto extractus, cum tota familia Schlüsselburgum captivus abducitur, atque Anna mater Joannis Imperatoris tutrix proclamatur, Beveranus vero pater Imperatoris supremus armorum Præfectus: edito *Manifesto*, quod vocant, Bironium, tametsi ab Anna Imperatrice renuntiatus fuisset tutor Imperatoris, merito tamen eo munere fuisse privatum, quod vix illud auspicatus plura contra leges Imperii egisset; Parentes Imperatoris, non sine comminationibus, habuisset despectui: pretiosa subtraxisset, ærarium expilasset &c. mortem propterea meritum, sed eam in perpetuum carcerem mutari, bonis tamen omnibus confiscatis. Biron tutor. Captivus. Mater tutrix.

Aulam ordinat.

Igitur mater, suscepto pro vagiente in cunis filio regimine, Münchium primum post conjugem suum Imperii Ministrum dixit, Ostermannum, Procancellarii hactenus functum munere classium Præfectum, Zerraskium Cancellarium, Gallofkinum Procancellarium, Ernestum Münchii filium Aulæ Præfectum. Nariskinum, Kurakinum, Repninum, Gallovinum, Uschakovium, Löwenwoldum, Lapuchinum, aliosque dignitatibus & honoribus auxit. Romanzovium vero Cpolin legavit. Reliquis vero Aulis significandum curavit, Russiam, Austriæ junctam fœdere, Archiduci Mariæ Theresiæ missuram auxilia.

Ingens mutatio.

Obvallata sic Anna fixisse sibi & filio Fortunam videbatur. At protasis hæc duntaxat erat, quam post rerum involutionem horrenda mox excepit catastrophe; quippe anno sequenti 1741 5 Dec. *Elisabetha*, Petri I filia, cum militum cohorte conclave Tutricis Annæ ingressa, eam cum filio Imperatore & conjuge Antonio Ulrico primum in privatum suum domicilium, dein vero Rigam abduci jussit, ibique custodiri.

Captus Imp. cum matre, & patre, multisque proceribus.

Princeps vero Hasso-Homburgicus Elisabethæ nomine Münchium, Ostermannum, Gallofkinum, Löwenwoldum, Mengdenum, aliosque, quos utraque Anna præcipuis Imperii muneribus atque dignitatibus admoverat, comprehensos captivosque in custodiam abduxit.

Altera vero die, 6 Dec. Elisabetha convocato Senatu, Ordine Ecclesiastico, atque Ministris, sibi fidis, Imperatricem se dixit, applaudente populo.

Elisabetha Imperatrix.

Si mireris tam subitam revolutionem, cogita gratam apud Russos Petri I memoriam, in amorem filiæ redundantem: hujus dotes ad omnia summa natas: alienationem animorum a gente Teutonica, primas Imperii dignitates præripiente, inclinationem potiorem in Imperantem patrium atque domesticum, quam exterum, eumque infantem, invidiam Procerum, quos Anna neglexerat; non nullas denique *Chetardii* artes, quibus ut Russiam a ferendis Archiduci auxiliis averteret, & Suecum comparandum hostem, & domi turbandum aliquid forte putavit.

Ostermanni & Münchii machinæ.

Ut autem universæ Nationi, quo jure Elisabetha tam grandem mutationem suscepisset, apertius constaret, causas illius typo impressas vulgavit: nempe secundum testamentum Catharinæ matris suæ Imperatricis, anno 1727 defunctæ, sibi post Petrum II fuisse debitum thronum, Ostermannum autem, testamento illo suppresso, Annam Curlandicam studiis suis ad sceptrum promovisse, eique morienti

rienti successionis ordinem porrexisse, quo Annæ Mechlenburgicæ filiolus, duorum mensium pussio, Imperator declarabatur, atque hæc omnia Münchium auctorem habuisse aut adjutorem.

Imperium porro, novo constituto Senatu ad eum ferme modum composuit, quo tempore Petri I parentis sui erat comparatum. **Nova Aula.** Lecti Senatores, Trubezkius armorum Præfectus, Zerkasky Cancellarius, Tribunus Soltikow Aulæ Moderator, Zschenischew, Uschakow, Gallowin, Kurakin, Nariskin, Galliskin &c. Ministri Aulæ. Negotiis externis præfectus Zerasky Cancellarius cum Procancellario Bestuchew, Gallowin & Kurakin.

Anno 1742 Elisabetha Imperatrix, cum esset cœlebs, ut futuræ successioni provideret, Carolum Petrum Ulricum, suum ex sorore Anna Petrowna nepotem, Caroli Friderici Holsato-Gottorpiensis Ducis filium, 16 tunc annos natum Petroburgum accivit, ad mores Russiæ educandum. Palatium illi cum Aula assignatum. Paulo post autem Imperatricem Moscuam comitatus est. Ubi coronatio summa cum solennitate peracta fuit. A Novogrodensi Archiepiscopo uncta est: coronam vero sibi ipsi imposuit, atque sceptrum & Pomum Imperiale in manus sumpsit.

Solennem hunc actum alter excepit, quo Princeps Carolus, ejurato Lutheranismo, Russicæ Religionis professionem in Ecclesia sub Missæ solenniis, coram tota aula edidit, crucem, sacras Reliquias & Imagines osculo veneratus; nomenque mutavit, dictus deinceps *Petrus Foedorowiz*, id est: Friderici filius. **Holsatus dictus successor.** Unctus dein ab eodem Novogrodensi, *Magnus Princeps*, & *Successor in Imperio* ab Imperatrice est renuntiatus, tributo eidem etiam Imperatoriæ *Altitudinis* titulo. Finita Missa, omnes præsentes, crucem osculati, fidem eidem jurarunt. Paulo post a suo Holmiæ Legato nuntium accepit, se a Suecis quoque successorem in regno fuisse electum.

Ad finem anni Elisabetha Imperatrix per Comitem Bestuchef cum Anglia fœdus defensivum iniit. **Fœdus cum Anglia.** Si Russia bello petatur, mittet Anglia 12 bellicas, 700 tormentis, & 1560 viris instructas. Si Anglia invadatur, mittet Russia 10000 pedites & 2000 equites: vel pro his 500000 aureos Russicos, (*Rubel*) quorum unus duos florenos conficit. Si Russiæ bellum sit cum Turcis, Tartaris, aut Persis, Anglia non obligatur: neque Russia adversus Italiam, Hispaniam, & Lusitaniam.

Regina Hungariæ ab Elisabetha subsidia petiit, vi fœderis pristini; sed ob bellum Suecicum copiæ hoc anno impetrari non poterant. Promissa tamen pecunia.

Exules. Oftermannus, Münchius, Gallofkin, Löwenwold, aliique ad capitis fupplicium damnati funt; jamque educti fuerant ad ferale pegma, & Oftermannus caput fecuri fubjecerat, cum accepta vitæ gratia, omnes in exilium miffi funt: Dolgoruckii vero, adhuc fuperftites, revocati. Anna Mechlenburgica cum conjuge Brunfvico-Beverano, & duobus filiis adhuc Rigæ in Livonia cuftodita. Bironius, Dux olim Curlandiæ, & Ruffiæ Adminiftrator, tutorque Imperatoris, ex Siberia in mitius exilium translatus.

Chetardio, large ab Imperatrice donato, fuffectus Franciæ Legatus Dallion. Neohufius Caroli VII Cæfaris Legatus pariter Petroburgum venit; fed quia ejus litteræ Imperialem titulum Elifabethæ non tribuebant, non funt receptæ, donec adderetur.

§. 6.

Nuptiæ Holfati fucceſſoris cum Anhaltina. Chetardius & Botta Legati Sacrificium Status. Renovatio fœderis cum Auftria. Tarditas auxiliorum. Magni obitus. Cultus bonarum artium. Mittuntur tandem ad Rhenum fubfidia, fed mox pace facta redeunt. Mors Comitis Lafcy.

230. Ut nullus annus fit expers magnorum in Ruffia motuum turbarumque, dum exteri tumultus per pacem, cum Suecis initam, conquiefcunt, interna rurfus erupit proditio (*anno* 1743.)

Nova Confpiratio. *Lapuchina* Domus prioris jam confpirationis fufpecta, cumque Löwenwoldo, intimo fuo amico officiis & dignitatibus privata, affumptis in facinoris focietatem Beftucheffia aliisque fœminis, confilium coquebant, dejiciendi Elifabetham, & Annam Mechlenburgicam reftituendi. At fcelere detecto, aliis lingua exfecta, alii in exilium funt relegati.

Marchionis de Botta caufa. Arguebatur confpirationis particeps Marchio de Botta, Legatus Reginæ Hungariæ; quæ res, his præfertim temporibus minime opportuna, fimultatem quandam & diffidentiam inter utramque Aulam inducebat. Negabat Marchio, fe ullam in ea confpiratione habuiffe partem: fed id a fe actum tantummodo, quod in mandatis habuiffet, ut fcilicet Antonio Ulrico Brunfvicenfi, Reginæ cognato, ejusque conjugi Annæ ac prolibus libertatem ab Imperatrice Elifa-

betha

betha impetrare conaretur. Sed, dum Aula utraque *Manifeſta* ſua per Europam diſpergit, longius prolata eſt negotii delicati compoſitio.

Chetardius ex Gallia Petroburgum rediit, valuitque priſtina apud Imperatricem, obſequii memorem, gratia. Wichium Angliæ Legatum Tirawlejus ſublevavit. Famoſus Comes Woldemarus de *Löwendal*, qui ab anno 1737 Ruſſiæ militaverat, miſſione impetrata, ad Gallica caſtra tranſiit; ubi mox promotus geſtis inclaruit. Judæi tota Ruſſia ejecti, interdicto reditu. De bello cum Suecis geſto, & pace hoc anno ſecuta, in rebus Suecicis dictum.

Anno 1744 venit Moſcuam, ubi Imperatrix morabatur, Sophia Auguſta, Anhaltino-Serveſtani Principis filia, deſtinata conjux Carolo Petro Ulrico, ſeu Petro Feodorovicio, Imperatricis ex ſorore nepoti & ſucceſſori declarato. Sponſalia Anhaltinæ cum Petro Fœderovicio.

9 Julii Græcam profeſſionem Sophia edidit, aſſumpto nomine Catharinæ Alexiewinæ, & titulo Imperatoriæ Altitudinis. Sequenti dein die celebrata ſunt publice ſponſalia.

Variis ſuſpicionibus agitabatur Ruſſia. Et primo quidem, non ſatis Dünemündæ ſecure aſſervata videbatur Anna Mechlenburgica, cum conjuge Antonio Ulrico Brunſvicenſi, & filiolo Iwane III, quem poſt Annæ Imperatricis mortem ſucceſſorem in Ruſſico throno proclamatum, indeque ab Eliſabetha dejectum fuiſſe diximus. Nam ſeparati ſunt ab invicem. Et Anna quidem deportata eſt in Monaſterium Inſulæ prope Archangelopolin, conjux in arcem Ivano-Gradenſem, haud procul Narva, filius Ivan in aliud Monaſterium, metu videlicet, ne forte turbis exortis ad rerum clavum reducerentur. Hinc Imperatrix, reſciſſis omnibus actis, nomina eorum, ne ulla extet memoria, ubique eradi juſſit: homagiorum & juramentorum formulæ flammis publice traditæ. Separatio priorum Imperatorum.

Hic metus in magnas pariter præcipitavit calamitates duos Marchiones magnorum Principum Miniſtros, Bottam videlicet, & Chetardium Gallicum. Et iſte quidem, dum quadriennio abhinc Legatus eſſet, non parum contribuit, ut Eliſabetha ad thronum eveheretur, quod Dux Ant. Ulricus nimium memor futurus crederetur gentis, ex qua ortus eſſet. Sed poſtea, cum Eliſabetha Auſtriacis amicior eſſe videretur, quam Gallia forte exſpectarat, Chetardius, quamvis jam nactus Legatum ſucceſſorem Allionem, in Moſcovia tamen privatus quodammodo ſubſtitit. Chetardii

Cum autem ſuſpicio in eum caderet, quod adverſus Imperatricem aliquid machinaretur, juſſus eſt Ruſſia excedere, exutus inſignibus

bus Ordinis S. Andreæ, & donis pretiosis, quibus eum Elisabetha, ceu optime de se meritum, exornaverat. Cum in Galliam venisset, quo eum querela præcesserat, assignatum sibi locum exilii invenit, factus Sacrificium Status.

Et Bottæ fata.

Haud multum dissimile fatum obtigit Marchioni de Botta; qui, cum Austriacus in Russia Legatus esset, visus est in Ant. Ulricum, Reginæ Hungariæ propinquum, ejusque conjugem & filium propensior, quam delicata illa & suspiciosa Moscoviæ tempora ferrent, intercedens etiam pro eo dimittendo libero, & in Germaniam remittendo. Elisabetha ad Mariam Theresiam querelam detulit, petiitque, ut causa illius cognosceretur. Faciendum id, ut Russia servaretur amica. Indicta primum Marchioni domestica custodia; dein vero in arcem Græcensem abductus est, simulque jussus Rosenbergius Reginæ in Russia Legatus significare, displicere Aulæ Viennensi, quæ Botta egisset, ac propterea tamdiu eum captivum fore, donec Imperatrix Russiæ libertatis gratiam eidem impertiat. Elisabetha satisfactum sibi asserens, Marchionem dispositioni Reginæ permisit; quæ eundem liberatum in Italiam ad legionem suam dimisit, ubi rursus in causa Genuensi varia fata expertus est.

Aulæ Ministri.

Dum Imperatrix Moscuæ degebat, vices ejus Petroburgi egit *Lascius* Hibernus Comes, & sub eo Repninus Princeps. Alexius Bestucheff erat Cancellarius Imperii, Romanzovius Vice-Cancellarius, Gallicinus ab Intimo Consilio: Carolus & Gustavus Bironii, Bismarckius, & Schönbergius e captivitate dimissi liberi. Antiochus Cantimir Princeps Russiæ Legatus Parisiis obiit. A Neuhausio Legato Cæsareo delatus Elisabethæ Imperatricis titulus.

Petuntur Russica auxilia.

Anno 1745 Austria & Saxonia ab Imperatrice petierunt auxilia, vi fœderis; sed Rex Borussiæ effecit, ut neutras partes sequeretur; quantumvis Saxo, ceu Vicarius Imperii Romano-Germanici Principem Feodorovicium ratione Ducatus Holsato-Gottorpiensis, data venia ætatis, Majorem declararet; qui dein solennes cum Sophia Anhaltina nuptias celebravit, præsente etiam hujus matre.

Fœdus Defensivum ictum Sueciam inter & Russiam. Ab Allione Legato Gallico delatus Elisabethæ titulus Imperatricis, quo facto, ad alloquium fuit admissus. Tirawleo Legato Anglico successit Hyndfordus, natione Scotus: Gyllenborgo Sueco Barkius: Gersdorffio Saxoni Pezoldus, Rosenbergio Austriaco Bretlachius.

Obiit

Obiit magnus ille Ruſſiæ Cancellarius Henricus Oſtermannus, gente Weſtphalus, in Siberienſi exilio, 66 æt. anno: Gollovinus, Zernichevius, Wiſniacovius, magni in aula viri, eandem carnis viam ſunt ingreſſi. **Obitus Oſtermanni**

Anno vero ſequenti (1746) humanæ vitæ comœdiam clauſit Anna Mechlenburgica; cujus mater erat Catharina Joannis Zari filia, Petri I neptis ex fratre: nata 1718, nupta Antonio Ulrico Principi Brunſvico-Beverano 1739. Ex eo genuit anno 1740 Ivanem, quem eodem anno Ruſſiæ Imperatrix Anna, utpote ſuum ex ſorore pronepotem, Imperii hæredem declaravit, ſub tutela Bironii Curlandiæ Ducis. Bironium Anna, Ivanis mater, ſtravit, Annam Eliſabetha, Petri I filia, 1741. Abducta Anna primum Rigam in cuſtodiam, dein ſeparata a conjuge & liberis in Monaſterium anno 1744 detruſa, ubi in flore ætatis obiit, felicior futura, ſi relicto mundo verſatili, Monaſterium ultro fuiſſet ingreſſa. **Et aliorum.**

Jam anno 1726 Carolus VI Cæſar cum Catharina, Ruſſiæ Imperatrice, fœdus defenſivum inierat, vi cujus, cum Ruſſia a Turcis bello premeretur, Turcam in Pannonia aggreſſus eſt, ingentia propterea damna paſſus. Æquiſſimum proin erat, ut orto poſt mortem Caroli VI graviſſimo de ſucceſſione Auſtriaca bello, Ruſſia vigore ejusdem fœderis, Reginam, undique preſſam, adjuvaret. Sed tum Ruſſicæ turbæ, tum cauſa Bottana, tum potentes Reginæ hoſtes, ſufflaminabant implementum fœderis ad annum usque 1746, quo renovatum eſt. **Ruſſicorum ſubſidiorum tarditas.**

Vi hujus fœderis Ruſſia pro caſu invaſionis mittet Reginæ & Imperatrici Mariæ Thereſiæ 30000 armatas, puta, 20000 peditum, 10000 equitum, donec quies ſit reducta. Totidem mittet Regina invaſæ Ruſſiæ, ea tamen limitatione, ne Ruſſicæ copiæ ducantur in Italiam, aut contra Regem Hiſpaniæ, nec Auſtriacæ in Perſiam. Excipitur etiam caſus, quo pars implorata proprio bello eſſet implicita. Pars implorans tranſitum per alienas terras procuret. Præfectus copiarum auxiliarium ſubjectus ſit ſupremo Duci partis impetrantis: ſalva tamen religione, pœnis, & belli uſu ſecundum Nationum conſuetudinem. Lites a Commiſſariis utriusque partis judicentur. Neutra pars (NB.) ſine præſcitu & conſenſu alterius inducias aut pacem ineat. Legati in aulis exteris ſibi mutuo ſint auxilio. Perduellibus nullum præbeatur aſylum, ſed extradantur. Reges Poloniæ & Angliæ ad hoc fœdus invitentur. **Renovatur fœdus.**

Quamvis autem hoc fœdus debeat eſſe perpetuum, & etiam ſucceſſores ligare, ſtatuuntur tamen more fœderum 25 anni; qui ſane

hoc anno 1762, quo Petrus Feodoroviz, ſucceſſor Eliſabethæ, ab eo deſcivit, necdum ſunt elapſi. Subſcripſit nomine Imperatricis Mariæ Thereſiæ Joannes Franciſcus Baro Bretlachius, ſupremus vigiliarum Præfectus, Legatus, Petroburgi; nomine vero Eliſabethæ Imperatricis Alexius Beſtucheff, Cancellarius Ruſſicus. Secutæ ſunt ratificationes utriusque Imperatricis.

Obierunt 1. duo fratres Bironii Carolus & Guſtavus, agnati Erneſti Ducis quondam Curlandiæ, & Ruſſiæ pro Ivane III Adminiſtratoris. 2. Baſilius Dolgoruckius Mareſchallus Caſtrenſis, conſilii bellici Præſes, cum familia ſua variis fatis clarus, æt. 79, agnatus ejus Sergius Dolgoruckius, Catholicam Religionem amplexus, in patriam redux Græcam profiteri coactus eſt.

Imperium & artes promovet.

Eliſabetha Imperium, patris ſui exemplo, optime terra marique ordinavit, non minus in politicis quam militaribus, erectis variorum operum fabricis, metallorum fodinis, in Siberia maxime, mire cultis, commerciis ad florem perductis. Litteraturæ quoque & Academiæ ſcientiarum & artium eximie favit, auctis illius proventibus, ut ad 53298 aureos Ruſſicos, quorum quilibet duos Imperiales conſtituit, aſcenderent, unita etiam eidem artium & rerum naturalium Camera, magna per incendium damna paſſa. Univerſam Ruſſiam geometrice dimetiri, & geographice deſcriptam in Atlantem Ruſſicum 19 mapparum referri juſſit; cumque Stöllero Franconi Profeſſori Academico mandaſſet, ut ultra Siberiam peninſulam Kamſchaca exploret, inde redux nuntiavit, ſe Aſiam cum America ea ex parte deprehendiſſe conjunctam.

Hollandi tractatum commerciorum cum Ruſſis erigere volebant, ſed Anglis clam obſiſtentibus nihil impetrarunt.

Nova fœdera.

Anno 1747 conata eſt quidem aula quædam ſemina diſcordiæ inter Suecos & Ruſſos ratione finium ſpargere, ne iſti Reginæ Hungariæ promiſſas copias auxiliares poſſent mittere. Sed tempeſtatem diſſipavit Anglia, quæ non modo acceſſit fœderi defenſivo Ruſſo-Auſtriaco, ſed peculiarem etiam cum Moſcis ſubſidiorum tractatum pepigit Petroburgi per Legatum ſuum Hindfordum, cui acceſſerunt Batavi.

Lentitudo Ruſſorum.

Ruſſia promittit, ſe hoc adhuc anno 30000 virorum ad fines Livoniæ promoturam, & 50 triremes paratas habituram. Pro his ſolvet Anglus 100000 librarum Anglicarum. Adjecta alia conventio circa modum & tempus has copias transmittendi per Poloniam & Moraviam. Verum hoc anno iſtæ tam tarde coibant, & ſequenti tam lente procedebant, ut vix non in proverbium abiret, quo de lento homine dicebatur: *properat, ſicut Ruſſi.*

Jaco-

Jacobus Keith, Scotus, jam a tempore Petri I militaribus in Russia obsequiis bene meritus, missione impetrata, ad Regem Borussiæ transiit. Frater ipsius, qui cum Prætendentis filio in Scotiam solverat, volebat in Moscovia fratri succedere, sed ab Anglico Legato tam atris coloribus fuit depictus, ut nihil obtineret.

§. 7.

Intellecta pace redeunt Russi, felices, quod putarint, se timeri. Lis de finibus. Lascy obitus. Bellum cum Borusso. Obit Imperatrix. Succedit nepos Petrus III, qui fœdus rumpit, & cum Lutheranismum vellet introducere & omnia mutare, depositus & extinctus est. Uxor vero coronata.

Anno 1748 Elisabetha Imperatrix secundum subsidiorum tractatum Anglorum & Hollandorum stipendiis misit 30000 armatorum per Poloniam & Germaniam, adversus Gallos militaturos, Duce Repninio Principe. Verum cum tardo itinere versus Rhenum pervenissent, pacem Aquisgrani conclusam intelligunt. Quare, unde venerant, redeundum fuit. Id autem solatii & honoris secum reportarunt, quod crederent, adventu suo perterritos Gallos, e medio victoriarum in Belgio cursu in pacem fuisse abreptos. 281. Redeunt unde venerunt.

Toto anno 1749 Imperatrix cum Petro Ulrico Duce Holsatiæ, suo ex sorore nepote, quem Petrum Foederovicium ac Magnum Principem appellabant, in urbe Moscua residebat, atque rem maritimam in eum statum, quo sub Petro I patre suo fuerat, redegit. Pedestrem quoque exercitum, auctum probeque instructum in Finniam misit, ut paratus ibidem excubet adversum Suecos, cum quibus longa ac molesta de Finniæ limitibus erat contentio. Borussus Sueco favit, visusque simultatis cum Russia causam aut accepisse aut quærere. Certe Legati utrinque, Principe non salutato, discessere. Lis de finibus.

Cum dein anno 1751 mortuo Friderico Suecorum Regi suffectus esset Adolphus Fridericus Dux Holsato-Gottorpiensis, intensa fuit sollicitudo Russiæ, ne novus hic Rex introductam in Suecia regiminis formam mutaret, & independentem sibi potestatem arrogaret, data is solenni fide Imperatricem ab hac cura absolvit, atque sic pax & concordia fuit firmata.

Obiit hoc anno clarissimus Heros Petrus *Lascy*, Gubernator Rigæ, natus in Hibernia; Gallicam dein militiam secutus, Russiæ denique obsequiis se addixit, ad armorum imperium summasque di- Obit Lascy Comes.

 gnitates

gnitates pro ſuis meritis & conſtanti in Eliſabetham fide, ad cujus coronam non parum contulit, promotus. Obiit anno æt. 85, in Religione Catholica, quam ſemper, etiam inter Schiſmaticos, eximie coluit. Filium reliquit, ſupremi Ducis Legatum, in Saxonia militantem, fratremque in Hiſpania Tribunum.

Comitem Raſſumonowskium in ſupremum belli Ducem a Coſaccis electum, Imperatrix ſingulari cum ſolennitate confirmavit Moſcuæ. Qui dein Kioviam profectus ampliſſime fuit receptus.

Bellum cum Boruſſo.

Cum anno 1756 Boruſſiæ Rex in Saxoniam & Bohemiam moveret, Eliſabetha Imperatrix Ruſſiæ vi antiqui fœderis defenſivi obligatam ſe credidit, Reginæ Hungariæ, Bohemiæ &c. & Electori Saxoniæ aſſiſtere. Comparato igitur miſſoque, quamvis lente, prout Ruſſorum ferme mos fert, exercitu, egregiam fidelemque navavit operam, tametſi fortaſſis in aula eſſet Ruſſica, qui non eandem ac Imperatrix voluntatem circumferret, ut ea, quæ circa Beſtucheſium, Apraxinum &c. & poſt mortem Eliſabethæ acta ſunt, videtur tralucere.

Deſignati autem ſunt belli Imperatores, primum Apraxinus, dein Fermorius, poſtea Soltikofius. Geſta autem eorum ac belli rationem poſtea in appendice latius aliquantum explicabimus.

Obit Imperatrix.

Annus 1762 grandem Moſcoviæ multationem attulit; nam 5 Januarii obiit Eliſabetha Imperatrix, Petri I filia ſecundogenita, poſt Petrum II nepotem ex fratre Alexio & Annam conſobrinam (dejecto Joanne III infante) proclamata Imperatrix anno 1741, Moſcuæ coronata 1742, nata 1709. Imperavit feliciter annos 20, vixit 52, deſponſa fuerat anno 1727 cum Duce Holſato-Eutino; ſed eo ante nuptias mortuo cœlibem vitam duxit, virago ſummis virtutibus ornata.

Petrus III degener.

Succeſſit *Petrus III* ſeu Foederovicius, Carolus Petrus Ulricus appellatus, antequam ejurato Lutheraniſmo Græcam Religionem aſſumeret, Eliſabethæ ex Anna ſorore, Duci Holſato-Gottorpienſi nupta, nepos, jam ante ab Eliſabetha matertera hæres Imperii deſignatus.

Fœdus rumpit.

At is triſti ſuo fato præluſit, dum ſtatus & religionis ſyſtema ſubvertere niſus eſt. Nam imprimis, ruptis fœderum vinculis, ſocios deſeruit, atque cum Rege Boruſſiæ primum inducias pepigit, dein etiam pacem. Revocatus, qui cum Auſtriacis ſe conjunxerat, e Sileſia cum copiis Zernicheffius; redditæ Boruſſiæ & Pommeraniæ urbes, tanto ſanguine & labore partæ; aſſumpta militaris forma

nor-

normaque Borussica; dono accepta a Rege legio Siburgica, tantaque amicitia imbibita, ut copias suas cum Borussicis conjuncturus videretur, aut Dano propter Holsatiam illaturus bellum.

Adhæc illustres exules, Bironium, Curlandiæ quondam Ducem, & Imperii Russici Administratorem, ab Anna constitutum, Münchium, supremum ante belli Imperatorem, aliosque Lutheranos homines e Siberia revocavit, ac præcipuis muneribus ornavit. Exules Lutheranos revocat.

Denique, quod infelici Principi cervicem fregit, magna erat in Lutheranos, qualis olim erat, propensio; nam templum illis erexit, in quod, desertis Russorum Ecclesiis, cum iisdem precaturus conveniebat frequens. Cum autem Archiepiscopus Novogrodensis intercederet, in exilium missus est. Plures alias mutationes circa Clerum & Monachos molitus est, ut adeo speciem præberet alieni a ritibus Græcis animi, timereturque, ne Lutheranam sensim religionem induceret, propter politicas quoque novationes apud gentem, moris sui tenacem, exosus erat. Lutheranismum conatur introducere.

Conspiratione igitur inita, Catharina, Petri III Imperatoris uxor, Imperatrix publice est proclamata, ejus vero septennis filius, Paulus Foederovicius, quem ex Petro III susceperat, hæres & successor Catharinæ matris. Acta hæc sunt 9 & 10 Julii 1762. Deponitur.

Petrus quidem, throno dejectus, omnia tentavit, ut ruinam sisteret, sed Russi omnes ejus conatus præverterant, & pauci Holsatæ (600 duntaxat erant) quos apud se habebat, impares erant, ut impetum ruentem cohiberent. Octo solummodo dies Petrus calamitati suæ superfuit, 17 Julii extinctus, anno ætatis 34, Imperii mense octavo. Extinguitur.

Igitur *Catharina II* (*Alexievina*) Petri III conjux, Joannis Augusti Ducis Anhaltino-Servestani (*Anhalt-Zerbst*) filia, nata anno 1729, Græcam Religionem anno 1745 in nuptiis professa (Sophia Friderica Augusta antea appellata) thronum Russicum conscendit, ac Moscuæ coronata est anno 1762. Pacem cum Borusso initam primum improbavit, dein vero ratam habuit. Catharina II coronatur.

Anno 1763 *Bironio*, quem ab exilio revocaverat, Ducatum Curlandiæ, a Carolo Saxoniæ Principe possessum, jure postliminii restitui voluit, missis in Curlandiam copiis. Multa ultro citroque dicta & scripta, de quibus memoratum aliquid in Polonicis. Bironium Curlandiæ restituit.

CAPUT XVIII.

De rebus Turcicis & Perſicis.

§. 1.

Qualis ſucceſſio. Bellum frequens cum Moſco. Criſis de pace. Moream occupant. Bellum pace Paſſarovicenſi finitum.

232. Modus ſuccedendi. Anno 1703 Muſtapha II, qui anno 1695 patruo ſuo ſucceſſerat, a Turcis ob ignaviam eſt depoſitus, & in ejus locum intruſus Achmetes III frater junjor, quamvis haberet Muſtapha filium. Ex quo videas, Turcas, licet hactenus ex ſtirpe Oſmanni I ſemper ſuos Imperatores deſumpſerint, nullatenus tamen ſervare ordinem primogenituræ, ſed, uti perſæpe contigit, præterito filio, fratrem mortui aut depoſiti vel etiam ſtrangulati ad Imperii coronam vocare, indeque rurſus ad depoſiti filios redire. Hoc ut evitarent Imperatores, fratres ſuos agnatosque interimere, aut perpetuis includere carceribus conſueverant.

Studium pacis. Quietem tunc aliquam Europæ indulſit Muſtapha atque Achmetes, & ſane mirum eſt, barbaros datæ Carlovici fidei adeo fuiſſe memores tenacesque, ut totis 14 annis, quibus bellum Hiſpanicum tenuit, quoque Principes Chriſtiani in mutuas ſtrages fuerant armati, eandem ſancte obſervarent; cum facile ſeditione Hungarica in rem ſuam uti, & incrementum capere potuiſſent.

Anno tamen 1710 bello cum Moſcis ſunt colliſi. Confirmata quidem anno ſuperiore fuerat pax Carlovicenſis, ſed ea conditione, ne Zarus ſe opponat reditui Sueciæ Regis per ſuas ditiones; hanc autem conditionem impletam non fuiſſe querebantur Turcæ, cum in finibus collocatæ fuerint Moſcorum copiæ, ad eundem intercipiendum. Bellum Ruſſicum. Suberat alia quoque cauſa, quæ Ottomannos ad bellum denuntiandum permovit; quia ſcilicet Ruſſi plures ad mare nigrum arces ac munitiones conſtruxerant.

Anno

Anno 1711 Petrus Magnus Moscorum Dux in Moldaviam cum 80000 profectus, a Turcis & Tartaris cinctus, eas in angustias fuit redactus, ut ferro aut fame sibi pereundum cerneret, nisi pacem rogaret. Obtinuit illam ea lege, ut Assacum redderet, munitiones, recens constructas demoliretur, Polonorum rebus se non misceat, neque Cosaccorum aut Tartarorum. Sueco liberum in suas ditiones transitum permittat. *Asof.*

Reprehendunt Politici Vizirium grandis erroris, atque imprudentiæ, aut potius prævaricationis, quod corruptus pecunia tam opportunam occasionem Moscos delendi neglexisset, eosque dimisisset, antequam conditiones essent impletæ: una die reparari potuisse cladem ad Pultavam, reduci Carolum in suum regnum, Stanislao rursus imponi coronam: Imperium Ottomanicum in Moscoviam extendi. Zarum promissis non stetisse, Carolo exuli permanendum in Turcia: nec reductam occasionem rei tam bene gerendæ per depositionem Vizirii. Crisis de pace.

Cum igitur Zarus non omnes pacis leges impleret, Sultanus arma resumpsit, donec anno 1712 sollicitantibus Anglis & Batavis nova pax Constantinopoli est confecta; conventum, ut Carolus Rex reducatur: Zarus copias Polonia deducat, aliaque addita, quæ in Russicis memoravimus. Sed & hæc conventio effectu fuit destituta. Perrexit Zarus reditum Sueco intercludere, Poloniam milite suo continere, Pomeraniam infestare. Quam Zarus non servat.

Quare Achmetes excandescens, protensis caudis equinis, ad bellum revertitur: sed lente illud initio fuit administratum. In Venetos, pace Carlovicensi fracta, versa belli consilia. Turcæ Moream rapiunt.

Nam anno 1715 sui securos aggressi Turcæ, duorum mensium spatio totam Moream, pacis fiducia minus provisam, expugnarunt, cum duabus urbibus, quas in regno Candiæ Veneti retinuerant, Suda videlicet & Spinalonga.

Qua autem fortuna bellum hoc gravissimum a Mosco, Venetis & Cæsare sit gestum, & relicta Turcis Morea per inducias Passarovicenses anno 1718 finitum, in Hungaricis retulimus.

§. 2.

§. 2.

Rebellio Miriwveisii. Rex trucidatus. Tamas filius a Mosco, Miriveis a Sultano auxilia petit. Uterque addicit, sed in suum commodum. Esref occidit Miriveisium & regem se dicit. Turcas vincit. Tamas per Kulicanum Esreffum vincit & perimit. Turcas profligat. Achmetes a throno ad carceres, Mahometes e carcere ad thronum.

255. Turcæ & Mosci in Persiam. Anno 1723 & sequentibus, cum Miriweisius Candahariæ Princeps adversus Regem suum rebellis, Persiam invasisset, Turcæ & Mosci sub prætextu Regem throno dejectum juvandi exercitus suos in fines Persiæ miserunt, sed decerpendo provincias pro se ipsis in turbido piscari visi sunt. Hoc certe anno Turcæ Carducensem in Georgia provinciam occuparunt. Quos progressus Mosci ad Caspium mare fecerint, alias est memoratum. Altera quidem Natio alterius in Oriente incrementis invidebat, sed, quod dici solet, ensis ensem in vagina retinebat.

Pluribus deinceps annis bellum Persas inter & Turcas fervebat, parte utraque egregie cædente cæsaque, urbs Tauris a Persis amissa, receptaque.

Miriweisii rebellio. Persiæ autem regnum hoc tempore prope eversum fuit; nam provinciarum præfectis aliis alibi tumultuantibus, *Miriweisius* Candahari provinciæ ad magni Mogolis fines satrapa, cum *Aguanis* suis, rebellione excitata, urbibusque passim sub jugum missis, ad ipsa Ispahani (quæ caput regni est) mœnia penetrat.

Rex peremptus. Sophus Rex Persiæ (*Hussein* appellatus) longo pacis otio & voluptatibus enervatus, resistendo impar fugam arripuit; sed inde retractus a rebellibus, oculisque orbatus, cum duobus filiis barbara crudelitate perimitur, tertio filio, eoque natu minimo (quem *Sophum Tamas* appellant) furori subtracto, qui deinceps gravissimas inter difficultates cum rebellibus varia fortuna bellum gessit.

Sophus Tamas. Misso is Petroburgum usque Legato, a Petro I auxilia petiit. Addixit ille prolixe, numerosumque exercitum in Persiæ fines per Wolgam, Astracanum Casanumque regnum adduxit. Sed sibi non Sopho provincias conquisivit, prout alias dictum. Miriveisius contra usurpator regni & prædo publicus, missa Constantinopolim Le-

Legatione, cum honore excepta, subsidia petiit, impetravitque: sed pariter sibi militatura.

Obiit quidem circa annum 1725 Miriweis, ab *Esreffo*, agnato suo, ut narratur, interemptus, sed nulla inde Persiæ quies, Esreffo Miriweisii locum occupante, regiumque sibi titulum arrogante. Sopho Tamas per montes & deserta vagante cum exili manipulo ex Christianis potissimum constante. Esreff cum Turcis congressus, anno 1727 gravi eos ad Taurim clade affecit. Tandem vero pax inita. Esreffus agnitus Rex Persiæ. Turcæ autem pluribus locis aucti sunt. Esreff.

Anno 1728 Sultanus, bonarum artium amator, exemplo hactenus in Turcia non viso, typographiam Cpoli erigi curavit, opponente se licet Mufftio, qui id religioni noxium censebat. Cusi mox libri lingua Turcica, Arabica, Persica.

Anno 1730, postquam Sophus Tamas, per *Kulicanum* Esreffo ad internecionem cæso & interempto, Ispahanum Thronumque paternum receperat, urbes, ab eodem Esreffo Turcis cessas, repetiit: cumque reddere nollent, bellum eis denuntiavit. Accepta Cpoli denuntiatio, redditaque, protensa cauda equina. Sultanus ipse, præludens ruinæ suæ expeditionem suscepit. Sophus Tamas, vel potius Kulicanus, ipsius belli Præfectus, cum 50000 obviam processit, atque ad urbem Taurim ingenti Turcas clade prostravit. Impetu capta Tauris. Octo Tartarorum millia a Turcis ad Persas transgressa. Totus exercitus Turcarum aut cæsus, aut in præcipitem fugam aversus. Kulican Turcas profligat.

Tristis hic nuntius Cpolin perlatus, in tantam plebem furiosam egit rabiem, ut quidam, sublato Mahometis vexillo, turbam ad rebellionem concitarent. Huic conjuncti Janitsari, caput Vezirii, & aliorum duorum Ministrorum deposcebant. Sultanus furorem his victimis satiandum sperans, misit. At effera plebs, carcere perfracto, Mahometem, depositi Mustaphæ II filium, eductum throno imposuit, Imperatorem vero suum Achmetem III, postquam 29 annos sceptrum tenuerat, in eundem carcerem detrusit. Sultan. in carcerem. Mahomet e carcere ad thronum.

§. 3.

Rebellio Cpoli recrudescit. Tamas Sophus, erutis oculis in carcerem trusus a Kulicano, & ejus filius infans throno impositus. Accipit a Turcis, & strenue reddit verbera. Consternatio Cpoli. Vizirius depositus. Bonneval Apostata, Ragozi obitus.

234. Mahometes V, Achmetis nepos, postquam 29 annos in carcere jacuerat, a Muftio coronatus, ne se absente nova seditio recrudesceret, Seraskierum adversum Persas misit, donec Vizirius esset constitutus.

Principi Ragozio, uti & Comitibus Bonnevallio, & Marsiglio, qui ad Turcas confugerant, pristina vitæ subsidia confirmavit.

Villenovanus Legatus Christianissimi Regis Peræ, Cpolis suburbio, magna solennitate celebravit nativitatem Delphini. Illuminatum erat ejus palatium multis, more Turcico, varii coloris, ampullis & lampadibus vitreis. Tormentorum e navibus Gallicis explosione datum festivitati initium. Dicta a P. Quardiano Capucinorum panegyris, cantatus hymnus Ambrosianus, cum omnibus exteris Oratoribus hospites adhibiti mensæ 250. Christianis mancipiis (ad duo millia erant) missa ad triremes cibaria, exhibita a Turcis comœdia.

Rebellio altera.

Anno 1731 turbulentum adhuc erat Turcarum Imperium; nam, cum auctores seditionis, superiori anno excitatæ, plecterentur, caritatem etiam alimentorum multi quererentur, bellumque a Persis, religionis consortibus, in Christianos transferri postularent, nova rebellio coaluit. Conglobata tria millia de plebe per urbem tumultuabantur, sed novus Vizirius, prælato Mahometis vexillo, 3500 armatos in eos duxit, & plerosque occidit. Primorum etiam Ministrorum capitibus, velut pilis, lusum.

Tamas a Kulicano in carcerem datus.

Bellum Persicum variante fortuna gestum est. Bis cæsi Persæ, semel Turcæ. Tamas autem Rex in vitæ licentiam diffluens, turpem & Persico nomini indignam cum Ottomannis pacem iniit, iisque quartam propemodum Persiæ partem ignavus cessit. Quam ob rem anno sequenti a Kulicano, supremo suo armorum Præfecto throno dejectus, & oculis orbatus in carcerem ductus est; ejus vero filius Abas III quinque mensium infans Rex proclamatus.

Kuli-

Kulicanus tutor Regis & administrator regni a Turcis provincias, per noxiam pacem a Sopho Tamas cessas, repetiit, cumque recusassent reddere, bellum eis denuntiavit. Filius ad thronum.

Sultanus, convocato *Divano*, seu supremo suo consilio in *Seraglium*, seu palatium suum, & deliberatione de bello gerendo habita, omnes per Asiam *Bassas*, id est, provinciarum Gubernatores, adversus Persas valido cum exercitu procedere jussit, cui Osmanem *Seraskierum* sive Ducem præfecit; cum magni *Vezirii*, seu primi Ministri, cujus alias est majores exercitus regere, præsentia in Aula turbata esset necessaria. Kulican in Turcas.

Haud procul Bagdado commissum anno 1733 atrox prælium, quo tanta clade profligati sunt Persæ, ut Kulicano nihil superesset, quam simulata petitione pacis ad reparandum exercitum tempus lucrari. Quod ubi est consecutus, invasit Turcas, sui velut securos, grandemque ab iis reportavit victoriam. Culpa rejecta fuit in Principem Tartarorum, qui prædando retardati serius advenerant. Quo minus Kulicanus victoriæ fructus legeret, obstitit novus exercitus, a vicinis Bassis in subsidium missus. Id tamen effecit hæc clades, ut Turcæ bello Polonico miscere se non possent. Clades datæ acceptæque.

Annus 1734 nullo justo prælio fuit insignitus. Velitationibus secundis agebant Persæ, &, Bagdado incassum tentato, Taurin cum aliis præclaris urbibus expugnarunt.

Comes Alexander Bonneval, Tribunus quondam Cæsareus (quem ob delicta in carcerem datum, indeque elapsum ad Turcas confugisse alias diximus) abjurata religione Christiana, hoc anno, assumpto Achmetis nomine, circumcisus fertur, magna in sceleris præmium apud Sultanum valiturus gratia. Bonneval Apostata.

Kulicanus anno 1735 Bassam Temicensem in Georgia oppressum gravi strage prope delevit. Tum vero adversus majorem multo & præcipuum Ottomanorum exercitum progressus, parta insigni victoria, immanem ei cladem intulit, cadentibus in acie 14 Bassis cum ipso Kiuperlo, supremo Turcarum Duce, castrisque direptis, omni opulentia plenis. In ærario castrensi 180000 thaleri leonini dicuntur inventi, quos Kulicanus inter strenuos suos pugiles distribuit. Kulican profligat Turcas.

Ad nuntium tantæ stragis tota Cpolis intremuit. Ali Bassa Magnus Vezirius depositus, suffectus Ismael, qui tamen & ipse post lapsum duorum mensium fuit deturbatus. Cum necdum satiaretur rabies furentis populi, sed Sultani quoque corona nutaret, is 50 rebellibus jussit caput demeti, aliis fauces elidi, aliis in exilium

ejectis. Kulicanus victoria usus, Tifflin, & Irvanum, permunitas urbes Musulmannis eripuit.

Obitus Ragozi. Obiit hoc anno Franciscus Leopoldus Princeps Ragozi Radossi in Turcia, anno ætatis 69, constans semper in fide Catholica. Anno 1701 e carcere Neostadiensi elapsus, reliquam ætatem in exilio egit. Conjugem habuit ex Domo Hassowanfridensi. Josephus filius natu major mortuo patre Neapoli in Galliam profugit ad conjugem Bethuniam.

§. 4.

Kulican Rex Persiæ sub nomine Schach Nadyr cum Turcis pacem componit, restitutis finibus, qui ante bellum fuerant. Persicum bellum excipit Russicum & Hungaricum.

235. Cum durante hoc bello Persico Russi identidem apud Fulgidam Portam instarent, ut Tartarorum irruptiones in Russicas provincias earumque deprædationes coerceret, facileque appareret, Moscovitas illas non ultro inultas laturos, ne simul cum duabus potentissimis gentibus sibi bellum esset, omni studio in id incubuit, ut bellum cum Persis qualicunque pace finiretur.

Nec Kulicanus, ad solium Persiæ jam evectus, ut vulnera Persiæ, per tot annorum tumultus inflicta, persanaret, alienum a pace, si honesta offerretur, animum habuit.

Pax cum Persis. Sancita igitur pax ea lege, ut fines utriusque Imperii essent iidem, qui ante bellum & turbas Persicas fuerant: ut Persis Meccam ad sepulchrum Mahometis secure & absque vectigali peregrinari liceat: Kulicanus Rex Persiæ agnoscatur: Russi, gens alienæ sectæ, a pace ista sint exclusi. Quam conditionem Kulicanus contra fidem datam adjici passus est. (*anno* 1736.)

Cæterum, licet Persæ non minus quam Turcæ sint Mahometani, altera tamen gens alteram pro hæretica habet, quia Turcæ Omari, Persæ vero Ali interpretationem Mahometis sequuntur.

Finis belli Persici initium Turcis fuit belli Moscovitici; quod supra in Historia Russica fuit relatum.

Niemerovii congressus. Anno 1737 magno Legatorum apparatu inchoatus est congressus *Niemerovii* urbe ditionis Polonicæ pro pangenda pace Russos inter & Turcas, conciliatore Cæsare; sed cum Turcæ Asossum repeterent, nullamque satisfactionem pro damnis præteritis, & securitatem

tatem in futurum præstare vellent, solutus est, bellumque acrius recruduit, Cæsare etiam in partem tracto, qui Turcis denuntiavera per Dalmannum, suum Cpoli Legatum, nisi pacem facerent, fœdere cum Russis se arma arripere coactum iri.

Magnus Vezirius depositus, quod Ozakovio non subvenisset. Idem fatum subiit successor, quod bellum non satis feliciter gereretur, idem aliis; ut adeo ortum inter Veziriorum & occasum vix possis distinguere. Tantas mutationes traxit furor populi Cpolitani & metus Sultani, qui, tametsi summa potestate imperet, tamdiu tamen, prout tot funesta exempla demonstrant, coronam gestat, quamdiu plebi & Janitsaris placuerit. Unde non raro Ministros etiam optimos plebejo furori suæque securitati immolare cogitur. Depositus etiam Tartarorum Chamus, quod lineam Præcopensem negligentius defendisset. Bellum cum Moscis.

Bonnevallius Apostata infamis Josephum Ragozium ex Gallia Cpolim pellexit ea spe, quod Sultani auxilio his belli motibus Transylvaniam sit recepturus. Sultanus, cum Principatum dare non posset, Principem dixit. Edito scripto Hungaros & Transylvanos sollicitavit Ragozius, sed hoc adhuc anno desideriis & spebus suis fuit immortuus.

Cæterum expeditio adversus Cæsareos nimium fortunata Turcis fuit, cæsis ad Banialucam, Cossavam, ad Timocum, & in Valachia dispersis Christianis copiis: Seckendorffio propterea in quæstionem vocato; prout in *Hist. Hungariæ* memoratum. Et Cæsare.

Anno 1738 Turcæ Ussizam, Novam Orsovam cum gemina arce, Meadiam, Semendriam expugnarunt. Legatus Gallicus, Anglicus & Hollandicus, pro pace, cum Cæsare & Russia intercessere. Sed Musulmanni Assoffium & Ozakovium repetebant, Cæsari nihil restituturi. Bellum igitur prosequi placuit sub novo Vezirio Mehemet Bassa: qui adversus Cæsarem missus est ad Danubium & Savum cum præcipuo exercitus robore, in Russos Tartaris ferme tantum expeditis.

Anno 1739 Ottomanni sub Vezirio Ali Bassa, occupatis jam accessibus, Belgradum expeditionis suæ finem statuebant. Suspicatus id Wallisius ad *Kroskam*, pagum inter Belgradum & Semendriam medium, se opponere constituit; sed Turcæ, hoc consilium subodorati, prævenerunt, locoque ibidem & sibi & tormentis suis, quorum ingentem vim secum traxerant, electo, subeuntes ex saltuum & rupium faucibus Cæsareos ita exceperunt, ut ingentem eorum stragem ederent, fugientesque persecuti etiam a Belgrado depellerent, Strages ad Kroskam.

Belgradum amissum. rent, atque ad hoc, novis operibus permunitum, &, ut creditum, invincibile propemodum munimentum tota vi expugnandum incumberent. Secuta est pax, pro Christianis sane dura. Amissum (Bannatu Temeswarino excepto) quidquid pax Passarovicensis attulerat. *De quo videatur Hist. Hung.*

§. 5.

Vizirius depositus ob pacem Belgradensem. Kulican Mogoriæ Imperatorem debellat, & vectigalem reddit. Ab Oriente in Occidentem reversus Turcas profligat.

236. Anno 1740. Plebs Cpolitana seditionem excitavit adversus Magnum Vezirium Mehemet Bassa, quod victoria Kroskana non melius sit usus, sed pacem cum Christianis pro opportunitate temporum nimis macram inierit. Sultanus & sapientiores, quamvis satis perspicerent, pacem cum duabus potentissimis nationibus non potuisse gloriosam magis utilemque confici, præsertim propter Belgradum & Orsovam reportatam, Vezirium tamen, ad sedandas populi turbas deponi oportuit, atque ad gubernationem Geddæ amandari. In illius locum successit Nisange Bassa.

Vezirius depositus.

Alexander Gika, qui ad Belgradum interpretis munere fungebatur, Princeps Moldaviæ a Sultano fuit renuntiatus. Monumentum vero Chozim a Russis fuit rursus Turcis traditum. Tartarorum Principi suffectus Selimus Girey.

Quamvis anno 1741 Sultanus non levi tentatione pulsaretur ad invadendum, in illis Christianorum turbis Bannatum saltem Temesinum, sanctimonia tamen pacis Belgradensis generose eandem vicit, toto tempore belli Austriaci quietus.

Digresso Ulefeldio Pecklerus remanet Cpoli Interpers. Bassa, qui præpropere Chozimum Russis tradidisse fuerat accusatus, cute de corpore detracta, elisoque gutture periit, bonis omnibus publicatis. Ulefeldio Constantinopoli digresso, remansit *Pecklerus Residentis*, ut vocant, titulo. Romanzovius vero, post compositas varias de titulo & ceremoniis litibus, Cpolin ingressus est Legatus Russicus. Bonnevalius Præfectus Ægypti renuntiatus esse dicitur.

Anno

Anno 1742 jam iterum depositus Vezirius, Rhodum relegatus est in exilium; quia per avaritiam odiosum se reddidit apud Sultanum & populum.

Anno 1743 recruduit bellum Persicum; quia Turcæ nolebant tradere ultimi Sophi filium, qui ad eos confugerat, cum Kulicanus coronam arripuit, & Persis negabant liberum Medinam accessum ad sepulchrum Ali, cujus interpretationem sequebantur Persæ, Turcæ vero Omari. Kulicanus seu *Schach Nadyr* aliquot in Turcomannia, & Diarbeckia loca eripuit. Igitur Cpoli caudæ equinæ e palatio Imperatoris sunt protensæ, copiæque in Orientem missæ.

Antequam autem hæc fierent, Kulicanus expeditionem in provinciam Candaharum suscepit, cujus famosi Miriweisii filius se Regem dixerat, atque hoc debellato in Magni Mogolis Imperium exercitum infudit, eique victo & capto coronam quidem restituit, sed plura regna & provincias detraxit, ac potentissimum Imperatorem sibi vectigalem fecit. Filius autem ejus Tartaros ad mare Caspium Persiæ subjecit. Kulican in Mogoriam.

Anno 1744 continuatum est bellum Turco-Persicum. Rex Kulicanus Nadyr cum 150000, ut fertur, armatis Babylonem movit (quæ *Bagdatum* hodie appellatur) eamque, omissa oppugnatione corona cinxit. Turcæ vero Sephium, qui ad eos confugerat, Regem Persiæ proclamarunt, ut eo nomine factiones in Persia excitarent. Continuatio belli Persici.

Anno 1745 Sultanus Achmeti Seraskiero Mahometem, Bosniæ Bassam, substituit; qui pugnandi avidus, Persas obvallatos aggressus, ingenti strage affectus est. Turcarum 30000 cæsa dicuntur, cum ipso Mahomete belli Imperatore. Contremuit iterum Cpolis ad nuntium cladis, & prope a seditione aberat. Accessit grande incendium officinæ navalis, quo 18 bellicæ cum omni apparatu nautico conflagrarunt. Cæsus Turca;

Anno 1746 pax inter Persas & Turcas fuit conflata, cujus basis statuitur determinatio finium utriusque Imperii, qualis priore sæculo sub Amurathe IV fuit. Plura etiam statuuntur de unitate religionis; & peregrinationibus Meccam, quam Turcæ & Persæ sacram habent, quia in ea natum credunt prophetam suum Mahometem, & Medinam, ubi sepultum putant. Pax.

§. 6.

§. 6.

Kulican sectam Turcarum profitetur. Induciæ, pace Belgradensi 1739 initæ, ad 30 annos prorogatæ. Illustres Viziriorum & Bassarum ruinæ. Bonnevalii interitus. Kulicanus peremptus. Schach Adil Cidarin rapit, non sine novis motibus. Mahometi V succedit Osmanes III, & huic Mustapha III. Periculum Melitæ ob navem Turcicam.

237. Kulicani secta.

Hactenus Turcæ & Persæ, quamvis utrique Mahometem & Alcoranum colerent, tanquam hæreticos se invicem insectabantur, quia Turcæ Sonnisticæ erant sectæ, quæ Omari interpretationem sequebatur, Persæ vero Siatisticæ, juxta Ali diversam Alcorani interpretationem. At vero Kulicanus Sonnisticam Turcarum sectam professus, in tota Persia illam introduci voluit. Hinc Muftius pacem cum Persis, ceu religionis sociis, urgebat, & arma in Christianos converti voluit. Sophium autem, quem Regem Persiæ antea Turcæ proclamaverant, perpetuo carceri incluserunt.

Sophus in carcere.

Pencklerus, qui Cpoli residebat, tanquam Orator extraordinarius Cæsareus est deputatus, ut Sultano Francisci I electionem ad Imperatoriam dignitatem nuntiaret. Sed quia in litteris mandati visebatur titulus *Regis Jerosolymæ*, non fuit admissus, donec alias litteras Vienna obtinuisset.

Anno 1747, postquam Mahometes V facta cum Persis pace, copias suas ex Asia reduxerat, periculum fuit, ne, conversis in mutuam perniciem Christianorum Principum armis, Hungariam invaderet. Sed Penckleri Cæsarei, Porteri Anglici, & Neplefii Russici, Legatorum industria effectum, ut induciæ, anno 1739 ad Belgradum initæ, ad 30 annos prorogarentur. Imo tractatus etiam commerciorum cum Porta initus a Cæsare ratione Florentiæ, moxque naves onerariæ ex portu Liburno Cpolin trajectæ sunt.

Tractatus commerc. cum Turca.

Castellanes Legatus Gallicus, quod negotia cum Porta minus feliciter gessisset, cum Desallerio est commutatus. Russicus graviter questus de iterata Tartarorum Crimensium in Ucraniam irruptione. Citatus Cpolim Chanus, tanquam Vasallus, & reprehensus, quod inquietos & rapaces suos subditos non magis contineret.

Interitus Bonnevallii.

ret. Miſere hoc anno prope Cpolim periit famoſus Comes Alexander *Bonnevalius*, transfuga & turpis Apoſtata, æt. 75, ſub nomine Oſmanni Baſſæ; cujus vitam degenerem quidam ſcripſit. Solymannus filius ejus adoptivus hæreditatem petiit, quam Vizirius obſignaverat. Moldaviæ Princeps (*Hoſpodarem* appellant) a Sultano præfectus Valachiæ, & hujus Princeps, mutatis clypeis, Moldaviæ. Piget ſcribere, depoſitum Vizirium, pluresque Baſſas ac Miniſtros Aulæ Ottomannicæ; quia nihil frequentius, quam aſcenſus & deſcenſus. Sed non Turciæ duntaxat, ſed mundi eſt genius, ut adeo dici poſſit non raro, quod Tullius quondam, dum Julii Cæſaris tempore plures brevi Conſules Romani fuiſſent evecti dejectique, dixiſſe fertur: *properemus gratulatum, dum adhuc eſt Conſul.*

Mundi genius.

Schach Nadyr interemptus.

Grande hujus inconſtantiæ, & humanarum dignitatum, ſurſum deorſum euntium, documentum eſt etiam Perſia. Quantas illa vel ſolo dimidio hoc ſæculo tragicas mutationes revolutionesque vidit! *Kulicanus Nadyr*, magnus ille bellator, alterque Tamerlanes, qui Perſia ſubjugata, Sophis Regibus dejectis, Eſreffo tyranno interempto, Magno Mogoriæ Imperatore ſub jugum miſſo, Magno Turcarum Monarcha ſæpius devicto, atque ad pacem adacto, Perſiæ ſolium apicemque gloriæ ſcanderat, hoc anno 1747 Iſpahani proprio in palatio, a ſuis Ducibus barbare fuit interemptus, & quidem conſilio & mandato ſui agnati *Ali Kulicani*, qui per gradus, parricidali ſanguine cruentatos, aſcendit ad thronum Perſicum, *Schach Adil*, quod Juſtum dominatorem ſignat, aſſumpto nomine; qui mox ad Sultanum Oratorem miſit, ut pacem confirmaret. Lue contagioſa, quod frequens, Cpoli graſſante, Imperator, Muftio depoſito, urbe exceſſit, ſequentibus Legatis exterorum Principum. (1748.)

Schach Adil.

In locum Mufti depoſiti, Mahometes V ſuffecit Effatum Effendi; qui tamen mox anno ſequenti, quia cum Vezirio non conveniebat, Synopen ad mare Euxinum in exilium migrare debuit.

Novæ Perſiæ turbæ.

Novus Perſiæ Rex Adil, ſolium per cruentatos gradus aſcendens, bello eſt appetitus a nepote Kulicani; qui tamen ad Taurin prælio victus eſt. (1749.)

Suecia, conqueſta per Legatum de bellico in Ruſſia apparatu, fœdus cum Turcis renovavit (1750.)

1752. Obiit Princeps Wallachiæ Georgius Gika, Græcanicæ religionis. Principatum vero emit a Sultano ejus filius Mathias Woda. Mehemetes Vizirius, ad ſedandum populi tumultum depoſitus,

tus, Cairo in Ægypto præfectus est. Anno sequente Hollandis Mercatoribus, ad preces Legati, permissum, ut Cpoli templum erigerent.

Obit Mahomet V.

Anno 1754 obiit *Mahomet V* Turcarum Imperator, æt. 59, Imperii 25. Vizirius, Janitsarorum Præfectus, Turcicæ superstitionis Præses, cum Imperii Cancellario, aliisque Ministris præcipuis Sultanum renuntiarunt *Osmanem III*, defuncti fratrem, anno 1699 natum, Principem mansuetum, & amantem pacis; quod, ut etiam Mustapha III successor, satis demonstrarunt bello ultimo, dum nullis flabellis ad frangendam pacem impelli se permiserunt. Apud Turcas nulla coronatio est usitata: sed post juratam Alcorano & Mahometi fidem Muftius, tanquam supremus sacrorum antistes, novo Imperatori acinacem circumdat.

Succedit frater Osmanes III. pacificus.

Petrus *Schwachheimius* in munere Legati Cæsarei sublevavit Henricum *Pencklerum*, qui 14 annis apud aulam Turcicam illud gesserat.

Annus 1755 præter Muftium quatuor Vizirios depositos vidit, totidemque novos, aula æstus instar marini influxus & refluxus agitata. Mirum, tales a mortalibus Appeti Dignitates, quæ dum oriuntur moriuntur.

Bello ultimo, inter Europæos Principes anno 1756 exorto, Turcia se non immiscuit, fide induciarum sancte servata. Annus tamen 1760 facile magnum potuisset excitare incendium. In navi Turcica, quæ singulis annis tributum in Archipelago colligit, vehebantur 70 Christiana mancipia. Hæc cultris armata, 300 Turcas, qui erant in navi, aggressi, alios occiderunt, alios, ut in mare prosilirent, adegerunt, navique potiti, velis explicatis, Melitam eandem deduxerunt, cum præda non exigua.

Melitæ periculum ob navem Turcicam.

Sultanus ira commotus minitatur Insulæ excidium, nisi navis illa sibi ocius restitueretur: cumque Melitenses navem retinerent, magnum classiarium apparatum instruit. Verum conciliatore Gallico Legato, restituta a Melitensibus navi, tempestas conquievit; quamvis Equites jam ex omni Europa Melitam fuissent evocati, seque Insula ad fortem & magnanimam defensionem, reparatis munimentis, præparasset.

Quanta autem fide Turcia pacem servabat cum Christianis Principibus, bellis se se atterentibus, tantum turbarum eidem concivit plurium Bassarum rebellio, & Persiæ, a 40 jam annis perpetuis motibus agitatæ, vicinia.

Imperarunt autem hoc sæculo Sultani, Mustapha II ad annum 1704, Achmetes III ejus frater ad annum 1730, quo fuit depositus. Sultani.
Mahomet V, Mustaphæ II filius, ad annum 1754, Osmannus III, ejus frater. Mustapha III, Achmetis III depositi filius, qui ab anno 1757 in hodiernam diem feliciter imperat. Ultimus erat suæ familiæ; jam vero natus est ei filius ingenti cum plausu & jubilo totius Constantinopolis.

§. 7.

Concilium Montis Libani. Anno 1738.

Huic synodo orthodoxæ interfuere, cum Patriarcha Antio- 238.
cheno Præside, 14 Episcopi Maronitæ, duo Syri, totidem Armeni, multi Abbates, aliique de Clero, Ecclesiæ Romanæ unito, plures. Recepta in illa Decreta, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide eidem proposita: actumque de limitibus & divisione Diœcesium: de subsidio, Episcopo conferendo, dum sacros Ordines confert, & sacrum oleum distribuit. Quia scilicet propter Turcarum persecutiones & oppressiones non habebant Episcopi, unde viverent.

Benedictus XIV Romanus Pontifex anno 1741 hanc Synodum confirmavit, prout in Constitutionibus hujus Pontificis Parte XI, memorabitur, sub clausula tamen, in Approbatione Conciliorum Orientalium consueta, quod scilicet Pontifex per eam approbationem nihil derogatum velit Constitutionibus Antecessorum suorum Ecclesiæ Universalis Antistitum, & Conciliorum Generalium Decretis super ritibus cæterarum Nationum.

CAPUT XIX.

Compendium Belli noviſſimi.

Art. I.

Bellum Boruſſo-Auſtriacum, ab anno 1756 inchoatum.

239. Bellum grave, & in hanc usque diem magna animorum viriumque contentione geſtum, quodque omnem prope Europam (ut fert hodiernus bellorum uſus) in partes traxit, brevi, quod ſoleo, ſtylo adumbrare aggrediar. Origo illius ex novo orbe accerſita. *Acadia*, Borealis Americæ pars, Gallos inter Anglosque, incertis limitibus, controverſa, gentem utramque bello colliſit, cœpto ab Anglis direptione navium.

Origo Acadia.

Cum autem metueret Anglus, ne Gallus, Batavis medias partes amplexis, Hannoveranas provincias invaderet, cum Boruſſo ſub initium anni 1756 Weſtmonaſterii *fœdus* iniit, 4 articulis comprehenſum, quibus Germaniæ ſecuritati cavetur, ut, ſi exteri copias in Germaniam ducerent, pars utraque junctis viribus reſiſteret. Subſcripſerunt pro Rege Angliæ Hardvicus Cancellarius, Granvillus Arcani Conſilii Præſes, Hollesius Dux de Neucaſtle Theſaurarius, Holderneſius Status Secretarius, & Toxius pariter Secretarius Status. Pro Rege Boruſſiæ vero Michelius Legatus.

Fœdus Anglicum.

Gallia hoc fœdere ſe peti rata, 1 Maji 1756 Verſaliis *Neutralitatis* Tractatum iniit cum Imperatrice & Hungariæ, Bohemiæ &c. Regina, cui & ipſi fœdus illud Angliæ cum Rege Boruſſiæ non admodum placuit. Conventum, ut Regina turbis Americanis ſe non miſceat, ſed cum Gallia amicitiam ſervet, neutrique parti ſe addicat; Rex vero Chriſtianiſſimus nec Belgium nec alias Reginæ provincias aggrediatur. Quod etiam Regina reſpectu ditionum Galliæ promittit.

Eadem die Verſaliis additus eſt tractatus *mutuæ defenſionis*, in neminis præjudicium, ſed ad firmandam magis inter utrumque contrahentem pacem & amicitiam, conſervandamque Europæ quietem. Novem conſtabat capitibus.

Gallo-Auſtriacum.

1. Sit

I. Sit perpetua & seria amicitia & unio inter Regem Christianissimum, & Reginam Hungariæ, Bohemiæ &c. eorumque hæredes & successores, provincias, & subditos, sine omni exceptione, aut quocunque prætextu.

II. Pax Westphalica, omnesque postea inter utramque Majestatem initi tractatus pacis confirmantur, acsi de verbo ad verbum essent inserti.

III. Regina pro omnibus terris & dominiis, quæ rex in Europa possidet, spondet cavetque, solo præsenti bello, inter Galliam Angliamque excepto.

IV. Rex vero promittit, omnia regna & dominia Reginæ secundum ordinem Sanctionis Pragmaticæ contra quoscunque invasores defendere.

V. Vi mutuæ hujus sponsionis & cautionis pars utraque unitis viribus ad pacem conservandam incumbet, atque ad avertendam invasionem hostilem officia sua pro viribus interponet.

VI. Si autem bona officia non sufficerent, pars altera invaso cum 24000 viris armatis assistet; excepto tamen rursus præsenti bello, Franciam inter & Angliam exorto.

VII. Hæc subsidia constent 18000 peditibus, & 6000 equitibus, mittentis sumptibus alendis. Pars impetrans vero illis de hybernis providebit, illique liberum sit, pro illa militia pecunias exigere, de mense ad mensem solvendas, ita, ut pro mille peditibus 8000 floreni Rhenani mittantur.

VIII. Pars utraque sibi reservat jus, alios quoque huic tractatui, qui mere est defensivus, associandi.

IX. Hunc Tractatum utraque Majestas propria manu ratum habebit, & intra 6 menses ratificationes mutuo commutentur, vel adhuc citius, si fieri possit.

Subscripserunt nomine Regis Rovilleus Status Secretarius, & Petrus de Bernis Abbas Metensis; nomine Reginæ vero Comes Georgius Stahrenbergius, Cæsarearum Majestatum apud Christianissimum Regem Orator.

Additi sunt duo articuli separati. 1. Quod neutri parti debeat esse præjudicio, quod alterius nomen priori loco in hoc tractatu sit positum. 2. Neque, quod lingua Gallica fuerit conceptus.

Jam antequam Tractatus iste esset conclusus, mense videlicet Aprili, Gallica classis ex portubus Brestano & Telonis Martii excurrit, atque a Duce Richelio *Minorica* fuit expugnata, cum Por- Minorca.

tu Magonis & S. Philippi munimento, cum ingenti Anglorum dolore, quem ſenſit Bingius, eorum archithalaſſus, morte multatus.

In Germania interim vere & æſtate fervebat apparatus belli. Boruſſus Horneburgi in Principatu Halberſtadienſi 40000 caſtra poſuit: in Bohemia quoque & Moravia colligebatur miles.

Regina autem per ſuos apud exteras aulas Miniſtros palam eſt conteſtata, Tractatum cum Francia initum mere eſſe defenſivum, ſparſos autem rumores de contentis in eo privatis articulis, de Sileſia recuperanda, de electione Romanorum Regis, deque cauſa Principis Haſſiæ converſi, omni carere fundamento. Collectas aliquas in Bohemia & Moravia copias ad nullius læſionem pertinere, ſed propter ingentes belli apparatus, quos Rex Boruſſiæ faceret, in omnem caſum aggreſſionis, ad vim vi repellendam, præparatas.

Rex Boruſſiæ vero copias Bohemicas, & Ruſſicas, Curlandiæ imminentes, obtendens, per Klinggräfium, ſuum Viennæ Legatum, declarari præciſe poſtulavit, an bellum ſibi hoc vel ſequenti anno ſit inferendum. Mirata Regina, cum ſtabilem pacem, & non ad unum duntaxat, vel alterum annum extenſam, iniiſſet, ſuper præciſo hoc poſtulato, reſpondit, videri Regem hoc, coronata inter capita inuſitato, quæſtionis modo, bellum quærere; cum pax inter eos Dresdæ conſtans eſſet ſancita, neque data ſit Regi cauſa ad ejuscemodi diffidentiam. Cæterum nullum cum Moſcovia pactum eſſe initum ad invadendum Regem Boruſſiæ.

Boruſſus in Saxoniam.

Rex hac declaratione non contentus, cum, & ſibi & militiæ ſuæ ingenti confiſus, bellum appetere videretur, tribus agminibus, quorum unum ipſe, alterum Ferdinandus Princeps Brunſvicenſis, tertium Beveranus ducebat, in Saxoniam movit, totamque, nemine obſiſtente, occupavit, ut provincias ſuas ex hoc latere, ut ajebat, tegeret, reſtituendam, ubi præſenti defunctus eſſet periculo, ſacri inſtar depoſiti. Sed an depoſiti leges obſervatæ fuerint, judicent alii.

Ut hunc in Saxoniam ingreſſum orbi probaret, neceſſitatem oppoſuit præveniendi Auſtriacos, & terrarum ſuarum ſecuritati proſpiciendi, optare ſe, propediem adeſſe felicem horam, qua illam Electori poſſit reddere. Quantas autem deinceps miſera Saxonia ſit paſſa calamitates, notius eſt, quam ut referre ſit neceſſum.

Quin illico in Bohemiam irrueret, remoram aliquam injiciebat miles Saxonicus, in caſtris ad Pirnam munitis ſe continens, quia nihil a tergo volebat intutum relinquere. Quæ mora *Brunio*, quem

Regina

Regina belli Imperatorem designaverat, spatium aliquod concessit, ut posset ad tutandos fines legiones adducere. Castra autem metatus est ad Budinum.

Cum igitur Rex cerneret, Saxones in castris, natura & arte permunitis, hinc Königsteinio, inde Sonnensteinio tectos, montibusque ita esse obvallatos, ut temerarium foret, eos aggredi, parte exercitus ad illos includendos relicta, cum altera in Bohemiam progressus in ipsis finibus ad Petrovaldam, repulsis ter a Peronio Borussis, damnum passus est. In Bohemiam.

Tandem vero 1 Octobris (1756) ad *Lobosicium* oppidum uterque exercitus in conspectum venit, commissaque pugna admodum cruenta, de qua pars utraque victoriam sibi attribuit. Dicebant Borussi, quamvis magno sibi labore & sanguine, ob depellendos ex collibus & vinetis Austriacos hæc pugna, a septima matutina ad secundam usque pomeridianam continuata, constiterit, victoriam tamen penes se stetisse, cum Austriacos acie depulerint, multisque eorum cæsis, 700 cum Lobcovicio captivos abduxerint. Pugna Lobosicii.

Austriaci negabant, se acie excessisse, sed tota nocte in eadem perstitisse, primumque altera die in castra Budinum se recepisse, quia annonam suam & impedimenta in iis reliquissent: Borussos numero fuisse multo superiores, & ignium celeritate continua obstitisse, quo minus Austriaci plenam referrent victoriam: plures tamen hostium cecidisse, Regemque ipsum mox in Saxoniam se recepisse, expertum robur militiæ Austriacæ: magnam laudem tribuunt etiam Odonello Hiberno, & Radicato Pedemontano, qui in acie cecidit.

Quin imo Brunius cum selectis octo millibus expeditionem mox in Saxoniam suscepit, ut inclusum Saxonicum exercitum liberatum sibi associaret. Sed, quamvis Austriaci per plures dies in loco conjunctionis condicto exspectarent, Saxones tamen non comparebant; unde illis, omnium rerum penuriam passis, ad castra Budinum recedendum fuit, effectu salubriter destinata destituente.

At caro stetit Saxonicis copiis sua mora, sive eam impossibilitati, sive corruptæ fidei imputes; nam, cum evadere tentassent, a Borussis circumfusæ, captivas more militari se tradere coactæ sunt. Sed Borussi in fidem Regis adactas, sua sub signa coegerunt, deplorabili sane & exitiali fato florentis exercitus. Rex nihilominus suos ex Bohemia eductos, ubi aerem minus salubrem senserant, per Saxoniam in hyberna distribuit. Saxones obruuntur.

Rex

Rex vero Poloniæ, postquam Saxones Borusso se dediderant, cum filiis, Xaverio, & Carolo, Varsoviam abiit, Regina cum Principe Electorali Dresdæ remanente, atque ad calamitates forti animo ferendas pectus obfirmante.

Interea vero, dum hæc in Saxonia & Bohemia agebantur, alius Borussorum exercitus, qui 33 cohortibus & 55 turmis constabat, *Schwerino* duce e Silesia in Bohemiam prorupit, cui oppositus erat Princeps *Piccolomineus*. Nulla inter eos justa conserta pugna, plures tamen acres velitationes, fortuna ferme alternante, quin pars altera posset alteram loco opportuno depellere. Austriaci autem ad Reginæ-Gradecium, Borussi vero ad Jaromirium castra, ex quibus utrinque procursum, collocaverant. Tandem vero hyeme appetente, Schwerinus cum suo milite Glacium & in Silesiam ad stativa rediit, Austriacis in Bohemia persistentibus.

Art. II.

Prosecutio Belli anno 1757.

§. 1.

Bellum Austriaco-Borussicum.

240. Neque tamen quieta vel hyems fuit. Variis procursionibus actum, commissaque velitaria certamina. Prima Januarii 1757 *Lascius* (magni illius 1750 in Russia defuncti Mareschalli filius) ad Ostricium Borussos oppressit. 20 Febr. *Maquirus*, natione Hibernus, excursionem in Lusatiam apparavit, misso cum levioris armaturæ milite, Löwensteinio, Lichtensteinio, & Laudono, qui, ad Hirschfeldam in Lusatia velitari cum Borussis concursu, rem fortiter gesserunt, & feliciter, ad Zittaviam usque propulso hoste.

Parabatur inter hæc strenue bellum, ad expeditionem anni 1757 traductæ in Bohemiam Italicæ & Belgicæ copiæ, auctæ Hungaricæ, duæ legiones a Moguntino & Herbipolitano submissæ, singulæ legiones Equestres mille capitibus constare jussæ. Suppletos solerter hiatus, quos bellum prioris anni intulerat, commutati aut redempti captivi. Aliquot legiones Ulanorum ex Polonia cum quatuor Saxonicis adductæ, hisque omnibus supremus belli Imperator impositus *Princeps Carolus*, Cæsaris Frater, ex Belgio advectus, cui Brunius datus

Carolus Princeps belli Imperator.

datus Legatus: Kollovratus Moraviæ præfectus. Accesserunt Nobilissimi Volones, Xaverius & Carolus Saxoniæ Duces, Principes, Bipontinus, Mutinensis, Ludovicus Würtembergicus, ac demum etiam ipse Dux regnans Würtembergiæ cum legionibus suis; quæ tamen, cum invitæ adversus Borussum irent, non exiguas ei molestias facessebant.

Nec minus Borussus, quamvis jam alias copiis abundaret, impigre se armavit, præsertim per Saxoniam, quæ & argentum & supplementa contribuere non parce jubebatur, sacro deposito strenue in usum verso. Nec deerant volones insignes, Dani, Batavi, Baruthani, Brunsvicenses. Instruxit etiam quatuor levioris armaturæ procursorum agmina, contra Hungaros, Croatas, Sclavonios, sub Noblio, Mayrio, Kalbeno, Angello Italo, tribunis.

Austriaci 20000 sub Principe Armbergio ad Egram collocaverant, ut Dessavio opponerentur, ad Chemnitium metanti. Quippe Rex Borussiæ quatuor agminibus in Bohemiam movit; quorum primum, quem dixi, Dessavius Egram versus ducebat, plus terroris, quam vis illaturum. Alterum Rex ipse in Montem Album ad Pragam ducebat. Tertium sub Beverano ex Lusatia in Bohemiam irrupit, atque 21 Aprilis ad Reichenbergam Austriacos in fugam compulit. Quartum Schwerinus ex Silesia duxit, atque ad Pragam cum Rege se conjunxit.

Sexta Maji ad *Pragam* cruentum omnino commissum est prælium. Rex dextrum cornu tuebatur, Schwerinus lævum; in hoc tanto impetu Austriaci invehebantur, ut, multis cæsis, ter illud repellerent, ipsum *Schwerinum*, quo Ducem & bellatorem majorem Rex non habuit, exanimem sternerent; sed hac ratione, cum Austriaci in dextro cornu fugientem hostem insequerentur, divisa fuit ala dextra a sinistra; quod, cum cerneret Rex, in mediam vacuitatem se injecit, atque, advocatis novis copiis, totum cornu circumdedit, tantaque vi incubuit, ut victores fugam circumspicere coacti, qua cuique patebat via, diffugerent; pars tamen eorum aliqua, viam per medios hostes sibi aperuerunt, ut cum sinistra ala conjuncti, cum illa Pragæ, ad eam defendendam, sese injicerent, reliqui vero dispersi Beneschavii rursus se congregarunt, atque sub Beckio non levem hosti plagam intulerunt.

Pugna Pragensis.

Sverinus occumbit.

De numero cæſorum & captorum nihil certi ſtatui poteſt; quia, ſicut amat contingere, pars utraque cladem ſuam minuere, & alteram augere ſatagit. Hoc certum, quod plurimi utrinque ceciderint, ſauciatique fuerint; quos inter etiam erat *Brunius*, paulo poſt defunctus Pragæ.

Et Brunius.

Obtenta hac victoria Rex Pragam obſidione cingere conatus eſt. 19 Maji majora ad eam oppugnandam tormenta ſunt advecta. Quia autem magna exercitus pars in urbem confugerat, non audebant Boruſſi irruptionem tentare, ſed tormentis & ignibus miſſilibus non tam munimenta, quam domus quatiebantur. Facta eſt quidem terna eruptio e civitate, ſed quia Boruſſi ſuggeſtibus circum urbem erectis, tormenta undique in ſubeuntes habebant diſpoſita, non magnum inde emolumentum capi poterat.

Obſidio Pragæ.

Interea autem, dum Pragenſis obſidio ferveret, *Mayerus*, notus procurſor, per Bohemiam, Palatinatum, Franconiam vagatus, cum aliquot millibus per horrea annonaria ſparſit incendia, & tractum Norimbergenſem, Schwobacenſem, Fürthanum, Hohenloenſem, aliosque vicinos hoſpitatione militum, & exactionibus oppreſſit (ſolo agro Baruthano immuni) donec a Bambergenſi & Herbipolitana militia terris iſtis depulſus, ad Regem in Bohemiam rediit, ſimulque Danubium, Nicarum, Mænum ab ingenti, quem incuſſerat, metu, aliquantum liberavit.

Mayer procurſor.

Creditur, hæc expeditio, quæ plus terriculamenti, quam virium habuit, a Rege adornata, in vindictam, quod Comitia Imperii Ratisbonæ, reclamantibus licet vehementer quibusdam Proteſtantibus, bellum in Boruſſum, ceu Imperii invaſorem, per majora multo ſuffragia decreverint, *Triplo* pro rata imperato.

Ex eodem fonte profluxit altera Boruſſorum in Thuringiam, adverſus Erfordiam maxime, ſuſcepta expeditio prædatoria. Tradita urbs, præſidio in arcem confugiente. Exacta vis ingens pecuniæ, quæ cum repræſentari non poſſet, abducti obſides.

Interea pugna *Planiana* ſeu *Collina* rerum ſtatum vehementer immutavit; quippe poſt prælium Pragenſe 16000 Auſtriaci, qui in dextro cornu ſtrenue dimicaverant, ab hoſte circumfuſi, aperta ſibi ferro via, cum re tormentaria & impedimentis Beneſchavium penetrarunt, eisque jungebantur Moravicæ copiæ, atque illæ, quas Mareſchallus Leopoldus Comes *Daunius* ex Auſtria recens adduxerat, & quæ ſub Piccolomineo ſteterant, ut adeo juſtum 50000 conſtituerent exercitum. Cum hoc Daunius, ſupremus ejus Præfectus & *Nadaſtius* Equitum Magiſter quartis caſtris inter plures velitationes

Daunius Dux collecti exercitus.

nes ad Planianum pervenit. Rex Borussiæ, relicta ad obsidionem Pragæ copiarum parte, prælii percupidus supervenit. Commissa itaque pugna acerrima. Repressi septies incurrentes Borussi, magna cum strage. Pugna Planiana.

Videbatur magnanimo Regi, victoriis assueto, impossibile, tergum hosti vertere; sed tandem, ni totum vellet immolare exercitum, Austriacæ virtuti cedendum fuit, relicta huic plena victoria (18 *Junii* 1757). Secundum relationem Austriacam Borussus uno hoc pertinaci prælio amisit viginti virorum millia; ex quibus 6500 in acie occubuerunt; capta supra septem millia; 3000 desertores recepti, cum 22 signis militaribus, 45 tormentis majoribus, multisque curribus armamentariis & annonariis. Ex Austriacis non ultra 6000 desiderata memorant.

Magna ex illa die Daunii fama, uti etiam Nadasti, (qui cum decem, ut fertur, millibus Equitum ultima impressione facta, fessum hostilem fregit exercitum) aliorumque Ducum, quorum virtus bellique peritia enituit. Aliam, ab hac relatione diversam ediderunt Borussi, jacturam suam minuentes.

Magnitudo tamen victoriæ ex nullo certius, quam effectu potest colligi. Soluta mox Pragæ obsidio, ubi jam ultima prope erat cibariorum caritas. Tribuni Keith castra, quæ in Monte Albano habebat munita, a Carolo Principe in fugam compulsa, 800 Borussorum cæsis, 1100 sauciatis. Præterea 1800 ægri ac vulnerati relicti dicuntur, octo machinæ majores, aliusque locuples belli apparatus. 380 a *Laudohno*, fugientibus insistente, capti. Soluta Pragæ obsidio.

Abacto sic Borussico exercitu, 44000 Austriacorum Praga egressa, cum Dauniano victore exercitu se conjunxerunt; atque expugnata Gabela Borussos tota Bohemia expulerunt. Quin *Zittavia*, a Putkamero Pomerano defensa, in bustum ferme conversa, atque ad deditionem compulsa, in interiora Lusatiæ, pluribus urbibus interceptis, penetratum, Borusso ubique cedente. Borussi Bohemia pulsi. Austriaci in Lusatiam.

Sed non modicum detrimentum Austria passa est jactura Maximiliani Ulyssis *Brunii*, seu *Browæi*, ex vulnere, in pugna Pragensi accepto, 26 Junii Pragæ mortui. Ex nobili atque Catholica Hiberniæ familia erat oriundus. Pater ejus anno 1690 cum Jacobo II patria egressus, Cæsari deinceps militavit. Filius ejus Ulysses, natus anno 1705, per varios militiæ gradus ad summum armorum imperium est eluctatus; quod in Italia & Bohemia præclara cum laude gessit Aurei Velleris Eques, Gubernator Transylvaniæ, ac postea, ad bellum Borussicum evocatus, Pragæ præfectus est. Obit Brunius.

Janus in Silesia.

Baro *Janus*, excubiarum Præfectus, Protestanticæ licet professionis homo, Domui Austriacæ fideli obsequio adhærens, mense Julio Silesiam cum manipulo ingressus, Landishutum & Strigoviam occupavit, cæso Creuzenio Schweidnicii Præfecto. Sed cum Borussi augerentur, montium præsidio defendere se debuit.

Winterfeld cæsus.

Aliam felicem expeditionem Carolus Princeps contra *Winterfeldium* prope Görlitium in Lusatia adornavit. Pugnatum acriter; victi Borussi, vulnerato lethaliter ipso Winterfeldio, cum 2000 aliis cæsis aut captis. Rex mortem Winterfeldii magis, quam copiarum jacturam deplorasse dicitur. Natus fuit in Uckermarchia, Dux belli præstans, Colbergæ Præfectus.

5 Sept. Austriaci *Budissam* occuparunt, capto præsidio. Borussos dein Silesiam ingressos insecuti sunt Austriaci, commissis aliquot velitaribus certaminibus. Occisus Tribunus Vettes, Hungarus.

Expeditio Berolina.

Memorabilis est expeditio, quam Andreas *Haddick*, nobilis Ungarus, castrorum Præfectus, Berolinum mense Octobri suscepit. Cum 4000 solummodo militibus potissimum Hungaris *Berolinum* profectus, a Magistratu civico, misso tubicine, 300000 thaleros petiit, & Deputatos, cum quibus paciscatur; nisi intra horæ spatium venirent, plumbeos imbres comminatus. Cum autem civitas in dando responso moras necteret, quatuor machinis suis campestribus catenas, quibus sublicius pons suspendebatur, perfregit, ut pons decideret. Unde per portam cum suis irruens obsistere conatos stravit, & suburbium occupavit, Regina Spandavium recedente. Postquam autem Deputati 185000 Imperiales repræsentaverant, Haddicus (accepto nuntio de accelerantibus subsidiis) recessit in Silesiam ad exercitum. Borussi aliter non nihil hanc irruptionem retulerunt; negare tamen non possunt, totum Berolinum ingenti terrore fuisse percussum.

Schweidnicium captum.

12 Nov. Austriaci, Bavari, & Wirtembergenses, *Schweidnicium*, insigne muninentum, magna fortitudine trium hebdomadum spatio expugnarunt, capto præsidio. Oppugnationem dirigebat Nadastius.

Victoria Preslaviensis.

Post expugnatum Schweidnicium Austriaci Principem Beveranum, qui cum 40000 ad *Uratislaviam* munitis se castris continebat, adorti sunt trino aggressionis loco, perruptisque munitionum repagulis, plenam victoriam reportarunt (22 Nov.). De occisorum, captorum, sauciorum, desertorumque numero nihil certi statui potest, cum relationes toto cælo distare videantur. Hoc solum dici potest, fuisse

fuiſſe utrinque magnum. Boruſſi noctu partim Uratislaviam fugerunt, partim Viadrum transgreſſi ſe collegerunt. Victores vero in hoſtium caſtris ſub armis perſtiterunt.

Fructus victoriæ, præter gloriam, grandemque apparatum bellicum, fuit geminus: 1 Dux *Brunſvico - Beveranus*, ſupremus hujus exercitus Imperator, dum 24 Nov. ad recognoſcendum prope ſolus egrederetur, captus, & Znoymam in Moraviam abductus. 2 Urbs *Uratislavia*, omni opulentia plena deditione accepta, præſidio Glogaviam abducto. Beveranus captus. Preslavia capta.

Anni 1757 (quo plura, quam toto reliquo bello geſta ſunt) initium res Auſtriæ in magnum diſcrimen adduxerat. Pugna Pragenſis infelix, triurbs valde oppugnata. Medium plenum erat glorioſis victoriis. Planiana clades hoſtem ferocem fregit, & Bohemia expulit. Luſatiæ & Sileſiæ illata victricia ſigna: cæſus Winterfeldius, expugnatum Schweidnicium: hoſtis, caſtris licet munitis obvallatus, ingenti prælio ad Uratislaviam victus, urbs ipſa Sileſiæ princeps ſubacta. Sed finis infelix fatalem annum clauſit cataſtrophe, una die (quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo) adimente, quod totius prope anni expeditio large contulerat.

Quippe Rex Boruſſiæ a Rosbacenſi, quam ab Imperialibus & Gallicis copiis retulerat, victoria cum victore exercitu mira celeritate per Saxoniam & Luſatiam redux in Sileſiam, conjunctisque ſibi, quas Beveranus duxerat, legionibus, ad *Liſſam* vel *Leuthenam* Auſtriacum exercitum in aciem diſpoſitum, ſibi obviantem, invenit. Confertum mox prælium atrox, cujus eventus Auſtriacis multo funeſtiſſimus. Primi dicuntur ſtatione exceſſiſſe Wirtembergici, fortaſſis admodum inviti. Hiatus iſte turbavit proximos ordines. Secuta confuſio, & fuga luctuoſa. Cæſorum, ſauciorum, captorum, tum in acie tum in fuga, piget numerum ſcribere. Victores illum in immenſum augent, minuunt victi. Pugna ad Liſſam.

Complementum victoriæ erat Uratislaviæ oppugnatio & deditio. Ad 17000 (quod inauditum) ſe captivos tradidiſſe, in relationibus ſuis memorant Boruſſi. Crediderim, plurimos ex iſtis fuiſſe ægrotos aut ſaucios, qui nec intra muros hoſti reſiſtere potuerint, aut eruptionem ex ea tentare. *Sprecherus* Griſo urbi fuerat præfectus, Calvinianæ confeſſionis homo. Beckius dicitur noluiſſe Capitulationi ſubſcribere. Deditio Preslaviæ.

Tanta multitudine capta, & reliquo exercitu in Bohemiam, Moraviamque dilapſo, facile erat Boruſſis, totam Sileſiam adhuc ante finem Decembris recuperare. Solum Schweidnicium, tanto impendio captum, reſtitit. Sed, cum nemo eſſet, qui obſidionem ſolveret, tandem & ipſum communi Sileſiæ fato ceſſit.

Menſe Novembri, cum Auſtriaci Sileſiæ ſubigendæ eſſent intenti, *Izenblizius* & Mareſchallus *Keith*, ut eorum vires diverterent, e Saxonia in Bohemiam effuſi, horreum Leutomericium, quod annona erat fartum, incenderunt, imperatis Pragam usque contributionibus. Sed accurrentibus cum milite *Marſchallo* rei tormentariæ Præfecto & *Haddickio*, viam Chemnitium in Saxoniam relegere coacti ſunt.

§. 2.

Initia Belli Gallo - Weſtphalici anno 1757.

241. Rex Galliæ, ſponſor Pacis Weſtphalicæ, & Reginæ Hungariæ junctus fœdere, jure ſe obſtrictum credidit, ſpoliato Electori Saxoniæ ſuccurrere, & Reginæ promiſſa 24000 auxilia mittere. Quare ad finem Februarii 1757 ſub Principe *Subiſio* & Marſchallo Comite *Eſtræo* exercitum per Brabantinum, Leodienſem, Trevirenſem, Juliacenſem, & Colonienſem agrum, adverſus Boruſſum duci juſſit.

Tranſmiſſo Rheno ad Diſſeldorpium in caſtra convenerunt copiæ, quibus ſub *Dombalio* Tribuno ſe adjunxere Cæſarea aliquot agmina. Menſibus Martio & Aprili Clivia, Meurſium, Marchia, & cum iis Veſalia, Duiſburgum, Lippſtadium, Soeſtum, Hamma occupatæ, ſola Geldria vim tempore aliquanto experiri auſa. Coloniæ quoque, & Monaſterio impoſitum præſidium, ut inde facilior in Friſiam Orientalem eſſet tranſitus.

Cum Rex Boruſſiæ paucas in Weſtphalia haberet copias, Rex Angliæ, rejectis pro Germania neutris partibus, ipſi oblatis, exercitum coegit ex Hannoveranis, Brunsvicenſibus, Haſſicis, Saxo-Gothanis, Lippo - Bickeburgicis, 50000 capitibus conſtantem, quem primum ſub *Zaſtrovio* Pomerano, dein vero ſub *Cumbriæ Duce*, filio ſuo, Gallis oppoſuit. Quapropter iſti Bentheimium Comitatum, quem jure pignoris Hannoveranus prætendebat, ſimulque Boruſſicos Comitatus, Tecklenburgenſem & Lingenſem occuparunt.

runt, querelam licet Hannoveranus ad Comitia Imperii deferret, & auxilia contra Gallos, ceu ditiones ſuas invadentes, peteret.

Cumberlandus, poſtquam ex Anglia advenit, copias Hammeliæ conjunxit, atque cum illis *Bilefeldam*, principem Ravenſpergenſis Comitatus civitatem, proceſſit, ubi caſtra ſua fixit. Prima per Schulenburgium ſuſcepta velitatio 4 Maji cum Fiſchero, famoſo procurſore Gallico. Caſtrovius *Paderbornam* Colonienſi eripuit. Occupata *Rittberga*, ad Caunizium Viennenſem Cancellarium ſpectans; quæ injurias belli non modice fuit experta.

Verum, cum imminerent Galli, motis caſtris, Cumbrius cum exercitu ſuo trans Viſurgim ſe recepit (13 Junii) cujus trajectum Francis prohibere omni ope adlaboravit. Sed 16 Julii totus Gallicus exercitus eandem transmiſit, atque brevi totam *Haſſiam* cum *Caſſella* occupavit. Moxque Hannoveranis terris infuſus, *Mindam* Hannoveranam, *Göttingam*, ſimulque per Davetam Marchionem totum *Principatum Friſiæ* Orientalis cum urbe & portu *Embdano* ſubegit.

Gallorum progreſſus.

Notandum autem, quod Galli terras, ad Hannoveranum (ceu hoſtem ſuum) ſpectantes nomine proprio, eas vero, quæ ad Boruſſum pertinebant, utpote qui hoſtis Galliæ non eſſet, nomine Imperatoris & Reginæ occuparint, easque Regimini Auſtriaco, cujus caput Comes de *Pergen*, gubernandas in civilibus & politicis reliquerint.

Hannoverani porro fugam ſuam ad Hammeliam, non leve monumentum, ſtiterunt; *Haſtenbeci* autem, pago, horæ ſpatio ab Hammelia recedente, 26 Julii commiſſum eſt *prælium*, in paucis memorabile. Hannoverani una ex parte monte & ſylva, altera ex parte paludibus altisque foſſis tegebantur. Eſtræus eos per Chevertum maxime, ex collibus locisque opportunis deturbabat, tantaque vi ignium infeſtabat, ut Dux Cumbriæ receptui caneret, atque Hameliam primum, dein ulterius, ſervatis tamen ordinibus profugeret. Quo minus eos Eſtræus mox inſequeretur, epiſtola notæ manus, qua inſidiæ nuntiabantur, inhibuit. Primus victoriæ fructus erat *Hammelia* occupata.

Pugna ad Haſtenbeck.

Hæc dum ſtrenue ageret *Eſtræus*, mediis ex victoriis ſubito revocatus armorum imperium *Richelio* Duci tanquam antiquiori Mareſchallo jubetur tradere. Paruit illico, atque Aquisgranum ad thermas abiit. Ortus fuit ex familia Loviſia de Tellier, ſed propter matrem Eſtræam, cujus hæreditatem acceperat, Comitis Eſtræi nomen aſſumpſit.

Eſtræus Richelio imperium tradit.

Ac-

Accesserunt, Hastenbecensis victoriæ complementa, mense Augusto *Nienburgum*, *Hannovera*, *Brunsvicum*, *Verda*, *Hildesia*, *Brema*, & Septembri *Harburgum*, ut adeo tota propemodum Westphalia & Inferior Saxonia Gallorum præsidiis teneretur, nihilque ferme præter *Stadam* Hannoverano, ejusque sociis, superesset, recedente semper magis magisque Cumberlando; nec operosum magnopere fuisset illam quoque expugnare, atque Fœderatos aut in Oceanum aut ultra Albin ejicere; cum Richelius 8 Sept. *Monasterio-Sevensem*, Gallis perniciosam, Daniæ Rege urgente, & per *Linarium* Comitem cavente, Conventionem iniit, cujus summam hic juvat attexere.

Klosster Seven.

Conventio Sèvensis.

242. 1. Intra 24 horas cesset hostilitas.

2. Hassi, Brunsvicenses, Saxo-Gothani in suas provincias revertantur, cum litteris commeatus seu securi transitus, quas Dux Richelius eis dabit. In suis autem regionibus dividentur, prout inter Regem Galliæ, & eorum Dominos conventum fuerit.

3. Hannoverani trans Albim se recipient, exceptis sex ad summum millibus, qui sub sponsione Regis Daniæ manebunt Stadæ, nullam tamen hostilitatem exerceant. Designatus districtus Stadæ ad dimidium milliaris. Viæ recessus trans Albim per utriusque partis Commissarios ordinentur. Galli in occupatis locis usque ad pacem remaneant.

4. Donec determinentur limites, Galli in Bremensi Ducatu non procedant ultra Ostum fluvium: in omnibus autem, quas ceperunt, possessionibus persistent. Omnibus his articulis Rex Daniæ accedit tanquam vas & sponsor.

Ab hac conventione omnis mali origio, quod deinceps per plures annos Gallis incubuit. Debellari ex illa parte potuisset brevi tempore, unico monumento restante; sed Richelius, ut Fœderatos redderet neutros, & quiete parta, in Borussum iret, quod etiam Austriaci urgebant, fidei datæ, & sponsioni Danicæ confisus, copiis modicis in locis occupatis relictis, exarmatis ne quidem hostibus, adversus Borussos processit.

Gallis noxia.

Vix autem cum maxima copiarum parte recesserat, ut Halberstadium occuparet, & Marchiam Brandeburgicam per velites tentaret, insurgentes Fœderati (*Hannoverani* & socii) *Harburgum* oppugnarunt, Gallis ex Verdensi & Bremensi provincia pulsis: id facino-

facinori suo prætexentes, Gallos contra conventionem priores exercuisse hostilia, cum tamen nihil eorum cum veritate possent edicere; nempe, qualis religio, talis fides.

Galli, fiducia tractatus initi, plurimis locis dispersi, hyemeque rigente, ultra Visurgim Rhenumque adeo sunt rejecti, pluribusque locis cæsi. Commodabat nempe Fœderatis Rex Borussiæ *Ferdinandum* Ducem Brunsvicensem, regnantis Brunsvici & Welfferbyti Ducis Caroli fratrem, præstantem bello heroem, disciplina Borussica probe imbutum; quo ductore retro lapsa est res Gallica. Missi singulis annis novi Duces; sicut fieri consuevit, re minus prospere gesta. Resumpti ultimo belli anno, qui primo, Subisius & Estræus. Sed causa vulnerata, res non amplius erat integra, Anglis præsertim magno numero accurrentibus, Anglicoque argento dominante.

Eorum fuga.

Ferdinandus Princeps.

§. 3.

Bellum Borusso-Imperiale. Anno 1757.

243. Quod omnes prope Imperii Ordines adversus Regem Borussiæ arma corripuerint, memoratum supra est. Instructum commune ærarium, ex decretis 30 mensibus profectionis Romanæ conflatum. Exercitus circa Norimbergam conjunctus, eique a Cæsare præfectus Princeps Josephus Saxo-Hildburgshusius. Finis, Borussum depellere Saxonia, eamque Electori restituere. Rex Galliæ, præter exercitum sub Estræo Hannoveranis eorumque sociis oppositum, alium Subisio Principi commisit, Imperiali conjungendum. Regina quoque Hungariæ addidit aliquot legiones, Bretlachiam, & Trautmansdorffiam cataphractorum equitum, Spleniam & Seezeniam Hussarorum, cum Croatis, quibus Laudonus præerat.

Mense primum Augusto 1757 in Saxoniam movit collectus hic ex pluribus nationibus exercitus. Occupata Erfordia, Gotha, Jena, Vinaria Rex Borussiæ, relicto in Silesia adversus Austriacos Beverano Principe, cum parte sui exercitus novo huic suo hosti occurrendum putavit.

In Saxoniam igitur profectus, 5 Nov. ad *Rosbacum*, haud procul Merseburgo, Imperiales & Gallicas copias aggressus, memorabilem victoriam retulit, astu & calliditate supplente, quod militum numero deerat. Quippe in adverso colle, ubi conspici non pote-

Pugna ad Rosbacum.

rant, tormenta aliasque machinas cum pugnaciſſimo milite abſcondit; a fronte vero copias ſuas varie circumagendo remiſſius pugnando, fugam etiam ſimulando, in locum inſidiarum hoſtem pertraxit, plumbeaque grandine tam vehementer incubuit, ut hoſtem in plenam fugam averteret, imperiales quidem in Franconiam, Gallos vero in Haſſiam. Rex vero magnis itineribus in Sileſiam properavit, ibique pariter per Liſſanam victoriam glorioſam expeditionem coronavit.

§. 4.

Bellum Ruſſo - Boruſſicum anno 1757.

244. Jure fœderis defenſivi, 22 Maji Aulam inter Viennenſem & Petroburgenſem initi, Auguſtiſſima Imperatrix & Regina Hungariæ, Bohemiæ, menſe Septembri, cum Boruſſus in Bohemiam irrueret, petiit promiſſa auxilia. Coibat Ruſſorum exercitus, ſed pro more hujus gentis, lente admodum in Livonia ſub *Apraxino* ſupremo armorum Præfecto, ut adeo non niſi Majo anni 1757 finibus ſuis egrederetur, quamvis Eliſabetha Imperatrix jam 11 Januarii anni ejusdem Tractatui Verſalienſi acceſſiſſet.

Menſe igitur Majo 1757 Moſci tribus agminibus, quorum primum Apraxinus, alterum Lapuchinus, tertium Lievenus ducebat, per Poloniam & Lithuaniam terris Regis Boruſſiæ imminebant. Miſſa ſimul claſſis ad infeſtanda Boruſſiæ littora, 9000 continenti expoſita: quibus Fermerus 28000 ex Samogitia adduxit. Memmelia, inſigne munimentum, expugnata; inde vero in interiora Boruſſiæ penetratum, Lewaldo necquidquam obſiſtente.

Ad *Jädersdorffium* ventum ad prælium 30 Aug. pugnatum utrinque acriter. Tandem vero Ruſſi completam retulerunt victoriam, plurimis in acie cæſis, ſauciatis, captisque. Boruſſi adſcribunt victoriam hoſtium multitudini, Ruſſi ſuæ virtuti, adduntque, Boruſſorum fuiſſe 40000.

Verum Moſci noverant vincere, non autem uti victoria. Nam non modo fugientem hoſtem non ſunt proſecuti, aut in ulteriora Boruſſiæ progreſſi, ſed fugientium inſtar, deſertis, quæ occupaverant, locis, receſſerunt, ſola retenta Memmelia. Proditione id actum credebatur, mandante clam illo, qui poſtea, fracto fœdere, palam Boruſſis favit, ex ſocio factus hoſtis. At ille brevi pœnam perfidiæ luit.

§. 5.

§. 5.

Bellum Sueco - Boruſſicum anno 1757.

Anno 1756 Suecia, vas Pacis Weſtphalicæ, pro mittendis auxiliis contra Boruſſum, pacem illam invaſione Saxoniæ & Bohemiæ violantem, ab Aula Cæſarea interpellata, 14 Martii per Legatum ſuum Ratisbonæ declaravit, Sueciam vi ejusdem pacis Weſt. obſtrictam eſſe, oppreſſis Imperii Statibus ſuccurrere. Quem in finem 17000 Suecorum ſub *Sternbergio* in Pommeraniam transmiſſa, non niſi menſe Septembri 1757 contra Boruſſos aliquid, ad ſpeciem ſaltem, tentandum exiſtimarunt. 245.

Occupata absque vi Inſula Ugedomia, Anclamum civitas, munimentum Penamyndanum, Uckermünda, Demminum, Suenemünda, cum Prenzlavia, urbe præcipua in Uckermannia, & Wollino Inſula. Verum, ſuperveniente *Lewaldo*, poſt diſceſſum Ruſſorum ex Boruſſia, hæc omnia, ferme quam facile occupata, tam facile rurſus ſunt amiſſa. Suecos in Suecis requireres. Receſſerunt, & ſub Stralſundæ tutela ſe abſcondebant. Umbratile videbatur bellum. Regina Sueciæ eſt ſoror Regis Boruſſiæ, & Rex affinis; natio utraque confeſſionis Proteſtanticæ.

Urbes quam facile captæ, tam facile amiſſæ.

Art. III.

Proſecutio belli anno 1758.

§. I.

De bello Auſtriaco - Boruſſico anno 1758.

Dilapſo poſt cruentum ad Liſſam prælium Auſtriaco exercitu in Bohemiam, pars utraque ad reparandas ruinas, novamque expeditionem in annum 1758 inſtaurandam curas ſuas intendit. Accitæ ex Italia & Belgio ſuppetiæ, atque ad complendas Legiones, bello acciſas, novi delectus habiti. Rex Boruſſiæ pari modo, conſcripto novo milite, vocatisque etiam ſub ſigna ſua captivis, Auſtriacis, Suecicis, Gallicis, hiatus ſuos explevit, &, quod potiſſimum 246.

 tiſſimum

tiſſimum erat, renovato cum Anglia opimo fœdere, quatuor Imperialium milliones, qui 670000 Sterlingarum Anglicarum conficiunt, annuatim ſibi pendendos, eſt ſtipulatus; adjecta ea lege, ut neutra pars ſine altera pacem ullam aut conventionem pangat.

Schafgotius Romam.

Poſt Liſſanam victoriam, deditamque Boruſſo Uratislaviam, *Schafgotſius*, Epiſcopus ad eundem ſcripſit epiſtolam, qua ſignificavit, ſe, cum gratia Regis excidiſſet, profecturum Romam, ibique ad finem usque belli ſubſiſtiturum. Rex graviter illum diſceſſum tulit, miſſoque reſponſo, eundem ingratitudinis, & perfidiæ poſtulavit.

Copiæ interea neque hybernis quiete frui poterant. Commiſſæ velitationes plures. Memorabilis eſt illa, qua Simſchönius Boruſſos, Troppaviam aggreſſuros, repulit, cæſis eorum centenis aliquot.

Schwednicium amiſſum.

Pulſo Jano, vigilum Præfecto, ex Comitatu Glacenſi, Boruſſi ſe accingebant ad oppugnationem *Schweidnicii*, cui præfectus erat Comes *Thürheimius*; a menſe jam Decembri ſuperioris anni, ne cibaria inferrentur, illud cinctum corona habebant. Cœpta eſt oppugnatio 1 Aprilis. 16ta munimentum ſe dedidit, capto præſidio. Tantundem temporis Auſtriaci anno priore impenderant eidem expugnando.

Keith oppugnat Olomucium.

Schweidnicio ſubacto, Rex 1 Maji in Moraviam duxit exercitum, *Olomucium*, quod Erneſtus *Marſchallus*, Saxo, Lutheranæ confeſſionis, defendebat, ibidem expugnaturus. Præfecit huic negotio Jacobum *Keith*, Berolini Præfectum, natione Scotum, qui primum in patria anno 1715 Jacobi Regis partes ſecutus, in Hiſpania dein militavit; ſed cum Calvinum ejurare nollet, dimiſſus, & in Moſcoviam translatus, ad ſummos honores militares eſt eluctatus. Demum ad ſervitia Regis Boruſſiæ tranſiit, atque in prælio Hochkirchenſi poſtea occubuit. Ad Olomucium expugnandum eidem adjutores dati Fouquetus, Treskovius, Rebentiſchius, Schenckendorffius.

Solvitur obſidio.

Ad primam usque Julii a medio Majo cruenta ducebatur obſidio; quam tandem ſolvere Boruſſi cogebantur, imminente hinc cum exercitu per montium juga Daunio, inde, captis a Laudone & Jano plus mille curribus, commeatu militari annonaque, quam *Putkammerus* & *Ziethenus* e Sileſia adducebant, intercluſis. Captus ille: hic in Sileſiam fugit. Nec parum deſperationem urbis expugnandæ auxit Bülovius, qui mille ducentorum auxilia eidem injecit,

cit. Numerum occisorum captorumque non addo; quia scriptores nimium quantum variant.

Soluta obsidione Rex cum exercitu ex Moravia in Bohemiam movit, atque sub medium Julii ad Regio - Gradecium castra collocavit. Sequebatur exercitus Austriacus, præmissis cum copiis Lascio, Russici Mareschalli filio, & Antonio *Tillier*, Berna oriundo, cujus pater Francisus *Tillier* præfectus fuerat Friburgo in Brisgovia, anno 1719. Cum Viennæ gravi morbo laboraret, Catholicam Religionem professus, atque anno 1739 mortuus. In itinere plures velitares incidebant pugnæ, proniore plerumque Austriacis fortuna. Rex in Bohemiam. Tillier.

Cum autem interea Russi ac Sueci Regis provincias invaderent, relictis permunitis, quæ ad Regino - Gradecium habuerat, castris, exercitum ex Bohemia in Silesiam trajecit, atque ad Landishutum 9 Augusti metatus est, relictoque ibi valido præsidio, cum 33 turmis & 14 cohortibus, 11 Augusti adversus Russos processit, ac 25 Augusti secundum cum iis prælium ad Cystrinum, vel *Zorndorffium* iniit, Laudohno interim munimentum *Peiz* in Lusatia Brandeburgica occupante. Pugna Zorndorff.

Cum Rex contra Russos dimicaret, Daunius, advocatis etiam Imperialibus copiis, in Saxoniam duxit exercitum, quam *Henricus* Regis frater occupabat. Hic cum hosti impar videretur, Rex magnis itineribus in Saxoniam advolavit, fratrem Saxoniamque periculo erepturus.

Per integrum tum ferme mensem haud procul Dresda castra adversa stabant, loci opportunitate utrinque permunita, donec Daunius suo cum exercitu 5 Oct. in Lusatiam recessit. Secutus est Rex, atque ad pagum *Hochkirchium* 14 Oct. Austriaci, commisso cruento prælio, plena sunt potiti victoria, Borussis in fugam actis, castrisque eorum in potestatem victoris venientibus. Centum tormenta bellica feruntur erepta. 28 signa Tillierus, excubiarum Præfectus Viennam detulit. Decem armatorum millia in acie cæsa, aut capta, aut vulnerata memorantur, atque hos inter Jacobus Keith supremus aciei structor, Franciscus Dux Brunsvicensis, summus vigiliarum Præfectus occubuere. Mauritius Princeps Anhaltinus, cum graviter saucius Budissam veheretur, captus, cum aliis 500. Fatenturque in relationibus suis ipsi Borussi, Regem omnesque majores copiarum Duces, aut contusionem passos, aut corporis sui, vel equorum vulnera. Majorem adhuc multo cladem inferendam fuisse hosti, scribunt aliqui, nisi Princeps quidam Acatholicus suo defuisset officio. Pugna Hochkirch.

Sed neque Auſtriacis incruenta fuit victoria; unde Daunius hoſti fugienti non inſiſtendum duxit. Sed neque procul ille aufugit, propinguis in collibus, paludibus munitis, copias ſuas colligens, ac brevi poſt 7000, a fratre Henrico ex Saxonia adductis, auctus.

Uterque exercitus mutuo aſpectu defixus hærebat ad 25 usque Octobris, quo die Rex, caſtris ſolutis, legiones ex Luſatia in Sileſiam traduxit, ut obſidionem *Neiſſæ*, quam Auſtriaci inchoaverant, diſturbaret. Daunius, Laudohno inſequi juſſo, in Saxoniam rediit, occaſioni Dresdæ expugnandæ inhians.

Soluta obſidio Neuſſæ.

Neiſſæ obſidio *Devillio* Equitum Magiſtro, & Comiti *Harſchio*, rei tormentariæ Præfecto, fuerat commiſſa; jamque per plures dies, erectis ſuggeſtibus, ex machinis majoribus munimentum fuerat impetitum, cum circa finem Novembris, Rege imminente, recedendum fuit, relicto non modico apparatu bellico. Idem erat fatum *Coſelanæ* obſidionis.

Et Coſel.

Izenbliz.

Schmetau ſuburbia incendit.

Cum Daunius ex Luſatia profectus in Saxoniam Dresdæ appropinquaret, oppoſuit ſe Fridericus *Izenbliz*, ſupremi caſtrorum Præfecti Legatus, ex Marchia veteri oriundus, miles plenus fulgure. *Schmettavius* vero Dresdæ Præfectus, quamvis Auſtriaci nullam omnino adhuc vim exeruiſſent, ſuburbia incendi juſſit ſubito, cum homines alto ſopore eſſent demerſi, unde factum, ut multi incendio conflagrarent, alii nudi ex lectis profugerent, quo eos ſuprema calamitas abſtraxerat. Quæ res multas querimonias, in ipſis adeo Ratisbonæ Comitiis Imperii concivit.

Daunius, tum ut ulteriorem ruinam Dresdæ ſiſteret, tum quia rex ex Sileſia, Neiſſa liberata, Saxoniæ imminebat, in Bohemiam hybernatum ſe recepit; Boruſſo ſuos per afflictam potiſſimum Saxoniam diſtribuente.

§. 2.

Bellum Boruſſico - Imperiale. anno 1758.

247.

Frid. Bipont. belli Imp.

Imperiales copiæ quinque Circulorum, Bavarici, Suevici, Franconici, & utriusque Rhenani novum hoc anno caput accepere, dum *Hilburgshuſius Friderico Duci Bipontino* faſces tradidit. Stativa Prætoria, quibus interea præerat Ludovicus *Fürſtenbergius*, rei tormen-

mentariæ Præfectus, primum Norimbergæ, tum Bambergæ figebantur. Rei annonariæ cura Judæis erepta, atque *Vilſecco* Comiti commiſſa.

Non diu hybernorum quiete frui licuit; quippe Joannes *Mayerus*, qui ſequiore thoro Viennæ natus, ac poſtea jam Cæſarea, jam Saxonica ſigna ſecutus, ſub initium belli hujus ad Boruſſica caſtra tranſiit, cum ſua velitum cohorte Februario jam & Martio menſe in Thuringia & Franconiæ finibus obturbabat. Dici non poteſt, quanta hic veles cum prædatorio ſuo manipulo damna intulerit. Menſe Majo cum Drieſeno in Franconiam irruit, atque Bambergam occupavit, &, poſtquam eandem expilavit, abſtractis ſex obſidibus 10 Junii receſſit. Mayeri prædatio.

Imperialis interea exercitus ad Egram in Bohemia metabatur, in Saxoniam inde irrupturus. Quod ſane permovit Drieſenum & Mayerum, ut Franconia relicta, in Saxoniam ad Henrici Principis copias properarent. Velitares pugnas, quarum multæ commiſſæ ſunt, non commemoro, cum alternante fortuna ſint ſusceptæ, & ad rei ſummam non multum contulerint. Dux Bipontinus, conjunctus cum Daunio, Dresdam & Pirnam tentavit; ſed a Rege cum exercitu ſuperveniente coactus fuit recedere. Felicior fuit in expugnando *Sonnenſteinio*, caſtro munito monti impoſito, quod modicum intra ſpatium ſubegit, capto præſidio. Sonnenſtein captum.

Munitis dein ad hoc munimentum caſtris ſe continuit, donec, inopia cibariorum, quæ a Boruſſis fuerant intercluſa, laborans, 14 Oct. inde digreſſus, Rege ad liberandam Neiſſam profecto, ad occupandam Lipſiam, Torgaviam, & Wittenbergam ſe accinxit, conſilio ſane optimo, ſed propter accurrentes novos ex Marchia hoſtes, effectu ſuo deſtituto, ut adeo ad hyberna in Franconia capienda redire fuerit coactus, ducta in finibus catena, cui defendendæ primum Haddickius, dein vero Maquirus præerat: ſed nullis repagulis arceri ſatis poterat vis hoſtilis, quo minus levibus certaminibus dimicandum fuerit.

§. 3.

§. 3.

Bellum Boruſſo-Ruſſicum, anno 1758.

248. Fermor. Ruſſi, renovato ſub finem anni 1757 cum Auſtria & Francia fœdere, *Apraxino* propter prioris anni perfidiam Wilhelmum *Fermor*, natione Germanum, ſed bellis Ruſſicis innutritum, ſubſtituerunt. Boruſſia capta. Occupata ſub initium anni 1758 *tota Boruſſia* Brandenburgica. Acceſſere menſe Martio Elbinga & Thorunium, memorabiles in Boruſſia Polonica urbes. Illam Soltikovius, hanc Gallicinus cepit. Gedanum omne præſidium reſpuit.

Sub finem Junii Ruſſi transmiſſo Viſtula in Pomeraniam Bradeburgicam & novam Marchiam irrupere. Quorum ut progreſſus Ruſſi in Marchiam. ſiſteret, accitus eſt Mareſchallus *Dobna*, qui adverſus Suecos miſſus fuerat. Non tamen impedire poterat, quo minus Cyſtrinum firmiſſimum munimentum obſiderent; & expugnaſſent haud dubie, niſi Rex fulminis inſtar e Sileſia veniſſet ſuppetias.

Pugna ad Zorndorff. 25 Auguſti ad *Zorndorffium* vicum, non plus uno milliari Cüſtrino diſſitum, commiſſum eſt Boruſſos inter & Ruſſos ſanguinolentum prælium, quod ipſas adeo decem horas pertinaci ardore eſt continuatum. Nunquam ita variatum in deſcribenda pugna, & aſſerenda victoria. Pars utraque hanc ſibi ſolenni hymno accinuit: utraque ab altera prius deſertum aciei campum aſſerit: utraque alterius ruinas jacturasque in immenſum auget, ſuasque minuit. Hoc certum, noctem diremiſſe prælium, & altera adhuc die adverſas ſtetiſſe acies, atque tormentis fulminantes, ad 30 usque Auguſti in eadem ſtatione hæſiſſe: tum vero Ruſſos primum Landſpergam, poſtea autem in Pomeraniam receſſiſſe.

Certum quoque videtur, Moſcos multo majorem cladem jacturamque fuiſſe paſſos; cum ipſi fateantur, utrumque ſuum cornu, diſſolutis ordinibus in confuſionem adductum, Boruſſos vero iisdem ſervatis fortiter dimicaſſe, legiones præſertim equeſtres. Relationes Berolinenſes numerum cæſorum captorumque Ruſſorum ad viginti millia extollunt, capta vero tormenta ultra centum.

Poſt Zorndorffenſem pugnam Rex in Saxoniam movit, ſubventurus Henrico fratri, ab Auſtriacis & Imperialibus copiis in anguſtias redacto. Ruſſi vero expeditionem memorabili opere Colberga obſeſſa. coronaturi, totum Octobrem expugnandæ Colbergæ, permunitæ in Pommerania urbi, conſecrarunt, ut maritimo itinere facilius commeatu, quo laborabant, poſſent inſtrui, & hybernis ſtationem opor-

portunam figere. Verum sub initium Novembris, tonando fessi, in utramque Borussiam hyematum concessere.

Cum sub initium hujus anni timeretur adventus classis Anglicanæ in Balthicum, operationibus Sueciæ & Russiæ obviatura, utraque hæc Potestas 26 Aprilis Holmiæ fœdus icit, vi cujus Russia 15 bellicas naves majores & 4 minores, Suecia vero 10 majores & 4 minores Balthico immittat, ut combinata hæc classis adversus Anglos excubet.

§. 4.

Bellum Borusso-Suecicum anno 1758.

Finiente jam anno 1757 Borussi Lewaldo duce, exactis e Pomerania Borussica Suecis, sua receperant, duo duntaxat munimenta si demas, Anclamum & Penemündam, quæ tamen ipsa etiam ineunte anno 1758 sunt expugnata. Sueci vero Stralsundam & in Insulam Rügiam profugerunt, ubi *Sternbergio* Archistratego subrogatus est comes *Rosenus*, Borussis in Pomeraniam Suecicam Stralsundam usque irrumpentibus impar. *Lewaldo* vero successit *Dohna*; qui diviso exercitu, partem adversus Suecos, ad Balthicum jam retrusos, adhibuit, partem alteram in Ducatum Megalopolitanum misit, qui gravissimis exactionibus & hospitationibus hostilibus toto hoc bello fuit afflictus, non alia, credo, ex causa, nisi quia Dux Suerinensis liberum in Comitiis Imperii suffragium tulit. Accessere Borussis Wismaria & Rostochium, in Pomerania vero Suecica Greifswalda, Wolgastum, Grimma, cum horreis frumentariis & annonariis, ut adeo Sueci vel voluerint vinci a levi Borussorum manu, vel degenerem a Majorum virtute infirmitatem prodiderint. Sed quid? Regina Sueciæ soror erat Regis Borussiæ. Alius forte sensus erat Senatus Suecici, alius aulæ. 249.

Mense tandem Julio videbantur Sueci serio velle bellum in Pommerania gerere, saltem ut amissa recuperarent. Nam aucti legionibus aliquot, Stralsunda sua prorepentes, cum Borussi contra Moscos magnam partem fuissent avocati, Anclamum, Penemündam, cum insula Usedomia occuparunt, atque in Uckermarchiam, obsistente ferme nemine, effusi, ipsi etiam Stettino minari visi sunt. Verum postquam Borussorum vires, alio ante abstractæ, se collegerunt, Sueci rursus ad mare usque Balthicum repulsi sunt, æstu velut marino fluctus suos cientes, & resorbentes.

§. 5.

Bellum Gallico-Hannoveranum, anno 1758.

250. Quamvis Angli, Hannoverani, Haffi, Brunfuicenfes, Saxo-Gothani, Vinarienfes, Borufli, inter fe *confœderati* contra Gallos bellum gererent, nervum miniftrante Anglia, *Gallico-Hannoveranum* nihilominus appellandum cenfeo, quia cis & trans Vifurgim adverfus Hannoveranos, Boruſſorum focios geftum eft; quam autem felix fuit Gallis initium, Fœderatis ad oftia ferme Albis Stadamque protrufis, tam fævum eis vulnus intulit conventio *Sevenfis*, a Richelio Duce inita; nam fub initium hyemis, Francis per provincias difperfis, Fœderati, rupto contractu, Gallos in Haffiam usque pepulere.

Nam poftquam Galli Boruffos aggreffi Halberftadium expugnarunt, Ferdinandus Princeps Brunfuicenfis, Dux præclarus, a Rege Boruffiæ, ut Fœderatis copiis præeffet, commodatus, caftra ad Lüneburgum locavit, indeque dimiffis cohortibus variis in locis Gallos infeftavit: cumque Bremenfem etiam Ducatum effent ingreffæ, Dux Broglio prævertendum ratus, Bremam Civitatem Imperialem Cæfaris nomine occupavit.

Verum cum Boruffi duce Henrico Principe ex una parte Halberftadium recepiffent, atque Gallis infifterent, ex altera vero parte Ferdinandus Princeps eosdem urgeret, Brunfuicum, Guelferbytum, Goslariam, Hildeshemium, Hoyam, Verdam, Bremam, Hannoveram, Göttingam, Nienburgum, aut ultro deferuerunt, aut deferere coacti funt, ut adeo nullus ad Vifurgim Gallis locus fupereffet, præter Hameliam & Mindam, quam, cum valido munita effet præfidio, ex ordine expugnare oportuit. Captum præfidium; idem ne fieret Hammeliæ, urbem ultro deferuit: prout etiam Lipftadium, Monafterium, Soeftum, Ravenfpergam, Paderbornam, Frifiam Orientalem, omnesque ferme provincias Weftphalicas usque ad Rhenum. Atque hæc omnia hyemis tempore acta funt.

Gallorum fuga.

Prælium ad Crevelt.

Appetente vere Fœderatus exercitus, ducibus Ferdinando, ejusque nepote Carolo, Principe hæreditario Brunfwicenfi, trajecto Rheno, plures urbes & oppida occupavit, prædasque usque in Geldriam egit. Ventum denique prope *Creveltum* in Mœrfiæ Principatu ad prælium 23 Junii. Victoria penes fœderatos ftetit. Düffeldorpium & Ruremonda victoriæ præmium fuere. *Princeps Claremon-*

Contad fuc-

montanus, qui *Richelio* ſucceſſerat, poſt pugnam iſtam Marchioni *Contado* ſupremam belli Præfecturam tradidit. Novi hujus Imperatoris præclara fuerunt initia; nam hoſtem Rhenum remetiri coegit, eumque ſtrenue eſt inſecutus. Tum vero uterque exercitus in adverſa Lippæ ripa ad Octobrem usque otioſe conſiſtens, mutuo aſpectu delectari videbatur. Nec actum aliquod, niſi ut Gallorum manipulus Ducem Holſato-Gottorpienſem invaderet, & clade aliqua multaret: pars utraque ſubſidia in Haſſiam mitteret, Gallique Monaſterium fruſtra tentarent. Conceſſum denique in hyberna. Galli Rhenanum, Fœderati Weſtphalicum agrum inſederunt. cedit Claremontano.

Interea autem, dum hæc ad Viſurgim, Rhenum & Lippam geſta ſunt, Mars non minus in Haſſia fremuit. Galli, quos ducebat *Subiſius Princeps*, menſe Martio, imminente Boruſſico agmine, Hanaviam receſſerunt. At auctus ſubſidiis, Marpurgum rurſus, & Caſſelam cepit, Iſemburgo non auſo reſiſtere. Geſta in Haſſia.

Ad *Sangerbuſium* 23 Julii commiſſa eſt pugna, qua Galli victores Fœderatas copias non levi clade affecerunt; nec ſegniter uſi victoria, in Hannoveranas ditiones ſigna protulere, captis Eimbecio & Göttinga. Galli bis victores.

Altero prælio ad *Lutterbergam* Subiſius ſuppetiis, quas Chevertus adduxerat, auctus, Fœderatos, quibus Zaſtrovius, Oberbergus, & Iſemburgus præerant, iterum profligavit. Verum cibariorum inopia victorem adegit, ut impoſito Gieſſæ præſidio, Hanaviam recederet, atque ad Mœnum & Rhenum hyberna diſtribueret. Acceſſit pro anni coronide *Rhenofelſa*, menſe Decembri a Caſtriſio expugnata.

Art. IV.

Proſecutio Belli anno 1759.

§. I.

De Bello Boruſſo-Auſtriaco.

Cum olim, velut jure Gentium, aut tacita conventione, ex 251.
humanitatis ratione profecta, quies hybernis concederetur, ut militi, expeditionibus militaribus feſſo, reſpirare aliquantum liceret, novo autem bellandi more hoc etiam ſolatium illi ſubtractum videmus: prout experientia plane demonſtrat. Nam & hoc anno, rigente licet bruma, variis procurſionibus, & velitationibus Mars infremuit. Nulla hyber. quies.

Devill Silesia pulsus a Fouqueto.

Atque ut alia prætercam, mense jam Martio, *Beckius* Baro, bellator eximius, ut Borussos obstrepentes compesceret, cohortem Borussicam ad Greiffenbergam cecidit. *Fouquetus* vero *Devillium*, Silesia pulsum, Olomucium usque est persecutus, sed annonæ propter inopiam viam in Silesiam repetere coactus est, mense Aprili.

Sub idem tempus Princeps Henricus, Regis Borussiæ frater, frequens in hac scena actor, irrumpens e Saxonia in Bohemiam horrea annonaria Domus Austriacæ diripuit, & immanibus exactionibus populum, tot jam damna passum, afflixit.

Castris se continent.

Post multa leviora certamina exercitus uterque stativis egressus in Silesiæ finibus ad Junium usque adultum in castris se munitis continuit, visumque utrique grave, stationem tam opportunam deserere. Tandem Borussus, commisso fratri Henrico bello Silesio, cum parte exercitus adversus Russos procurrit, quibus Daunius *Laudohnem* cum 18000 subsidium misit, ipse vero cum reliquo exercitu in Lusatiam movit, ubi monumentum *Peiz* expugnavit, capto more militari præsidio.

Rex in Russos.

Sequitur Laudon.

Henricus Princeps, cum Imperialis exercitus præcipuas Saxoniæ urbes occupasset, nec Finckius Mareschallus, ad defensionem Saxoniæ relictus, resistendo par esset, cæso Vehla, Tribuno Austriaco, ex Silesia per Lusatiam in Saxoniam celeri gressu contendit, insequente cum suo exercitu belli Imperatore Daunio, cujus copiæ ad Pretschum cladis aliquid accepere. Austriaci ad Dresdam, Borussi ad Torgaviam metati sunt castra; donec Rex 5 Novembris a Russica expeditione redux, ad Torgaviam Legiones suas, cum iis, quas Henricus frater duxerat, conjunxit, captaque *Misnia* urbe, Dresdæ imminebat, ut regiam illam civitatem in potestatem suam iterum redigeret: sed cum validiora Daunii castra perspiceret, quam ut aggredi illa auderet, fame Austriacos depellere cogitabat.

Actio Maxena cum Finck.

Hoc consilium ut exequeretur, *Fridericum Finckium*, cum valida manu Dippoldiswaldam misit, ut commeatum, ex Bohemia venientem, intercluderet; at Daunius, Imperator uti cautus, ita in omnem occasionem rem bene gerendi intentus, occupatis circum collibus, Finckium ad Maxenam 21 Nov. ita inclusit, atque ex omni parte ignea grandine infestavit, ut, armis positis, se cum toto suo exercitu captivum dedere fuerit coactus. Novem capti sunt majores ordinum Ductores, præter *Finckium* videlicet, in Borussia natum, atque ex Russica militia ad Borussicam translatum, *Rebentischbius* Baro, supremus vigiliarum Præfectus, *Wunschbius*, *Platenus*, *Gersdorffius*, *Bredovius*, *Vasoldus*, *Linsterius*, *Moselus*, cum multis

multis inferioribus belli Ducibus, & gregariis, quos Austriaci ad 14000 extulerunt, minuentibus numerum Borussis. Captivi isti primum in magnum ad Dresdam hortum sunt abducti, dein vero in Bohemiam, Austriam, Tyrolin, Sueviam.

Præterea totus apparatus bellicus in potestatem venit. 114 Labora & vexilla, multæ tubæ & tympana, aliaque signa victricia Viennam sunt asportata. Aucta lætitia, cum de victoria, quam Beckius a cohorte Borussica ad Misniam reportavit, fuit nuntiatum. Per utrumque hoc certamen grande Regi damnum fuit allatum, ut adeo per submissas Hannoveranas copias fuerit supplendum. Præda.

Quando Austriaci & Borussi e Silesia in Lusatiam atque inde in Saxoniam excessere, relicti sunt rei tormentariæ Præfectus Harschius & Devillius Magister Equitum, Bohemiam adversus Fouquetum defensuri, qui pluribus secundis certaminibus hostem fregerunt.

§. 2.

De Bello Borusso-Imperiali anno 1759.

Jam mense Februario Borussicæ copiæ *Erfordiam*, quam vigiliarum Præfectus *Quasco* tuebatur, occuparunt. Imperiales autem, cum quibus plures Austriacæ legiones se conjunxerant, ex hybernis Franconicis prodibant, easque rursus Fridericus Dux *Bipontinus* belli Imperator ducebat, & sub eo *Durlacensis* rei tormentariæ Præfectus; *Badensis*, *Serbellonius*, *Althanus*, Equitatus Præfecti: *Bretlachius*, Baro *Kolb*, Princeps *Stolbergius*, *Maquirus*, *Trautmansdorffius*, belli Imperatoris Legati: *Nagelius*, *Rosenfeldus*, *Gurcius*, *Rodt*, *Müflingus*, *Lobkovicius*, *Vogbera*, *Klefeldus*, *Neubosius*, *Lusinskius*, *Riedt*, supremi vigiliarum Præfecti. 252. Duces Imperiales.

Sub initium Maji Borussi sub Henrico Principe, Hülseno, & Finckio Franconiæ imminebant. Ad *Ascham* levis contigit conflictus, quo Borussi superiores *Maquirum* compulerunt, ut per Kemnatum, Vilseggium, Ambergam, aliasque superioris Palatinatus terras Norimbergam se reciperet, quo Imperiales copiæ, relicta in manibus hostium *Bamberga*, aliisque Franconiæ locis, profugerant. Velitatio ad Asch.

Prætereo jacturas, quas passæ sunt hac irruptione Imperii copiæ, & querimonias Franconiæ, Bambergensem Episcopatum septem intra menses ad avertenda incendia septingenta Imperialium millia Bambergæ calamitas.

 debuisse

debuiſſe pendere, obſides abductos, commiſſos a levioris armaturæ Boruſſis velitibus enormes exceſſus.

Irrumpentibus in Marchiam Ruſſis & in Sileſiam Auſtriacis, coacti ſunt Boruſſi Franconia, Thüringia, imo & multis Saxoniæ locis excedere menſe Junio & Julio; ſecutus eſt Imperialis exercitus, atque urbes & oppida relicta occupavit; alia vero vi ad deditionem adegit, facta etiam procurſione in *Halberſtadienſem*, *Hallenſem*, & *Hohenſteinenſem*, Brandeburgicæ ditionis provincias.

Imperialium felices progreſſus.

Tota jam Saxonia, excepta Dresda, Lipſia, Miſnia, Torgavia & Wittenberga, victricibus Imperialium armis ſubacta, *Lipſia* quoque 5 Auguſti fuit expugnata; 14 Aug. *Torgavia*; 21 Aug. *Wittenberga*; 27 *Miſnia*, ac denique etiam, quod caput erat, 4 Sept. *Dresda*.

Siſtuntur.

Sed mox res proſpere geſtæ retro lapſæ ſunt, clades non exigua a Wunſchio Tribuno ad *Torgojam* illata Imperialibus; capta urbs, & brevi etiam *Lipſia*. 13 Sept. ad Corbicium cum Finckio certatum æquo ferme Marte. Plus cladis acceptum ad Miſniam. Atque huic rerum ſtatui menſe Octobri ſupervenit Auſtriacus & Boruſſicus ex Luſatia exercitus, prout ſuperiore §. meminimus. Tandem vero menſe Decembri Imperialis exercitus, poſtquam multa tulit fecitque, in Franconicum Circulum hybernatum rediit.

§. 3.

De Bello Ruſſo-Boruſſico 1759.

253.

Sulkowski captus.

Quamvis Ruſſorum copiæ ſub finem ſuperioris anni ex Marchia & Pommerania receſſerint, Imperatrix tamen Eliſabetha, firmiter hærebat fœderi, cum Auſtria, Gallia, & Suecia inito. Unde pro expeditione hujus anni plures in Polonia ædes annonarias erexerant; has ut deſtruerent, Boruſſi menſe Martio in Poloniam irruperunt, ac Principem Sulkovski, quod Ruſſis favere videretur, captivum abduxere. Ruſſi contra levioris armaturæ, prædis per Pomeraniam & Marchiam actis damna illata vindicabant.

Soltikow Generaliſſimus.

Soltikovius, ſupremus belli Imperator, exercitum per Poloniam ducebat, ut in Sileſiam irrueret. Venienti occurrunt Boruſſi *Wedelo* duce. Ad Poſnaniam munitis in caſtris ad Julium usque menſem uterque hæret exercitus; donec 23 ejusdem Ruſſi ad *Kayam* & *Züllicaviam* conſerto prælio inſigni ſunt potiti victoria, atque fugientes

Boruſſos

Boruſſos inſecuti, *Croſſenam* & *Francofordiam* ad Viadrum occuparunt, atque cum *Laudohno*, qui viginti prope Auſtriacorum millia adduxerat, ſe conjunxerunt.

Bis vincit Boruſſos.

Rex Boruſſiæ, qui hactenus adverſus Daunium pugnabat in Sileſia, audita Kayana clade, accito cum valida manu ex Saxonia Henrico fratre, Auſtriacis eundem oppoſuit, ipſe vero cum 60000 exercitu in Marchiam profectus 23 Aug. ad *Kunersdorffium* prope Viadrum & Francofurtum, cruentam prorſus ac pertinacem pugnam conſeruit. Fauſta erant Boruſſis initia, ut adeo victoriam in manibus tenere putarent; nam Ruſſos e pluribus jam collibus, quibus Martis campus aſſurgebat, jam depulerant, cum denique ſub veſperum labore, æſtu, & ſiti feſſi, in effuſam fugam ſunt conjecti, *Laudohno* ad plenam victoriam multum conferente. Cæſa multa mortalium millia, captaque ingens præda.

Pugna ad Kunersdorff.

Minor exſpectatione pro magnitudine victoriæ fructus fuit, nam licet *Haddickus* etiam cum Ruſſis ſe conjunxiſſet; non tamen legimus, memorabile quid a victoribus geſtum. Uterque exercitus per varia itinera ſe mutuo circumducebat. Uterque in Sileſiam movit: atque ineunte Novembri Ruſſi in Poloniam redierunt. Rex autem magnam copiarum partem in Saxoniam adverſus Imperiales copias, ibidem dominantes, jam ante dimiſerat. Denique Rex etiam atque Daunius cum maxima virium parte per Luſatiam in Saxoniam conceſſere; relictis in Sileſia hinc Fouqueto, inde Devillio & Harſchio.

Reditus in Saxoniam.

De bello Suecos inter & Boruſſos hoc anno geſto piget ſcribere; nam fluxus & refluxus anni prioris recurrit. Sueci in Inſulam Rügiam & Stralſundam fuerant retruſi. Poſt Kunersdorffenſem autem Boruſſorum cladem, magna copiarum, quæ in Pommerania militaverant, pars ad defenſionem Marchiæ a Rege accita, prodeundi rurſus Suecis, & per Pomeraniam ſe extendendi occaſionem fecit. At ante finem anni iterum repulſi ſunt; luſumque Anclamo, Demmino, Penemunda, Wollino &c. velut pila.

§. 4.

§. 4.

Bellum Gallo - Hannoveranum anno 1759.

254. Gallicæ copiæ ſub finem anni 1758 hyberna ad Rhenum, Mænum, & in Haſſia fixerant, fœderati vero ad Rhenum, in Weſtphalia & Haſſia Inferiore, Prætoria ſtatione Monaſterii collocata.

Rex autem Angliæ cum Wilhelmo Haſſiæ Landgravio fœdus, anno 1755 percuſſum, renovavit in hæc puncta.

I. Inter utrumque contrahentem, eorumque ſucceſſores ſit ſincera unio.

II. Renovantur antiquiora pacta.

III. Rex ſpondet, non depoſiturum ſe arma, donec Landgravius ex integro fuerit reſtitutus.

IV. Rex 12000 Haſſorum ſub ſtipendiis ſuis retinebit, adjectis pro Landgravio ſubſidiis, an. 1755 promiſſis.

V. Stipendiariis iſtis copiis Rex pro arbitrio ſuo utetur.

VI. Hic tractatus 4 annos teneat.

Adjectus fuit articulus ſeparatus, quo Rex promittit 97582 libras ſterlingarum pro 6992 militibus, præter eos, qui jam eſſent ſub ſtipendiis Anglicis, ſuſtentandis, ad defenſionem Haſſiæ & compenſationem damnorum.

Parlamentum Anglicanum nervum belli large ſuppeditavit, Pitto, qui adverſam aulæ partem ante ſequebatur, poſtquam Secretarius Status fuerat renuntiatus, facunde perorante. Bavaricæ ac Palatinæ copiæ, quæ ſtipendiis Gallicis militaverant, cum tractatus ſubſidiarius non amplius renovaretur, domum ſunt reverſæ. Bavaricæ autem in exercitu Auſtriaco, Palatinæ in Gallico meruerant.

Subiſius Princeps, qui in Haſſia bellum gerebat, petito tranſitu Francofordiam ad Mænum occupavit. Wezlaria vero ab utraque belligerantium parte libera ab hoſpitatione eſt declarata.

Ineunte vere Imperiales copiæ Hirſchfeldæ Principatum invaſerunt, Gallicæ Marpurgum, ad vindicandas immanes contributiones, quas Hannoverani a Fuldenſibus extorſerant.

Sub finem Martii & initium Aprilis, Fœderatorum exercitus, Ducibus Ferdinando, Principe hæreditario Brunſvicenſi, Holſato, Iſemburgo, Anhaltino, capta Meinunga, Waſunga, Fulda, pluribusque

busque ſecundis velitationibus commiſſis, Franconiæ jam imminebant, trepidantibus Herbipoli, Francofordia & aliis civitatibus. Sed metum exemit Broglius, qui 13 Aprilis, conſerto ad *Bergam* cum fœderatis prælio, aggreſſores ſtrenue repulit. Ingens certe laus debetur Francis, & eorum præſertim Duci Broglio, qui, accitis ex 80 ſtationibus ſumma celeritate copiis, ad vicum Bergenſem ſapientiſſime ordinavit aciem, & Germaniam contra Germaniam fortiſſime defendit. Inter fœderatos cum multis aliis cecidit Princeps Iſemburgicus. Blaſelus Tribunus cum velitibus varias eodem tempore clades, Grimbergæ præſertim, intulit Fœderatis.

Marpurgum mox, Caſſella, Göttinga, Rietberga, Münda ad Viſurgim, Monaſterium ſubactæ ſunt, inde a Rheno totius Gallici exercitus Imperatore Contado, hinc ex Haſſia fœderatos propellente Broglio.

Cum autem res Gallorum feliciſſime florerent, dies una præclare geſta, & ſpem in futurum prope omnem evertit. Erat hæc dies ipſis fatalis prima Auguſti, qua haud procul a *Münda* commiſſum eſt *prælium*, Gallis ſane infauſtiſſimum, fortuna plenam fœderatis deferente victoriam.

Galli Mündam ſe recepere, trajectoque Viſurgi, quas occupaverant, urbes, ac denique cum Caſſella & Marpurgo omnem propemodum Haſſiam amiſerunt, præter complura capitum millia machinas currules, aliumque apparatum bellicum. Acceſſit ad Fuldam clades Würtembergicorum, quorum 10000 ſub ſtipendiis Gallicis militabant. Tandem etiam Monaſterium in manus fœderatorum relapſum eſt. Princeps vero hæreditarius Brunſvicenſis cum valida manu in Saxoniam movit, Boruſſo contra Auſtriacos & Imperiales futurus auxilio.

Art. V.

Proſecutio Belli anno 1760.

§. 1.

Bellum Boruſſo-Auſtriacum.

Sub initium hujus anni Rex Angliæ atque Boruſſiæ, ut viderentur pacem optare, deſiderium componendæ Europæ præſeferebant. Rex Stanislaus Nancejum, congreſſus locum, offerebat, Batavi Bredam, 255. Spes pacis oſtentata.

Bredam. Nec abnuebant Auſtria, Ruſſia, Gallia, ſed Poloniæ quoque & Sueciæ Reges invitari volebant. Spes pacis mox evanuit.

Caſtra ad Dresdam.

Ad bellum terra marique proſequendum verſa conſilia; quin is erat animis ardor, ut nec rigente hyeme refrigeſceret. Pertinaci ad Dresdam ſtatione adverſa caſtra conſiſtebant. *Maquiro* urbem ſtrenue propugnante.

Actio ad Cosdorff. Et Landishutum. Captus a Laudono Fouquet.

Sub finem Februarii *Beckius* Boruſſos ad *Cosdorffium* aggreſſus, Zettericium, eorum Ducem, cum aliis belli officialibus captivum abduxit. Majorem victoriam *Laudohnus*, poſt plura minora certamina, 22 Junii ad *Landishutum* in Sileſia retulit; nam captos inter erat ipſe *Fouquetus de la Motte*, rei ſummæ in Sileſia præfectus, cum Schenckendorffio, Malachowskio, majoribus ordinum Ductoribus, & quinque gregariorum millibus, præter cæſos quàm plurimos, magnamque vim rei tormentariæ &c.

Glazium captum.

Fructus hujus victoriæ fuit *Glacium*, munimentum præſtans, levi opera 26 Julii expugnatum, præſidiariis multis cum aggreſſoribus conſpirantibus: eadem ferme etiam hora novum munimentum, veteri adjectum, ſe dedidit. Præſidium utriusque more militari captum, cum ingenti vi rei armamentariæ & annonariæ.

Laudohnus, ut victoriarum curſum proſequeretur, magna celeritate cum ſelectis copiis Uratislaviam contendit. Jamque cœpta erat oppugnatio, cum Henricus Princeps accurrens eandem ſolvit.

Dum hæc in Sileſia acta ſunt, Auſtriacus exercitus ſub Daunio, & Boruſſicus ſub Rege, ad Dresdam ſtabant. Cum captivorum commutatio tentata non procederet, ad novos delectus, ut legiones complerentur, verſa ſtudia, novaque ſubſidia provincialibus imperata.

Laſcy, Beck. Riedt.

Daunius 3 Maji caſtra, quæ tota hyeme Pirnæ fixerat, in ſuburbium Dresdæ tranſtulit, dimiſſis, quæ Laudohni copias augerent, in Sileſiam ſuppetiis. *Laſcius* autem, *Riedus*, *Beckius*, aliique Duces plura, minora quidem, ſecunda tamen prælia conſerebant.

Stratagema.

Menſe Junio, præter velitares aliquot id genus pugnas, & traductiones nonnullarum cohortum atque turmarum, nihil admodum actum. Julius majores mutationes ſubiit. Quippe, cum Rex Daunium munitis, quæ ad Dresdam habebat, caſtris vi nulla poſſet depellere, ſtratagemate utendum ratus, cum exercitu in Luſatiam movit. Daunius haud dubius, Regem in Sileſiam, ut res ibi ſuas labantes firmaret, profecturum, Saxonia excedentem inſecutus primum,

primum, dein etiam prævertendum exiſtimans, Ottendorffium usque, Sileſiæ oppidum, caſtra promovit.

Rex, hoc conſpecto, reflexo ex Luſatia itinere, ad *Dresdam oppugnandam accurrit.* Daunius vero, ut urbi ſuccurreret, in Saxoniam rediit, & obſidionem ſolvere hoſtem adegit. Rex in Sileſiam.

Ad Auguſti initium Rex in Sileſiam abiit. Secutus eſt Daunius, ſeque cum Laudohno conjunxit. Ab eo vero rurſus ſeparatus Laudohnus 15 Aug. haud procul *Lignicio* cum univerſo Boruſſorum exercitu coactus confligere, gravem cladem accepit, amiſſis, ſi Boruſſis fides eſt, ultra decem millibus. Certe hoc prælium magnarum rerum ideam non parum confudit. Per itus & reditus conſumptus September. Pugna ad Lignicium.

Octobri uterque exercitus in Saxoniam rurſus fuit delatus, atque 3 Novembris non procul *Torgavia* graviſſimo prælio colliſus. Boruſſi ſtructis ordinibus e ſylva erumpentes, ter vehementi impetu in Auſtriacos ſunt invecti, totiesque inſigni cum fortitudine repulſi ſunt, ut adeo jam certa haberetur victoria, Viennam etiam nuntiata. Verum cum *Daunius*, pede globo ſauciatus, commiſſo *Odonello* imperio, Torgaviam eſſet translatus, Boruſſi noctis ſubſidio, deturbatis Auſtriacis, colles ad *Siptitium*, Zietheno ductore, occuparunt. Victoria in hoc vertebatur; nam, cum Auſtriaci, die illuceſcente, cernerent, totam ſuam aciem vehementi ignium peſti & globorum grandini ex collibus illis eſſe expoſitam, pulvis etiam & plumbum deficeret, Torgavia relicta, Dresdam ſe receperunt, Boruſſo inſequente. Scriptores quidam memorant, Auſtriacos in pugna Torgavienſi amiſiſſe 10000 armatorum, Boruſſos vero ultra 20000. Utraque demum pars copias, pugnis & itineribus feſſas, per hyberna diſtribuit, Auſtriaci circum Dresdam, Boruſſi per reliquam Saxoniam, jam alias exhauſtam. Daunius Viennam conceſſit, Rex Lipſiam. Laudohnus in Bohemia, Golzius in Sileſia hybernavit. Ad Torgau. Daun vulneratus.

§. 2.

De Bello Boruſſo-Imperiali anno 1760.

Princeps *Bipontinus*, ſupremus copiarum Imperialium Ductor, 256.
hyemem Viennæ tranſegerat, ubi aureo Vellere, & Ordine Thereſiano fuit inſignitus; copiis vero per Franconiam diſtributis *Serbellonium* interim præfecit, qui Prætoriam ſtationem Bambergæ fixit. Serbelloni.

Haddick. Huic successit *Haddicus*, donec Bipontinus 3 Maji in castra venit, resumpturus Imperium. *Lusinskius*, *Klefeldus*, *Stolbergius &c.* pluribus velitationibus hostem infestarunt, viamque in Saxoniam Imperialibus præpararunt. Qui 22 Junii Dresdam attigere, interceptis, quæ in itinere occurrerant, urbibus & oppidis.

Legiones Austriacæ. Conjunxerant se illis legiones Augustissimæ Imperatricis & Reginæ, Pallavicina, Saxo-Gothana, Maquiria, Esterhasia, Lambergica, & duæ Herbipolenses, & ex Hussaris Haddickiana, Baronena, cum Bannalistis & Croatis.

Imminente ad obsidendam Dresdam mense Julio Rege Borussiæ, Imperialis exercitus, cum se imparem cerneret, aucto urbis præsidio, recessit Plavenam. Augusto vero mense, Rege in Silesiam digresso, rediit, adversum *Hylsenum*, quem Rex cum manipulis aliquot in Saxonia reliquerat, præliaturus. Validam quoque manum Dux Würtembergiæ eodem mense adduxerat ad liberandam Saxoniam; partem velut extra ordinem Imperialis exercitus legiones istæ constituerant.

Bipontinus Dux quærebat occasionem, cum Hülseno confligendi. Prolusum velitatione ad Waldheimium, 12 Aug. inter Kleistium & Centurionem Otto, cujus venatorius manipulus in fugam compulsus est. Sequebatur 20 Aug. majus prælium ad *Streblam* urbem inter Imperiales & Hülseni copias. Multum sanguinis utrinque fusum; tandemque victoria, Bipontini Ducis, Haddickii Magistri Equitum, Stolbergii Principis, Guasci Comitis, Klefeldi, aliorumque Ducum virtute parta, penes Imperiales stetit, hoste Torgaviam se recipiente.

Pugna ad Strehlam.

Lüsinskius interea Tribunus peculiari cum manipulo plures Thuringiæ & Saxoniæ urbes, Halamque Brandeburgicam occupaverat, ac demum Würtembergiæ Duci junctus, ab exercitu recessit, Lanthierio in ejus locum suffecto.

Würtembergici. *Würtembergicæ* copiæ, Gallicis stipendiis solutæ, e Franconia domum sunt reductæ, ibique supplementis auctæ, invitante Cæsare, ductæ sunt in Saxoniam, ad eandem Domino suo vindicandam, componendumque turbatum pertinacibus bellis Imperium. Hailbrunnæ Dux legiones suas congregaverat, atque inde mense Augusto in Saxoniam duxit, cumque Lipsiæ deditionem posceret, respondit Præfectus, si urbs invaderetur, se & illam & suburbia redacturum in cineres. Reposuit Dux, si quid Borussi in Lipsiam essent attentaturi, se in Hallam retorsurum. Occupata mox *Lipsia*.

Poſt pugnam Strehlenſem Imperialis exercitus *Torgaviam* cepit, menſe Septembri, capto præſidio, Hülſeno vero non ſine clade Wittembergam ſe recipiente. Sed Bipontinus cum ſuis Imperialibus & Würtembergicis fugientem perſecutus, menſe Octobri *Wittembergam* expugnavit, captumque rurſus præſidium. Res vero armamentaria cum reliqua præda Torgaviam eſt deportata, exuta Wittenberga munitionibus quibusdam. Lipſia, Torgavia, Wittenberga captæ.

At vero adveniente Octobri menſe Rege Boruſſiæ, o quantum mutata eſt rerum facies. Relicta mox Wittenberga; ex Lipſia, tegente nebula, a Klefeldo eductæ copiæ, & poſt infelix ad Torgaviam prælium, hæc etiam urbs, quantumvis munita, eſt deſerta. Et rurſus amiſſæ. Imperialis vero exercitus, relicta Saxonia, in Franconiam rediit, ut adeo Saxonia ad eum ſit reducta ſtatum, quo ante expeditionem fuerat, niſi quod a pluribus exercitibus magis fuerit devaſtata.

§. 3.

De Bello Sueco - Boruſſico anno 1760.

Summa etiam hyeme non deſiere velitares pugnæ, poſtea etiam continuatæ, ludicra velut certamina, quæ cauſæ communi parum profuerant, niſi quod aliquæ Boruſſorum copiæ in Pommeraniam fuerint abſtractæ, quæ alias Auſtriacis & Imperialibus incubuiſſent. 257.

Landingshuſius, Suecorum Archiſtrategus, jam menſe Januario Anclamum ſubita irruptione oppreſſit, capto *Manteufelo*, Boruſſorum in Pommerania ſupremo Duce. At *Stutterheimius* Anclamum mox recepit, Suecosque trans Penum rejecit, non tamen ſine naulo. Mechlenburgo - Suerinus Ducatus interea, quamvis partem belli nullam haberet, gravibus, more prioribus annis conſueto, exactionibus premebatur, volente, ſed non potente id impedire Duce: qui propterea querelas ſuas ad Comitia Imperii Ratisbonam detulit, ſed arduum erat remedium.

Appetente æſtate, cum Boruſſus, copiis alio avocatis, paucum militem in Pommerania reliquiſſet, Sueci rurſus animoſi, circumlatis per omnem prope Pommeraniam victricibus ſignis, ipſi adeo Stetino minitari ſunt viſi. In Uckermarchiam quoque effuſi, metebant palmas, & trophæa erigebant. Paſſewalkium, Prenzlovia, aliæque

aliæque urbes occupatæ. Ad Taſchenbergam commiſſa velitaris pugna, victoribus Suecis, quia numero multo ſuperioribus. Secundis his in rebus *Ehrenſchwerdius* erat dextera Landingshuſii ſupremi Ducis, ex altera vero parte *Bellingius* Stuttersheimii.

At vero cum menſe Octobri Fridericus Eugenius Princeps Würtembergicus, (filius tertio genitus Alexandri Stuttgardo-Würtembergici Ducis) nova adduceret in Pomeraniam auxilia, bello illi præfectus, aliam rebus faciem rurſus induxit. Receſſit ille quidem in Marchiam, antequam Ruſſi Berolinum occuparant, ſed reliquit *Bellingium*, *Stuttersheimium* & *Wernerum*. Repulſus priorum annorum exemplo Suecus ex Uckermarchia totaque Pommerania Brandeburgica; ut adeo tempore verno ſeminarent Sueci, in æſtate meterent, in autumno omnia rurſus amitterent, in hyeme Stralſundæ ſuæ incubarent.

§ 4.

De Bello Ruſſo - Boruſſico.

258. Poſtquam Moſci æſtatem variis motibus per Boruſſiam, Pomeraniam & Poloniam conſumpſerant, non magno admodum operæ pretio, aut ad cauſam communem emolumento, menſe tandem Octobri, urgente Aula Viennenſi, in Marchiam Brandeburgicam duce *Soltikovio* irruptionem fecerunt. Daunius, ſupremus militiæ Auſtriacæ Imperator, in hunc finem *Laſcium* cum 14000 miſit, ut cum Ruſſis ſe conjungeret.

Berolinum occupatum. Soltikofius ſexta Octobris Francofurti ad Viadrum ſtationem fixerat, præmiſſo Berolinum cum viginti millibus *Zerniſchewio*, cui Laſcius quoque ſe conjunxerat. Unitæ hæ vires nona Octobris *Berolinum* occuparunt potius quam expugnarunt, Principe Würtembergico, qui ſeptem duntaxat millia habuiſſe dicitur, tantæ multitudini ſe non auſo opponere, ſed Spandaviam recedente, ut munimentum illud defenderet. Neque Golzius iis erat viribus, ut diſcrimini ſe vellet committere.

Rex igitur, cum Marchiam ſuam periclitari intelligeret, accelerato greſſu Sileſia exceſſit. Ruſſi, nuntiato ejus adventu, relicto Berolino, primum Landsbergam, inde vero in Poloniam receſſere. Lentitudo & tergiverſatio Ruſſorum jam tum tribuebatur artibus Aulæ Boruſſicæ & Londinenſis, maxime vero Petro Ulrico, deſti-

nato

nato successori in throno. Quali is fuerit in Austriam & commune fœdus animo, mox post mortem Elisabethæ Imperatricis luculente patuit.

Art. VI.

Prosecutio Belli anno 1761.

Postquam hostilis uterque exercitus hyemem in Saxonia transegerat, appetente vere, Rex Borussiæ, qui Lipsiæ hyemaverat, Henrico fratre in Saxonia relicto, potiorem copiarum, quibus abundabat, partem in Silesiam transtulit, *Laudohno* jam impare tantæ moli resistere, donec venirent suppetiæ. Quas ubi ex Hungaria & Saxonia obtinuit, 19 Junii ad Hartmansdorffium Borussorum agmen acri velitatione aggressus, 190 eorum cepit, reliquos in fugam egit. Neque in Saxonia res admodum magna gesta est. Mutua æstimatione aut metu suspensus miles, castris, opportune locatis, se continuit, exilibus duntaxat certaminibus, & copiarum traductionibus belli speciem præbentibus. 259.

Ex altera parte acrius aliquantum certatum. Mense jam Februario ad Langensalzam Gallis clades illata a Borussis & Fœderatis, ad Marpurgum a Gallis est reddita, cæso *Breidenbachio*. Galli nihilominus, *Marpurgo* deserto, arcem præsidio munitam retinebant. *Frizlaria* ab Hannoveranis capta. Recedentibus Gallis insistebant illi; jamque Mæno & Francofordiæ imminebant, cum *Broglio* Dux, copiis, quas a Rheno Inferiore *Mujus* adduxerat, auctus, hostem, undis velut retroactis, per Hassiam redire coegit.

Ad *Grünbergam* ventum ad acre prælium. Victoria penes Gallos stetit, Broglii summi Ducis insigni virtute parta 21 Martii. Capta cum Rhedeno, equitum Magistro, Hannoveranorum duo millia, præter 10 signa, & 19 majores machinas, quæ in manus venerunt. Soluta Cassellæ obsidio, quam Fœderati inchoaverant, desertaque tota Hassia, quam hyemis occasione occupare tentaverant, in stativa concessere. Pugna ad Grymbergam

Interea autem, dum verno tempore Galli atque Hannoverani, quam hyems negaverat, quietem capiunt, Imperiales & Borussicæ copiæ in Thüringia velitatione collisæ, ad *Salfeldam* 2 Aprilis cladis aliquid dederunt & acceperunt. Finiente autem Aprili, postquam Dux *Bipontinus* belli Imperatoris, quam sapienter gesserat, Bipontinus abdicat imperium.

rat, poteſtatem abdicaverat, Serbellonius ſucceſſor in caſtra venit, atque omnia ad futuram in Saxoniam expeditionem adornavit.

Menſe Junio Dux Broglio per Haſſiam adverſus Hannoveranas provincias legiones ſuas duxit, fugientique hoſti non ſine illata clade inſtitit. Alter vero Gallorum exercitus, Ductore Subiſio Principe, a Rheno Inferiore in Weſtphaliam movit, ut adeo Fœderati a Broglio ad Septentrionem, a Subiſio vero ad Orientem propellerentur. Jamque ſpem conceperant, protruſis ad Albim hoſtibus, primæ expeditionis fortunam reducendi. Sed cum Ferdinando erat negotium, qui unitis, Anglis, Hannoveranis, Brunsvicenſibus, Haſſis, Gothanis, aliisque fœderatis copiis, 15 Julii ad *Fillingshuſium* Broglii exercitum memorabili prælio eſt aggreſſus. Multum eo die ſanguinis utrinque fuſum, inclinante ferme ad Gallos victoria. Suſpendit nox pugnam, quæ altera die vehementius recruduit, cum non exigua Gallorum clade, qui tamen ſervatis ordinibus ſe receperunt. Fatentur Galli, ad 2400 ſuorum qua cæſos qua captos, Fœderati ad 5000 eos extendunt, ſuam vero cladem mille capitibus definiunt.

Pugna ad Fillingshuſum.

Condixerant Subiſius & Broglio, 16 Julii ſe copias conjuncturos, quod ſi contigiſſet, alium haud dubie res habituræ fuiſſent exitum. Cur autem factum non ſit, varii ſunt rumores ſparſi.

Fructus alius hujus victoriæ Fœderatis vix fuit, niſi quod *Scheiterus* & *Lucknerus* cum ſuis velitibus varia Gallorum frumentaria horrea incenderint, atque ad Bredelærum aliquid cladis ſub finem Julii intulerint. Inter itus & reditus, procurſiones, velitationes conſumptus Auguſtus & September. Octobri autem *Xaverius*, Princeps Saxoniæ, qui tota hac expeditione Saxones ſuos, cum Gallis commixtos, ſtrenue ducebat, *Guelferbytum*, inſigne munimentum, expugnavit, capto præſidio, Brunſvicum quoque ſubacturus, niſi affluentibus undique Fœderatorum copiis prudenter ceſſiſſet multitudini.

Princeps Xaverius Welpherbytum expugnat.

Menſe Novembri ad Embecum convenit hoſtilis exercitus, pugnamque reſpicere videbatur occaſio; verum cibariorum defectus, & ingruens brumæ rigor ad hyberna reſpicere cogebat; hæc Broglius per Thuringiam, Haſſiam, atque circum Göttingam diſtribuit; Ferdinandus vero Dux ſedem Prætoriam Hildeſiæ fixit, Sporkenus Hammeliæ, Princeps Brunſvicenſis in Weſtphalia, prout etiam Milordus Gramby cum ſuis Anglis, Lucknerus Embeci, loco procurſionibus opportuno.

Dum

Dum hæc Principem inter Ferdinandum & Ducem Broglium in Haſſia & ad Viſurgim geſta ſunt, Subiſianus exercitus adverſus Principem hæreditarium Brunſvicenſem ad Lippam bellum geſſit. Velitationes plures commiſſæ, juſtum prælium nullum. Extendebant ſe ex hac parte Galli per Monaſterienſem agrum: occupata *Friſia Orientalis*, ruſticis conglomeratis necquicquam ſe opponentibus. Tentata quoque Brema, Anglorum receptaculum; ſed defectu tormentorum expugnari non potuit. Felicius a *Condæo* Principe occupatum caſtrum Meppenſe. Et quia Fœderati domibus annonariis inhiaverant, multis in locis vices ipſis ſunt redditæ, magnam partem a *Wurmſero*, nobili procurſore. Adulto autem Octobri Subiſianæ copiæ cis & trans Rhenum hybernatum conceſſere; militia vero, quam *Regiam Domum* appellant, Pariſios abiit. Friſia. Condæus. Wurmſer.

Menſe Julio Ruſſi tandem Sileſiæ imminebant, atque occaſionem quærebant, qua cum Laudohno ſe conjungerent; iſtam nacti licet, non tamen audebant permunita Boruſſorum caſtra aggredi. Quapropter *Butterlinus*, ſupremus Ruſſorum Dux, ſe rurſus ſeparavit a Laudohno, relictis tamen ſub certis conditionibus apud exercitum Auſtriacum viginti Ruſſorum millibus, ſub *Zernicheſio* Comite, contra vero Beckius Baro cum ſex equeſtribus legionibus Ruſſos ad Viadrum eſt comitatus. Butterlin Moſc. Dux. Zernicheſ.

Rex Boruſſiæ, cum Platenum Tribunum ad deſtruenda Ruſſorum horrea annonaria in Poloniam miſiſſet, munitis ſuis caſtris egreſſus, longius a Schweidnicio receſſit, id agens, ut Auſtriacos ex editis munitisque locis proliceret. Verum Laudohnus Divino quodam conſilio Regis abſentia in rem ſuam uſus, copias ex variis Legionibus lectas ſub Amadeo vigilum Præfecto ad expugnandum impetu *Schweidnicium* mittit. Omnia ſumma alacritate & incredibili in tanto motu & inſtrumentorum apparatu ſilentio ſunt adornata.

Die 1 Oct. ſub auroram munitiones extimæ ſunt occupatæ, applicatæ ſcalæ, tranſcenſa mœnia, machinæ ad urbem inverſæ, atque tres intra horas inaudita felicitate urbs munitiſſima, præſidio & re armamentaria inſtructiſſima, eſt ſubacta. Præſidium militare 3776 capitibus conſtans, cum Zaſtrovio Præfecto captum: præda ingens, 222 majores machinæ, cum omni apparatu bellico in manus victoris venit, cui 1400 qua cæſis, qua vulneratis, quos inter 97 Ruſſi, hæc victoria ſtetit. A Boruſſis hac de expugnatione nulla edita eſt relatio. Rex autem, quod Heroum eſt, magno illam animo accepiſſe fertur, laudato etiam Zaſtrovio, quod, quantum fieri potuit, cum præſidiario ſuo milite reſtiterit. Schweidniz captum.

Haud multo poſt conceſſum in hyberna, quæ Rex Uratislaviæ, ut ſecuritati illius conſuleret, fixit. Laudohnus Viennam abiit, poſtquam copias aliquas ad Daunium in Saxoniam miſerat.

Et Colberga. Schweidnicii fatum Colberga excepit, longiori opere ex ordine expugnata; quippe Butturlinus, poſtquam Ruſſos ſuos ab Auſtriacis ſeparavit, per Marchiam Brandeburgicam in Pommeraniam progreſſus, omnem curam intendit, ut commercium Colbergam inter & Stettinum abſcinderet. Capta proin Treptovia, urbs intermedia, cæſaque Boruſſorum cohors. Butturlinus vero, commiſſa Romanzovio Colbergæ expugnatione, cum parte copiarum ad Viſtulam hyematum abiit.

Sub initium Septembris urbs terra marique oppugnari cœpit, tenuitque obſidio usque ad 16 Decembris. Conabatur quidem Princeps Würtembergicus, qui Boruſſis in Pommerania pæerat, eandem ſolvere, ſed fruſtra. Capto præſidio cecidit Colberga, Ruſſorum fortitudine & conſtantia proſtrata. Sed ultimum hoc erat Ruſſorum facinus; mortua enim Eliſabetha Imperatrice, aliam prorſus faciem Ruſſia induit.

Sueci interea, ut obſidio Colbergenſis protegeretur, ſecurius in Pommerania citeriore, Boruſſos infeſtabant. Nulla tamen res admodum magna geſta eſt, niſi quod Deminum, & alia quædam loca ſint a Suecis capta. Intra procurſiones & velitares pugnas bellum hoc Pommeranum ſtetit. Demum Sueci hyberna in ſua Pommerania fixerunt, Boruſſi pro more in Ducatu Mechlenburgico, Princeps Würtembergicus Roſtochii. Dux vero Megalopolitanus, ut oculos ſubtraheret provinciæ ſuæ triſti ſpectaculo, deſerto Schwerino, Lubecam abiit.

Auguſta pro pace deſtinata. Inter Martios armorum fragores dulce pacis nomen inſonuit; dum belli, in ſextum jam annum protracti, invidiam quævis belligerantium pars amoliri a ſe nitebatur. Aula Viennenſis, Petroburgenſis, Pariſienſis, Varſavienſis, Holmienſis, Auguſtam Vindelicorum pacificationis locum, ſuumque pacis conſilium per Legatum Ruſſicum Aulæ Londinenſi ac Miniſtris Boruſſicis proponebant. Annuebant huic pacis propoſitioni Aula Londinenſis & Berolinenſis cum ſuis Fœderatis, jam ante a ſe ſignificatæ. Deputati jam Auguſtam ad congreſſum Miniſtri, conductæ domus, parata ſedulo omnia, tota Europa in ſpem pacis erecta.

Sed necdum hebetata ſatis erat ferri acies, quin acuebatur magis, veniente in partem, ut totam Europam bellum pervaderet, *Hiſpania.* Conciliatoris hactenus partes aſſumpſerat, ſed Tractatus quidam Domus Borbonicæ bello occaſionem dedit. In-

Innoxius erat hic Tractatus, ad neminis offenſionem pertinens, ſed ad ſinceram concordiam unionemque defenſivam inter Principes ejusdem Familiæ intentus, præcipue vero inter Galliæ, Hiſpaniæ, & Siciliæ Reges. Quamvis autem domeſtica hæc conventio 15 Aug. 1761 inita clam haberetur, ſuboluit tamen *Briſtolo*, legato Anglico, cui eo temporis articulo omnia videbantur ſuſpecta. Petiit igitur ab aula Hiſpana, eum ſibi tractatum communicari, ſimulque præciſum reſponſum a Rege exegit, an cogitet, fœdus cum Gallia adverſus Angliam percutere: ſi reſponſum negaretur, pro belli declaratione ſe habiturum ac ocius diſceſſurum.

Tractatus Domus Borbonicæ.

Acerbe Rex eam Miniſtri poſtulationem tulit, atque revocato Comite de *Fuentes*, ſuo ad Aulam Londinenſem Oratore, omni ſubditis ſuis cum Anglis commercio interdixit, detentis, quæ in portubus Hiſpanis ſub anchoris ſtabant, navibus Anglicis, velut depoſito, donec, quas partes Anglia ſit amplexura, appareat.

Anglia, hæc ubi fuerant nunciata, protinus bellum adverſus Hiſpanos declaravit, miſſaque in Americam claſſe, & pyratis, qui mare infeſtum redderent, expeditis, naves Hiſpanorum diripiebant, & eorum Inſulis minabantur. Nec vacuæ fuerunt minæ, prout Havana poſtmodum experta eſt.

Initia belli Hiſp.

Art. VII.

Proſecutio Belli anno 1762.

Sub initium hujus anni agmen Platenum, e Pommerania in 269.
Saxoniam redux, Imperiales copias infeſtabat; at vero, poſtquam iſtæ ſe collegerant, Platenus pluribus certaminibus fractus, multisque ſuorum amiſſis in fugam fuit compulſus, capto etiam, præter alias plures urbes, per irruptionem Merſeburgo. Nulla hybernis quies; nam Henrici quoque Principis exercitus perpetuo motu volvebatur, Imperialibus cæſim punctimque varias ejus cohortes fortiter vincentibus.

Hyeme autem inter velitationes exacta, ſeverior ad *Freybergam* 12 Maji ſcena aperta eſt; quippe Seidlicius, Hülſenus & Stutterheimius, collectis, quæ in Saxonia erant, copiis Boruſſicis, Stolbergium Principem, & Maquirum Comitem, qui Imperiales ducebant, majoribus viribus prælio aggreſſi, victoria potiti ſunt, quæ tamen, præter captam Freybergam & Chemnicium, non magnos fructus tulit. Quin imo juſſu Serbelloni Stolbergius & Lu-

Pugna Freybergenſis.

Lucinskius juncti geminam mox cladem reddiderunt, primum quidem ad Chemnicium, dein vero ad Keſſeldorffium. Tandem vero, cum Boruſſi novis ſupplementis augerentur, Imperiales ad fines Franconiæ ex Saxonia receſſerunt.

In Sileſia interim princeps uterque exercitus ad novam expeditionem ſe impigre accingebat; quamvis, mutato tantopere Ruſſiæ ſyſtemate, Auſtriaci, digreſſo cum ſuis Zernechefio, minuerentur, Boruſſi vero, venientibus, qui a Ruſſis & Suecis captivi fuerant detenti, non parum augerentur.

At vero, cum, Ruſſis & Suecis a fœdere Auſtriaco privata cum Rege Boruſſiæ conventione recedentibus, Rex omnes copias, quas illis oppoſuerat, adverſus ſolos Auſtriacos & Imperiales jam poſſet colligere, imo novus Ruſſiæ Imperator non modo *Zernicheffium* cum milite ab Auſtriaco exercitu ſeparaſſet, ſed etiam cum Boruſſis conjunxiſſet, mirum non fuit, quod Daunius ex editis locis montanis, quæ ad defendendum Schweidnicium occupaverat, ignium vi, & copiarum multitudine prævalente, fuerit dejectus, atque a Schweidnicii communione ſecluſus. Unde factum, ut urbs, ſibi permiſſa, poſt diuturnam cruentamque oppugnationem, ac ſtrenuam defenſionem, ſe dedere tandem, atque captivam tradere fuerit coacta.

Zerniſchef jubetur ab Auſtr. recedere.

Schweidniz rurſus amiſſum.

Hæc dum in Sileſia agebantur, Boruſſi, milite abundantes, ſub Kleiſto ex Saxonia, & Reizenſteinio ex Sileſia, in Bohemiam irrumpebant, ſub diram neceſſitatem contributiones, quocunque venerant, abductis etiam obſidibus, incolas, alias jam exhauſtos, adigentes. Sacrificium triſte fuit *Regino-Gradæcium*. Quidquid cives corrogare, offerebant, ut incendium averterent. Civitas nihilominus a Coſaccis, barbara gente, contra Auſtriam jam militante, expilata, & crudo incendio prope fuit deleta. Tentabat equidem Imperialis exercitus afflictæ Bohemiæ ſuccurrere, ſed a Seidlicio repulſus eſt. Felicior fuit Löwenſteinius, qui irrumpentes hoſtes quater repulit.

Fatum triſte Gradecii.

A Viadro & Albi ad Viſurgim jam & Rhenum convertimur. Hannoverani cum ſuis Fœderatis, graviter ferentes, Göttingam a Gallis teneri occupatam, ſub ipſos brumæ rigores varios inſultus at incaſſum, tentabant. Nec minus Eichsfeldía direptionibus fuit preſſa. Sed non feriabantur Gallorum arma, in Hannoveranum & Brunſvicenſem agrum non raro illata, cæſis, in quas offenderant, hoſtilibus turmis. At Brunſvicenſis Junior Arensbergæ arcem ur-

bem-

bemque, ad Colonienſem ſpectantem, expugnavit, Mureto ſtrenue licet illam propugnante.

Præludia hæc velut erant expeditionis bellicæ. *Subiſio*, in locum Ducis *Broglio*, in Galliam revocati, ſuffecto, Rhenus obtigit ſuperior, *Eſtæo*, qui lauros ad Viſurgim jam initio belli meſſuerat, inferior. Quibus Subiſius præerat, ex hybernis ad Caſſellam in Haſſia conveniebant. 24 Junii ad *Grebenſteinium* commiſſa eſt pugna, Fœderatis fauſta. Victi Galli cum magna hominum & impedimentorum jactura Caſſellam ſe receperunt. Altero mox certamine, quamvis fortiter dimicarent, receptui canere compulſi ſunt.

Broglio revocatus.

Pugna ad Grebenſtein.

Favente magis fortuna uſi ſunt Galli ad Rhenum Inferiorem, ubi *Condæus* Fœderatos, quos Brunſvicenſis Princeps Fridericus ducebat, bis vicit, capto Scheitero cum non paucis aliis. Fœderati nihilo ſecius arcem Waldecianam 11 Julii expugnabant. *Göttinga* Galli ultro exceſſere, deſtructis tamen ante munimentis & apparatu annonario. At ecce! mox Præfecto mandatur, ut urbem laceram repetat. Fœderati vero *Fuldam* expugnant, & exactionibus premunt, Gallico capto præſidio. Procurſorium velut per provincias erat bellum; clades ultro citroque non leves illatæ.

Condæus victor.

Göttinga.

Fulda capta.

Cum Hiſpania & Gallia Luſitaniam a fœdere Anglicano non poſſent abducere, atque in ſuam ſocietatem pertrahere, dimiſſis utrinque legatis, & belli declaratione facta, Hiſpani ſub initium Maji 1762 ſub Archiſtratego Marchione de *Sarria* in Regnum Portugalliæ penetrarunt. Prima, quæ ſe oppoſuit, *Miranda* occurrit; ſed, poſtquam turris pulveraria incenſa mœnium ruinas & hiatus egit, ſe captam cum præſidio dedit. Eandem ſortem ſubierunt *Bragantia*, *Chavea*, *Moncornum*, præſidio elapſo, relictæ vacuæ.

Hiſpani in Luſitaniam.

Angli, probe gnari, propter ſe peti Luſitaniam, quantique ſua interſit, Luſitana conſervari commercia, auxilia condixerunt. Miſſæ naves cum 10000 armatorum, ductore *Lippenſi Bickenburgico*, qui prius ad Viſurgim militaverat. Collecta quoque Luſitanorum ad 30000, *a Tirawleo* Anglo exercitiis militaribus imbuta, & ad bellum præparata. Acceſſit multitudo agreſtium, qui, præter æſtivos calores & alimentorum defectum, Hiſpanorum progreſſus retardabant, quo minus fructus, quos ſperaverant, meterent.

Angliæ auxilia.

Art. VIII.

De Bellis Ultra-Marinis annis ultimis.

261\. Non Europam duntaxat peragratum eſt bellum, atrocitate ſua ferox, magnitudine præliorum & provinciarum vaſtatione fœcundum, ſed tranatis maribus in Aſiam etiam, Africam, & Americam perrupit. Solus Turca, quod mireris, dum chriſtiani in mutua viſcera graſſarentur, quievit, quamvis forte non ſemel laceſſitus.

In Americam maxime tempeſtas detonuit; unde prima etiam origo mali propter controverſos fines. Datum initium a direptione navium; ventum ad urbes, inſulas, provincias: Acadia, Canada, Penſilvania, Ludoviciana, Martinicia, Havana, Quadalupa, agebantur.

Anglorum ſpolia. Quebec.

Et quidem anno 1758 Angli occupabant *Niagaram*, *Ticonderagum*, *Quebecum* Canadæ urbem principem: maria omnia velut obſeſſa habebant 125, ut fertur, navibus bellicis majoribus, minoribus varii generis prope innumeris. Gallos ducebant *Moncalmus* & *Vaudrevilius*, Anglos *Amborſtus*, *Towenſendus*, *Johnſonus*.

Montreal. S. Domingo. Martinique.

Anno 1759 in manus Anglorum delapſum eſt munimentum *Montreal*, poſtquam Galli fortiter illud defenderant. Atque hoc pacto Angli *Canadæ* ſeu *Novæ Franciæ* poſſeſſionem adepti ſunt. Anno 1760 acceſſit Inſula S. Dominici; & anno ſequenti Inſula Martinicia (*Martinique*) ex Antillis præcipua.

Terra Nova, Anglis erepta.

Galli autem interea Terram Novam (*Terre Neuve*) ſpatioſam Inſulam cum ſuis munimentis Anglis eripuerunt, direptisque non raro navibus damna ſua ſtrenue ulti ſunt.

Havana.

Cum Hiſpania etiam cum Anglis bello fuiſſet colliſa, Angli *Havanam*, Inſulæ Cubæ urbem præcipuam, anno 1762 occuparunt, magno Hiſpaniæ detrimento.

Ponticheri.

In Orientalem quoque Indiam pervaſit bellum Anglo-Gallicum, præſertim in Coromandelis oram. Sunt ibi duæ urbes famoſæ, *Pontícherium*, quæ ad Gallos, & *Madras*, quæ ad Anglos ſpectat; averſo aſpectu illæ ſe ſe hoc bello intuebantur; quin imo torvo vultu congrediebantur. Nam primum Galli Madras aggrediebantur, effectu conatui non reſpondente. Felicior fuit Anglus, qui Ponticherium tandem expugnavit, multis tamen ſuorum amiſſis, ſalvisque Religionibus. (15 Jan. 1761.) Neque tam vis hoſtilis, quam alimentorum defectus, Gallos ad deditionem compulit.

Sura-

Suratam jam prius Angli eripuerant, prout etiam Carangolium &c. Surata. Pugnæ & velitationes non paucæ conſertæ ſunt, magna utrinque fortitudinis commendatione. Multitudini non raro partis unius cedere virtus alterius debuit. Cæterum plures utrinque erant Indi in urbibus, & præliis ſocii, quam Europæi.

Perſia perpetuo ſuo malo, internis videlicet diſſidiis, ac revolutionibus laborat, variis per provincias tyrannis Imperium fluctuans diſcerpentibus. Atque ut totum orbem bellum pervagetur, amplum Sinarum Imperium, pacis alias artium quam belli amantius, ſupremis his temporibus cum Indis & Tartaris colliſum, porrectis ad Bengalam usque finibus, grandibus duabus provinciis auctum eſt.

Art. IX.

Pacificationes Variæ.

Jam 26 Martii 1761 Aula Viennenſis, Pariſienſis, Petroburgenſis, Varſavienſis, ac Holmienſis, ut ſuſpicionem a ſe amolirentur, quod morentur negotium pacis, Angliæ & Boruſſiæ Regibus, eorumque fœderatis, quod inſinuatum ſupra, Auguſtam Vindelicorum congreſſus locum offerebant. Sed Europæ ſpem armorum tumultus ſuffocavit. 1762.

Dum autem hæc conſilia pacis, Auguſtæ conciliandæ frigebant, Comitium Ratisbonenſe fervebat. Major ſuffragiorum pars negotium conficiendæ pacis Cæſari committendum a Statibus cenſebat, absque ullo tamen in futurum præjudicio. Obluctabatur minor, negabatque, ubi de ſingulorum juribus agitur, majora prævalere, ſed *itioni in partes* locum eſſe. Catholici omnes priores pacificationes confirmandas judicabant, Proteſtantes Riſvicenſem excipiebant. Conceptum nihilominus ſecundum *Majora* concluſum Imperii, quod Cæſar ratum habuit. Concluſum Comitiorum de pace.

Eodem tempore, quo de Congreſſu Auguſtano agebatur, Gallia quoque & Anglia tractabant. Miſſus Londinum *Buſſius*, Pariſios *Stanlæus*. Ille Interdicto *uti poſſidetis* ſtandum putabat: hic terminum poſſeſſionis ad tempus ratificatæ pacis referri voluit. Cum non conveniretur, Gallia ceſſionem Canadæ, ſub certis tamen conditionibus, obtulit, Inſulæ item Minoricæ, Haſſiæ, Hanoviæ, eorum- Buſſius & Stanlæus de pace tractant.

eorumque locorum, quæ in ditione Hannoverana tenet occupata. Repetiit vero caput Bretanicum, seu Portum Regium. Geldriam, Vesaliam, aliaque ad Rhenum Inferiorem loca Borussica non posse cedi, cum sint in potestate Reginæ Imperatricis. Omnes naves, ante belli declarationem ereptas, restituendas: captos sine lytro remittendos.

Conditiones.

Anglia vero postulavit, totam absque reservatione cedi Canadam, Senegalliam insuper, Goream, Minoricam, omnes urbes & regiones, in Germania occupatas, ne Borussicis quidem exceptis: Ostendam & Neoportum illico evacuari: bellum usque ad ratificationem pacis continuari: captivos liberari: Dunkercæ munimenta portumque ad Ultrajectensis pacis normam dirui: captas naves retineri: libertatem, assistendi fœderatis in Germania: societates in India Orientali sibi relinqui. Contra vero Gallis vult restituere Calonesum (*Bellisle*), Quadaluppam, & Marigalantam, permittere insuper capturam piscium in littore Terræ Novæ.

Pax frustrata.

Tandem, postquam a 26 Martii usque ad 20 Sept. fuit tractatum, Legatus uterque domum recessit, continuatumque terra marique bellum, quin imo auctum, cum Hispanus etiam indignatus, quod Anglia conditiones pacis tam opimas non acceptarit, socius Gallis accesserit.

Mutatio Russiæ.

In Septentrione, postquam Elisabetha Russiæ Imperatrix 5 Januarii 1762 obiit, ingens facta est rerum mutatio; nam Petrus III vix fuit ad thronum evectus, cum prodere visus est, qua mente fuerit hactenus in fœdus, quod Elisabetha, ejus matertera cum Aula Viennensi, Versaliensi, Varsaviensi, & Holmiensi initum, quantum in se erat, fideliter custodiverat.

Induciarum conditiones.

Nam, licet primis diebus aliud præseferre videretur, brevi tamen, die videlicet 16 Martii 1762 Stargardiæ clam suis Fœderatis cum Rege Borussiæ fecit inducias. Viadrus in Pommerania statutus terminus, qui utrumque exercitum separaret. Borussi non ingrediantur Poloniam, nec Russi Silesiam, Zernichevio autem cum suis copiis liber per eandem concedatur transitus, ut ad Russicum exercitum se possit recipere. Commercia libera sunto. Subscripserunt Dux Beveranus & Princeps Wolconskius.

Imperator Russiæ cum has inducias pangeret, omnes bello implicitos Principes ad pacem hortatus est. Secuta est hortantem Suecia; nam mense majo 1762 tam Russi quam Sueci cum Borussis pacem inierunt, ea lege, ut omnia in statum pristinum, quo ante bellum fuerant, restituerentur, adjectis duntaxat quibusdam conditionibus. Rex Borussiæ pro pacis beneficio Moscorum Imperatori legionem Borussicam donavit. Sequitur Suecia.

Tantopere cum jam hiaret fœdus, ad pacis consilia versi sunt omnium animi; atque imprimis Gallia, sequente Hispania. Præliminaria sub initium Decembris anno 1762 cum Anglis pepigit in hæc capita. 1 Statuitur amnestia. 2 Gallia cedit Angliæ *Canadam*, Insulam *Bretoniam*, *Acadiam*, *Insulas Granatenses.* 3 Catholica Religio in his provinciis sit salva: possintque Galli, venditis bonis, libere discedere. 4 Conceditur Gallis jus ad littora Terræ Novæ aliisque locis piscandi, piscesque exsiccandi. 5 Relinquitur Gallis Insula *S. Petri*, & *Miquelonia*, pro piscatoribus cum obligatione, ne muniantur. 6 Urbs & portus Dunkercensis ad eum statum redigatur, qui anno 1748 per pacem Aquisgranensem fuit definitus. Et Gallia. Conditiones.

7. Anglia præterea restituit Franciæ Insulam *Quadalupam*, *Mariagalantam*, *Desiradam*, *Martiniciam*, *Bellinsulam.* 8. Insulæ neutrales sic divisæ sunt, ut Insulæ S. Dominici, S. Vincentii, & Tabago ad Anglos, Insula vero S. Luciæ ad Gallos spectet. 9 In *Africa* Insula Gorea Gallis, Senegallia vero Anglis relinquitur. 10 In *India* Orientali restituuntur Galliæ loca, quæ initio belli in ora Coromandelis, Malabariæ, Orixæ & Bengalæ habuit.

11. *Minorica* Insula cum munimento S. Philippi restituitur Angliæ, eo in statu, quo fuit tempore expugnationis.

12. Gallia restituit omnes, quas occupatas tenet, regiones urbesque, ad Electorem Hannoveranum, Landgravium Hassiæ, Duces Brunsvicenses, & Comites Lippenses, pertinentes, in statu, quo fuerunt tempore occupationis. 13. Reges Galliæ & Angliæ promittunt, se porro fœderatis suis in Germania non adstituros. 14. Geldriam, Cliviam, Vesaliam, Mœrsiam, aliasque urbes, ad Regem Borussiæ pertinentes, interim Galli nomine Imperatricis præsidiis occupatas teneant, donec res ista componatur.

Et Hiſpania. 15. Regi Hiſpaniæ reſtituuntur, quæ Angli in Inſula Cuba occuparunt, nominatim Havana, in eo ſtatu, quo fuerunt tempore occupationis. Hiſpani vero Luſitania excedant, reſtitutis quæ occuparant &c.

Poſtea 10 Februarii 1763 Pariſiis Pacis Tractatu Definitivo hæc aliaque puncta confirmata fuerunt a Duce Choiſelio nomine Regis Franciæ, a Marchione Grimaldo nomine Regis Hiſpaniæ, & a Duce Betfordo nomine Regis Angliæ.

Denique etiam Pax inter Reginam Hungariæ &c. & Regem Boruſſiæ 15 Februarii 1763 in arce Huberti (*Hubertsburg*) in Saxonia fuit concluſa. Illius hæc eſt ſumma.

I. Ceſſet omnis hoſtilitas. Sit plena amneſtia & amicitia. Neutra pars in præjudicium alterius quidquam agat, aut permittat.

II. Omnis hoſtilitas, damnaque illata perpetuæ oblivioni dentur, nullaque inde compenſatio unquam petatur: bonaque fiſco addicta ſuis dominis reſtituuntor.

III. Regina renuntiat omnibus prætenſionibus in ditiones Regis Boruſſiæ, præſertim in eas, quæ per articulos Præliminares Uratislavienſes, & pacem Berolinenſem ceſſæ ſunt: prout etiam Rex renuntiat omnibus prætenſionibus in ditiones Reginæ.

IV. Si forte poſt obſignationem hujus Tractatus damnum inferretur, fideliter reparetur.

V. Regina reſtituet Glacenſem Comitatum, Geldriam, Veſaliam in eo ſtatu, quo fuerunt, dum occuparentur, omniaque alia loca, quæ Rex ante bellum habuerat. Similiter Rex copias ſuas ex omnibus ditionibus Reginæ Regisque Poloniæ, juxta Tractatum, eadem die initum, educet, & in terras ſuas reducet.

VI. Quamprimum hæc conventio fuerit ſignata, ceſſent omnes exactiones; &, ſi quid forte extorqueretur, illico reſtituatur. Si quæ contributiones necdum fuerint præſtitæ, ſint remiſſæ. Omnesque obſides gratis liberentur.

VII. Omnes bello capti ſine lytro dimittantur, ſolutis tamen debitis, ab illis contractis. Remittuntur quoque alimenta, illis præbita. Idem circa copias Imperiales obſervandum.

VIII. Dimittantur quoque, qui coacti fuerunt alterius caſtra ſequi.

IX. Regina reſtituet Regi omnia inſtrumenta & documenta, quæ ſunt in locis reſtituendis.

X. Incolis Glacensis Comitatus sit liberum alio discedere.

XI. Rex ratas habet collationes Beneficiales, in Ducatu Clivensi a Regina factas.

XII. Uratislaviensis Tractatus Præliminaris, Tractatus Definitivus Berolinensis de anno 1742, & Tractatus limitum ejusdem anni confirmantur, quatenus præsenti non sunt contrarii.

XIII. Commercia inter utriusque summi contrahentis subditos promoveantur.

XIV. Rex in Silesia Religionem Catholicam conservabit in statu, quo fuit tempore Tractatus Præliminaris Uratislaviensis, prout etiam incolarum possessiones, jura, & privilegia: salva tamen libertate conscientiæ Protestantium, & jure Regio.

XV. Renovantur obligationes, in Tractatu Berolinensi susceptæ, solvendi debita, pro quibus Silesia hypothecæ est subjecta.

XVI. Regina spondet pro omnibus ditionibus Regis, & Rex pro omnibus, quæ Regina habet in Germania.

XVII. Rex Poloniæ comprehenditur hac pace secundum normam peculiaris Tractatus, hac eadem die inter utrumque Regem initi.

XVIII. Rex renovabit Tractatum, cum Electore Palatino anno 1741 ratione Juliacæ & Montensis successionis initum, sub iisdem conditionibus, quibus conclusus est.

XIX. Totum Imperium omnesque Status hac pace comprehenduntur. Confirmatur etiam pax Westphalica, cum aliis Imperii Constitutionibus.

XX. Includuntur huic paci utriusque partis fœderati & amici, alio tractatu nominandi.

XXI. Commutatio & ratificatio hujus Tractatus fiat intra 15 dies post subscriptionem & signationem.

Actum in Castro S. Huberti 15 *Febr.* 1763.

Signarunt hunc Tractatum, qui eundem conceperunt, Gabriel Collenbachius Consiliarius Aulicus, & Fridericus Herzbergius Consiliarius Regius.

CAPUT XX.

Hiſtoria Probabiliſmi:

seu

Diſſertatio

De Uſu Opinionum Probabilium.

263. De hac equidem materia aliqua jam ſupra libro III occaſione *Litterarum Provincialium*, & rigidæ, quam Janſeniſtæ præſeferunt, morum doctrinæ, ex P. Daniele aliisque retuli; ſed quia a centum jam annis nulla quæſtio vehementius eſt agitata, ad hunc Eruditionis apparatum pertinere arbitror, de lege dubia prolixius aliquantum hoc loco diſſerere.

Senſum quidem meum ea ſuper re aperui jam *part.* 1 *c.* 2 *q.* 6, hic autem non tam meam, quam aliorum mentem recenſebo, innoxiam ratus fore Probabiliſmi relationem Hiſtoricam, & controverſiæ multo graviſſimæ, eum mihi maxime præfigens ſcopum, ut oſtendam, quam immerito ab imperitis aut malevolis Societati Jeſu Probabiliſmus tanquam proprius attribuatur, qui innumeris aliis ex omni Ordine & Natione eſt communis, quemque nulla ordinatione Societas ſuis præſcripſit, ſed omnibus liberum reliquit, quam probabiliorem cenſerent, docendi ſententiam, prout plures ex illis magno ardore ſeveriorem ore & calamo docuerunt, & etiamnum docent.

Cæterum, quod dixi, non Auctorem aut Doctorem ago, ſed compilatorem & hiſtoricum relatorem, eorum præcipue, quæ P. Gravina vir eruditiſſimus Italice potiſſimum recentiſſime hac de materia ſcripſit; quæ ego in ſynopſin contraho.

Art. I.

Definitio opinionis probabilis. An unus Doctor faciat probabilem? Diversitas scriptorum. Jansenistarum in Probabilismum primus furor. An Probabilismus origine sit Thomisticus? An Anti-Probabilismus Jansenistis aliquid debeat? Quid Jesuitæ præstiterint circa Probabilismum.

P. Josephus Maria Gravina S. J. Panormi in Sicilia edidit anno 1755 *Tractatus Apologeticos* de *Probabilismo* adversus Magistrum Vincentium Diez, Illustrissimi Ordinis PP. Prædicatorum, studii Generalis S. Dominici ibidem Regentem. 264.

Hoc opus eruditissimum, quod P. Gravina in tres partes divisit, æstimari potest velut complementum absolutissimum eorum, quæ San-Vitali, Ghezzi, Lecchi, Bovius, Richelmi, Gagna, Balla, Carpani, Lagomarsini, Nocetti, Zacharias, adversus Concinam, Dinellum, Patuzium &c. doctissime scripserunt. Quare alienum non fuerit, ex hoc opere, Italice potissimum scripto, & in Germania perraro, aliqua excerpere, & brevissime referre.

Primam partem Gravina in 40 Dialogos subdividit. In 2 definit *opinionem probabilem*, quæ nempe *solidis sit nixa rationibus, classicisque tecta patronis, nulli certo principio, nullique, vel conventioni, vel legi, vel censuræ adversetur publicæ.*

In 3 ait, unum vel alterum auctorem tanti valere posse apud æquos rerum æstimatores, ut instar multorum vel solus opinionem reddat *extrinsecus* probabilem. Affertque in hanc rem testimonium duorum celebrium Thomistarum, Melchioris videlicet Cani *l.* 8 *de loc. Theol. c.* 10, ubi scribit: *In scholastica disputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet; sed si paucos viros, modo graves, secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare; non enim hæc numero judicantur, sed pondere.* Item Barnabam Callegum de Vera, qui in *Resol. Moral. de consc. dub.* 21 de conscientia probabili ait: *Noster Angelicus Doctor multa scripsit & docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt; & tamen ejus opiniones statim, ac ab ipso traditæ sunt, existimatæ sunt probabiles, tum propter maximam ejus auctoritatem apud Theologos, tum quia non levibus, sed rationalibus fundamentis ductus est ad sic opinandum.*

In quem sensum scripsit ipse S. Augustinus l. XI contra Jul. c. 10 n. 36. *Me delectat non numerare multitudinem, sed appendere paucitatem.*

Consentit Jus Civile, dum *l.* 1 *c. de vet. Jur. enucl.* §. *sed neque* 6 ait: *sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius est, judicatote; cum possit unius forsan, & deterioris sententia & multos & majores in aliqua parte superare.*

Imo & Ignatius Camargo S. J. vehemens *Probabiliorista* (ex quo Concina aliique *Anti-Probabilistæ* multa descripserunt) *Reg. Honest. Mor. l.* 1 *controv.* 3 *art.* 3 ait, *opinionem gravium Doctorum, imo etiam unius tantum aliquando, licet rarissime, etiam contra plurium aliorum, vel etiam communissimam, esse posse quandoque regulam sufficientem ad honeste operandum, dummodo fiat operanti propria, & omnibus inspectis vera existimetur ab ipso.*

Distinguit deinde Gravina inter scriptores; & alios appellat classicos, qui apud doctos, in praxi, tribunalibus, scholis, ita sunt recepti, tantique nominis, ut eos tuto sequi possimus: alios vero *summistas:* hosque rursus in duplici classe; alios nempe, qui Auctorum sententias colligunt, easque examinant, & rationibus firmant, atque sic veluti suas faciunt; quales ex PP. Dominicanis fuerunt Cajetanus in sua *Summa*, Sylvester Prieras in sua Summa *Sylvestrina*, Fumus in Summa, quæ *Armilla* dicitur: ex PP. Franciscanis Angelus de Clavasio in sua Summa *Angelica*, ex Societate Jesu Toletus, Emmanuel Sa, Busenbaum, Taberna &c. ex Clero sæculari Ostiensis. &c. Et hos quoque dicendos *Auctores*.

Alios vero Summistas, qui sine examine, crisi, ac declaratione aliorum doctrinam describunt, cum Gellio vocat *Proletarios*, quasi triviales, quos nomine *Auctorum* indignos censet, sed *Collectores* & *Compilatores* dicendos, quales sunt Gratianus & alii compilatores Juris Canonici. Qui non aliam habent auctoritatem, ac fontes, ex quibus hauserunt: prout etiam, qui jurantes in verba Magistri, eum ut ovis ovem, anas anatem, grus gruem sequuntur. Non modicam tamen etiam compilatores Reipublicæ litterariæ utilitatem præstant, dum ea, quæ sunt dispersa, colligunt, aut in synopsin contracta lectori, cui aut fontes desunt, aut tempus vel patientia in evolvendis multis voluminibus deficit, unum velut sub conspectum ponunt.

Sunt, qui etiam ab Historico testes & probationes requirunt. At vero Historicorum Principes, Livius, Cæsar, Tacitus, Curtius, Thucydides, Dionysius Halicarnasseus, Xenophon, & ipse Historiæ Conditor Herodotus, nullos testes produxerunt, nec indicarunt monumenta, ex quibus, quæ scripserunt, desumpserunt. Quod exemplum celeberrimi postea Historici sunt secuti. Historici

est,

eſt, res geſtas narrare; an credere velit, lectori debet relinquere.

Cæterum non eſt dubium, inter ipſos etiam Auctores claſſicos diverſos eſſe auctoritatis gradus, ſed hos deſignare, e. g. an S. Thomas ſit præhabendus S. Bonaventuræ, an ſchola Thomiſtica Scotiſticæ, difficile nimium invidioſumque foret.

In Dialogo V Gravina oſtendit, Montaltium & Wendrockium odio Jeſuitarum in probabiliſmum inſurrexiſſe; idque vel ex ipſa Melchioris *Leydeckeri* Calviniſtæ *Hiſtoria Janſeniſmi*, anno 1695 Ultrajecti impreſſa, comprobat.

In VII negat, nos homines ab iis, quæ ſunt probabiliora, abſterrere, imo ſuaderi a nobis, ut ea ſequantur: ſolam obligationem negari; eo quod probabilius nobis ſit, eam non dari.

In VIII *Laxiſmum* docentem, licitum eſſe ſequi opinionem, quantumvis tenuiter probabilem, merito eſſe damnatum, & non niſi per calumniam confundi cum probabiliſmo, gravi fundamento nixo.

In IX *Rigoriſmo* doceri, ſemper ſtandum pro lege, quamvis ea probabilius non exiſtat. Hunc amplexum fuiſſe Natalem Alexandrum *T. 7 ſuæ Theol. pag.* 151.

In X aſſerit, tria hæc meridiana luce evidentiora eſſe. 1. *Probabiliſmum, totus quantus eſt, Thomiſticum eſſe origine.* 2. *Diuturnam Probabiliſmi adoleſcentiam acceptam in primis referendam eſſe Thomiſtis.* 3. *Anti-Probabiliſmum* (furioſo & calumnioſo æſtu defenſum) *ſtratagema eſſe ſectæ Janſenianæ, nec non curſum ejusdem magna ex parte illius ſectæ operis eſſe, & laboris.* Addit quartum: *Id unum Jeſuitarum eſſe proprium, ut probabiliſmum, pluribus nominibus alienum, limitarint, arctarint, emendarint, perfecerint, & contra Janſenianos furores propugnarint.*

Probabiliſmum, prout in præſenti in Academia diſceptatur, acceptum in primis referendum Inclito Prædicatorum Ordini, multis de cauſis, ſed potiſſimum ejus ſpectata origine, probat ex Alberto M. qui celebri apud antiquos Thomiſtas canone *Frater ſimplex*, ſic ſcripſerit: *Frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute ſequi poteſt in conſiliis, quamcunque opinionem voluerit, dummodo alicujus magni Doctoris opinionem ſequatur.* Regulam hanc celebratam fuiſſe a quampluribus Thomiſtis, S. Antonino, Humberto, & præſertim a Joanne Nider in *Conſolatorio Timoratæ Conſcientiæ part.* 3 *c.* 11 & 12, ubi eandem regulam exhibet expoſitam a Bernardo Claramontenſi his verbis: *ex quo opiniones ſunt inter magnos Doctores, & Eccleſia non determinavit*

alteram partem, teneat, quam voluerit, dummodo judicium in hoc resideat propter dicta eorum, saltem quos reputat peritos.

In Dial. XI affert probationem aliam, cur probabilismum origine Thomisticum dicat, quod videlicet Seraphinus Cavalli, Prædicatorum Ordinis Generalis Magister præcepto formali Bartholomæum Medina anno 1577 adegerit, ut Ethicam suam in 12 publici juris faceret, quam & *aurearum expositionum* elogio honestare placuerit. In hoc autem opere Medina probabilismum clare defendit; & sic non *rimulam*, ut Eckardus scribit, sed plenam portam aperuit.

Quasi vero rimula sit quæstio, quam Medina *Magnam* appellat, & ex professo contra Cardinalem Cajetanum *q.* 19 *art.* 6 *&c.* tractat, atque 4 argumentis, 3 confirmationibus apertissimum probabilismum propugnat, contrariamque sententiam confutat. Repetitque hanc doctrinam in *Instructione confessariorum*, Cardinali Alexandrino Protectori Ordinis Dominicani a Petro Gonzalez, qui eam italice reddidit, inscripta, & 10 intra annos quinquies recusa. Et quidem probabilismum propugnat *in omnibus negotiis, etiam in maximum præjudicium tertii vergentibus, etiam in materia sacramentorum;* ut Gravina Dial. XII testatur.

Ubi addit, eandem rimulæ amplitudinem anno 1683 amplexum esse Joannem a S. Thoma celeberrimum Thomistam, *in* 1. 2 *t.* 1 *disp.* 12 *art.* 3, ubi ait: *stante hac certitudine, seu probabilitate practica*, in quacunque materia *licite procedi potest - - - etiamsi opposita pars tutior, & probabilior appareat.* His addi possunt, quos supra allegavi.

Idem Gravina Dial. 22 laudat M. Barnabam Gallegum de Vera, qui anno 1648. Madriti edidit opus de *conscientia probabili. dub.* 1 ait: *secunda sententia, quæ est longe probabilior, mihi magis placet, licitum esse in praxi sequi sententiam minus probabilem, & minus tutam, dummodo sit practice probabilis. - - - Hæc igitur secunda sententia communior est inter Thomistas.*

Dial. XIII pergit ad probandum alterum membrum suæ propositionis, *diuturnam* nempe *probabilismi adolescentiam acceptam in primis referendam esse Thomistis.* Probat autem 1 auctoritate P. Stephani de Champs, qui *in quæst. facti c.* 5 *anno* 1659 scripsit: *Recentiores* (Thomistæ) *tam admirabili consensu patrocinium* probabilismi *susceperunt, ut ex iis, qui post Medinam, id est, ab annis fere centum, de hac controversia scripserunt, nullum plane viderim vel legerim, ab auctoribus, tractatu hoc toto citatis, appellatum, qui vel in speciem contrarium docuerit.*

2. Ex P. Daniele, qui Epist. 2 ad P. Serry idem testatur, nempe a Medina usque ad annum 1659 Thomistas omnes, qui hanc materiam tractarunt, secutos esse Medinæ doctrinam, neminemque toto eo tempore eandem impugnasse. Certe adhuc anno 1644 universus Prædicatorum Ordo Romæ congregatus in Generalibus Comitiis, sub Reverendissimo P. Thoma Turco Generali Ordinis Magistro *Ordin.* 21 Joannem Ildephonsum Baptistam formali obedientiæ præcepto adegit, ut in lucem emitteret sua commentaria in 1. 2, in quibus probabilismum ex professo defendit, dum solide tractat de *conscientia probabili* Tom. 3, ubi concl. 7 dub. 6 n. 601 docet inter alia: *licitum esse, habere intentionem consultandi varios Doctores, donec aliquis vere doctus & pius proponat opinionem, quæ consultanti faveat.*

Lopez vero ejusdem S. Ordinis p. 1 Instruct. Consc. c. 120 ait, *quod confessor pœnitenti, probabilem DD. opinionem sectanti, negare absolutionem non potest, licet confessor ipse contrariam opinionem probabiliorem censeat.* citatque Lopez Medinam. Unde patere ait Gravina, non modo *objectivum*, sed etiam *subjectivum* probabilismum a Medina fuisse traditum.

In XIV refert, a P. Alexandro P. Danieli septem objectos fuisse Thomistas, qui medio eo tempore, nempe ab anno 1577 ad annum 1659 probabilismum rejecissent, videlicet *Dominicum Gravina*, Martinum de *Prado*, *Tapiam*, *Mercorum*, *Baronium*, *Gonetum*, *Contensonum.* At respondisse Danielem, tres primos esse probabilistas, cum Gravina *l.* 2 *de objecto revelationum* scripserit: *licitum est tenere multoties opinationem probabilem, relicta probabiliore, quando vera esset probabilitas.* Prado autem *T.* 1 *pag.* 15 ajat: *quando opiniones sunt æque probabiles, potest quis sequi, quam voluerit.* & pag. 18: *Sæpe in praxi licitum est, sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore.* Tapia t. 1 anno 1654 edito pag. 77 asserat: *opinio etiam minus probabilis & minus tuta, dum tamen sit probabilis practice, potest eligi* tuta conscientia, relicta probabiliori & tutiori. & n. 6 addat: *etiamsi alienam non putes probabilem, posse te deponere dictamen proprium & adhærere alienæ.*

Cum Mercorus apparuit, liber P. Dechampii jam fuerat editus; hinc eo in publicum producto, P. de Champs adjecit appendicem, in qua Mercorum, qui primus post Jansenistas belli signum extulit, inconstantiæ arguit. Tres reliqui libros suos ediderunt post annum 1659, quo de Champs scripserat, & quidem Baronius primum anno 1665, & eodem ferme tempore Gonetus, Contensonus vero 1676; manere proin integrum de Champii testimonium, ab

ab anno 1577 ad 1659 nullum fuiſſe ex PP. Dominicanis, qui probabilismo contradiceret.

Dial. XV refert ex Dechampio & Daniele, *veteres Theologos Pariſienſes ſolenni Decreto Anti-tutiorismum approbare*: omnes vero omnino Doctores Sorbonæ, usque ad adventum Janſeniſtarum, approbaſſe probabilismum. Ex Cardenas vero, qui anno primum 1680 opus ſuum contra Jacobum a S. Dominico ſcripſit, *Sententiam de vera probabilitate practica admittenda, ſecure ad praxin quieſcere in quadam pacifica quaſi poſſeſſione in regnis Hiſpaniarum, in quibus Theologia feliciſſime floret; amplecti banc ſententiam omnes Academias, Collegia, Studia Generalia & privata, ſive Thomiſtarum, ſive Scotiſtarum, ſive Jeſuitarum, ut nullus aut fere nullus ſit in bis regnis Theologus, qui diſſentiat*: ut adeo ultra centum annos, nempe ab anno 1577 ad 1680 nullus aut vix ullus in tota Hiſpania fuerit Theologus, qui diſſentiret.

Denique ex eodem Dechamps: Ex *Gallia* Iſambertus clamat: *ita communiter Doctores*: Ex *Hiſpania* Monteſinus, Navarra, Greg. Martinez: *bæc ſententia eſt communis in ſcholis*: hæc eſt communior Theologorum: hæc eſt ſententia communis; Ex *Italia* Bonacina, Roggius, Boſſius: *Ita communiter Theologi, iique, ut ita dicam, infiniti*: *Ita omnes publici Profeſſores Theologiæ*; Ex *Germania* Caramuel Epiſcopus: *Illa ſententia hodie eſt omnium.*

A Dialogo XVI Gravina *tertium* ſuæ propoſitionis membrum probat, videlicet, *Anti-Probabilismi*, Anti-Jeſuitici, criminatorii, ac turbulenti, (non autem modeſti, temperati, pacifici) *initia merum fuiſſe ſtratagema ſectæ Janſenianæ, nec non Anti-Probabilismi curſum magna ex parte ejusdem ſectæ operis fuiſſe & laboris*. Probat autem ex Leydeckeri Hiſtoria Janſeniana lib. 3 de *dogmatibus Janſenismi*, ubi tanquam certum ponit, *Sancyranum & Janſenium, collatis ſtudiis Ethicam Jeſuitarum, tanquam pro aris & focis tutandis, oppugnaſſe, præſertim dogmata de probabilismo, quaſi Jeſuitico.* Ex odio ergo Janſeniſtarum & ſpiritu vindictæ in Jeſuitas, præcipuos ſuos adverſarios, quibus omnia decreta, edicta, ſententias, contra ſe latas, adſcribebant, ortum eſſe bellum illud vehemens anti-Jeſuiticum, a Sancyrano & Janſenio cœptum, ab Arnaldo, Montaltio, Wendrockio, Gerberonio, Quesnello, & Symmiſtis continuatum: euntibus in eorum partem ſociis, quos pudere debuiſſet, tales duces ſequi.

Igitur, licet Janſeniſtæ probe ſcirent, doctrinam de probabilismo origine eſſe Dominicanam, progreſſu vero omnibus cum ipſis communem, ſolos tamen Jeſuitas metam deſignarunt, in

quam

quam communi studio, ira, odio, vindicta collimarent. Hinc *Litteræ* illæ *Provinciales*, *Moralis Practica Jesuitarum*, *Theatra Jesuitica.*

Fatetur ipse Wendrockius, omnium maxime virulentus, in tertia *Nota præambula* ad Litteras Provinciales, quod *Jesuitis tribuantur, quæ ipsi ab aliis hauserint.*

Ut tamen solos posset Jesuitas reprehendere, maligne scripsit: *Alii scriptores fere sibi peccant, aut certe non multis; Jesuitæ toti Ecclesiæ peccant, quam suis novitatibus inficiunt. Latebant hæc dogmata in Bibliothecarum angulis; paucis nota, paucis nocebant. At ipsa Jesuitæ super tecta prædicabant, in aulas Regum, in familias privatorum, in curias Magistratuum invexerunt:* additque, *quod in illo Casuistarum grege, numero, authoritate, fama principatum obtineant, suosque vel alienos errores acrius defendant, latius disseminent.*

Quæ sane Jansenistarum iste triarius non minori odio in Jesuitas, quam contemptu scholarum Catholicarum effutiit, maxime vero Illustrissimi Ordinis PP. Prædicatorum, & scholæ Thomisticæ, a qua Jesuitæ doctrinam de probabilismo hauserunt; quam fulgentissimam atque multo ornatissimam scholam Sanvitalis Jesuita appellavit *mundi magistram, oraculum sapientiæ, in orbe terrarum sapientia, sanctitate, & zelo animarum clarissimam;* quam certe Societas Jesu veneratur, dignamque multi ex illa censuerunt, cujus doctrinam circa usum opinionum probabilium, cum pluribus tamen limitationibus, sequerentur.

In *Dial. XVII* Gravina iterum Sancyranum & Jansenium antesignanos recentiorum antiprobabilistarum statuit, hujusque calumnias in probabilismum refert: prout etiam narrat ea, quæ Caramuel epist. 4 ad Cardinalem Pallavicinum scripsit. *Eram Lovanii*, inquit, *cum jam mortuo Jansenio executores testamenti de clandestina ejus Augustini editione secretissime deliberarunt. Et D.* Libertus Fromondus, *inter novæ hujus doctrinæ asseclas coryphæus, ut viam superventuro aperiret errori, aut verius, ut illum, nihil simile Academiæ Doctoribus prævidentibus disseminaret, has propositiones:* Probabilitatum usus est res nova: Non potest non condemnari apud DEUM, qui relinquens viam tutam insistit opinioni probabili &c. *conatus est in scholas intrudere, se opponentibus viris doctis & piis;* additque: *ante annos paucos Janseniani in Gallia, ut doctrinam Jansenii, ab Innocentio X condemnatam, sub larva pietatis revocarent, pium & doctum* probabilitatum *usum sunt criminati, prævidentes, illo semel proscripto, Jansenianam necessario hæresin resurrecturam.* Proteștatur tamen P. Gravina, quod ultimæ huic Cara-

ramuelis reflexioni nullatenus se immisceat; nec ego illam meam facio, sed historice duntaxat eandem cum illo præcise refero.

Ceterum prima Fromondi propositio est falsa, & contra certam Historiam. Secunda inducit tutiorismum universalem, & si loquitur universaliter de omni opinione probabili, ab Alexandro VIII fuit damnata in hac *Sinnichii* Jansenistæ propositione: *non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.*

In Dial. XVIII eandem materiam prosequitur, ducitque epocham Probabilismi *Mediniani*, sub propriis & formalibus terminis & formulis concepti, ab anno 1577; epocham vero Antiprobabilismi *Sancyranam* ab anno 1632, *Jansenianam* vero ab anno 1640; quia iis temporibus Sancyranus & Jansenius in probabilismum Catholicum invehi cœperunt.

Dial. XIX ait, hæc non eo narrari, ut impugnatio probabilismi ullo modo hæresis nota afficiatur; cum Catholice impugnari possit, & a pluribus etiam Jesuitis impugnetur: cum liberum illis sit, probabilismum (verum tamen, solidum & limitatum) defendere, vel impugnare. Sed eo hæc spectare, ut adversarii Catholici, maxime Thomistæ, desinant Jesuitis attribuere probabilismum, tanquam proprium, cujus ipsi sunt auctores, quique deinde, ipsis ducibus, factus est omnibus communis; perspiciantque, non sanctos viros studio pietatis primos adversus probabilismum arma arripuisse turbulenta, & furiosa, sed perfidos hæreticos, ut bellum, quo premebantur, in Jesuitas transferant, quos ceu impugnatores suos habebant exosos. An vero gloriosum sit viro Catholico, illorum vestigia premere, & linguam maledicam & calumniantem discere, ipsis considerandum relinquimus. Modo regnaret semper charitas & recta intentio; quamque severam sentiendi vivendique regulam aliis præscribimus, ipsi servaremus!

Dial. XX Conclusionem suam, hactenus probatam, infert, initia nimirum Anti-Probabilismi (turbulenti, convitiantis, & cum inimico strepitu propositi) merum esse stratagema sectæ Jansenianæ, ejusdemque cursum magnam partem fuisse eorum operis & laboris; cum etiam post Sancyranum & Jansenium non desierint, in Probabilismum tonare; prout ex scriptis Arnaldi, Pascalis, Nicolii, Fromondi, Gerberonii, & Quesnelli constat.

Dial. XXI repetit, a Capite & Corpore Ordinis Prædicatorum duos scriptores, Medinam & Ildephonsum præcepto fuisse adactos, ut probabilismum suum evulgent; non autem constare, quod Cajetanus, Mercorus, Baronius, Gonetus, Contenson, Alexander, Serry,

Serry, Jacobus a S. Dominico, aut ullus alius Thomista coactus fuerit, suum probabiliorismum edere. Ex Jesuitis autem nulli unquam fuisse imperatum, ut probabilismum prælo committat. Atque vel ex hoc etiam patere, an probabilismus *Jesuiticus* sit dicendus, an *Thomisticus*.

Dial. XXIII quartum membrum suæ propositionis probat, nempe, *id unum Jesuitarum esse suum & proprium, ut probabilismum, pluribus nominibus alienum, arctarint, emendarint, perfecerint, & contra Jansenianos furores propugnarint*; probatque 1 ex P. de Champs, qui c. 8 copiosos exhibet indices Jesuitarum probabilistarum, qui etiam ante censuras damnarunt probabilismum Ministri Sacramentorum, Judicis, Medici, Magistri docentis &c. 2 Ex eo, quod nullus sciatur Jesuitarum, qui probabilismum docuerit tam amplum, vagumque, nullis circumscriptum terminis, ac docuere insignes Thomistæ, uti Medina, Candidus, Joannes a S. Thoma, (*in omnibus negotiis, in quacunque materia, in qualibet materia*) neque contenti sunt Jesuitæ quacunque probabilitate, etiam tenui, dubia, incerta, aut per momenta sententiæ oppositæ eversa. Sed requirunt probabilitatem veram, certam, Theologicam, practicam, absolutam, & comparativam, nixam nempe rationibus gravibus ac solidis, quæ virum prudentem movere possint ad assensum. Deinde requirunt ultimum dictamen intellectus, ex principiis directis vel reflexis, omnino certum moraliter; unde nullum est peccati, saltem formalis, periculum.

3. Ex eo, quod solerter discrimen Jesuitæ faciant inter probabilitatem mere *speculativam* & *practicam*, item inter quæstiones *juris* & *facti*, quod P. Suarez assignavit, laudatus a Morino propterea. Quibus distinctionibus probabilismus multum limitatur, temperatur, coarctatur, restringitur. Imo, si ex duabus opinionibus probabilibus, illa, quæ stat pro lege, manifeste sit probabilior, illi adhærendum & secundum illam agendum, omnino censeo, nec licitum esse sequi manifeste minus probabilem, stantem pro libertate, sive dein hæc adhuc maneat probabilis, sive non.

Addit P. Gravina, si quis ex Jesuitis laxam aliquam sententiam docuerit, eum passim a suis oppugnari.

Art. II.

Quatuor paradoxa. Probabilismum esse tutum: anti-probabilismum periculosum: illum degenerare non posse in laxismum: hunc autem in rigorismum facile degenerare.

265. Dial. XXIV Gravina quatuor propositiones, in speciem paradoxas ponit. 1 *Usus probabilismi maxime tutus est.* 2 *Usus probabilioris-mi maxime periculosus est.* 3 *Probabilismus germanissimus degenerare minime potest in laxismum.* 4 *Probabiliorismus germanissimus in rigorismum debet excurrere.* Primam dein propositionem probat 1 ex eo, quod *lex dubia sit lex nulla, ut obliget*; idque constare, ait, ex utroque Jure, & auctoritate Doctorum, cum ejus existentia non sit sufficienter promulgata.

2. Ex eo, *quod probabilitas opinionis minus probabilis non elidatur a probabiliore.*

Dial. XXV allegat P. Laurentium *Berti* famosum probabilioristam, ex Inclito Augustinianorum Ordine, qui T. 4 de *Theol. Discipl. l.* 21 *c.* 15 scribit: *probabilem rationem, quam contraria nequeat labefactare, & quæ a veritate non abhorreat, etiam nos dicimus inculpatam & innocentem.* Si ergo probabilis ratio non eliditur, innocenter illi adhæremus. Eadem est Baronii sententia.

Dial. XXVI probabilismum probat exemplo Machabæorum contra communiorem sententiam die festo pugnantium, Apostolorum, declarantium, Christianos legi Mosaicæ non esse obnoxios; Antiochenorum, tempore Juliani, ne fame perirent, idolothytis vescentium, contra opinionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ; item exemplo controversiæ de paschate celebrando, & baptismo, ab hæreticis collato. Ubi sane Polycrates & Firmilianus cum suis Asianis, & S. Cyprianus cum suis Africanis Episcopis, opinioni minus probabili adhæserunt.

Dial. XXVII ex S. Augustino, *l.* 20 *cont. Faust. c.* 75 & *ep.* 47 *ad Publicol.* de bello justo vel injusto, licito vel illicito idolothytorum usu sic tractante, ut utramlibet opinionem eligi posse doceret.

Dial. XXVIII argumentum petit ab obedientia Religiosa, quæ secundum SS. Patres exigit, ut pareatur superiori in omnibus rebus, in quibus nullum manifestum est peccatum.

Dial.

Dial. XXIX ex usu Principum & populorum, præsertim circa exercitium *Jurisdictionis:* item ab auctoritate Thomistarum, & Academiarum, nominatim etiam Sorbonæ, ducibus Gamachæo, Isamberto, Duvallio, ante Jansenismi Eclypsin, qua Sorbona sit infuscata.

Item ex Christiano Lupo, ex Ordine S. Augustini eruditissimo scriptore, qui *Dissertat. de probabil. c.* 3 demonstret, quod *Ecclesia Catholica circa humanas leges semper permiserit uti sententia probabili.* c. 4 quod *etiam circa Divini juris materiam.* c. 6 quod *Romani quoque Pontifices sua Rescripta quandoque forment ex istiusmodi probabilibus sententiis.* c. 7 quod *Ecclesia semper admiserit probabiles sententias, etiam circa jus naturale.* c. 5 & 8 hæc firmat exemplis.

Item ex libro, cui titulus: *Lydius lapis recentis Antiprobabilismi*, a Doctoribus Salmanticensibus composito; in quo *Sessioni* 24 hic titulus præfigitur: *opinio benigna ex praxi summorum Pontificum apprime confirmatur.*

Uti etiam ex Thesi Francisci Solis, Ordinis de Mercede, celebris Doctoris Salmanticensis, qua dicit: *Dispensationes & Gratiæ, quas summi Pontifices, innixi opinionibus, communi Doctorum judicio minus probabilibus, concessere, notæ sunt omnibus usque adeo, ut, cum de illarum veritate nullus sit ambigendi locus, neque lateat, quantum hoc Anti - probabilistas fulmen exarmet, aliqui eorum,* ad eludendum argumentum, *sint causati, in his eventibus Pontifices Maximos opiniones, minus receptas, veras existimasse, communiores vero & plausibiliores falsas proinde reputasse.*

Adjungitur exemplum dispensationis in voto solenni castitatis, & matrimonio rato. Adrianum VI ad solam opinionem Cajetani in hoc dispensasse. Huc pertinet etiam responsum Urbani VIII, ut Missionarii in convertendis barbaris sequantur sententias probabiles, barbaris magis favorabiles. Quam exultarent Jansenistæ, si probabilismus condemnaretur, ut possent dicere, Pontifices in doctrina morum errasse!

Dial. XXX adducit argumentum ex Authoritate S. Francisci Salesii, qui probabilismum PP. Lessii & Reginaldi approbarit, non sine elogio. Hoc autem adeo displicuisse ex Anti - probabilistis cuidam (Hyacintho Serry) ut de magno ac docto hoc sancto scribere non horreret: *quidquid primo mentem subibat, id probabat, modo pietatis speciem præseferret.*

Dial. XXXI ostendit, censuras, quibus laxæ quædam propositiones fuerunt notatæ, nullatenus profluxisse ex probabilismo vero & genuino, nihilque cum eo habere commune. Sicut neque Joannis

Joannis Caramuelis, Epifcopi Vigevanenfis, *Apologema pro antiquiffima & univerfaliffima doctrina de probabilitate*; quo Fagnanum refutavit. In Caramuelem pro folita fua modeftia invectus eft P. Vincentius Baronius Dominicanus. Sed non minus Theologia Moralis Baronii, quam Apologema Caramuelis Romæ confixa eft. Ipfis autem genuinis probabiliftis difplicuit Caramuelis amplus nimium & laxus probabilifmus; unde ejus doctrinam ad examen vocarunt Andreas Mendo, Joannes Cardenas, & Honoratus Fabri, eandem velut vitem luxuriantem putantes.

Dial. XXXII affert exemplum Ludovici de Ponte & Pauli Segneri, qui voce & calamo pro probabilifmo pugnarunt: item Joannis Berreyarca, Aloyfii Baldinuci, & Francifci de Hieronymo, celebrium Miffionariorum & animarum directorum, qui fibi aufteri, aliis vero benigni, ad animarum falutem procurandam optimam viam effe putabant, fi fecundum falubrem ufum opinionum probabilium procederent. Eundem fuiffe fenfum Conftantini Roncaglia, ex congregatione Matris Dei, eruditi expurgatoris laxarum Natalis Alexandri, probabilioriftæ, propofitionum, de quo jam alias in hoc apparatu notaveram, quod, poftquam in fcholis probabiliorifmum docuerat, audiendis confeffionibus admotus, fententiam mutarit; candide faffus, aliud effe ad pulpitum fcribere, & in fchola prælegere, aliud in praxi exercere.

Experimento, inquiebat, *vidi*, *nihil ad praxin defervire* quæftionem, an licitum fit fequi minus probabile in confpectu probabilioris: *quis enim vel ftudendo, & præcipue, dum audit confeffiones, poteft omnia momenta utriusque partis librare, & inde definire: hoc eft minus probabile, hoc eft probabilius? hoc effet onus intolerabile. Satis mihi fuit in praxi, fequi fententias, quas rationabili fundamento innixas putavi, & ita credidi, me fatisfeciffe confcientiæ* absque eo, *quod judicem me conftituerem inter minus probabilem, & magis probabilem. De Confc. opinat. five de opin. probab. q.* 1, & *tr.* 1 *de act. Hum. c.* 11.

Hos viros probos, doctos, & vitæ fanctimonia claros, Gravina opponit Cardinali de Aguirre (qui tamen ingenue faffus eft, fe materiam iftam non fatis examinaffe) aliisque, depravari per probabilifmum difciplinam morum lamentantibus.

Dial. XXX refpondet ad objectionem petitam ex *c. Juvenis de fponfal.* & *c. fignificafti de Homicid.* ubi dicitur, *in dubiis tutiorem viam effe eligendam.* Verum, fi verba ifta adeo ftricte & univerfaliter effent in vim præcepti accipienda, fummus tutiorismus & confequen-

sequenter Rigorismus esset introducendus, nec licitum esset, sequi probabiliorem, imo neque probabilissimam, si opposita sit tutior.

Unde *eligere viam tutiorem esse consilii, non præcepti*, ait S. Antoninus *T* 1 *Summæ l.* 3 *c.* 10, & Sylvester Prieras S. Palatii M. ac dein Generalis Ordinis, in Summa sua Sylvestrina *V. confessio* scribit: *licet sit tutius, statim, habita opportunitate, confiteri, tamen non est tutius tenere, quod sic obligemur; quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi.*

Idem habet Jus utrumque; sic Reg. 65 de R. J. in 6, & 171 ff. de R. J. *In pari causa potior est conditio possidentis.* & ll. *semper* eod. *In dubiis benigniora præferenda sunt.* &. l. *si fuerit* de re dub. *In rebus ambiguis humanior sententia est præferenda;* consonat *cap. fin. de transact.*

Gravina discordiam istam conponit, dicendo, in dubio *practico* tutiorem esse eligendam: in dubio vero speculativo (excepto *possessore*, cui causa adjudicanda, & exceptis quæstionibus *facti*, in quibus tutior eligenda) eligi posse pro arbitrio; pro aliis tamen eligenda benigniora, si sint vere probabilia.

Doceri hoc, teste Nidero Dominicano in *Consol. tim. Consc. part.* 3. *c.* 11, a B. Humberto de Romanis, Generali Prædicatorum in *Expos. Constit. Ord. Prædicat.* his verbis: *Quia fructus animarum impediri solet per nimiam austeritatem in consiliis & opinionibus (terrentur enim ex hoc homines in tantum, ut salutem negligant) idcirco relaxanda est, quantum fieri potest, austeritas, & agendum est benigne cum hominibus; quia sic melius trahuntur ad salutem, cum sententiæ mitiores tenentur.*

Consonat Ostiensis *in cap. sed vir de cognat. spir. ubi sunt diversæ opiniones*, inquit, *& diversa jura, semper humanior est præferenda.*

Cæterum confundi non debet *dubium* cum *opinione*. Dubium stricte dictum est suspensio intellectus inter duas sententias, opinio est assensus intellectus, uni præstitus. Hinc Vasquez in 1. 2 t. 1 disp. 62 c. 9 ait: *commune axioma* (tutior pars est eligenda) *intelligitur solum in dubiis, non in opinionibus; nempe, quando dubium tale est, ut judicium conscientiæ cum assensu colligi non possit: sed etiam dubia semper conscientia maneat, sicut revera intelligunt Navarrus & Sylvester.* Si nempe dubium practicum, in quo operari nunquam licet, per ultimum dictamen conscientiæ, moraliter certum, non deponatur, operans peccat. Quod plane contingere videtur in adversariorum sententia; cum enim principia reflexa rejiciant, nullam certitudinem consequi possunt ultimi dictaminis, quia illud manet intra fines meræ probabilitatis, & opinionis, conjunctæ cum formidine peccati.

Dial. XXXIV ait, selectiora in oppugnando probabilismo arma esse *calumnias*, uti, quod *nobis regula honestatis sit probabilitas*, *eaque dubia*; cum tamen ea nobis non sit, nisi certitudo moralis *Judicii Reflexi*, *quo formatur proximum*, *ultimum*, *practicum conscientiæ dictamen*, *moraliter certum.* Neque probabilitas directa est dubia, sed requirimus certo existentem, veram ac solidam.

Aliam calumniam refert, quod dicant, alium nobis probabilismum esse, dum valemus, & alium, dum morimur: quod probabilistarum prudentia sit prudentia carnis, prudentia Pilati, Christum condemnantis. Verum calumnias, convitia, mendacia, sarcasmos, maledicas declamationes, non nisi risu & contemptu esse excipiendas.

Pilatus scivit, Christum esse innocentem, & accusationes meras esse calumnias & imposturas Judæorum; consequenter non potuit licite sequi eorum testimonia, quæ non erant *convenientia;* ac proin nullam habuit probabilitatem, quod liceat Christum condemnare. Imo ad hoc, ut possit Judex condemnare ad mortem, Jura requirunt *probationes luce meridiana clariores.* Unde patet, quam inepte & ridicule P. Berti, Augustinianus, & P. Diez, Dominicanus *Pilatum* faciant *Probabilistam.*

Dial. XXXV Gravina procedit ad secundam suam probationem, *quod usus probabiliorismi sit maxime periculosus*, eo quod, rejectis principiis reflexis, non habeatur ulla certitudo ultimi dictaminis conscientiæ, sed vel in dubio practico, vel cum opinione probabili, cum formidine peccati esset operandum, ut prius fuit insinuatum.

Præterea in principiis Probabilioristarum invehi *moralem impossibilitatem assequendi honesti in dubitationibus;* propterea systema Haberti, Sorbonici, de *Delectatione Victrice*, *moralem secum ferente necessitatem peccati*, a suis Gallis, Abbate de Maas, & P. Daniele Jansenismi nomine notari. Desperationi hinc sensim viam sterni, præsertim si quis probabiliorismo abutatur ad introducendum Rigorismum. Hinc tantum abesse, ut probabiliorismus sit licentiæ frænum, ut potius sit calcar.

Scribit enim P. Gregorius Martinez, celebris Doctor ex inclita PP. Prædicatorum Familia, *T.* 1 *super* 1. 2 *q.* 19 *art.* 6. *Homines probi & timorati semper sunt securi, si probabilem sequantur. - - - Alias essent infiniti scrupuli Fidelium, utrum fecissent, vel non fecissent secundum probabiliorem, vel minus probabilem.*

Idem advertit P. Alphonsus Sarasa *de art. semper gaud. part.* 2 *tract.* 5 §. 3 his verbis: „ An est credibile, legem a Deo latam,

quæ

„ quæ in infinitas hominem angustias adigat, & quæ vix ab ullo,
„ imo a nemine possit observari? quid enim? certe, si probabilio-
„ rem in omnibus opinionem sequi debeo, ex mente Dei, etiam
„ mihi onus incumbit, diligenter inquirendi, quæ sit probabilior.
„ An vero tantum onus humanæ vires ferunt? - - - Nam, cum
„ sciat homo, se falli posse, non tantum momenta causæ ipse ex-
„ pendere, sed aliis etiam expendenda dare debebit, ne forte pec-
„ cet, si adversa probabilior fortasse sit opinio. Et cum hodie ap-
„ pareat sæpe minus probabile, quod heri videbatur multo proba-
„ bilius, continuo cogetur actionem institutam abrumpere, & to-
„ ties eam mutare, quoties probabilitatis pondera variantur, aut
„ ipsis incrementi quidpiam adjicitur aut adimitur.

„ Rursus, si probabilitas actionis ex doctorum virorum au-
„ ctoritate existit, quotiescunque probabilis occurrit opinio, an-
„ tequam ex ea, quid agendum sit, conscientia decernat, exami-
„ nare debebit, quot pro ea stent Auctores. An non plures pro
„ contraria? rursus: an æque graves? an æque docti? denique,
„ an omnes rem pari studio excusserint? ab his enim circum-
„ stantiis pendet major vel minor opinionum probabilitas. - - -
„ Profecto legi huic ut satisfiat, non Theologos modo, Jurisque
„ omnis peritissimos esse erit necesse, sed & ingenio doctrinaque
„ Angelos superare. Sane nihil quidquam rerum in orbe fiet, si
„ tanta accuratione examinanda sunt omnia: & tamen examinanda
„ prorsus sunt, si præceptum sit, non agere, nisi quod probabi-
„ lior fert sententia. Quis autem credat, talem legem homini a
„ Deo datam, (cujus jugum suave est & onus leve, & cujus
„ mandata gravia non sunt) si vero data non est lex, quo pa-
„ cto obstringimur?

Confirmatur exemplo Judicis in foro externo; quia ille debet ferre sententiam pro eo, cujus causa est probabilior, quanto tempore sæpe pro unica causa recte decidenda opus est! quot ultro citroque testibus, instrumentis, præsumptionibus, probationibus! quot exceptionibus, replicis, duplicis, triplicis, expensionibus, ut Judex cognoscere possit, utrius causa sit probabilior! Idem plane fieri deberet in judice sui ipsius, si probabilitas caussæ ad honeste agendum non sufficeret, nec nisi secundum probabiliorem deberet judicare se ipsum ac dirigere. Idem a Judice sacro in tribunali sacro sedente. Circumstant non raro in Germania unicum confessionale simul ultra 50 pœnitentes; plures ex illis volunt confessionem generalem deponere, aliqui debent priores confessiones

confiteri. Miserum sane confessarium! miseros pœnitentes, si non possent secundum sententiam vere probabilem procedere! si in tot diversissimis causis, in circumstantiis in infinitum variabilibus, semper sub peccato tenerentur probabiliora inquirere. Quoties deberet confessiones abrumpere, e confessionali surgere, adire Bibliothecas, auctores legere, numerare, ponderare, aut alios consulere, fortassis etiam cum scandalo pœnitentium, aut periculo violandi sigillum. Alia certe est praxis etiam eorum, qui probabilismum ore exsibilant, opere sequuntur.

Fatetur P. Thyrsus Gonzalez, Societatis Jesu Generalis, probabiliorista vehemens, *T.* 3 *select. Disp. d.* 50, se, dum Missionarium ageret, uno die tempore matutino audivisse 68 confessiones generales. Mirum profecto & incredibile, si Probabiliorista iste, in tot diversis causis tam brevi tempore judicandis, nunquam usus est opinione probabili. Ego de me fateor; sine scrupulo sequor sententias, quæ mihi apparent vere probabiles (nisi oppositæ appareant probabiliores) & tamen magnas in confessionibus audiendis sentio difficultates; si vero in tot occurrentibus dubiis non possem secundum opinionem probabilem procedere, sed necesse semper foret, in probabiliorem inquirere, viderentur insuperabiles. Post omnes torturas, in pœnitentem & se ipsum exercitas, confessarius sæpe non potest judicare; hoc *est probabilius*, *hoc est minus probabile.* Gratulor probabilioristis, si ipsi tanto sint ingenio, tanta spiritus discretione, tanta doctrina, ut semper id possint. Non credo. Facile est, ore dicere: *hoc est probabilius*: sed sincere & prudenter id semper judicare, in praxi moraliter est impossibile. Hominem se esse neget, qui aliter sentit. Certe piissimus & doctissimus Gerson ait: *variæ suboriuntur circumstantiæ, pro quarum diversitate diversificari debet judicium; ut vix possit aliqua in moralibus generalis regula tradi, quæ in particularibus casibus exceptionem non admittat.* Et paulo ante dixerat: *Itaque debet quilibet nunquam oblivisci, quam incerta est scientia nostra, ita, ut idem sæpe homo brevi temporis momento nunc in hanc, nunc in oppositam feratur sententiam.*

Profecto si Doctor post expensas longo & diligenti studio duas contrarias sententias sæpe adhuc manet dubius, nec potest se resolvere, quam probabiliorem judicet; quomodo id fieri poterit in actibus humanis, propriis & alienis innumeris, in casibus & circumstantiis infinitis? Recole testimonium Constantini Roncaglia supra allatum.

Aliud foret, si major probabilitas per se ipsam esset manifesta, tunc enim secundum illam agere oporteret, si stet pro lege contra libertatem; neque tunc esset tanta difficultas, ut per se patet.

Dial. XXXVI monstrat Gravina, quod obligatio Judicis, Medici, Magistri, Ministri sacramentorum, sequendi opinionem probabiliorem, nullo modo suffragetur probabiliorismo; quia in illis probabilitas non est practica, cadens supra *licentiam actionis*, sed speculativa, cadens supra probabilitatem causæ, medicinæ, materiæ sacramentalis. Unde non datur hic probabilitas, quam nos exigimus, nempe practica, versans circa licentiam actionis. Non enim est probabile, quod Judex possit ferre sententiam pro eo, qui habet causam minus probabilem, aut Medicus dare medicinam, minus probabiliter bonam, aut baptizans adhibere aquam dubiam, aut minus probabiliter veram, quando potest habere aquam certo veram ac naturalem. Ac proin, ut dixi, non datur hic probabilitas *practica circa licentiam actionis:* sed probabilitas mere speculativa circa causam, medicinam, aut materiam sacramenti. Quod utinam melius notaretur.

Et ratio ulterior est, quia per nullum dictamen Judex, Medicus, aut Minister sacramenti potest avertere damnum proximi, aut ejus periculum, sicut exercens actum probabiliter licitum per dictamen reflexum, moraliter certum, potest avertere peccatum saltem formale atque offensam Dei, & ejus periculum. Hinc baptizans neque potest adhibere aquam, probabilius validam, si possit habere certo veram ac validam. Unde argumentum retorquetur.

Dial. XXXVII P. Gravina probat suam tertiam propositionem, quod *probabilismus germanissimus degenerare minime possit in laxismum nisi probabilismus deseratur.* Nam genuinus probabilismus, ut inquit, & laxismus involvunt contradictoria. Siquidem ille est vera, solida, practica, & certa probabilitas, non autem iste. Ille nititur fundamento gravi ac solido, non autem iste. Ille non est contentus probabilitate quacunque tenui, incerta, aut per oppositam probabilitatem elisa: bene vero iste. Ille proscribit opinionem, quæ est contra certam aliquam legem, certum principium, certam conventionem, legitimam censuram: non autem iste.

Allegat dein P. Gravina multos Doctores, præsertim S. Thomam, ac Thomistas, quorum testimonio & authoritate probat, probabilismum esse Thomisticum, Dominicanum, legibus conformem, pium, Christianum, ac proin nihil cum laxismo habere commune.

Dial. XXXVIII probat quartam propofitionem, quæ videri poffet paradoxa, quod videlicet *probabiliorismus germaniffimus in Rigorismum excurrat, & fimul laxismum inducat.* Primam partem conftare ex ipfo fyftemate Probabilioriftarum, quod præcipiat moraliter impoffibilia, fi obligationem imponat, femper inquirendi in probabiliora. Alteram ex hiftoria patefcere: *Montoniftas*, *Novatianos* & præcipue *Tertullianum*, dum fummum rigorem affectabant, in graviffimos errores fuiffe prolapfos. Idem *Audianis* in Afia eveniffe. *Donatiftæ* in Africa totam Ecclefiam corruptam clamabant. Quantus rigor *Flagellantium* in Italia, Quackerianorum in Anglia! quid *Clemangius* in Gallia, *Niemfius* in Germania, aliique damnatæ memoriæ Auctores, magis accufabant, quid Lutherani & Calviniftæ magis vociferabantur, quid Janfenius, Sancyranus, Arnaldus, Quesnellus, aliique Janfeniftæ, quam corruptam Ecclefiæ difciplinam? quam morum feveritatem Janfeniftæ & Convulfionarii cum Diacono *Paris* hypocrita, & Michaele Molinos ejusque Quietiftis & Lutheranis Pietiftis, externe præfeferebant! Similes *Pharifæis* hypocritis, quos Chriftus defcripfit, apparentes in veftimentis ovium, intus autem lupos rapaces.

Hoc in eum duntaxat finem adducere vifum, ut appareat, quam facile probabiliorismus (de fe inculpatus) in rigorismum degeneret, & rigorismus in laxismum; cum tot homines, a probabiliorismo in rigorismum, atque ab hoc in graviffimos errores fint prolapfi. Et quinam erant quadraginta illi Doctores forbonici, qui cum P. Alexandro famofo illi *Cafui Confcientiæ* fubfcripferunt Parifiis? certe Probabilioriftæ erant: prout etiam lymphata *Appellantium* turba.

Unde P. Gravina ait: *duce experientia patet, probabiliorismum impedimento fuis fectatoribus non fuiffe, quo minus in quamplures inciderint laxiffimas opiniones. Cajetanum teftamur, cujus fexcentæ circumferuntur laxiffimæ opiniones - - - cum autem Cajetanum nominamus, fundatorem & Achillem Probabiliorismi profecto intelligimus.*

Abfit tamen, ut Cajetanum, Alexandrum, aliosque probabilioriftas, ullo modo cum prædictis hæreticis, qui externe Rigorismum præfeferebant, comparemus. Probabiliorismus Catholice teneri & defendi poteft. Sed id oftendere erat animus, probabiliorismum magis quam probabilismum periculofum effe. Quod ex eo quoque confirmari poteft, etiam probabiliftis, fi quas laxas tradiderunt fententias, eas probabiliores vifas fuiffe: nemo enim facile, præfertim in moralibus, doctrinam proponit in publicum, qui eam non probabiliorem oppofita arbitretur. Unde etiam probabilifta-

rum

rum exerrantes propositiones probabiliorismo potius quam probabilismo sunt adscribendæ.

Dial. XXIX & XL concludit, aitque, cum probabilioristæ in praxi omnia sibi licita putent, quæ probabilistæ, contentionem de sectanda opinione probabiliore (cum nihil negotii habeat ad componendos mores) nihil ad severioris Ethicæ cultores pertinere, & esse mere speculatricem: non esse proin, cur Patres aliqui ex Illustrissimo Ordine S. Dominici tantas tempestates in Italia & Gallia (Germania quoque) ridentibus hæreticis, concitent, totque calumniis & convitiis Jesuitas, velut morum corruptores, insectentur, cum nihil isti doceant, nisi quod a Thomistis & præsertim antiquioribus, forte doctioribus, acceperunt. Optandum sane foret Ecclesiæ, ut utraque sacra Familia arma, quibus fratres in fratres insurgunt, conjungerent, atque in hæreticos, Ecclesiæ hostes, converterent. Impugnant illi identidem virulentissimis scriptis librisque sanctam Ecclesiam, & vix ulli aut pauci sunt ex probabilioristis, qui eam defendant, præsertim in Germania.

Art. III.

Mens S. Thomæ, Mutii Vitellesci & Instituti S. J. Vasquez, Pallavicini, Sanchez. Quinam ex Jesuitis sint probabilioristæ?

In parte II. P. Josephus Gravina singillatim confutat P. M. Vincentium Diez, studii Generalis S. Dominici Panormi Regentem, atque ad singulas ejus objectiones respondet. Ego aliqua tantum obiter hic eruditionis gratia referam. 266.

Conclusione 3 objicit P. Diez S. Thomam, quod *quodlib.* 3 *Art.* 10 dicat: *In his, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri; in talibus enim ignorantia non excusat. Resp.* Hanc Doctoris Angelici sententiam esse verissimam. Non enim est probabilis opinio erronea, seu quæ est contra fidem aut bonos mores, id est, contra testimonium S. Scripturæ aut definitionem Ecclesiæ. Ex quo infert Steph. Spinola: *ergo in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, excusatur quis, sequendo opinionem sui Doctoris, si non est erronea & contra manifestum scripturæ testimonium? quod est idem ac quando est probabilis; quia exceptio firmat regulam in non exceptis.* In talibus autem, quæ manifeste erronea

nea ſunt, non excuſat ignorantia; quia eſt *vincibilis.* Alias enim excuſarentur hæretici, ſequentes doctrinam ſui Magiſtri, Lutheri &c. Ita exponit S. Thomam Joannes Nider Dominicanus in ſuo *Conſol. timor. Conſc.* c. XI, additque: *Hæc verba S. Thomæ non poſſunt intelligi, niſi de illis, ubi* maniſeſte *patet ex Scriptura aut Eccleſiæ determinatione, quod ſit contra legem DEI, & non de illis intelligit, ubi illud non apparet.* Cæterum, quantum pertinet ad S. Thomam, Jeremias de Padua ex Ord. S. Franciſci *in Probabiliſmo, methodo mathemat. demonſtrato P. I Supp. XI* ait: *D. Thomas centenas de moribus opiniones libertati faventes contra antiquos docuit.* Et P. Cardenas *P. III Criſis Diſp.* 56 c. 8 ſcribit: *Nihil evidentius dici poteſt, quam quod S. Thomas in materiis probabilibus, & in concurſu diverſarum opinionum doceat nos ſæpiſſime eam partem, quæ ſtat pro libertate contra legem.* Poſtea ſubjungit, plus quam ducentas hujuſmodi opiniones in S. Thoma reperiri. Idem teſtatur Moya.

Obj. 2. P. Mutius Vitellescus Generalis Societatis anno 1617 ad Superiores Societatis ſcripſit, monuitque, ut curent, eas doceri ſententias, *quæ tutiores, graviores, majoriſque nominis Auctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis:* nec dicant: *tueri quis poteſt, probabilis eſt, auctore non caret.*

Reſp. P. Mutius voluit, ut Profeſſores & Doctores noſtri in ſcholis libriſque non dicant probabile, quod forte non eſt probabile, aut tenuiter eſt tantum probabile; ſed, prout publicos Doctores decet, rem bene examinent, & ea, quæ probabiliora ſibi videntur, doceant, præſertim circa materias morum: hoc enim eſt officium Doctoris *publici*, qui ex quaſi - contractu ad id obligatur, ſicut Judex, Medicus &c. Si tamen ex iis, quæ iſti docent, tanquam ſibi probabiliora, alii veram probabilitatem certamque colligant, nequaquam obſtat P. Mutius, quin eam ſequantur.

Nam idem ipſe, cum Urbanus VIII reſpondiſſet, circa matrimonia Infidelium, rem omnino graviſſimam, uſu adhibendas ſententias probabiles, quæ ex infidelitate converſis magis eſſent favorabiles, ita omnino agi a ſuis voluit.

Quantum vero ad ipſum probabiliſmum ſpectat, ſeu ad uſum opinionum vere probabilium, Probabiliſtæ ex multis graviſſimis rationibus jure exiſtimant, ſententiam ſuam eſſe *tutiorem, graviorem, majoriſque nominis Auctorum ſuffragiis frequentatam, quæ pietati boniſque moribus conducat magis.* Unde voluntati P. Generalis perfecte obſequuntur. Bene hic notandum, quod R. P. Sylveſter Prieras Generalis PP. Dominicanorum, ſupra jam laudatus, in Summa ſua *V. confeſſio ſacr.* ſapientiſſime dixit: *Licet ſit tutius, ſtatim confiteri, - - - non tamen tutius*

tutius est, tenere, quod sic obligamur; *quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi.* Sic etiam tutius est, in concursu duarum opinionum probabilium, sequi eam, quæ stat pro lege; non tamen est tutius, docere & tenere, quod ad hoc obligemur. Tutius & probabilius est docere, quod non obligemur semper probabiliorem sequi. Qui habet intellectum bene dispositum, capit facile, quod dicimus. Cepit optime doctissimus Augustinianus Bartholomæus Solonius T. 1 *Contr. de Just. & Jur. in* 2. 2 *quæst.* 63 *a.* 11, ubi scribit: *eligenda est opinio, ut alii volunt, probabilior: sed quod liceat amplecti probabilem, creditam veram, est opinio probabilior, cum habeat plures & gravissimos Auctores, & firmiora fundamenta, quam opposita, maxime cum aliorum argumenta facile solvantur, nostra non ita: ergo licet eam sequi.*

Ad id, quod P. Mutius dixit, *non nullorum ex Societate sententias, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio liberas, esse periculosas*; respondet Theodorus Eleutherius; *fecisse eum, quod prudentes Superiores solent, qui minimos subditorum excessus, vehementer exaggerant, ut graviores impediant.*

Pertinet huc etiam, quod S. Thomas dicit in *Epist. ad Galat. Lect.* 3 *in c.* 2, quamvis in illa dubitatione opinionum, an liceat vesci cibis, lege vetitis, abstinere fuerit tutius, non tamen fuisse tutius, christianos ad hoc obligare. Quia talis doctrina alienasset Gentiles a fide christiana; hinc reprehensum Petrum a Paulo, qui tamen, ne Judæi scandalizarentur, Timotheum circumcidit. Sic etiam dicimus, magis securum esse docere, quod non detur obligatio, sequendi semper tutiora.

Obj. 3. P. Suarez dicit *lib.* 6 *de leg. c.* 8: *in casu dubio, in quo judicari non potest probabiliter, an casus comprehendatur sub legis obligatione, nec ne, recurrendum esse ad superiorem, si fieri possit, vel si non possit, servandam esse legem*; nam, *si in casu formidoloso & probabili hoc fieri debet, multo magis in dubio.*

Et Vasquez ait, decipi eos, qui putant, eum, qui dubitat, an lex aliqua lata fuerit & promulgata in curia ea lege non teneri, eo quod ipsi non satis promulgata videatur: siquidem in dubiis tutiorem partem esse eligendam.

Resp. 1 *ad* 1. Suarez loquitur de casu, quo constat de existentia legis; nam tunc lex est in possessione; consequenter, qui prætendit exemptionem, eam probare debet, vel, si id non possit, superiorem accedere, aut legem servare. Nam licet speculative esset probabilis exemptio, non tamen practice, si lex est in possessione: hoc est; licet sit probabilis exemptio, non tamen probabile est, quod lege non teneatur, si lex est in possessione, & æque probabile est, quod non sit

exemptus. Sic, qui certo ſcit, ſe peccatum grave commiſiſſe, & dubitat, an fuerit confeſſus, aut etiam ſpeculativam probabilem rationem habeat, quod fuerit confeſſus, tenetur confiteri, niſi per rationem probabiliorem, aut judicium probabilius, poſſit præceptum confitendi a poſſeſſione ſua dejicere.

Reſp. 2. Forte melius ad propoſitum, quod P. Suarez loquatur de *caſu dubio, in quo non poteſt judicari probabiliter*, an caſus comprehendatur ſub lege: objectionem proin non eſſe ad rem: cum Probabiliſtæ loquantur de caſibus, in quibus *judicari poteſt probabiliter.* Nam paulo ante poſuerat hanc concluſionem pro caſu tertio:

Tertio dicendum eſt: qui probabiliter judicat, legem non comprehendere caſum illum, ſecure poteſt excuſari ab obligatione legis, etiamſi formidet, vel utrinque habeat rationes probabiles dubitandi: citatque Cajetanum, Sotum, Medinam, Navarrum &c. ex ratione, *quia licet ſequi judicium probabile, conſcientiam dubiam practice deponendo.*

Loquitur autem de caſu, quo ſuperior a ſubdito conveniri non poteſt; nam, ſi illum poſſit accedere, hoc omnino faciendum docet, etiam pro caſu probabilitatis. Et hoc eſt, quod dicit per verba illa: *ſi in caſu formidoloſo & probabili hoc fieri debet, multo magis in caſu dubio;* id eſt, conveniri ſuperior & conſuli, ſi poſſit adiri.

P. Vasquez in ea eſt ſententia, quod ad legem conſtituendam ſufficiat promulgatio, facta in Curia Principis & non requiratur, ut etiam in provinciis promulgetur, tunc *ſcientes* illam legem obligari: prout ait *t.* 2 *in* 1. 2 *diſp.* 156 *c.* 2 *n.* 7, illum quoque obligari, qui dubitat de promulgatione; quia in dubio practico tutior pars eſt eligenda. Per hoc tamen non negat, eum, qui dubitat de promulgatione ſufficienti, ſi habeat rationem vere probabilem, poſſe dubium practicum deponere, & ſic ab obligatione excuſari. Aliud tamen omnino foret, ſi dubium practicum non poſſet deponere; nam tunc lege obligaretur; non tamen ſi legem invincibiliter ignoraret; prout rurſus dicit Vasquez l. c. n. 8: *quodſi ad aliquorum notitiam non pervenerit,* (publicatio illa in Curia) *hoc non tollet veram rationem legis, ſed ſubditus excuſabitur ab obſervatione illius.*

Obj 4. Inſtituto Societatis 4 *p. c.* 3 *n.*4 ita præcipitur: *ſequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam.* Quæ conſtitutio in pluribus congregationibus fuit approbata, præſertim in XII anno 1682, ubi *novæ laxioresque opiniones* doceri & typis mandari prohibentur, ſtatuta etiam in transgreſſores pœna.

Reſp. Probabilismus non eſt res nova, ſed dudum a Thomiſtis introducta; quos deinceps innumeri ex omni Ordine & Natione

ne Doctores sunt secuti. Hinc Probabilistæ suam doctrinam tutiorem, & auctorum suffragiis magis approbatam existimant, nullatenus vero laxam, cum veram, absolutam, solitam, Theologicam, & practicam probabilitatem requirant, dependenter a qua dein dictamen conscientiæ moraliter certum formari queat.

Probabilioristæ potius illi dicendi sunt laxi, qui principia reflexa rejiciunt, nullumque proin dictamen ultimum & proximum conscientiæ moraliter certum formare possunt, consequenter agunt in dubio practico, cum probabilioritas judicium non faciat certum, sed dubium positivum relinquat, præsertim cum, ut inquit Philosophus, *multa falsa sint probabiliora veris.*

Igitur, dum nostra Societas vetat doceri *laxiores* opiniones, nullatenus intellexit verum probabilismum, sed propositiones laxas in materiis particularibus: id est: prohibuit, ne aliquid licitum, aut probabile dicant, quod tale non est. Quo observato nullum erit periculum laxitatis. Et hinc summi Pontifices nunquam damnarunt probabilismum verum, limitatum, restrictum, ac temperatum, qualem Jesuitæ defendunt, sed illimitatum, vagum, laxum, exorbitantem, qualem aliqui ex Patribus Dominicanis cum Medina & Joanne a S. Thoma, Petro Ledesma, Vincentio Candido defenderunt: *in omni materia, in omnibus negotiis*, non distinguendo inter probabilitates, solidas & tenues, speculativas & practicas, in quæstionibus facti & juris.

Bene etiam hic notandum, quod docet Cardinalis Sfortia Pallavicinus *T.* 1 *in* 1. 2 *disp.* 9 *q.* 4 *a. XI n.* 12: *quærenda quidem est*, inquit, *major securitas, sed major securitas sententiæ, non major securitas actionis: sicut etiam in condenda lege quærendum est optimum; sed optimum in jubendo, non optimum in faciendo. Lex enim, per quam juberemur facere omnia optima, esset pessima, & inobservabilis, & perpetua causa delicti, & damnationis. Sic etiam, si induceretur opinio, quod semper teneremur facere illam actionem, quæ in agendo securior est, etiam a transgressione materiali, hæc opinio non solum non esset tutior, sed maxime exposita periculo frequentis transgressionis formalis. Quare tutior est opposita.*

Et idem omnino dicendum de majori probabilitate: quærenda est major probabilitas sententiæ, non vero actionis &c. Quo sensu Doctor Eximius, *T.* 2 *de Relig. Tract.* 4 *l. XI. c.* 33. scripsit: quod sequendo probabilismum eligatur pars tutior; *quia hæc* (sententia de probabilismo) *est tutissima & practice certa, & secundum rectam rationem*

nem potest dici tutior, quia majus periculum animarum incurreretur, si tot vincula in casibus dubiis eis injicerentur.

Huc etiam pertinet, quod docuit celeberrimus Magister Dominicus Bannez S. Theresiæ Director, cujus Systema de Prædeterminationibus physicis Thomistæ passim amplectuntur, loco supra citato, *quasdam opiniones versari circa actionem aliquam exercendam, ut, an aliquis contractus sit licitus: quasdam vero versari circa res, an e. g. hæc domus mea sit. Dicimus ergo*, concludit, *quod de opinionibus primi generis verum est, posse hominem sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.* Ubi sane optime distinguit inter probabilitatem *speculativam* (in secundo genere) & *practicam* (in primo.)

Obj. 5 Præterea probabiliorismum tuentur, inquit P. Diez, ex Societatis Theologis dignitate & doctrina gravissimi, tres Cardinales, Bellarminus, Toletus, Pallavicinus, item Ferdinandus Rebellus, Paulus Comitolus, Andreas Blancus (*Candidus Filaletus*) Mutius Vitellescus, Thyrsus Gonzalez, Ludovicus Scildere, Michael Elizalda (*Antonius Cella Dei*) Ignatius Camargo, Thomas Muniessa, Ægidius Estrix, Gabriel Antoine, Franciscus Malatra, Josephus Alpharo, Joannes Blanchet, Adamus Ehrentreich, Edmundus Simonet, Joannes Gisbertus, Hieronymus Placentia, Dominicus Nunnez, & alii. In rebus fidei, & in articulo mortis tantum tuetur Antiprobabilismum Sanchez.

Resp. Si isti 23 ex omni natione, & alii, ut addit P. Diez, probabiliorismum defenderunt, quare adversarii Probabilismum *Jesuiticum* appellant? cur illi proprium attribuunt, quod nativitate & educatione est Dominicanum, quod factum deinde commune ex omni natione & gente Doctoribus, cui tam multi Jesuitæ sunt contrarii?

Cæterum istos P. Gravina ita ventilat & cribrat, ut Diezio pauci remaneant. Alios enim ostendit fuisse probabilistas, uti tres illos Cardinales (*Conclus.* 18). Idem *Conclus.* 4 probat de A. R. P. Mutio Vitellesco. Idem de Gisberto, Scildere, Sanchez *Conclus.* 17. P. Alpharus P. Thyrsum soluta oratione, P. Blanchet ligata laudarunt. Alios amphibios esse ostendit. P. Thyrsum, Elizalde (Cella Dei) Estrix, Comitolum, Camargum, Anti-Probabilistas fuisse non negat.

Quod

Quod de P. Thoma Sanchez P. Diez afferit, eum aliam ftatuiffe Theologiam *pro nunc* in vita, & aliam *pro tunc* in morte, Gravina inter calumnias numerat. Cæterum plures funt actus, ad quos in articulo mortis homo tenetur, ad quos non femper in vita tenebatur, uti ad actus fidei, fpei, & charitatis eliciendos, ad confeffionem peccatorum, ad quam, dum valeret, non ftatim tenebatur poft commiffa peccata. Imo ipfe S. Thomas, teftante Cano, *Relect. de pœnit. p.* 6. docuit, in morte confeffionem faciendam per interpretem, licet in vita ad hoc non detur obligatio. Igitur vi præcepti fpecialis tunc urgentis poterit moribundus obligari ad aliquid, ad quod nunc, dum valet, non obligatur, vel faltem non ftatim.

Art. IV.

Alia objectamenta, circa P. Thyrfum, Innocentium XI & XII &c. Contenfoni exclamationes. Quid de Tamburino, Guimenio, Piroto, Bibliotheca Janfeniftica? Quid Sacri Ordines? Conventus cleri Gallicani de anno 1700.

Obj. 6. Bellarminum, Pallavicinum, Toletum, Comitolum, 267.
& Gonzalez, comparari poffe cæteris Jefuitis univerfis, ait Laurentius Berti. Iftos autem fuiffe probabilioriftas: & quidem Pallavicinum relicto probabilifmo tranfiffe ad probabiliorifmum.

Resp. Gravina, Bellarmino, omni doctrinæ genere multo ornatiffimo deberi primatum, ipfo Clemente VIII, dum in Cardinalium Collegium eum affumeret, atteftante, *parem illi in doctrina effe neminem.* Toletum etiam & Pallavicinum fuiffe doctiffimos. Negat autem, eos unquam fuiffe probabilioriftas. Recenfere, quanta perfectio in Epifcopo requiratur, aut approbare librum alicujus probabilioriftæ, non effe argumenta, quæ probabilioriftam probent. Comitolum & Thyrfum Gonzales (ficut etiam Elizaldam, Camargum, Æftrifium. Secretarium P. Thyrfi, Munieffam, Blancum) non effe inter primos Societatis Doctores, nec comparandos Eximio Suarezio, profundiffimo Vafquezio, folidiffimo Sanchezio, Eminentiffimo Lugoni, confultiffimo Molinæ, Leffio, Laymanno,

Palao, Pirringhio, Azorio: fummis Theologis, Valentiæ (quem Clemens VIII *Doctorem Doctorum* appellavit) Tannero, Coninck, Dicaftillo, Efparzæ, Ruiz, Viva, Gormaz, Arriaga, Platelio, Marcinonio: nec eruditiffimis viris, Petavio, Sirmondo, Ducæo.

Quid memorem Canifium, & Gretferum, Lutheranorum & Calviniftarum malleos? Quid Ripaldam Janfeniftarum, Fontanam Quesnelliftarum flagellum? Quid viros doctiffimos, Dechampium, Granadum, Maldonatum, Hurtadum, Amicum, Raynaudum, Illfungium, Tamburinum, Salas, Henriquez, Filiuccium, Turrianum, Ragufam, Haunoldum, Rafslerum, Reginaldum, Efcobarium, Bardium, Arsdekinum, Lacroix, Baunium, Bernalium, Cornelium à Lapide, Menochium, Tirinum, Cardenam, Delrium, Fagundez, Gobatum, Gibalinum, Moyam, Danielem, Segneri, Fabri, Mayrium, Gormazium, Ulloam, Baldellum, duos Perezios, Præpofitum, Tancredum, Terillum, Marinum? quid alios innumeros Theologiæ Pofitivæ, Scholafticæ, Moralis, Polemicæ, Afceticæ, Mysticæ, Parænetcæ, Criticæ, Doctores? quid plurimos, eosque celebres Jurisprudentiæ Sacræ Interpretes, qui libris doctiffimis mundum illuftrarunt? quod vel fola provincia Germaniæ fuperioris tales orbi dedit, uti Laymannos, Haunoldos, Friderichios, Pirrhingios, Wagnereckios, Wieftneros, Schmalzgrueberos, Pichleros, aliosque plurimos?

Non dico, quod hi omnes probabilifmum docuerunt, fed aliquos memoravi, ut oftenderem, audacius, quam verius dici, quinque viros poffe cæteris omnibus comparari.

Obj. 7. Ut in Societate communis evaderet probabiliorifmi doctrina, eliminata minus probabili, fuam contulit operam efficacem Innoc. XI & XII, dum librum P. Thyrfi Gonzalez in lucem emitti curarunt, non fine elogio, editoque decreto, quo P. Generalis jubetur fuis interdicere, ne fcribant pro opinione minus probabili, aut impugnent fententiam oppofitam.

Refp. P. Gravina, hæc a P. Concina & P. Diez fcribi fublefta fide. Decretum hoc effe apocryphum, repertum forte in armario, in quod conjiciuntur decreta apocrypha, vel ob-aut fubreptitia. Mala fide hic teftem adduci P. Gagna: cum is decretum iftud prætenfum oftendat effe confictum.

Obj. 8.

Obj. 8. Ante annum 1577 omnes Dominicani Probabiliorismum asseruerunt, teste Cordubensi, qui communem asserit, & Coratio, qui centum allegat.

Resp. Hoc facilius est asserere, quam probare. Non raro contingit, ut pars utraque sententiam suam communem dicat. Coratius centum in confuso allegat, sine pondere, numero, & mensura.

Cæterum antiqui hanc materiam aut non satis & ex professo examinarunt, ut testatur Navarrus in *Enchir. c.* 27 *n.* 289, ubi ait, *quod plures eam* (Anti-Probabilismi opinionem) *sequantur, tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt, sine judicio sequentes: communiorem enim ad hoc existimarem*, inquit, *illam, quam sex vel septem auctores classici, rem ex professo tractantes, assererent, quam probatam a quinquaginta, sola fere auctoritate priorum ductis. Quin & arbitror, utramque posse dici communem, quando utraque habet octo vel decem assertores graves, & cum judicio eam deligentes.*

Aut igitur veteres, qui ante Medinam scripserunt, hanc materiam ex professo suis momentis non ponderarunt, aut ex falsis principiis fuerunt inducti, uti, quod semper tutiora sequi oporteat, quod ne quidem probabiliorem, aut probabilissimam, relicta securiore, liceat sequi; quod nulla dari possit ignorantia invincibilis Juris naturæ; & sic non tam probabiliorismum, quam tutiorismum & rigorismum tradiderunt. Aliqui locuti sunt de actibus tendentibus in præjudicium tertii, de Judice, Medico, Ministro sacramenti: alii de dubio practico &c.

Multi autem jam ante Medinam probabilismum docuerunt: nam P. Vasquez *in* 1. 2 *q.* 62 *c.* 4 testatur, quod *jam antea in scholis communis fuerit.* Et Thomas Sanchez *l.* 1 *in Decal. c.* 9 *n.* 14 jam suo tempore 30 auctores pro probabilismo citavit, inter quos decem sunt Dominicani, & quidem aliqui priores Medina, uti Victoriam, Sotum, S. Antoninum, Tabienam.

Neque dicas, Medinam primum statui probabilistam, & ejusdem inventorem. Ergo omnes ante ipsum contrariam illi sententiam propugnarunt; nam *Resp.* Medina statuitur primus, quia ex professo materiam istam in propriis terminis methodo scholastica examinavit, solidis argumentis firmavit, contrarias objectiones solvit. Antiquiores autem Doctores, licet multi ex illis ejusdem fuerint

fuerint cum Medina ſententiæ, non ea ac ille, induſtria, & perfectione id præſtiterunt. Unde Medina nullatenus eſt inventor probabiliſmi, ſed eundem magis excoluit, perfecit, illuſtravit, ut omnes ſcholæ & Doctores deinceps per integrum ferme ſæculum ejus doctrinam, quoad ſubſtantiam, ſequerentur.

Obj. 9. Probabiliſmi doctrina, ut prohibeatur, delata fuit ad quatuor Summos Pontifices, Alex. VII, Innoc. XI, & XII, atque Clementem XI a Prælatis Flandriæ & Hiſpaniæ, & a PP. Eſtrix, & Camargo S. J. tanquam corruptæ morum diſciplinæ & omnis mali fons & origo peſtifera. Vehementiſſime vero in eandem detonuit Vincentius *Contenſon* Dominicanus in ſua ad Alex. VII epiſtola; ubi inter alia exclamat: *exurge Beatiſſime Pater! perimus jane! perimus! - - - Caſuiſtarum nubes, opinionum nebulæ ſic ruerunt, ut niſi caveas, totius fiet Chriſtiani mundi una tempeſtas. - - - exurge, Beatiſſime Pater! quare obdormis! & ne repellas in finem. - - Et, ſiquidem judicas, Eccleſiam Gallicanam juſte moveri, moveatur omnium Magiſtra Romana.*

Reſp. Aliud eſt accuſari, aliud damnari. Accuſatus eſt probabiliſmus, & a pluribus, & ſæpius, & acerbiſſime. At vero nullus eum unquam Pontifex damnavit, ne quidem Innoc. XI acerrimus doctrinæ cenſor. Quid ſentis de reo, qui vehementer accuſatur, ſed a Judicibus nunquam condemnatur. Damnatæ ſunt ab Alex. VII & Innoc. XI multæ propoſitiones laxæ & temerariæ. Si probabiliſmus eſſet eorum fons, ante omnia hunc obſtrui oportuiſſet. At damnatus eſt probabiliſmus Thomæ Tamburini, inquit P. Diezius, item Guimenii, ſeu larvati Matthæi Moya: uti etiam Apologia Caſuiſtarum Joannis Pirot, Bibliotheca Janſeniſtica P. de Colonia.

Reſp. Tamburinum, dum dixit, licitum eſſe ſequi opinionem etiam tenuiter tantum probabilem, modo e probabilitatis finibus non egrediatur, incaute fuiſſe locutum. Nullus alius ex Jeſuitis hoc docet; ſed omnes requirunt probabilitatem veram, Theologicam, practicam, abſolute talem; hoc eſt, nixam ratione gravi, quæ virum prudentem movere poſſit ad aſſenſum. Et in hac ſententia, ſi contextus, & ea, quæ tradidit alibi, conſiderentur, etiam fuit Tamburinus. Nam loquitur conditionate, ſi opinio in comparatione cum oppoſita probabilitate adhuc maneat vere probabilis.

Gui-

Guimenius, quiscunque ille ſit, non eſt *Auctor*, ſed merus *Summiſta*: qui compilavit varias opiniones, & Auctorum ſententias, quin eas veras aut falſas enuntiet, aut examinandas duxerit. P. Moya autem in ſuis operibus de inſigni ſua doctrina optime eſt meritus.

Eadem ferme, ac Guimenii, eſt ratio Piroti, cujus librum Societas nunquam approbavit, neque ſub nomine Piroti fuit editus. Collegit Auctor Apologiæ in eo multas ſententias, rigidas & laxas, præſertim Thomiſtarum, nec uſus ſatis eſt criſi in iis diſcernendis. Nec tamen auctor dixit cum Janſeniſtis, Apologiam ad Clerum Gallicanum & Sedem Apoſtolicam deferentibus, an propoſitiones contineantur in ſuo libro, an ſint intelligendæ in ſenſu damnato, eſſe quæſtionem facti, in qua decidenda Pontifex, imo Eccleſia tota, non ſit infallibilis, prout Janſeniſtæ loquuntur de propoſitionibus Janſenii. Nihil horum objecit Apologiſta, ſed condemnationi adquievit. Si autem intra terminos veræ ac ſolidæ probabilitatis hæſiſſet, nulla opus fuiſſet condemnatione.

Auctor *Bibliothecæ Janſeniſticæ* finem optimum ſibi præfixerat, ut videlicet præmuniat Catholicos contra librorum & libellorum torrentem, quo Janſeniſtæ Europam inundaverant; qui libri tanto ſunt periculoſiores, quanto ſub dulcedine Hiſtoriæ magis curioſitatem alliciunt, amœnitate ſtyli delectant, atque ſub ſimulatæ diſciplinæ & aſceſeos velo devotos incautos facilius decipiunt.

Cæterum ſua probabilioriſtas ſeveritas neutiquam a condemnatione abſolvit, ut in Natali Alexandro, Vincentio Baronio, Hyacintho Serry, Thoma Menghino, Ordinis Prædicatorum famoſis ſcriptoribus, videmus.

Obj. 10. Poſtquam probabilitatis detecta fuit abortiva deformitas, Prædicatorum Capituli Generalis 1656 ordinatione, & omnium Religioſorum conſpiratione taliter fuit impugnata, ut evidenter intelligeretur, quam aliena ſemper fuerit ab animo Religionis.

Reſp. Fatetur ergo P. Diez, ante annum 1656 viguiſſe iu ſacro ſuo Ordine probabiliſmum, cum tunc primum ejus *abortiva deformitas*, ut humaniſſime loqui placet, fuerit detecta. Et ex hoc ipſo colligitur, quam alienus *ſemper* fuerit ab animo Religionis Prædicatorum, prout etiam ex eo, quod P. Ildephonſus a Capitulo Generali juſſus fuerit, opus ſuum, in quo probabiliſmum defendebat, in publicam lucem emittere, & Medina a Reverendiſſimo ſuo P. Generali.

Obj. 11. Sacri Ordines, S. Francifci, Carmelitarum, Auguftinianorum, Præmonftratenfes, Trinitarii, Theatini, Congregationes Oratorii in Gallia, Benedictinorum, potiffimum Maurina, Helvetica, Hifpanica, Germanica, Italica, Anti-Probabilifmum tuentur, nominatim Cardinalis de Aguirre, Card. Sfondrati, *Gabriel Gerberon*, Joannes Mabillon, Gardius, Torres, Gomez, Larditus. Ex Ordine S. Francifci, Alexander de Ales, S. Bonaventura, Scotus, S. Bernardinus Senenfis, Angelus de Clavafio, Trovamala, Faber, Cardinalis de Laurea. Matthæucius, Durantus, Henno, Rabeus, Ciaffonius, Recanatus, Paulus a Lugduno, Cajetanus a Bergamo, Palluncitus, Bonadonus, Cardinalis Cafinus; quibus adjungendi Theologi non Regulares innumeri.

Refp. Si numerus ingens Probabiliftarum ex omni ordine & gente petatur, confuli poffunt longiffimi Catalogi, quos confecerunt, Sarafa, Terillus, Cardenas, Fabri, Dechamps, Gobat, Zacharias, Rafslerus, Flander, Anglus, Hifpanus, Gallus, Germanus, Italus. Quibus acceſſerunt recentiores innumeri, qui tum libris editis, tum propofitis Thefibus, tum in prælectionibus Academicis probabilifmum propugnarunt, & quidem tanquam probabiliorem, & pro falute animarum tutiorem.

Obfervat hic P. Gravina, quod fi evanefcant decem Dominicani probabiliftæ, cum toto Prædicatorum Ordine comparati, ut inquit P. Diez, quid cenfendum de octo Auctoribus, cum toto ampliffimo, antiquiffimo, & multo doctiffimo Ordine S. Benedicti comparatis? non parum vero miratur, quod inter illos octo Probabilioriftas etiam recenfeatur *Gabriel Gerberon.* Caufa admirationis eft notior, quam ut memorari debeat. Signum eft, quod Diezius alios, quos pro fe citet, non invenerit. Alias plane hunc allegare erubuiffet.

De eruditiffimo Illuftratore Conciliorum Hifpaniæ Cardinale de Aquirre alias dictum, ipfummet faffum effe, fe materiam de probabilitate minus examinaffe. Et in præfatione ad *Concil. Hifp.* ait, Probabiliftas effe innumerabiles, ut cum Poeta dici poffit: *obruimur numero.*

Octo autem allegatis Terillus opponit S. Bernardum, Abbatem Panormitanum, Caramuelem, Dionyfium Carthufianum; & P. Dechamps Petrum Lorca, Petrum de S. Jofepho, Carolum Malletum, Gregorium Sayrum. Et quot alii, etiam in Germania noftra & Helvetia, ex Illuftriffimo & eruditiffimo Ordine S. Benedicti probabilifmum acriter defendunt? nuper admodum doctiffimus quidam

Abbas, me audiente, dixit, omnes in suo Monasterio pro probabilismo stare, uno excepto; questusque est, eundem a quibusdam tam acerbis calumniis criminari.

P. Nicolaus Monsia Benedictinus Cassinensis anno 1694 librum edidit, sub titulo, *crisis probabilitatis*, contra nostrum P. Thyrsum: in quo probabilismum egregie defendit, testaturque, quod ille in Congregatione sua Cassinensi sit communior. De Card. Aguirre pag. 67 hæc scribit: *Neque putamus, hanc nostram* (pro probabilismo) *sententiam esse contra doctissimam & piissimam mentem per omnia Eminentissimi Cardinalis de Aguirre, ex sacra Benedictina Familia assumpti, quamvis dictus Reverendissimus auctor* (P. Thyrsus) *Dissert.* 13 *a n.* 79 *& seqq. multa loca ejusdem Eminentissimi recitet. Nam idem Eminentissimus ibidem protestatur, se cognovisse, hanc quæstionem esse gravissimam, eamque ex instituto minime resolvisse, sed potius excurrendo eam libasse, ut apparet ex Dissert.* 13 *n.* 84 *in fine.*

Quantum ad *Seraphici Ordinis* Doctores spectat, P. Gravina primos octo ex recensitis dubios esse ostendit. Reliquis 12 opponit ex P. Dechamps 12 alios ex schola subtili, probabilismi assertores, videlicet Angles, Pelbartum, Villalobos, Portellum, Poncium, Marcantium, Hauzeur, Basseum, Longum, Caspese, Gesvaldum, Raggium.

His addi possunt alii 12, nimirum Henrick, Mastrius, Neusser, Lupus, Posnaniensis, Sporer, Baro, Delgadillus, Boscus, Boyvinus, Borullus, Bervodinus: atque insuper Philippius, Sichenus, Fulgentius de Trinitate, Felix Potestas.

P. Jeremias de Padua Franciscanus librum edidit, cui titulus: *Probabilismus Methodo Mathematica demonstratus*, in quo prædictis addit Okamum & Majorem, atque probabilismum tanquam veritatem demonstrabilem proponit. Cajetanus del Pezzo in *addit. ad Moralem P. Potesta app.* 1 *pag.* 1 testatur, Scotistas fere omnes Probabilismo patrocinari.

Certe in Germania passim ab illis defenditur tum in scholis tum editis libris, cum celeberrimo Doctore Anacleto Reiffenstuel, qui in sua *Theologia Morali*, anno 1692 edita, *Tr.* 1 *d.* 3 *q.* 4 *concl.* 11 *n.* 52 *&* 53 Probabiliorismum rejicit, & Probabilismum communiorem inter Theologos asseverat. P. Panger in sua *Theologia Scholastica Morali Polemica*, anno 1732 Augustæ cum singulari elogio sui sacri ordinis edita, *T.* 2 *d.* 3 *q.* 7 quinque argumentis Probabilismum defendit, & 11 Objectiones solvit, testaturque, Scotum quo-

quoque fuisse Probabilistam. Credo autem, scholam subtilem non minus doctam esse & piam, ac Thomisticam. Quamvis multi doctissimi etiam Thomistæ eandem probabilismi sententiam sint amplexi, ut supra demonstratum fuit, imo eandem per Medinam, aliosque ita de novo illustrarint, ut communem fecerint.

Ex *Augustiniana* sacra Familia pro licito usu opinionis probabilis P. Gravina citat eruditissimum P. Christianum Lupum, clarissimos viros, Salonium, Poncium, Bejam, Aragonium; quorum opera cum approbatione censorum & superiorum S. Ordinis fuerunt edita.

Ex S. *Carmelitarum* Ordine primo loco ponit Joannem Bacconium *Doctorem Resolutum*, tanquam caput scholæ Carmelitanæ. Hunc sequuntur præclari triarii, Petrus Carnejus, Joannes Baptista Lezana, Urbanus de Assumptione, Franciscus Bonæ Spei, Andreas Laus.

Ex *Theatinis* Cajetanus Petius, Andreas Lanfrancus, Antonius Naddi, Antoninus Diana, Novarinus, Pasqualigus, Delbene, Gualdus &c. Quid de Inclito Ordine *Servorum B. V. Mariæ* dicam, in quo multi viri doctrina & eruditione clarissimi Probabilismum acerrime propugnant, prout in celeberrimo studio Generali Oenipontano non raro ipse vidi? Honoris gratia aliquos nomino lectores doctissimos, amicitia mihi dudum conjunctissimos, Ferdinandum Gassmayr, Joannem Gienger, Gabrielem Schenck, Provinciæ Præsides, Alexium Blanck, Zachariam Rathgeb, omnes lectores ornatissimos.

Memorabile est, quod Contenson acerrimus Probabiliorista *T.* I *Theol. Mentis & Cordis l. 6 Diss.* 3 *c.* 2 fatetur: *Probabilismi licentiam*, inquit, *ab aliis* (nempe a Thomistis) *hauserunt Jesuitæ, & cum Jesuitis non pauci alii ex omnibus Ordinibus & Academiis, nonnulli etiam Sorbonici sæculi hujus Doctores sectantur. - - - Non sunt Theologorum Societatis Jesu propriæ* (sententiæ de usu opinionum probabilium) *sed multis aliis communes. Unde si Probabilistarum catervam in aciem producere liberet, magnam partem conficerent aliorum Institutorum & Ordinum Professores, quos probabilitatis dogma pervasit.*

Et sane pervasit ipsum etiam clarissimum Ordinem Prædicatorum, plurium Doctorum textus supra attulimus, juvat hic eos unum aspectum objicere. A P. Dechamps, probabilismi fautores, & assertores, exacte citantur S. Thomas, S. Antoninus, B. Albertus M. Petrus Paludanus, Didacus Alvarez, Barthol. Ledesma,

Silvester

Silvester Prieras, Joannes Viguerius, Barthol. Medina, Ludovicus Lopez, Franciscus Victoria, Thomas Marcado, Joan. Paulus Nazarius, Dominicus Bannez, Jacobus Nunnez, Gregorius Martinez, Petrus Ledesma, Vincentius Candidus, Joan. Bapt. Ildephonsus, Paulus de Blanchis, Joan. Bapt. Hacquetus.

His 21 P. Zacharias adjungit alios decem, uti Petrum Tapia, Acacium de Velasco, Balthasarem Navarete, Thomam Villar, Barnabam Gallegum de Vera, Franc. Lopez, Joan. a S. Thoma, Dominicum Gravina, Joan. Martinez de Prato, Vincentium Ferre. Accedunt, testibus Sarasa, Gobat, & Moya, Joan. *Nider*, Ulricus *Engelbertus*, Umbertus de *Romanis*, Bernardus *Claromontanus*, Barthol. *Fumus*, Melchior *Canus*, Joan. de *Friburgo*, Dominicus *Soto*, Marcus *Serra*, cujus Theologia, in qua quinque validis argumentis probabilismum propugnat, ab Ordine fuit approbata, ac primum Valentiæ, ac dein Romæ anno 1553 cum magnis encomiis edita, ipsique Rev.mo P. Generali Joanni Bapt. de Marinis dedicata.

Agmen 43 Probabilistarum ex inclita Familia S. Dominici claudant Martinus de *Ledesma*, Joannes de *Cruce*, & Ludovicus *Bancellus*, qui in *Theol. sua Thomist. tr.* 11 *de Act. Hum. q.* 5 *a.* 5 ait: *ad hoc, ut possimus in conscientia sequi aliquam opinionem, sufficit quidem, quod directe & objective sit vere probabilis, & vere tuta, licet sit minus probabilis & tuta, sed tamen requiritur, quod reflexe & approbative sit probabilior & tutior: - - - Multa sunt, quæ tutius est facere; sed simul etiam tutius est, non se credere obligatum ad ea facienda. - - - Nisi moraliter ipsi constet de tali obligatione.*

Obj. 12. Conventus Cleri Gallicani numerosissimus, (quem Concina Concilium *Nationale* appellat, magis amplum, quam unquam viderit hoc regnum) totam Ecclesiam Gallicanam repræsentans, cum Parochis innumeris, probabilismum, ceu mali omnis fontem, anno 1700 damnavit.

Resp. Secundum computum P. Gravina Ecclesia Gallicana componitur ex 18 Archiepiscopis, 112 Episcopis, 44000 Parochis, plus 300 Capitulis, 22 Universitatibus, ultra 14777 Domibus Religiosis, 1356 Abbatiis. In Conventu autem illo aderant, unus Cardinalis, nempe Noallius, & cum eo Archiepiscopi quatuor, Episcopi decem, ex omni reliquo Clero viginti: atque ad hunc numerum redactum fuit numerosissimum Concinæ Concilium Nationale totius regni, innumerabilis Diezii parochorum multitudo. In Ger-

mania autem ſuperiore, credo, vix decimus quisque erit ex parochis, qui genuinum probabiliſmum rejiciat.

Deinde etiam Probabiliſtæ docent, cum dubio practico nunquam licitum eſſe operari; imo ultimum ac proximum dictamen conſcientiæ requirunt omnino certum, quod dubium omne excludat. Et in hoc ſenſu Conventus ille poteſt intelligi; prout etiam Prælati Hiſpaniæ & Belgii in ſua ad Clementem XI epiſtola, aut intelligi poſſunt loqui de probabilitate *notabiliter* minore, quam plurimi ex Societate noſtra rejiciunt.

Art. V.

Probabilioriſtas in graviſſimos errores & laxitates incidiſſe. Tres centurias exhibet Gravina. Eorum maledicentia. De Natali Alexandro, & Van - Eſpen. Probabiliſmus probatur ex SS. PP. Jure utroque, 43 Dominicanis. Tranſactionis idea.

268. Parte 3 P. Gravina demonſtrat, ab experientia conſtare, Probabilioriſmum impedimento ſuis ſectatoribus non fuiſſe, quo minus in plurimas inciderent laxiſſimas opiniones, idque exemplo Cajetani oſtendit, cujus 150 lapſus exhibet circa Baptiſmum, pœnitentiam, Euchariſtiam, matrimonium, Decalogum, præcepta Eccleſiaſtica, Simoniam, juſtitiam, aliasque materias varias.

Tres deinde errorum laxarumque opinionum Centurias, citatis exacte locis, proponit, in quos ſacri cujusdam Ordinis Scriptores Probabilioriſtas incidiſſe probat. In prima centuria exhibet laxas eorum ſententias & errores contra doctrinam de Sacramentis, actibus humanis &c. In 2 centum errores contra Theologiam Dogmaticam, quos docuerint, Eckardus, Monteſonus, Grabon, Contenſon, Natalis Alexander, Hyacinthus Serry, aliique multi.

In tertia errorum centuria enumerat ſingillatim centum laxas & laxiſſimas Antiprobabiliſtarum propoſitiones contra bonos mores, uti de ſigillo Sacramentali, de Sacramentis, de intentione Miniſtri, de pœnitentia, de confirmatione, de præceptis Eccleſiaſticis, de confeſſione & communione, de amore Dei, de quinto & ſexto præcepto Decalogi.

Plurimæ

Plurimæ ex his trecentis propositionibus sunt adeo enormes, ut, si Jesuitæ illas docuissent, tanquam pestem humani generis ex orbe terrarum exturbandos aliqui clamarent; & tamen isti volunt esse Probabilioristæ. Infert jure optimo P. Gravina, prætensum probabiliorismum minime impedire, quo minus ejus laudatores in laxismum & gravissimos errores incidant.

Capite 4 Gravina exhibet enormem maledicentiam Probabilioristarum, qua in benigniorem sententiam ejusque assertores invehuntur, præsertim Vincentius Baro, cujus convitiorum in Theophylum Raynaudum ingentem Catalogum ordine alphabeti proponit.

Subjungit furiosas declamationes Vincentii Contenson, quibus novus iste Jeremias lamentatur exitium orbis, Ecclesiæ ruinam, per probabilismum inductam. Addit maledictorum plaustra, quæ Vincentius Diez in P. Gravina & benigniorem sententiam exonerat.

Cap. 5 ostendit, quod plures ex probabilioristis degenerarint in Laxones & Rigoristas, secundum quos ne quidem ex probabilibus probabilissimam liceret sequi relicta tutiore, nominatim *Natalis Alexander*, qui tamen, simul in aliis laxista, multas propositiones erroneas docuit, ut ostendunt in Notis suis ejus censores ex Sacro Ordine, & Roncaglia ac Mansi in ejus correctione, uti etiam P. Gravina in centuria secunda, classes V, ubi refert, Alexandrum fuisse inter Appellantes ad futurum concilium atque huic appellationi schismaticæ fuisse immortuum. Insuper quam alienus fuerit a doctrina factionis Jansenisticæ, patet etiam ex eo, quod *casui* illi famoso *conscientiæ* subscripserit, & *Dissert.* 26 *in Hist. Eccles. Sæc.* 3, hanc propositionem scripserit: *Gratia sufficiens non importat potentiam proximam ad resistendum.* Huic non multum absimilem proponit Zegerum Bernardum *Van-Espen*, canonistam Lovaniensem, in moralibus Rigoristam, Imperio & Sacerdotio perniciosum, Hollandici schismatis, & Richerismi fautorem, Jansenisticæ factionis amicum, suspensum a Divinis & functionibus Academicis, ac propterea Ultrajectum fugitivum, ibique mortuum in schismate anno 1728, vivum paradigma laxissimi Rigoristæ. In ordine factionis Jansenisticæ sub nomine *Antonini* latuit. Coddeum constanter habuit pro legitimo Vicario Apostolico, licet a Papa depositum; deciditque cum

cum Quesnello, quod Clerus in Hollandia bona conſcientia poſſit recurrere ad Magiſtratum Proteſtanticum ad obtinendum Vicarium ſui genii, & arcendum, quem Papa deſignaverat. Ejus opera Canoniſtica Romæ fuerunt damnata.

Cap. 6 allegat SS. Patres, uſui opinionum probabilium faventes, uti Auguſtinum, Hieronymum, Bernardum, Anſelmum, Baſilium, & Eccleſiæ Doctores alios, uti S. Bonaventuram, & S. Thomam. 1. 2 *q.* 105 *art.* 2 *ad* 8 ait: *In rebus humanis non poteſt haberi demonſtrativa probatio, ſed ſufficit aliqua conjecturalis, ſecundum quam Rhetor perſuadet.*

Cap. 7 recenſet 43 Dominicanos probabiliſtas: & *Cap.* 8. Doctores ex eodem ſacro Ordine, qui doctrinam Moralem Jeſuitarum laudarunt, & approbarunt. Imo Reverendiſſimi Patres Generales, cum univerſalibus capitulis, & ſanctis, uti Pio V. Pontifice, Ludovico Bertrando &c. laudibus & æſtimatione Societatem celebrarunt. Hinc odium in Jeſuitas nequaquam eſt commune Illuſtriſſimo Ordini, ſed perſonis quibusdam proprium, quæ eo altius ſe extollendas exiſtimant, quo profundius Jeſuitas depreſſerint.

Cap. 9 ex principiis utriusque Juris probat uſum opinionum probabilium: uti ex eo, quod *in dubiis melior ſit conditio poſſidentis*; quod *lex dubia ſit lex nulla*: quod *in obſcuris minimum ſit ſequendum*; quod *in dubiis favendum reo*; *quia jura ſunt proniora ad abſolvendum, quam ad condemnandum.*

Item ex praxi primæ chriſtianæ ætatis, qua Eccleſia admodum benigna fuit in adminiſtrando ſacramento pœnitentiæ, (teſte clariſſimo Morino *l.* 4 *Comm. Hiſt. de Diſcipl. in admin. ſacr. pœnit. c.* 9.) usque ad hæreſin Montaniſtarum, de laxitate conquerentium, prout ſolent Janſeniſtæ; alligantes onera, quæ ipſi nolunt portare, prout Chriſtus genti cuidam exprobravit, quæ diſcipulos ejus ceu legis transgreſſores accuſaverat.

Denique ex uſu & praxi Sanctorum, qui Chriſti exemplo, cujus *jugum ſuave eſt, & onus leve*, quique ſingulari cum benignitate peccatores in gratiam receperat, atque a ſe diſci voluit, *quia mitis eſt & humilis corde*, hujus, inquam, Diviniſſimi Magiſtri ſui, qui

agnus

agnus appellari voluit, exemplo sancti ejus miram in pœnitentes mansuetudinem præferebant. *Leni nos jugo suo subdidit*, inquiebat S. Aug. *Melius excusamur apud DEUM propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem*, dicebat S. Thomas: item: *Si Deus benignus, ut quid Sacerdos ejus austerus vult apparere?*

S. Raymundus de Pennafort in Summ. de pœnit. & remiss. § 21 ajebat: *unum tamen consulo, quod non sis nimis pronus judicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam, esse mortalia: sed potes dicere, esse peccata, & inducere homines ad pœnitentiam de talibus; alias enim possent induci homines cito in desperationem.*

In eandem sententiam ivit S. Antoninus, qui 1 p. Summ. tit. 3 c. 10 § 10 reg. 7 ait, *quod misericordia præponderat juris rigori secundum Jurisperitos, & quod secundum hanc virtutem possumus præcepta DEI, Ecclesiæ, Prælatorum benigne interpretari.* Ecce mentem Sanctorum ex Sacro Ordine S. Dominici, longe diversam a mente & calamo alicujus Contensonii, Concinæ, Dinelli, Patuzzi, Reicharti, declamatorum, ad imitationem Sancyrani, Jansenii, Quesnelli ejulantium.

Idem sensus fuit Gersonis *l. de vita spirit. animæ Lect.* 4 *Coroll.* 11, ubi ait: *Ex his elicio doctrinam salubrem pro DD. Theologicis, ne sint faciles asserere, actiones aliquas aut omissiones esse peccata mortalia. - - - Per tales assertiones publicas nimis duras, generales & strictas, præsertim in non certissimis* (qualia sunt omnia probabilia) *nequaquam eruuntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, immerguntur. - - - Quid prodest, imo quod non obest, coarctare plus justo mandatum DEI, quod est latum nimis? quid insuper expedit, amarius graviusque reddere illud jugum Christi, quod suave est, & onus ejus leve? - - - præstabitur sedulius obsequium Domino, & Patri tantæ mansuetudinis, cujus mandata gravia non sunt.*

Accedit venerabilis P. Joannes Nider, illustre sidus Ordinis Prædicatorum, qui *Consol. Tim. Consc. p.* 3 *c.* 24 ait: *Valde periculosum est diffinire, aliquid esse peccatum mortale, nisi hoc constet multum evidenter.* Probatque hoc suum assertum auctoritate S. Augustini & S. Thomæ. Et Gabriel Biel *in* 4 *sent. dist.* 15 *q.* 13 *a.* 2 *concl.* 3 ait: *incautum & malum est, asserere, aliquem actum fore peccatum mortale, ubi illud nec sufficienti auctoritate, nec evidenti ratione ostendi potest; nam hoc*

eſt ponere laqueum ambulantibus, & inducere certum mortale, ubi morale non eſt, vel eſſe, certum non eſt. Item Petrus Aragonius *in* 2. 2. *q.* 83 *a.* 12 *dub.* 15, ubi hæc habet: *Certe videtur valde durum, & a pietate chriſtiana alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quod peccat mortaliter,* ſine evidenti & certa ratione. Videantur hæc omnia prolixius & exactius deducta apud P. Gravina *Ind.* 9 *Art.* 3.

Cap. ult. P. Gravina adverſario ſuo ideam quandam pacificationis aut amicæ tranſactionis proponit. Aſſumendam utrinque *Theologiam mentis & cordis*, non verbis tantum, ut Theologiam Contenſonii, ſed re conſtantem. Illam ad judicium intellectus, hanc ad operationem voluntatis pertinere. Probabiliorifmum nihil ad hanc facere, cum voluntatem non faciat meliorem. Documenta varia de Ordine quodam Religioſo ex Antonio Senenſi, S. Antonino &c. affert Gravina. Sed ego, qui Ordinem illum Illuſtriſſimum ſummopere veneror, & cum quibusdam ejus membris ſincera amicitia junctus ſum, hæc omnia miſſa facio. Quamvis enim quidam non ceſſent, minimam noſtram Societatem perſequi, denigrare, ac ſparſis etiam libellis inimicis lacerare, inique tamen ageretur, ſi privatorum quorundam livor toti Ordini tribueretur, qui Generalibus etiam ſuis in Capitulis ſpecialis in nos amoris argumenta dedit. Neque odioſa commemoranda ſunt, quando de amica compoſitione agitur.

Hæc ut perficiatur, Gravina ſuadet, ut omnes dicamus corde & animo cum Gabriele Gualdo Theatino *Diſp. de Bapt. Inf. in Ut. diſp.* 6 *n.* 3. *In ſcholis probabiliſta acerrimus ſum: in moribus probabilioriſta. Cum antiquis probabilitatem doceo, cum recentioribus probabilio riſtis probabilioritatem ſequor.* Ita vivamus & nos, aliis benigni, nobis rigidi, roſam imitantes, quæ *aliis floret, fragratque, ſibi dum riget,* ſpinis circumſepta. Hac via ſanctos iiſſe, eademque ſanctum fore Diezium, & alios ſanctos facturum, ait Gravina; refertque exemplum memorabile P. Bernardini Piccini, animarum celebris Directoris, in ſe ipſum rigidi, in alios, quod bonarum mentium eſt, mitis & benigni.

Hunc

Hunc dicere solitum accepimus, se experientia edoctum & usu diuturno, homines, præsertim adolescentes, patientia magis & misericordia, quam pœnis & terriculamentis a culparum consuetudine avocari. Secutus proin est doctrinæ genus non austerum, sed moderatum temperatumque, quod Christianæ mansuetudini animarumque saluti accomodatius cognovisset.

Et sane experientia compertum habemus, eos, qui constanter Societatis hominibus utuntur conscientiæ arbitris & animarum directoribus, pios plerumque esse vitæque compositæ, nec diu eorum uti opera, si vitam suam non emendent. Non enim ita inepte benigni sunt, ut peccata non dicant peccata, aut emendationem vel obligationes non urgeant. Dixit quidam: *ne dixeris probabilistas nimium benignos: nullus Jesuita me voluit absolvere; probabiliorista me facile absolvit.* Non pauci fuerunt, qui, dum viverent, a Jesuitis abhorrebant, cum autem ad mortem ventum fuisset, eos accersebant, & de peccatis confessi, eorum directioni se committebant. Alii dixerunt, se ideo nolle Jesuitis confiteri, quia nimis rigide contritionem & emendationis propositum urgerent.

Demum adhortatur adversarios, ut arma, quæ toties in Jesuitas strinxerunt, stringuntque continuo, in hæreticos & hostes Ecclesiæ convertant, qui de nostris litigiis exultant, & triumphum canunt, ut verissimum omnino hic sit tritum illud: *inter duos litigantes tertius gaudet.* Si autem pergant, convitiis, calumniis, maledictis nos lacessere, vitio nobis vertere non posse, si nos defendamus, memores illius sententiæ, quam ipse Tractatibus suis Apologeticis de Probabilismo præfixit, ex S. Thoma *quodl* 10 *q.* 6 *art.* 13, ubi scripsit: *Hi, . . . quibus incumbit ex officio, vel ex statu perfectionis aliorum saluti providere, peccant, nisi infamiam propriam juxta posse repellant,* Ego vero, quæ hactenus dixi, per narrationem mere historicam ex aliis retuli, quin mea faciam. Ad apparatum enim eruditionis non tam spectat, ex proprio sensu loqui, quam gesta, scripta, & doctrinam aliorum narrare.

Si arbiter ego essem, libenter concederem, non esse licitum, sequi sententiam manifeste minus probabilem, aut quando altera clare cognoscitur, esse probabilior, modo adversarii concedant, non dari

 obli-

obligationem ſemper dimetiendi gradus probabilitatis; quia hoc in praxi ſæpe eſt impoſſibile. Quis enim de infinitis quæſtionibus probabilibus cum fundamento ſemper dicat, quænam ſint probabiliores? Profecto hæc obligatio maximis anxietatibus foret obnoxia.

Hoc autem temperamento adhibito, neque rigoriſmi neque laxiſmi (quantum ad hanc materiam) eſſet periculum: onus non imponeretur nimium: ſententia utraque combinaretur, pax & concordia hac tranſactione facile componeretur.







